Digitized by Google

XIII
D
46

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
D
46
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EVANGELIORUM
(quæ vocant)
DOMINICALIUM
DISPOSITIO TRIPARTITA-SEXENNALIS, ITA ADORNATA, UT AD MINIMUM SEX ANNORUM CONCIONANDI MATERIAM UBERRIMAM FIDELI VERBI MINISTRO SUPPEDITET:

PARS SECUNDA,
Continens Evangeliorum pericopas, à feſto Pentecoſtes, uſq; ad finem anni:

Edita Studio et Opera

M. CHRISTOPHORI DAUDERSTADII, Eccleſiæ Friburgenſis ad Oneſtrum Paſtoris & vicinarum Superintendentis:

EDITIO TERTIA;
Adjectas habens tabulas ſingularum diſpoſitionum analyticas, cum Indice rerum & verborum juſto.

CUM PRIVILEGIO ELECTOR SAX.

JENÆ
Sumtibus VALENTINI PAULMANNI, Bibliopol. Hamburg.
Literis VIDUÆ STEINMANNIANÆ,
Anno M DC XLV.

Digitized by Google

VIRIS

Generoſiſſimâ Nobilitate, Reverendâ-plurimùm Dignitate, Spectatiſſimâ Magnificentiâ, Autoritate ſummâ, Conſiliorumq́ dexteritate Excellentiſſimis;

ProtoSynedrii Eccleſiaſtici Electoralis, quod Dresdæ eſt, Præſidi & Conſiliariis Eminentiſſimis:

DN. FRIDERICO à Metzſchen/ Hæreditario in Reichenbach & Frieſen/ Sacr. Cæſ. Majeſt. Conſiliario, Ejusdemq; Imperii Rom. Tribuno ærarii, nec non Potentiſſ. Elect. Sax. à conſiliis intimis &c.

DN. ÆGIDIO STRAUCHIO, S.S. Theologiæ Doctori Celeberrimo, Eccleſiæ Dresdenſis Paſtori, vicinarumq; Superintendenti dudum-meritiſſimo:

DN. FRIDERICO TÜNTZELIO, JCto præcellentiſſimo, Com. Palat. Cæſ. atq; Supremi Adpellationum Judicii Conſiliario graviſſimo.

DN. JOHANNI-LUDOVICO KÖPPELIO, J. U. D. famigeratiſſimo, Sereniſſ. Sax. Elect. Conſiliario fideliſſimo:

Dominis ac Patronis ſuis maximis, meritiſſimis, multis nominibus colendiſſimis

Gratiam, pacem ac ſalutem, tàm animæ, quàm corporis, per JESUM CHRISTUM in S. Spiritu P.

Digitized by Google

EA jam eſt, ***Generoſe, Strenue ac PræNobiliſſime Domine Præſes***; Voſq; ceteri Electoralis Protoſynedrii Eccleſiaſtici, quod Dresdæ eſt, *Aſſeſſores ac Conſiliarii*; Viri Reverendiſſimi, Magnifici, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Eminentiſſimi, Domini ac Patroni maximi, meritiſſimi, obſervantiſſimi: Ea jam eſt, inquio, totius fermè orbis Chriſtiani conditio, miſeranda per DEUM immortalem, & ſanguineis tantùm non lacrymis deploranda, ut de rebus meliorem ac pacatiorem in ſtatum reducendis humana forſan ſapientia deſperare cogatur. In ea namq; nos, proh dolor! incidimus tempora, quæ Apoſtolo Paulo *ἡμέραι πονηραὶ, καιροὶ ὕστεροι, καὶ καιροὶ χαλεποὶ*, B. Johanni *ἐσχάτη ὥρα* dicuntur: de quibus Salvator noſter *θυμηρέστατος*, futurorum æquè ac præſentium gnarus, paulò ante ſuum ex hoc mundo diſceſſum viſibilem prædixiſſe legitur; fore in mundo adflictionem magnam, qualis ab initio mundi ad hoc uſq; tempus non fuit, nec fiet unquam. Eph. 5. 16. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 1. 1. Joh. 2. 18. Matth. 24. 21.

Taceo ego jam doctrinæ cœleſtis corruptelas inexplicabiles, in perniciem animarum, per ſeductores ſatanicos, in proſcenium Eccleſiæ perductas, dicente iterum & prædicente CHRISTÔ: *Surgent Pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poßit, etiam electi. Ecce prædixi vobis!* Silentiô prætereo ingentes & tantùm non intolerabiles ſubditorum preſſuras. Non attingo *στενοχωρίας*, anxietates *ἐν ἀπορίᾳ* conſtitutorum hominum, *extabeſcentium præ timore & exſpectatione eorum, quæ ſupervenient orbi terrarum.* Nihil attinet dicere de ſignis ac prodigiis, quæ cœlô, terrâ, mariq; frequenter, ſed ſine oculis à quàm plurimis conſpiciuntur. Bella duntaxat *ἐν τῷ παρόντι* (ô peſſima & diris omnibus devovenda bella!) & rumores bellorum, quæ totô terrarum orbe, ſine modo ac fine, non audiuntur ſolùm, ſed & *ἀσπόνδως* geruntur, & de die in diem magis atq; magis augentur, vel ſola *ἡμέρας πονηρὰς*, & *καιροὺς χαλεποὺς* efficere animadvertuntur. Matth. 24. 24. 25. Luc. 21. 25. 26.

Novi equidem ex ſacris ſacrarum Scripturarum oraculis, *non eſſe in civitate malum, quod non fecerit Dominus.* Nam & mala pœnæ DEUM Amos. 3. 6.

habent auctorem, ſcelerum quippè humanorum vindicem acerrimum, & Judicem diſtrictisſimum. At dolendum profectò, Germaniam etiam, perdilectam noſtram patriam, ſaniora ac moderata conſilia non admittendo; diffidentiæ ex adverſo & ſuſpicionibus nimiùm indulgendo; poſtmodum vi, ferrò, armis jura omnia, ſacra & profana perrumpendo; vel ſuæ potiùs tùm dominandi, tùm omnia immutandi atq; exſtirpandi, tùm alios per cuniculos quaſi quosdam opprimendi libidini, ſchemata excogitata (dolosè an ingeniosè) prætendendo, ea ſibi ſuapte culpâ in locis perquàm multis, attraxiſſe mala, quæ Græcis αὐτόματα καὶ αὐθαίρετα πήματα dici conſueverunt. O infelix Bohemia, quantam παράπτωμα tuum, ne quid gravius dicam, toti orbi, non Romano, ſed Europæo, calamitatem ac ruinam, humanâ, uti videtur, induſtria inextricabilem attraxit! Recordari æquum erat, quod Irene, Johannis Comneni Imperatoris Rom. mater apud Nicetam Choniatam, ſapienter admodum prolocuta olim fuit: ὡς δεῖ βασιλέα μὲν οὐκ ἀπόντα ζητεῖν, παρόντα δὲ μὴ μετακινεῖν: h. e. interprete Wolffiô; nec Imperatorem (vel Regem) qui abſit, quærendum, nec qui adſit pellendum eſſe. Rectè judicat Nicetas, fœminam prudentisſimam apophthegmate hoc σοφὸν τὸ λόγιον γνωματεύσασαν. O quàm optandum foret, memores hujus præcepti fuiſſe ante aliquot annos eos, qui pacem nobis publicam præcipitibus, crudis & immaturis ſuis conſiliis turbârunt; & non modò omnia longè lateq;, per miſerè diſtractam Germaniam, ſanguine, igne, cœdibus, rapinis, ſtupris, malisq; propemodum infinitis aliis, quæ motûs inteſtinos κατὰ πόδα ſubſequi ſponte adſolent, impleverunt; ſed & exteris, tàm manifeſtis, quàm occultis Rom. Imperii hoſtibus invadendam, diripiendam, dilaniandam, & ab imis quaſi ſedibus ac fundamentis eruendam devaſtandamq; propinarunt.

Non abludere à ſcopo videntur illi, qui motûs, tumultûs & turbas iſtas bellicas, (latrocinia jam veriùs quàm bella dixeris) in quibus etiamdum miſeri miſeram ducimus

— — — — *extrema per omnia vitam*,

nihil eſſe aliud ſtatuunt, quàm fructûs Spiritûs Calviniſtici exitiabiles, quicquid etiam in contrarium magni quidam nominis Viri, Crypto-Calvinianis patrocinantes dicant. Maturè calamitatem hanc prævidentes olim inſignes nonnulli harum regionum Theologi, quibus ſpiritûs iſtius ingenium ſeditioſum perſpectum probè erat ac cognitum, monue-

monuerunt quidem, & quòd tandem in nervum hunc cruentum eſſet erupturus, divinô quaſi quodam adflatu impulſi prædixerunt. Verùm illi vel non auditi, vel à Calvinizantibus nonnullis politicis oppreſſi, vel riſui etiam ſunt expoſiti publicè. Memini ego, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις Dn. D. Leonhartum Hütterum, S.S. Theol. in Academia quondam Wittebergenſi Profeſſorem acutiſſimum, Præceptorem honoratiſſimum, multoties pro lectione & diſputatione publica dicere, non ſine zelo & indignatione fatidica: Spiritus Calviniſticus eſt ſpiritus ſanguinarius: Excitabit ille incendium, quô tota conflagrabit Germania. Intuere mihi, quisquis es, rudera dilectæ patriæ, oracula dices tanti Theologi θεόπνευστα, non vigilantium ſomnia.

Culpam à ſe quisq; ſummô quantô poteſt ſtudiô amolitur: Da wil niemand das Waſſer getrübet haben / Ja das arme vnſchuldige Lamb muß dem geitzigen / geld- vnd blutbegirigen Wolffe das Waſſer getrübet haben: quin immò folia paſſim ficulnea erratis, Soli meridiano expoſitis, artificiosè (malitiosè veriùs) contexuntur. O inſaniam! ò cœcas hominum mentes! O Tireſiâ quòvis cœciores Germanos, qui hoſtibus patriæ communis tàm pertinaciter adhærent, fraudesq; Sinonias cum fucoſa amicitia exoſculantur. Pœnitebit aliquando, ſed nimis ſerò, in temeritate ſua Germania, & vel ex cineribus præpoſterum hoc ſuum deplorabit ſtudium.

Sed hæc ſupra nos. Commune interim malum eſt, ad omnes usq; omniũ ordinum homines violenter penetrans: periculum verò, quod omnibus imminet, ab omnibus quoq; curari æquum erat. Quemadmodum enim incendiô forſan aliquô in urbe exortô, omnes ſimul adcurrunt, mares & fœminæ, parvi & magni; & quanquam non omnes poſſint aquam igni reſtinguendo neceſſariam adportare; quod tamen ipſis licet per naturam, faciunt omnes ſedulò, debent, clamant, plorant, ejulant, ringuntur, indignantur, incuriam accuſant, ad flammas auctores depoſcunt: Ita nemo, vel mihi, vel alteri cordato vertet vitio, qui licèt in publico hoc Imperii, non dico Romani, ſed Europæi incendio, præter preces & ſuſpiria adferre nihil queam, commune tamen fatum, aliunde ad nos derivatum, cum bonis aliis, quorum

— — — — *melior ſententia menti*,

deplorem. Plura non addo: quia manûs noſtræ tantùm oculatæ eſſe voluerunt. Trojani cives miſeri, ſi Laocoontis quondam ſalutare conſilium amplexi fuiſſetis,

Trojaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

 Dolor

Dolor profectò inteſtinus, & nativa quædam patriæ, tàm miſerabiliter ſanguine, cœdibus, rapinis, maliſq; infandis aliis dilaceratæ, (ut de propria rerum mearum ruina ac clade nihil dicam) commiſeratio, plura in hanc ſententiam commemorare prohibet;

Germanas ut opes & lamentabile regnum
Eruerint fratres Cadmai.

DEUS miſereatur noſtri, & poſt tot annorum digladiationes cruentas, Eccleſiæ adflictisſimæ pacem, bonorum omnium votis diu multumq; exoptatam, vel reſpirationem ſive ἀνάπαυσιν ſaltem aliquam concedat! Faciundum nihilominùs eſt in calamitatibus hujusmodi publicis officium. Si enim Imperatorem ſtantem oportet mori: in acie quoq; Eccleſiæ primà conſtitutos ſegnes haut eſſe convenit, in lectionibus potisſimùm Evangelicis, ſecundùm ſeriem, à priſca quondam Eccleſiâ introductam popello Chriſtiano enucleandis. Ridemur ſanè in hac quoq; officii parte nos miſelli & ſimplices B. Martini Lutheri ſectatores νήπιοι; immò convitiis etiam publicis proſcindimur à calvis & naſutulis illis Johannis Calvini diſcipulis, eò inter alia nomine, quòd in Eccleſiis noſtris easdem quotannis Evangelicorum & Epiſtolicorum textuum περικοπὰς repetamus, prælegamus, exponamus, inculcemus: ſapientulis iſtis & immaturis Eccleſiarum reformatoribus nos frivolè, οὐκ ἄνευ προκρίσεως, inſimulantibus, modò mutilationis, neſcio cujus, Scripturarum ſacrarum; modò ſuſpectæ cum Papiſticis Eccleſiis ac Doctoribus colluſionis; modò confirmationis in ignavia, quæ tædioſâ illâ, quam putant, vel ſomniant potiùs, textuum anniverſariorum repetitione, in Concionatoribus neceſſariò creſcat & augeatur.

Ita libuit Calvino, ita libet Calvini diſcipulis noſtras odioſè traducere Eccleſias! Verùm præter rem, præter meritum. Nam primum quod attinet ἔγκλημα, abſtergitur & diſſolvitur illud immotâ & invictâ hac demonſtratione:

Ubicunq; omnia docentur & continentur, quæ ad perfectam CHRISTI cognitionem, & Chriſtianiſmi totius informationem ſpectant, ibi nulla committitur Scripturarum S. mutilatio:

In publica Evangelicorum & Epiſtolarum Dominicalium, uti vocant, enarratione, omnia docentur & continentur, quæ ad perfectam CHRISTI cognitionem, & Chriſtianiſmi totius informationem ſpectant:

Ergò nulla ibi committitur Scripturarum S. mutilatio.

Major ſuâ luce lucet. De minoris evidentia & veritate omnia

Digitized by Google

Eccleſiarum noſtrarum pulpita, *φωνὴν μονονουχὶ ἀφιέντα*, clamant, uſq; adeò, ut textuum iſtorum, de quibus jam loquimur, libellus nihil ſit aliud, quàm *ἐπιτομὴ*, & ſummarium q. quoddam omnium doctrinæ cœleſtis capitum; eorum maximè, quæ de Salvatoris noſtri *θεανθρώπου* perſona, officio, beneficiis, nativitate, vita, paſſione, morte, reſurrectione, ad cœlos adſcenſione &c; deq; vita laudabiliter & ſalutariter inſtituenda hominem pium, futurum regni cœleſtis heredem, ſcire par eſt. Demonſtravit hanc adſertionem Calvini ſectatoribus ad oculum, Vir quondam admodum-Reverendus & Clariſſ. Dn. D. FRIDERICUS BALDUINUS, S.S. Theol. in Academia Witteberg. Profeſſor P. *ἐν τῷ ἐν ἁγίοις*, in ſua, quam homiliis ſuper Evangelia præfixit, eruditiſſimâ præfatione, quò Lectorem benevolum brevitatis ſtudiô remiſſum volo.

Alterum Calvini & Calviniſequarum *ἔγκλημα* ita comparatum eſt, ut reſponſionem vix ullam mereatur. Cum Pontificiis enim, Antichriſti Occidentalis mancipiis, nos colludere, vanitas eſt vanitatum, ſua ſemet vanitate refellens ipſam. Opponimus autem & huic inſimulationi ſyllogiſmum geminum. Prior ita habet:

Quicquid Papatu prius & antiquius eſt, id ſi retineatur, non poteſt dici in Pontificiorum gratiam retineri:

Textûs iſti, ex hiſtoria Evangelica & ſcriptis Apoſtolorum petiti, qui diebus Dominicis ac feriatis in noſtris Eccleſiis populo quotannis ſolent proponi & inculcari, priores ſunt & antiquiores Papatu:

Ergò dum à nobis retinentur, non poſſunt dici, in Pontificiorum gratiam retineri. Antiquiſſimum quodq; tutiſſimum, certiſſimum.

De minoris veritate qui dubitat, is legat modò dictam Dn. D. Balduini præfationem, Meditationibus in Evangelia Dominicalia præmiſſam. Sunt in manibus fermè omnium libri nominati, ut huc illa transſcribere nolim.

Poſterior Syllogiſmus *κατὰ τὸ βίαιον* conſtructus eſto talis:

Qui, quod in aliis culpat, ipſe facit, ille viri boni nomen vix merebitur, immò majori reprehenſione dignus:

Jam verò Calviniani fraterculi quod in nobis noſtrisq; Eccleſiis culpant, ipſi faciunt: retinent enim multa, quorum uſus olim in Papatu fuit, hodieq; eſt frequentiſſimus:

Quô itaq; loco ſint habendi, cuivis liberum judicandum relinquitur. Fuit quondam in Papatu Baptiſmus; fuit oratio Dominica; fuére templa,

piorum

piorum *προσευχτήρια*, fuére multa alia. Quòd ſi ergò omnia illa remota volunt viri Calviniani, quæ in Papatu fuerunt uſitata, cur non ipſi ſimul Baptiſmum tollunt? Cur non orationem quoq; Dominicam omittunt? Cur templa à Pontificiis exſtructa, multiplicíq; (quod negari non poteſt) idolomania conſpurcata, non claudunt, demoliuntur, ſolo æquant? O *δοκοφόροι*! ô *καρφοδικασταί*! ô hypocritas peſſimos! Quid verò alienos ſervos *ἐργάται δόλιοι καὶ δοῦλοι πονηροὶ* judicare præſumunt? Sanè Paſtorum quorundam ignaviam non laudamus, immò quantum in nobis, ſicubi opus, ſedulò corrigimus. At propter paucorum deſidiam, de qua ſtrictisſimam aliquando reddent *Ἀρχιποιμένι* JESU CHRISTO rationem, ſumma imis miſcere, ordinem ſalutarem conſuetudinemq; laudabilem, & multis, quod nulli dubitamus, proficuam tollere; vel poſcentibus idipſum hoſtibus veritatis Eccleſiarumq; noſtrarum acerrimis abrogare, integrum nobis non eſt. Habetis, opinor, fraterculi in veſtris miniſtris quæ corri-
Gal. 6, 5. gatis: *quiq; ſuum onus portabit.* Quòd ſi non deſiſtetis nos noſtrosq;
Luc. 6, 42. mordere, pungere, audietis Salvatoris illud: *Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo. & tunc perſpicies, ut ejicias feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui.* Omni enim crimine, quod Tullius ait, vacare debet, in alium qui paratus eſt dicere.

Nihil itaq; moramur Oecumenicos illos, ſi DEO placet, Eccleſiarum omnium Reformatores, exiſtimantes ſatiùs eſſe & longè conducibilius, antiquos peculiariterq; ſelectos textûs Evangelicos & Epiſtolicos quotannis repetere, quàm cum Novatoribus iſtis infirmis offendiculum ponere, & absq; urgente neceſſitate Eccleſias turbare, tempore nativitatis CHRISTI de paſſione ejus, vel Spiritûs ſancti effuſione coram populo diſſerere; & contrà tempore *τῶν παθημάτων* Salvatoris de Incarnatione ejusdem verba facere.

Quid verò cauſæ eſt, dicet mihi quispiam, quò minùs Calvinianorum poſtulato huic adſurgamus? Cur tàm moroſi ſumus & tàm tenaces fermenti Papiſtici obſervatores, cujus primam originem modeſtus quidam Scriptor Calviniſticus ſatanæ transſcribere haut erubeſcit? Cur non pacis ſtudio aliquid demus? R. Maledicta verò ſit pax, quæ veritati & libertati Chriſtianæ veteratoriè inſidiatur! Pacem cum veritate colimus. At quòd uſitatas in Eccleſiis noſtris retinemus Evangeliorum & Epiſtolarum *περικοπάς*, ſequentes ſuadent rationes.

1. *Exuberans textuum iſtorum perfectio:* ſunt enim medulla & nucleus

cleus q. quidam totius Codicis Biblici, novi cumprimis Teſtamenti; ex quibus integram doctrinæ Chriſtianæ ſive *ὑποτύπωσιν*, ſive *σωματοποίησιν* conficere, minoris fortaſſis foret laboris, quàm ſi ſcriptum aliquod biblicum, ſecundùm capitum ordinem continuâ ſerie exponatur.

2. *Melior ſimpliciorum informatio.* Horum ſi præ ceteris (uti fieri æquum eſt) potior eſt habenda ratio, utiq; non variorum opulentâ ſuggeſtione, ſed paucorum & maximè quidem neceſſariorum frequenti repetitione opus fuerit. Rectè huc accommodamus Apoſtolicum illud: *Eadem ſcribere vobis me quidem haut piget, vobis autem* (ἀσφαλὲς) *tutum eſt.* Quid hac in parte καλὸν καὶ πιστὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον facere conveniat, alibi & nos monuimus. Phil. 3, 1. Vide præfat. part. 1.

3. *Harmonica textuum iſtorum attemperatio*, quæ & ipſa mirificâ quadam varietate animos auditorum percellit, movet & detinet, ut univerſa religionis Chriſtianæ ſumma ipſis facili negotiô inculcetur, quam operoſa diverſorum in eodem ſcripto biblico contentorum ſuggeſtio impediret & interverteret. Confer harmoniam D. Schleupneri, de dictorum veritate nullus dubitabis.

4. *Libertatis ipſius*, in quam CHRISTUS Salvator θυμηρέστατος nos adſeruit, *conſervatio*, à qua latum pilum decedere, præceptô & exemplô Apoſtolicô prohibemur.

5. *Venerandæ antiquitatis*, Ambroſii, Auguſtini & aliorum auctoritate ſubnixa *comprobatio*.

6. Taceo *expeditionem* ex parte Concionatorum *docendi rationem*. Ita enim illi tempeſtivè quæ ſingulis Dominicis proponenda ſunt prævidere, de iis ſolicitè meditari, & ſi quid unô forſan annô non ſatis elaboratum, vel non ſufficienter expreſſum, (omnia enim ſimul tradi & obſervari haut poſſunt) id ſequentibus annis pleniùs & planiùs poteſt explicari.

7. Ut ſilentiô involvam *vitæ humanæ conditionem*, cujus ea eſt ratio, ut codici biblico ordine pertexendo non ſufficiat. Nam verum eſt illud Flacci:

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.

Verbum DEI autem eſt abyſſus inexhauſta, ut uni quandoq; libro diu ſit immorandum, & fortaſſis immoriendum. Quanquam in noſtris Eccleſiis nec reliqua ſcripta biblica, tàm V. quàm N. T. negligantur. In frequentioribus enim cœtibus etiam librorum integrorum plenam tractationem diebus profeſtis cum textibus Evangelicis & Epiſtolicis conjungere & gratâ varietate permiſcere ſolemus.

 Sed

Sed valeant Ariſtarchi Calviniſtici, quibus nihil, niſi quod ipſi & ſapiunt & faciunt, rectum videtur. Novimus ſpiritum, tranquillitatis tùm Eccleſiaſticæ, tùm politicæ turbatorem peſſimum. Nos interim compertum habemus, cum magno auditorum fructu pericopas uſitatas quotannis iterari, in iisdemq; enucleandis debitam, ὅσον ἐν τῷ δυνατῷ, adhibemus induſtriam, parùm penſi habentes, ſi unius vel alterius, toxicô forſan Calviniſticô clam infecti, palato non ſatisfiat.

Me quod attinet, nolui ego (abſit jactantia dicto) in fatalibus etiam hiſce & communibus patriæ calamitatibus manum de tabula ſubducere; nolui ociari, & officium cùm ſtudiis negligentiùs tractare; ſed inter alvearia Muſarum ſacrarum latitando, operisq; aliquid agendo vineam Domini colere perrexi. Et poſtquam meditationes ac diſpoſitiones Pſalmicas, quindecim decadibus diſtinctas, ad umbilicum cum Bono ac propitio DEO deduxiſſem, rogatu & inſtinctu ex literatis non paucorum, cœpi μελετήματα etiam Evangelica (deficientibus quippè exemplaribus, à multis autem deſideratis) revidere, auctiora efficere, poſtremis prima conformare, & quoad textûs diſpoſitionem in tabulas analyticas reducere; atq; ita ad tertiam editionem (quia ſecunda temporum hominumq; injuriâ & incuria intercciderat) adornare. Prima operis iſtius renovati pars annô ſuperiori proximô lucem iterum adſpexit: eam jam excipit pars ſecunda: ſumtum enim tardiùs opinione fecit Bibliopola, non tàm propriâ, quam bellorum & contributionum deteſtabilium culpâ.

Secundam hanc operis homiletici partem Splendidisſimo & auguſtisſimo Veſtro Nomini, *Generoſe ac PræNobiliſsime Domine Præſes, Vosq; ceteri ProtoSynedrii Electoralis Eccleſiaſtici Adſeſſores ac Conſiliarii*, Viri Reverendisſimi, Magnifici, Præcellentisſimi &c. Domini ac Patroni maximi; inſcribere & nuncupare volui; tùm quia de hoc ſcriptionis genere quàm rectisſimè judicare poteſtis; tùm ut contra malevolorum morſûs & invidiam patrocinium ſtudii mei aliquod ſuſciperetis; video enim & expertus loquor, quemadmodum virtutis; ita pietatis & diligentiæ comitem quaſi individuum eſſe invidiam: tùm verò maximè, ut pro gratia, favore, promotione, aliisq; beneficiis, quibus me meosq; abundè hactenus cumulâſtis, & adhuc dum cumulare non deſiſtitis, publicum exſtaret gratitudinis debitæ μνημόσυνον.

Acci-

Digitized by Google

Accipite igitur, *Domini ac Patroni undequoq; honoratiſſimi - maximi*, hoc qualecunq; γέρας chartaceum æquâ mente fronteq; ſerenâ, & nuncupationem ac προσφώνησιν hanc publicam non tam ex opuſculi, quod perquàm eſt exiguum, dignitate; neq; ex offerentis, qui annis & ſeniô confectus & jam rude donandus, vel algâ humili vilior, infirmitate; quàm ex adfectûs mei erga Vos omnes magni ſinceritate æſtimate: poſthac quoq; me (dum vixero) meosq; omnes ſub tutela ac patrocinio Veſtro Nobilisſimo & Auguſtisſimo deliteſcere permittatis, perſuaſisſimum Vobis habentes illud, me animum tantummodò gratisſimum, cum calidisſimis & indefeſſis precibus, Vobis omnibus prolixè hac dedicatione ſimul offerre voluiſſe.

Quod ſupereſt, æternum DEUM ac Patrem Domini noſtri JESU CHRISTI votis ἐγκαρδίοις καὶ συναγμοῖς ἀδιαλείπτοις veneror, ut *Generoſ. Veſtram Nobilitatem, Reverenduſ. Magnificentiam, & Excellentiſſimam Amplitudinem*, una cum *familiis PræNobiliſſimis & Honoratiſſimis*, ab omnibus incommodis vitæ, fortunæ, corporis & animæ, temporibus hiſce exulceratisſimis, ſalvos præſtet atq; incolumes, & poſt hanc ærumnoſam vitam nos ſimul omnes in beatam cœlorum Aulam receptos, in conſpectu Angelorum & Electorum omnium æternâ luce ac lætitiâ perfrui concedat. Amen! Scriptum Friburgi d. 28. Julii annô τοῦ Λόγου σαρκωθέντος 1645.

Generoſ. V. Nobil. Reverendiſſ. V. Magnif. & Ampliſſ. V. Excell.

devotiſſ. & ὁλοψύχως addictus

M. Chriſtophorus Dauderſtadius
P. & Superintendens ibid.

Digitized by Google

TABULARUM SYNOPTICARUM
ſuper Diſpoſitiones Evangelicas
PARS SECUNDA.

IN FESTO PENTECOSTES Joh. 14, 23. 31
DISPOSITIO PRIMA.

Propoſitio eſt tripartita; agitur enim in Evangelio.

- *de amiciſſima S. S Trinitatis in animis credentium revelatione; ubi obſervetur*
  - *concionis occaſio;*
  - *ſubjecti connotatio;*
  - *prædicati adſignatio, illuſtrata ἐξηγήσει φράσεως, quid ſit ſermo Chriſti; nim. doctrina Evangelii, propriè & ſpecificè ſic dicta, quod probatur ex*
    - *numeri ſingularis uſurpatione:*
    - *ſcopi conſideratione:*
    - *ipſius Chriſti explicatione:*
    - *emphatica pronominis adjectione:*
    - *loci paralleli Joh. 8, 51. collatione:*
    - *ſubjunctâ promiſſione.*
  - *revelationis iſtius modus ac ratio:*
  - *manifeſtationis fructus ſive operatio, qua conſiſtit in*
    - *reciproca Patris cœleſtis dilectione;*
    - *honorifica Trinitatis adventatione;*
    - *Salvifica Trinitatis apud credentes manſione. Amplific.*
      - *ἀνάθεσει;*
      - *τῶν λεχθέντων ἐξηγήσει:*
      - *ἀποδείξει.*
- *de ſuaviſſima diſcipulorũ cõſolatione, facta duplici argumentorũ genere, de*
  - *gratioſa S. S. miſſione, qui deſcribitur,*
    - *ab adpellatione, quòd dicitur*
      - *paracletus;*
      - *Sanctus, ratione*
        - *perſona vel eſſentiæ;*
        - *officii ſeu efficientiæ;*
        - *oppoſiti vel differentiæ.*
    - *ab effuſionis ſeu miſſionis modo:*
    - *ab effectu ſingulari, h. e. operatione & officio S. S. peculiari, quod poſitũ eſt ἐν τῷ*
      - *διδάσκειν;*
      - *ὑπομιμνήσκειν.*
  - *beneficiorum commemoratione, ubi ἀξιομνημόνευτός ἐστι*
    - *ſubjecti notatio, pax;*
    - *ſubjecti determinatio; mea, tùm προσωπικῶς, tùm διαδοτικῶς:*
    - *prædicati conſideratio:*
    - *rei ipſius amplificatio.*

†

Digitized by Google

†

- *de certiſſima piorum exſultatione, ortura ex*
  - *timorũ remotione;*
  - *reditûs promiſſione;*
  - *felici ſtatuum permutatione;*
  - *meriti Chriſti adplicatione;*
  - *ſatanæ devictione, qui dicitur princeps mundi, ratione*
    - *falſæ gloriationis;*
    - *operationis;*
    - *ſpontaneæ ſubjectionis;*
    - *perverſæ opinionis;*
    - *tyrannicæ poteſtatis & dominationis. Amplificatur προκαταλήψει per ἀναίρεσιν falſæ & θέσιν veræ cauſæ.*

DISPOSITIO II.

- *Propoſitio διμερὴς, exhibens Chriſtum*
  - *quæſito Judæ reſpondẽtem, idq; facit*
    - *ſui dilectionem requirendo;*
    - *dilectionis τεκμήριον producendo;*
    - *dilectis præmium conſtituendo, & quidem geminum;*
      - *reciprocam Patris dilectionem;*
      - *gratioſam S. S. Trinitatis inhabitationem.*
    - *veros ſuos cultores à falſis & hypocriticis diſcernendo.*
  - *Apoſtolos ſuos conſolãtem. Solatur autẽ eos*
    - *de Spiritu S. eos erudiendo; quem commendat à*
      - *nominibꝰ propriis, παράκλητος; quando dicitur ἅγιος.*
      - *cauſa principali ac intermedia:*
      - *officio duplici, quod eſt ſuggerere / docere omnia.*
    - *pacem eis paratam largiendo:*
    - *abitûs ſui naturam ac rationem oſtendendo:*
    - *de morte ac paſſione ſua eos inſtituendo, tùm*
      - *προφητικῶς;*
      - *ὀργανικῶς:*
      - *τελικῶς.*
    - *de Spiritûs S. natura eos erudiendo, occurrit h. l.*
      - *Spiritûs S. eſſentia; cujus Divinitas probatur ex*
        - *divinis adpellationib:*
          - *æternitate;*
        - *divinis proprietatib;*
          - *immortalitate;*
          - *immenſitate;*
          - *omnipoteſtate;*
        - *divinis operationibus;*
          - *creatione;*
          - *Chriſti conceptione;*
          - *ejuſdem unctione;*
          - *mortuorum reſuſcitatione;*
          - *hominum regeneratione, vivificatione, renovatione:*
          - *miniſterii cõſtitutione:*
          - *futurorum revelatione*
        - *divinis cultibus.*
      - †

- †perſonalis Spiritûs S. ſubſiſtentia:
- officii eminentia, ratione cujus noſter
  - Conſolator;
  - Sanctificator;
  - Doctor, tùm
    - publicè;
    - privatim.

DISPOSITIO III.

Propoſitio μονομερὴς; de veris diſcipulorũ Pentecoſtalium officiis ac privilegiis, quorum eſt;

- Dominum JESUM ſincerè diligere:
- Verbum CHRISTI ſervare, quod fit
  - auſcultando;
  - venerando;
  - obtemperando.
- Sanctitati ſtudere: dantur ſancti triplices;
  - Φαινομένως ſancti;
  - ὁμωνύμως ſancti;
  - ἀληθῶς ϗ ἀνυποκρίτως ſancti, vel
    - imputativè;
    - inchoativè.
- Timorem excutere. Fruimur his bonis & privilegiis
  - amabili Patris æterni dilectione;
  - acceptabili DEI inhabitatione;
  - exoptabili cordis pacificatione, in qua
    - peccatorum remiſsio certiſsima;
    - precum exauditio gratiſsima;
    - hoſtium profligatio fortiſsima;
    - emigratio ex hac vita beatiſsima.

DISPOSITIO I.

Evangelium eſt triũ partiũ, quarum cõtinet

- **1.** *Propoſitionem, h. e. ſimplicem Nicodemi de ſalute hominis informatione, quam ingreditur*
  - *perſona interrogantis deſcriptio, deſumta à*
    - *ſpecie;*
    - *vitæ genere;*
    - *nomine;*
    - *adjuncta dignitate;*
    - *ardente pietatis ſtudio.*
  - *Nicodemi oratio conſtans*
    - *exordiô;*
    - *propoſitione;*
    - *confirmatione, petita à*
      - *ſua & reliquorũ Phariſæorũ conſcientiæ teſtimonio proprio:*
      - *effectis, ſeu miraculorum evidẽtia.*
  - *Chriſti reſponſio, in qua notetur*
    - *juramentô facta adſeveratio:*
    - *ſtatus ſeu principalis quæſtio.*
- **2.** *Regenerationis per cauſas explicationem, in qua occurrit*
  - *Nicodemi objectio, vel quæſtio altera, de modo regenerationis.*
  - *Objectionis ſolutio per ἐπεξήγησιν, quâ modũ παλιγγενεσίας ſubjungit,*
    - *uſitatum juramentum præmittendo;*
    - *regenerationem hominis ex cauſis deſcribendo;*
    - *neceßitatem regenerationis oſtendendo;*
    - *regenerationẽ declarando per ſimilitudinem vẽti. Cõplectitur autẽ regeneratio*
      - *Spiritùs S. illuminationẽ:*
      - *peccatorũ remiſſionem, adoptionem &c.*
      - *fructûs regenerationis vel renovationẽ.*
- **3.** *Pleniorem miniſterii hujus declarationem, in qua obſervetur*
  - *Nicodemi ſtupiditas:*
  - *Chriſti humanitas, cum adjũcta ἐπιτιμήσει; habes h. l.*
    - *Nicodemi accuſationem;*
    - *Incuſationis rationem triplicem, ab*
      - *adjuncto officio:*
      - *evidentia & certitudine officii Chriſti:*
      - *collatione imparium: ſi terrena dixi.*
    - *Ulteriorem informationem: Erudit Nicodemum*
      - *de ſua Incarnatione;*
      - *de paßione, morte ac merito, per typum ſerpẽtis ænei.*

Digitized by Google

- *Propoſitio bipartita; Audiemus enim*
  - *Nicodemum proponentē & humaniter Chriſtum compellātem. Obſervetur*
    - *Nicodemi deſcriptio, petita ab*
      - *officio, h. e. ſecta:*
      - *ὑπεροχῇ ſive prædominio:*
      - *ſummo diſcendi ſtudio.*
    - *Chriſti compellatio, quem commendat à*
      - *rerum divinarum peritia;*
      - *vocationis excellentia;*
      - *rei cum nomine cōvenientia.*
    - *Ipſa propoſitio, implicitè poſita.*
  - *Chriſtum cum Nicodemo ſuaviter colloquentem, per actûs tres, quorum*
    - *primò audimus Chriſtum fundamentaliter erudientem, & ſententiam ſuā confirmantem*
      - *ſanctô juramentô:*
      - *firmô ab impoſſibili argumentô.*
    - *ſecundò habemus*
      - *Nicodemum ſententiā Chriſti oppugnātem:*
      - *Chriſtum adſertionem ſuam defendētem*
        - *ὅρκου ἐπαναλήψει, juramēti repetitione;*
        - *τρόπου ἐξηγήσει, modi explicatione;*
        - *διακρίσει, diſtinctione;*
        - *ὁμοιώσει ἢ συγκρίσει, comparatione*
    - *tertiò deprehendimus*
      - *Nicodemum adhuc dū dubitantem & quærentem:*
      - *Chriſtū*
        - *diſcipulum ſuum duriùs tractantem:*
        - *myſteria ſalutis pandentem, ubi*
          - *præmittit conſuetū juramentum;*
          - *opponit ſuam auctoritatem;*
          - *confundit Phariſæum à minori;*
          - *deducit per cauſas, oſtendēs*
            - *ſalutis auctorem;*
            - *cauſam intermediam*
              - *incarnationem,*
              - *paſſionem.*
            - *cauſam organicam.*

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Thema: de veri DEI revelatione. Plures & quidem tres eſſe Divinitatis perſonas docetur & intelligitur ex

- *Filii DEI Incarnatione;*
- *Verbi divini prædicatione;*
- *Noſtra regeneratione; cujus proponitur h. l.*
  - *neceſſitas;*
  - *qualitas;*
  - *difficultas.*
- *Chriſti ipſius teſtificatione:*
- *Chriſti glorificatione ſive exaltatione:*
- *Generis humani redẽtione:*
- *Θεογνωσίας veræ patefactione, quæ conſideranda dupliciter;*
  - *θεωρητικῶς: in θεογνωσία credamus*
    - *eſſentiæ veritatem, quæ probatur*
      - *externè, ex*
        - *rerum creatarum contemplatione;*
        - *verbi revelatione:*
      - *internè, ex*
        - *indelebili conſcientiæ trepidatione:*
        - *infallibili S. S. obſignatione.*
    - *eſſentiæ divinæ unitatem:*
    - *perſonarum in Deitate Trinitatem.*
  - *πρακτικῶς; in filios DEI Triuni adoptamur*
    - *nos ipſos noſcendo:*
    - *prava ſodalitia fugiendo:*
    - *media ſalutis quærendo:*
    - *JESUM diligendo:*
    - *eundem Præceptorem agnoſcendo & audiendo:*
    - *nos innovando:*
    - *caſtigationem ferendo:*
    - *JESUM rectè diſcendo:*
    - *in ipſum credendo.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio eſt τριμερὴς, trium partium, quarum

- **I.** *Divitis epulonis cōſideratio, quæ monſtrat*
  - *Divitis vitam, quæ deſcribitur ex adjunctis, nim.*
    - *opum terrenarum abundantia;*
    - *domicilii præſtantia;*
    - *veſtitûs excellentia;*
    - *voluptatum indulgentia;*
    - *avaritia & immiſericordia: abutitur ille divitiis ſuis*
      - *ſecurè vivendo;*
      - *DEUM non amando;*
      - *ſuperbiendo;*
      - *pauperum obliviſcendo;*
      - *crapulæ indulgēdo;*
      - *mortalitatis non reminiſcendo;*
      - *alios contemnendo.*
  - *Divitis mortem, quæ triplex,*
    - *corporis;*
    - *animæ;*
    - *æterna.*
  - *Eventa poſt mortem duo*
    - *ſepelitio;*
    - *damnatio; quia nulli adſunt Angeli.*
- **II.** *Pauperis mendici contemplatio, quoad*
  - *vitā præſentem: Nam*
    - *ibi rerum omnium copia; hîc ſumma inopia:*
    - *ibi voluptas & luxuria; hîc corporis infirmitas ac impotentia:*
    - *ibi in cibo potuq́; delitia; hîc fames & inedia.*
  - *mortem ſubſequentē, in qua duo:*
    - *τὸ πραχθὲν moritur ut dives, ſed mors ejus*
      - *imperfecta;*
      - *glorioſa.*
    - *τὸ παραλειφθὲν ſepulturæ mentio nulla.*
  - *ſtatum mortem excipientem, qui deſcribitur à*
    - *cauſis miniſtrātibus;*
    - *ſubjecto loco;*
    - *fine.*
- **III.** *Divitis cū Abrahamo collocutio, in qua obſervetur*
  - *occaſio, orta ex conſpectu Lazari: additur amplificandi gratiâ, temporis, loci adjunctiq́; tormenti circumſtantia.*
  - *petitoria: dupliciter orat*
    - *pro ſe, petit mitigationem. Orationis notetur*
      - *exordium ἐντευκτικὸν:*
      - *propoſitio ὀδυρτικὴ, miſerere:*
      - *Confirmatio deſumta à*
        - *modo juvādi;*
        - *facili;*
        - *cauſa movēte;*
    - *pro fratribus, petit eorundem emendationem;*
      - *propoſitio:*
      - *confirmatio à*
        - *forma vel modo præſcripto;*
        - *utili*

* *forma*, † *vel ratio, ubi notetur*
- *refutatoria vel reſponſoria, ad duplicem petitionem directa; reſpondendo petitioni*
  - *prima, per inficiationem ab*
    - *injuſto vel cauſa prohibente:*
    - *impoſſibili.*
  - *ſecundæ itidem per negationē, à*
    - *veris & ordinariis ſalutis mediis:*
    - *majori ad minus.*

DISPOSITIO II.

Propoſitio διαιρετικὴ: agit enim Evangelium de

- *divite epulone, qui conſideratur ratione*
  - *vitæ præſentis, à*
    - *divitiis ampliſſimis;*
    - *veſtimentis pretioſiſſimis;*
    - *epulis lautiſſimis;*
    - *ædibus ſplendidiſſimis.*
  - *vitæ definentis, quam excipit*
    - *mors luctuoſa;*
    - *ſepultura ſumtuoſa.*
  - *vitæ ſubſequentis, ubi occurrit*
    - *tremenda ad* Orcum *detruſio;*
    - *horrenda cruciatuum perpeſſio;*
    - *miſeranda auxilii & ſolatii privatio: petit quidem ille*
      - *dolorum mitigationē, quæ denegatur,* διὰ τὸ
        - ἄδικον;
        - ἀδύνατον.
      - *Lazari ad fratres ablegationē, fert repulſam,* διὰ τὸ
        - μὴ ἀναγκαῖον;
        - μάταιον.
- *paupere mendico, qui æſtimatur ratione*
  - *vitæ inſtantis, ubi deſcribitur à*
    - *vitæ conditione miſerabili, quæ conſpicitur ex*
      - *ſumma rerum inopia:*
      - *maxima miſeria, conjuncta cū infamia:*
      - *graviſſima triſtitia.*
    - *nominis mentione honorabili.*
  - *vitæ ceſſantis; hic ſortitur*
    - *mortem lætam & beatam, quæ colligitur ex*
      - *Angelorū miniſtratione;*
      - *loci notatione.*
    - *ſepulturam ſpretam.*
  - *vitæ reſtantis; læta cataſtrophe conſiſtit*
    - *in beat* DEI *viſione;*
    - *in æterna conſolatione & glorificatione.*

- *Addatur locus*
  - *de inferno, qui deſcribitur per*
    - *loci inamœni habitationem:*
    - *horribilem membrorum omnium dilacerationem:*
    - *ſtatùs piorum deplorationem:*
    - *intolerabilem excrutiationem:*
    - *ignis infernalis uſtulationem:*
    - *omnis ſolatii denegationem:*
    - *æternam pœnarum durationem.*
  - *de modo effugiendi infernum, qui conſiſtit in*
    - *audiendo;*
    - *pœnitendo;*
    - *gehennam ſæpiùs cogitando:*
    - *peccata epulonis devitando, qualia ſunt*
      - *ſuperba in veſtitu ſumtuoſitas;*
      - *immoderata in victu guloſitas;*
      - *inhumanitas;*
      - *tenacitas;*
      - *ſecuritas;*
      - *impietas.*

DISPOSITIO III.

- *Oſtendit Evangelium cauſas tum*
  - *damnationis: Epulonem damnat*
    - ὑπερηφάνεια, *faſtus & ſuperbia:*
    - ἀσωτία, *luxus & intemperantia:*
    - πλεονεξία, *avaritia & erga egenos immiſericordia:*
    - ἀσέβεια, *impietas & cultûs divini negligentia:*
    - ἀμετάνοια, *finalis impœnitentia.*
  - *ſalvationis: ſalvatur Lazarus ex*
    - *fideli gratiæ divinæ adplicatione:*
    - *ſancta ad veram Eccleſiam adgregatione:*
    - *ſeria peccatorum agnitione & deploratione:*
    - *diligenti Moſis & Prophetarum auſcultatione:*
    - *firma Meſsia adprehenſione:*
    - *publica fidei teſtificatione.*

b

DISPOSITIO I.

Propoſitio [illegible]; agitur enim in Evangelio de tribus:

- *De clementiſſima hominum ad cœnam magnam invitatione; cui inſervit,*
  - *Parabolæ recitandæ occaſio, petita ex voto Phariſæi.*
  - *Cœnæ magnæ deſcriptio; in conſiderationem veniunt tria;*
    - *cauſa efficiens primaria: Homo dicitur DEUS ob*
      - *creationem;*
      - *incarnationem;*
      - *ſuam erga homines adfectionem.*
    - *adjuncta Cœnæ qualitas; dicitur magna, propter*
      - *convivatoris Majeſtatem;*
      - *magnam caritatem;*
      - *durabilitatem:*
      - *ferculorum pretioſitatem & ſuavitatem;*
      - *miniſtrorum dignitatem;*
      - *gaudii ſublimitatem;*
      - *iræ gravitatem;*
      - *vaſorum multiplicitatem, verbum & Sacramenta.*
    - *Objectum, quibus parata ſit.*
  - *Cauſæ inſtrumentalis adſignatio; cui additur*
    - *temporis opportunitas; tempus puta*
      - *viſitationis;*
      - *promiſſionis;*
      - *exhibitionis.*
    - *finis emiſſionis;*
    - *forma vocandi honoraria;*
    - *cauſarum impellentium adnotatio: ad veniendum omnes moveat*
      - *vocantis auctoritas:*
      - *punientis ſeveritas:*
      - *rejectionis atrocitas:*
      - *inferni perennitas:*
      - *ferculorum jucũditas:*
      - *promiſſi ſuavitas:*
      - *comminationis gravitas.*
- *De invitatorum declaratione, h.e. frivola & turpiſſima recuſatione. Amplif. per μερισμὸν ſive diſtributionem in tria genera, quorum*
  - *primum eſt agricolarum:*
  - *ſecundum mercatorum ſeu negotiatorũ:*
  - *tertium voluptuariorum.*
- *De ſeveriſſima contemtorum punitione: iniquè enim tuliſſe contumeliam convivatorem, patet ex*
  - *Domini ad iram commotione:*
  - *aliorum ſurrogatione & invitatione; cujus adſignatur*
    - *modus;*
    - *finis:*
  - *contemtorum excluſione.*

Digitized by Google

DISPOSITIO II.

- *Propoſitio διαιρέσεως: Conſiderabimus duo:*
  - *Invitatorum malignitatē. Occurrit*
    - *hoſpes activ9. Φιλανθρωπίαν ſuam de clarans*
      - *convivium ſplendidum in noſtri gratiam adornando: Cœna dicitur magna ob*
        - *hoſpitū celebritatē;*
        - *ferculorum ſi gularitatem;*
        - *convivarum pluralitatem;*
        - *convivii durabilitatem.*
      - *omnes ſeriò invitādo, quod patet ex*
        - *ſervi emiſſione:*
        - *toties repetita vocatione erga*
          - *Judæos;*
          - *peccatores & publicanos;*
          - *gentes.*
    - *hoſpites paſſivi, in quibus notatur*
      - *deteſtanda quorundā ἀχαριστία & malitia: dantur enim*
        - *opum fluxarum domini:*
        - *boum ſervi;*
        - *voluptatum famuli.*
      - *laudanda nonnullorū in veniendo προθυμία.*
  - *Pœnarum atrocitatem: hîc agitur de*
    - *ſumma hoſpitū vel Convivatorū indignatione:*
    - *aliorum in contemtorum locum ſurrogatione:*
    - *juſta contemtorum reprobatione.*

DISPOSITIO III.

- *Thema: de cauſis veniendi ad Cœnam magnam impellentibus, urgentib9. Tales ſunt,*
  - *Orationis ſuavitas, ſub imagine convivii.*
  - *Mundi cœcitas, divitiū peccans tùm*
    - *malè eas acquirendo;*
    - *malè retinendo:*
    - *malè utendo:*
    - *nimiùm diligendo.*
  - *Excuſationum nullitas; venire renuit, unus ob*
    - *emtum agrum;*
    - *emtos boves;*
    - *ductam uxorem.*
  - *Coactionis neceſſitas; coactio divina fieri ſolet*
    - *prædicatione;*
    - *crucis impoſitione;*
    - *honeſtæ diſciplinæ conſervatione.*
  - *Pœnæ gravitas; contemtū ſequitur*
    - *DEI ira;*
    - *inferni flamma.*

DISPOSITIO I.

Propoſitio tripartita, de [symbol]

- *Chriſto peccatores ſuſcipiẽte: obſervetur*
  - *concionis parabolicæ occaſio; ubi notetur*
    - *perſonarum Chriſto adhærentium deſcriptio; ſunt*
      - τελῶναι;
      - ἁμαρτωλοί.
    - *hominum iſtorũ adpropinquatio, vel actio; non perſeverant, nec deſperant, ſed revertuntur:*
    - *finis adſignatio,* τοῦ ἀκούειν.
  - *Phariſæorum objurgatio & refutatio: habes*
    - τὰ πρόσωπα;
    - τὰ πραχθέντα, διεγόγγυζον;
    - τὰ λεχθέντα; *vituperant in Chriſto* τὸ
      - προσδέχεσθαι;
      - συνεσθίειν.
- *Paſtore oviculam amiſſam requirente. Notetur parabolæ*
  - πρότασις, *in qua ſunt;*
    - *Ovis perdita;*
    - *paſtoris ſtudium;*
    - *aliæ oves 99. nondum perditæ;*
    - *ovis reperta;*
    - *gaudium inde ortum.*
  - ἀπόδοσις ἢ ἔκθεσις, *ubi occurrit*
    - *Ovis aberrans, homo peccator:*
    - *Paſtor JESUS CHRISTUS* θεάνθρωπος;
    - *Juſti nullâ converſione opus ſe habere opinantes;*
    - *Modus juſtificationis: Paſtor*
      - *quærit, per concionem Legis;*
      - *invenit per vocem Evãgelii;*
      - *imponit humeris.*
    - *Tripudium cœleſte.*
- *Muliere drachmam perditam anxiè quærente. Habetur*
  - πρότασις, *in qua eſt*
    - *drachma amiſſa;*
    - *mulieris diligentia;*
    - *eventus ſeu effectus; invenit & gaudet.*
  - ἀπόδοσις *eadem: nam*
    - *drachma ſunt homines:*
    - *mulier, Eccleſia:*
    - *modus, in cõverſionis exercitiũ*
      - *quærit;*
      - *invenit;*
      - *cum aliis conjungit.*
    - *gaudium de peccatore converſo.*

Digitized by Google

Propoſitio bipartita, exhibens

- *Peccatorum ad Chriſtum concurſum vel adpropinquationẽ; cujus notabis*
  - *cauſam concursûs impellentem; quam præbet*
    - *Chriſti invitatio; &*
    - *benevola peccatorum ſuſceptio.*
  - *turbam hominum, Chriſto adpropinquantem:*
  - *Cauſam acceſsûs finalem: Cupiunt enim*
    - *DEI voluntatem ex ore Chriſti agnoſcere;*
    - *rectam ſalutis viam addiſcere;*
    - *efficax ſolatium percipere;*
    - *modum pœnas infernales devitandi audire.*
  - *Phariſæos, factum Chriſti arrodentes. Amplific.*
    - *modô;*
    - *cauſâ.*
- *Chriſti erga peccatores adfectum & propenſionẽ; hanc declarat*
  - *promtè peccatores ſuſcipiendo:*
  - *maſculè eos defendendo; parabolâ triplici, à*
    - *boni paſtoris natura:*
    - *drachma perdita:*
    - *filio prodigo: cõſideratur*
      - *filius, conſideratus*
        - *in domo paterna, ut*
          - *tenerè adamatus;*
          - *honeſtè educatus;*
          - *miſerè corruptus.*
        - *extra domũ paternã, ubi comites habet*
          - *luxuriam;*
          - *miſeriam;*
          - *inopiam*
          - *pœnitentiam deſcriptam*
            - λόγῳ ἢ λογισμῷ;
            - ἔργῳ.
      - *Pater; notetur*
        - *patris adfectio, quam exprimit*
          - *de longè filiũ proſpiciendo;*
          - *miſerendo;*
          - *occurrendo;*
          - *in collũ irruendo;*
          - *exoſculando.*
        - *humilis filii confeſſio:*
        - *benigna cõverſi exceptio & tractatio.*
      - *Frater, ut oſor felicitatis fraternæ: occurrit*
        - *occaſio;*
        - *percontatio;*
        - *fratris reverſi neglectio;*
        - *iracunda cum patre expoſtulatio;*
        - *acris invidiæ objurgatio.*

Digitized by Google

Thema: de modo & mediis converſionis, quibus uſus homo peccator cum DEO in gratiam redire poteſt. Huc facit

- *Erroris ſive miſeriæ agnitio & deploratio:*
- *Medici inquiſitio, qui h. l. eſt Paſtor, cujus cognoſcitur fidelitas ex*
  - *ſpontanea in mundum adventatione:*
  - *benevola ipſius adfectione:*
  - *paſtione, h. e. gratuita Eccleſia collectione:*
  - *paterna ovicularũ procuratione:*
  - *meliorum ad ſalutem propoſitione:*
  - *pœnitentiæ condelectatione.*
- *Scandalorum averſatio & remotio:*
- *Mediorum adplicatio vel uſurpatio: media dico,*
  - *inſpectionis;*
  - *caſtigationis;*
  - *illuminationis;*
  - *fraternæ exhortationis.*
- *Cauſarum impellentium adſignatio: tardiores ſumus, nos igitur excitet*
  - *familiaris Chriſti cum peccatoribꝰ converſatio:*
  - *Eccleſiæ militantis cohortatio:*
  - *Salutis propriæ cõſideratio:*
  - *Angelorum exſultatio.*

Digitized by Google

DOMINICA IV. POST TRINITATIS; Luc. 6, 36. 42.

DISPOSITIO I.

Propoſitio eſt τριμερὴς: Agit enim Evangelium,

- *de certis quibusdam Chriſtianè vivendi regulis, quibus omne hominis Chriſtiani continetur officium, eſtq; vel*
  - *generale, jubens exercere miſericordiam.*
  - *ſpeciale, & proponitur partim*
    - *ἀποφατικῶς*
      - *de non judicando,*
        - *propoſitio;*
        - *ratio ab utili.*
      - *de nō cōdemnando*
        - *πρότασις;*
        - *αἴτιον ab utili.*
    - *κατάφατικῶς*
      - *de remittendo*
        - *πρότασις;*
        - *αἴτιον ab utili.*
      - *de dando, ob utilitatē vel commodum dationis.*
    - *Amplif. γνώμη à*
      - *mēſura;*
      - *retributione.*
- *de regularum, miſericordiæ maximè exercendæ cauſis, nimirùm*
  - *divina Salvatoris juſſione:*
  - *exempli paterni imitatione:*
  - *ſpirituali cognatione:*
  - *boni maliq; compenſatione:*
  - *exempli Chriſti conformatione, cui adſimilemur*
    - *ἐν ἀγαθοποιΐᾳ:*
    - *ἐν κακοπαθείᾳ.*
- *de vanis mundi effugiis: Objicit enim ille modò*
  - *aliorum exemplum;*
  - *mundi ludibrium;*
  - *proximi delictum: refutantur omnia parabolicâ Chriſti concione.*

DISPOSITIO II.

- *Propoſitio* διμερὴς, *duplici conſtans* παραινέσεως:
  - *generali, quæ admonitionem habet de miſericordia; ubi obſervetur præcepti*
    - *materia, exercetur*
      - *compatiendo;*
      - *ſuccurrendo;*
      - *condonando*
    - *cauſa ab exemplo Patris cæleſtis, qui exercuit miſericordiam in*
      - *hominis ad imaginem ſuam creatione:*
      - *lapſi hominis ad gratiã receptione:*
      - *Filii proprii donatione & miſſione:*
      - *Eccleſiæ collectione:*
      - *peccatorum remiſſione:*
      - *pœnarum mitigatione:*
      - *finali liberatione.*
  - *ſpeciali, quâ oſtenditur, qualis eſſe debeat homo Chriſtianus*
    - *ore, ne temerè judicent & condemnent:*
    - *corde, ut remittant:*
    - *manu, quæ ſit aperta*
      - *DEO;*
      - ἄρχουσι;
      - *Tibi;*
      - *Egenis. Singulis præceptis ſive admonitionibus additur*
        - *ratio, à jure talionis*
        - *amplificatio, ab*
          - *utili, retributionis;*
          - *inutili malæ* ὁδηγίας;
          - *pari diſcipulorum;*
          - *turpi.*

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Thema: de præcipuis dilectionis operibus. Conſiſtit illa in

- commiſerando, exemplô Patris cœleſtis, qui ſecundum miſericordiam ſuam
  - ex nihilo nos creavit;
  - in peccatis mortuos vivificavit;
  - Filium Redemtorem deſtinavit;
  - voluntatem in verbo revelavit;
  - ad vitam æt. in Chriſto prædeſtinavit.
- non temerè judicando: Juditium eſt
  - bonum, & exercetur in
    - Eccleſia;
    - politia;
    - Oeconomia.
  - malum à diabolo inventum.
- non præcipitanter ac protervè damnando: Rejicitur
  - hoſtile perſonarum odium:
  - vulgare diabolo gaudium:
  - horribile calumniandi ſtudium.
- in condonando & remittendo: moveat nos
  - exemplum DEI & Chriſti:
  - precandi neceſsitas:
  - exempla aliorum.
- liberaliter dando ad
  - miniſterii conſervationem;
  - pauperum ſuſtentationem.
- informando; diſcipulus non ſit ſupra Magiſtrum:
- corrigendo vel emendando.

Digitized by Google

Luc. 5, 1. 12.

DISPOSITIO I.

Propoſitio eſt τριμερὴς, oſtendens

- *nauticam Chriſti cõcionem, in qua eſt*
  - *cauſa concionis impulſiva, concurſus hominum:*
  - *objectum, vel auditores; turba multa:*
  - *cauſa finalis, τȣ̃ ἀκȣ́ειν;*
  - *locus*
    - *communis, lacus Genezareth;*
    - *proprius, navicula Petri:*
  - *Situs. CHRISTI docentis:*
  - *Effectus, in obſequio Petri manifeſtus.*
- *Miraculoſam piſcium captionem. Conſidera*
  - *amicum Chriſti cum Petro colloquium, continens*
    - *Dominicam juſsionem:*
    - *Petri reſponſionem, qua*
      - *benevolẽtiam captat;*
      - *conſilium ſuũ exponit.*
  - *ipſum Chriſti miraculum, quod amplificatur ex loco ſignorum variè,*
    - *piſces capiuntur;*
    - *rete rumpitur;*
    - *piſces non elabuntur;*
    - *ſocii advocantur;*
    - *utraq; navis impletur.*
- *Novam Petri vocationem, cujus notetur*
  - *occaſio, h.e. Petri ſociorumq; conſternatio:*
  - *dulciſsima Chriſti conſolatio:*
  - *ipſa Petri vocatio, illuſtrata*
    - *adjunctô vocationis tempore;*
    - *formâ vel officiô ipsô; ζωγρῶν τὺς ἀνθρώπυς;*
    - *mediô vel causâ organicâ.*
  - *Petri ſociorumq; obſecundatio;*

- Propoſitio eſt διμερής: Agitur enim
  - de Chriſti prædicatione, quæ deſcribitur per circumſtantias:
    - quando Chriſtus docuerit? die profeſtô:
    - Cui? turbæ, parti hominum viliori:
    - Cur? Excitat auditor ſtudium:
    - Ubi? In navi:
    - Quibus auxiliis? Petrô naviculam mutuò dante:
    - Quomodo? Sedens:
    - Quid? Docuit Evangelium de remiſſione peccatorum.
  - de Petri piſcatione, quæ duplex,
    - nocturna, infructuoſa:
    - diurna fructuoſa: Ea autē eſt vel
      - corporalis, in qua eſt
        - Chriſti præceptum;
        - Petri propoſitum;
        - Propoſiti argumentum, ab honeſto;
        - Legitimum ad finem ducens medium;
        - Effectum vel præmium: miraculum probatur ex
          - retis ſciſſione;
          - ſociorum in auxiliū evocatione;
          - naviculæ merſione;
          - Petri ſociorumq́; cōſternatione.
      - ſpiritualis, in qua occurrit
        - cōſolatio dulciſſima, ne metuas:
        - vocatio honorificentiſſima:
        - promiſſio largiſſima:
        - morigeratio promtiſſima.

Digitized by Google

Thema: *de ratione cum fructu recte vocationis laxandi: ubi attende,*

- *populum ad Chriſtum accedentem:*
- *Chriſtum concionantem: Verbum dirigit Chriſtianos in*
  - *fidei confirmatione;*
  - *honeſta cujusq; vocatione;*
  - *controverſiarum dijudicatione.*
- *Dominum præcipientem vel mandantem labores, quos urget divina*
  - *ordinatio;*
  - *benedictio;*
  - *maledictio.*
- *Petrum querulantem:*
- *Petrum rectè procedentem*
  - *orando;*
  - πολυπραγμοσύνην *vitando;*
  - *verbum obſervando.*
- *Chriſtum miracula edentem:*
- *Petrum cum ſociis dividentem:*
- *Petrum pœnitentem, ſeſeq́; humiliantem:*
- *Chriſtum vocantem, qui ſequendus in omni fortunæ ſtatu. Uſus dictorum eſt in doctrina, de modo victum rectè & ſine læſione conſcientiæ acquirendi. Fiet illud*
  - *Chriſto imminendo;*
  - *Eundem in naviculam recipiendo;*
  - *proprium tenendo;*
  - *pauperibus ſuccurrendo;*
  - *fideliter laborando;*
  - *defectum patienter ferēdo;*
  - *ad Chriſtum deſerendo;*
  - *rete in nomine JESU ejiciendo;*
  - *nihil procraſtinando;*
  - πολυπραγμοσύνην *fugiendo;*
  - *DEI potentia confidendo;*
  - *aliis libenter communicando;*
  - *vicinitatem colendo;*
  - *parſimoniæ ſtudendo;*
  - *gratias agendo;*
  - *pauca boni conſulendo;*
  - *vitæ emendationem non negligendo;*
  - *cor divitiis non adponendo.*

Digitized by Google

Matth. 5, 20. 27.

DISPOSITIO I.

- *In Evãgelio, quod χειμερὲς, habetur*
  - *Juſtitiæ Phariſaicæ rejectio:*
    - *Propoſitio; Juſtitia Phariſaica ad ſalutem eſt inutilis:*
    - *Ratio à*
      - *minori, eſt inſufficiens:*
      - *privativè oppoſitis, per illam non poteſtis ingredi in regnum cælorum.*
  - *Quinti præcepti expoſitio, cujus notetur*
    - θέσις, *continens Phariſæorum* ψευδερμηνείαν:
    - ἀντίθεσις, *oſtendens committi etiam homicidium*
      - *corde, per ira virulentiam;*
      - *geſtu, per externã indignationis ſignificationem:*
      - *verbis apertis, per convitium.*
  - *Fraternæ ac mutuæ reconciliationis ſuaſio, informans*
    - *partem lædentem de deprecatione monet; additur reconciliationis*
      - *tempus;*
      - *modus;*
      - *rationes à*
        - *relatis eſt frater:*
        - *inutili, fruſtrà ſacrificabis* DEO.
    - *partem læſam monet de* εὐνοίᾳ; *quæ*
      - *proponitur* ἴσθι εὐνοῶν:
      - *confirmatur argumẽtô à periculoſo:*
      - *illuſtratur ſimili à judicio humano & pœna ſubſecutura.*

Digitized by Google

- *Evangelium quod διμερὲς, continet*
  - *Chriſti concionem; ea verò*
    - *Phariſæorum juſtitiam improbat & reprobat:*
    - *Meliorem à ſuis diſcipulis juſtitiam poſtulat:*
    - *Quintum præceptum explicat: committitur homicidium partim*
      - *externè, manu:*
      - *internè,*
        - *corde per iracundiam;*
        - *geſtibus, per petulantiam;*
        - *verbis per contumeliam.*
  - *Chriſti admonitionem, ratione partis lædentis & læſæ geminam. Admonitio partis*
    - *prioris habet*
      - *propoſitionem; διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου:*
      - *Rationem ab utili, per ἀντίθετον, ut munus tuum DEO ſit εὐάρεστον:*
    - *poſterioris abſolvitur*
      - *propoſitione; ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ:*
      - *ratione à*
        - *facili, adhuc es in via:*
        - *inutili, ne Judicis officium imploret.*
        - *utili. Uſus eſt de reconciliatione ineunda & maturanda; hanc verò ſuadeat*
          - *mandati divini auctoritas;*
          - *Chriſtianiſmi veritas;*
          - *Chriſtianorum fraternitas;*
          - *cultûs in eventū vanitas;*
          - *vitæ brevitas;*
          - *Judicis ſeveritas;*
          - *Patris cœleſtis lenitas;*
          - *pœnæ gravitas & æternitas;*
          - *exemplorū claritas.*

Digitized by Google

- Propoſitio μονομερὴς, θεματικῶς monſtrãs viam, in cœlũ deducẽtem: ubi occurrant
  - τὰ φευκτὰ fugiẽda, dantur duo:
    - falſa Phriſæorum & Scribarum de juſtitia hominũ peccatoris coram DEO perſuaſio.
    - Quinti præcepti violatio. Homicidium committitur
      - manu, fuſo cruore, idq; fit, vel
        - violenter;
        - fraudulanter; ſub ſpecie recti;
        - negligenter.
      - corde, ſuffuſo furore: fugienda eſt ira, propter
        - divinã prohibitionem:
        - ſtultitiæ manifeſtationem:
        - incõmodi devitationem:
        - DEI abominationem.
      - linguâ, ſparſo falſo rumore, & fit per
        - detractionem;
        - obtrectationẽ;
        - imprecationẽ.
  - τὰ πρακτὰ, facienda homines diſſidentes concernunt: præceptum partis
    - lædentis; deprecandum;
    - læſæ; condonandum:
      - utrumq; ſuadeat
        - mutua propinquitas;
        - orandi neceſſitas;
        - vitæ inſtabilitas;
        - ſupplicii gravitas.

DISPOSITIO I.

Propoſitio eſt τεμηείς, ob oculos ſtatuens miraculi

- *anteceden-tia, utpote*
  - *miraculi occaſio, cui inſervit*
    - *temporis circumſtantia;*
    - *perſonarum præſentia;*
    - *adjunctì evidentia.*
  - *miraculi præparatio, in qua occurrit,*
    - *Chriſti oratio, cõſtans*
      - *προφάσει implicitâ:*
      - *κατασκευῇ, à*
        - *causa προηγουμένῃ;*
        - *cauſis procreãtibꝰ,*
          - *auditorum perſeverantia;*
          - *victûs carentia;*
          - *populi deficientia;*
          - *loci diſtantia.*
    - *Diſcipulorum reſponſio diſſuaſoria; quia manifeſta eſt*
      - *proportionis inæqualitas:*
      - *loci incommoditas:*
      - *alimenti tenuitas:*
      - *inediæ diuturnitas: diſſuadetur igitur ob*
        - *ſolitudinem;*
        - *populi multitudinem;*
        - *ἐνδείας propriæ magnitudinem.*
    - *Reſponſionis explicatio.*
- *Concomitantia; obſervitur*
  - *αἴτιον ποιητικὸν, cauſa efficiens* JESUS CHRISTUS:
  - *αἴτιον ὑλικὸν, cauſa materialis, ſeptem panes & pauci piſciculi:*
  - *ὄργανα συνεργὰ, cauſæ adjuvantes:*
  - *modus agendi, continens πραχθέντα;*
    - *diſcubitum præcipit;*
    - *panes accipit;*
    - *gratias agit;*
    - *frangit, ut diſtribuat;*
    - *dat diſcipulis.*
- *Conſequentia quinq;:*
  - *populi manducatio:*
  - *populi exſaturatio:*
  - *fragmentorum collectio:*
  - *convivarum numeratio:*
  - *cibatorum dimiſſio.*

Digitized by Google

- *Propoſitio διμερὴς: Evangelium conſiderat Chriſtum*
  - *cum diſcipulis conſultãtem; notabis*
    - *conſultationis ineundæ occaſionem, quam præbuit*
      - *populi adcurrentis confluentia:*
      - *ejusdem in verbo audiendo diligentia;*
      - *panis indigentia:*
      - *ſolicita Chriſti cura & providentia.*
    - *Ipſam conſultationem, quæ habet*
      - *Chriſti φάσιν ἢ βούλευσιν, cujus notetur*
        - *propoſitio, ex textu eruta: cibabo hunc populum:*
        - *Ratio, petita à*
          - *cauſa intrinſecùs movente, miſereor:*
          - *cauſa extrinſecùs impellẽte, nimirùm*
            - *populi ſtudio;*
            - *commeatûs deliquio:*
            - *imminẽte diſpẽdio.*
      - *Diſcipulorum ἀπόφασιν, in qua eſt*
        - *propoſitio diſſuaſoria:*
        - *ratio, à*
          - *loci ſterilitate;*
          - *commeatûs tenuitate.*
  - *miraculosè cibãtem; nim.*
    - *turbæ præcipiendo:*
    - *ſeptem panes multiplicando. Amplific.*
      - *ἐκθέσει τρόπου;*
        - *panibus adſumtis:*
        - *gratiis actis:*
        - *panibus fractis:*
        - *turbæ adpoſitis.*
      - *ἐξηγήσει ἐκβάσεως:*
        - *populi expletio:*
        - *reliquiarum adſervatio:*
        - *populi dimiſſio.*
      - *Uſus eſt in modo impetrãdi benedictionem DEI:*
        - *regnum DEI ſolicitè quærendo:*
        - *Chriſto ſtudiosè obſequendo:*
        - *Commeatum manibus ejus committendo:*
        - *gratias DEO agendo:*
        - *præſentia boni conſulendo;*
        - *parſimoniæ ſtudendo.*

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Thema, monſtrans rationẽ fruges rectè demetẽdi, colligendi & uſurpandi, per certas regulas, quarum eſt

- *Benè inchoare: à Jove; de prece principiũ: Incipe perficies auxiliante DEO:*
- *Adverſa non faſtidire:*
- *JESUM rectis oculis intueri: In hoc eſt*
  - *cor commiſerans;*
  - *manus*
    - *omnipotens;*
    - *benedicens;*
    - *largitus cibum*
      - *corporalem;*
      - *ſpiritualem;*
      - *Sacramẽtalem;*
      - *æternalem.*
- *Patientiam exercere:*
- *Honeſtè victum quærere:*
- *Præſentia boni conſulere:*
- *In ſtatione manere:*
- *Menſam piè conſecrare, quod requirit*
  - *DEI juſſio;*
  - *noſtra confeſſio;*
  - *commodi noſtri ratio,*
    - *ut ſine offenſione DEI & læſione conſcientiæ fruamur partis;*
    - *ut cibus ſit ſalutaris;*
  - *exemplorum commendatio.*
- *Aliis libenter communicare, quod ſuadet*
  - *DEI mandantis auctoritas;*
  - *beneficentiæ utilitas;*
  - *tenacitatis damnoſitas.*
- *Dominum exſpectare:*
- *Providentiæ ejus confidere:*
- *Fragmenta colligere:*
- *Partis uti-frui:*
- *Fideliter laborare:*
- *Nomen Domini celebrare.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Partes Evangelii ſunt tres:

- *Chriſti de cavēdis Pſeudophetis admonitio, in qua occurrit*
  - *ἀφορμὴ ſive occaſio, ex concione antegreſſa petenda.*
  - *Τὸ ζ, ipſa admonitio, de cavendo inſtituta.*
  - *Τίς, objecti notatio; omnes Chriſtianos concernit.*
  - *Subjecti vel perſonarum deſignatio; Pſeudoprophetæ, quos graſſari in Eccleſia permittit DEUS, ad*
    - *ingratitudinem puniendā:*
    - *veritatem eruendam:*
    - *electos probandos:*
    - *ſecuritatem excutiendam.*
- *Admonitionis ratio, h.e. falſorum Dd. deſcriptio: γνωρίσματα eorum ſunt*
  - *adjūcta Scripturarum depravatio:*
  - *ſpontanea accurſio:*
  - *ſanctimoniæ & pietatis ſimulatio: habitus vel veſtitus ovilis complectitur*
    - *falſæ doctrinæ ſub vera occultationem;*
    - *verborum ſuaviſſimorum h.e. eloquentiæ oſtenſionem;*
    - *crebram Scripturæ allegationem;*
    - *ſcientiæ & veritatis certiſſimæ jactationem;*
    - *temerariam dejerationem;*
    - *miraculorum & donorum oſtentationem;*
    - *vitæ ſanctæ præſumtionem;*
    - *pacis & concordiæ ablationem;*
    - *earundem φράσεων uſurpationem.*
  - *interna diſpoſitio; lupi ſunt rapaces:*
  - *fructuū contemplatio: Amplif.*
    - *ab impoſſibili;*
    - *à ſimilitudine arboris.*
  - *mercedis reportatio. Dignoſcuntur itaq; Pſeudoprophetæ*
    - *non ex*
      - *adplaudentium pluralitate;*
      - *miraculorum celebritate;*
      - *tituli celſitate;*
      - *fortunæ proſperitate;*
      - *zeli ſeveritate:*
    - *ſed ex*
      - *abuſu Scripturæ manifeſto;*
      - *proventu fructuum ſceleſto.*
- *Eorundem cōfuſio, vel hypocritarum punitio, conſtās*
  - *προτάσει, quæ habet*
    - *ſententiam deciſivam;*
    - *geminam hypocritarum deſcriptionem.*
  - *αἰτίῳ, à contrario veri cultûs.*
  - *ἐκθέσει, quæ conſtat*
    - *falsâ hypocritarū gloriatione, ea habet*
      - *externam profeſſionem; ſervi ſunt:*
      - *miraculorū oſtenſionem, qualia ſunt*
        - *prophetare;*
        - *dæmonia ejicere;*
        - *virtutes edere.*
    - *futurâ Chriſti reſpōſione*
      - *quòd non noverit illos;*
      - *quòd ſint ἐργάται τῆς ἀνομίας.*

Duæ ſunt Evangelii partes, quarum agit

- Una de Pſeudodoctoribus & Prophetis vitandis; occupatur
  - in Pſeudoprophetarum fuga, cujus attende
    - Subjectum; Pſeudopropheta;
    - Prædicatum; ſunt cavendi;
    - προσδιορισμὸν; vobis.
  - in vera eorundem notitia; Cognoſcuntur a.ex
    - inſinuatione ſpontanea:
    - pelle ovina, cujus proprium eſt
      - ſophiſticus verbi divini prætextus;
      - magnificus Eccleſiæ titulus;
      - fucatus ſanctitatis zelus.
    - rabie lupina; lupis comparantur ob
      - calliditatem;
      - rapacitatem;
      - aviditatẽ & inſatiabilitatem;
      - voracitatem;
      - crudelitatẽ.
    - fructuum nota.
- Altera, de hypocriſi & impietate fugienda; quam fugam urget
  - fructûs doctrinâ & profeſſione dignos requirendo:
  - duram contra hypocritas ſententiam ferendo;
  - inanem eorum gloriationem retundendo:
  - cauſam damnationis monſtrando,
    - Chriſti ignorantiam;
    - propriã malitiam.

Thema: De ratione per portam arctam ingrediendi in regnum cœlorū; quod fiet;

- Pſeudoprophetas fugiendo: Horū notetur
  - antiquitas: promittit DEUS illos graſſari,
    - ad verbi contemtum vindicandum:
    - ad veritatem adſerendam:
    - ad integritatem probandam.
  - proprietas, quæ
    - externa; veſtiū oviū, quæ complectitur
      - malitioſam ſcripturarum depravationem;
      - legitimæ vocationis neglectionem;
      - ſanctitatis & pietatis ſimulationē;
      - hæreſeωs & falſæ doctrinæ diſſimulationem;
      - fucatæ eruditionis jactationem;
      - adſentationem & fraudulentam adulationem.
    - interna; ſunt
      - lupi, quia
        - in agmen ovicularum denſiſſimum irruunt:
        - paſtoribus dormientibus veniunt:
        - indiſcriminatim oviculas deglutiūt:
        - diu celari nequeunt.
      - rapaces, quia rapiunt
        - verbum DEI;
        - ſolatium;
        - animas.
  - cavendi neceſſitas, hanc imponat
    - Pſeudoprophetarum certitudo:
    - periculi magnitudo.
- Fructūs pœnitentiā dignos faciendo:
- Hypocriſin vitando; cujus proprium eſt
  - verbū Chriſtum jactare;
  - factū eundem abnegare.
- Voluntatem Domini faciendo. Ea verò conſiſtit in
  - vera ad DEUM converſione:
  - fidei ſinceræ inflammatione:
  - noſtra ſanctificatione:
  - proximi dilectione:
  - patientiæ declaratione.
  - Vult enim DEUS, ut
    - pœniteamus:
    - in Chriſtum credamus:
    - piè vivamus:
    - diligamus:
    - patientiam in adverſis declaremꝯ.

DISPOSITIO I.

Propoſitio τεχνικὴ: Habetur in Evangelio

- *Patrisfamiliâs ſtudium; conſideratur*
  - *ut œconomiam ſuam conſtituens. Obſerva πρόσωπα,*
    - *patrisfamiliâs, ab adjuncto divitiarum;*
    - *œconomi. ab effectu dilapidationis.*
  - *ut rationem à diſpenſatore ſuo exigens. Notetur*
    - *occaſio, quam præbet delatio:*
    - *inquiſitio vel examinatio. facta*
      - *citando;*
      - *objurgando;*
      - *removendo.*
- *Diſpenſatoris ingenium, cujus pravitas æſtimatur ex*
  - *malitioſa bonorum concreditorum diſſipatione:*
  - *aſtuta œconomi conſultatione; procedit*
    - *κατ' ἄρσιν, quâ removet honeſta vivendi media,*
      - *foſſionem;*
      - *mendicationem.*
    - *κατὰ θέσιν, quâ ſupponit inhoneſtum medium, defraudationem.*
  - *fraudulenta mali conſilii exſecutione:*
  - *diſpenſatoris laudatione vel admiratione: occurrit*
    - *adpellatio; injuſtus dicitur, quia*
      - *bona aliena, ut ſua, diſſipavit:*
      - *honeſta vivendi media reprobavit:*
      - *(vit: rationes corrupit & depravavit:*
      - *malum conſilium excogitavit:*
      - *alios ſcandalizavit & deterioravit:*
      - *de alieno liberalis fuit & donavit.*
    - *Ratio, laudatur ob prudentiam vel πανουργίαν potiùs;*
    - *Rationis comprobatio ab imparibus, per γνώμην.*
- *Salutare Chriſti conſiliū, cujus*
  - *πρότασις; facite vobis amicos ex Mammone iniquitatis, qui talis eſt, ratione*
    - *acquiſitionis;*
    - *uſurpationis;*
    - *poſſeſſionis*
  - *κατασκευὴ ab*
    - *honeſto vel mandato Chriſti vero uſu; facite vobis amicos,*
      - *maturè illis ſubveniendo;*
      - *opera miſericordiæ exercendo;*
      - *oblatum vel malè partum reſtituendo;*
      - *bonorum preces nobis adpropriando;*
      - *miniſterii conſervationem promovendo, adjuvando.*
    - *iniquo; quia extra hos fines Mammon eſt injuſtus.*
    - *ſpe boni, ut recipiant nos in æterna tabernacula,*
      - *diligēter pro nobis orando;*
      - *viam ſalutis notā faciendo;*
      - *teſtimonium perhibendo.*

Digitized by Google

DISPOSITIO II.

- ***Propoſitio διμερὴς, continet enim Evangelium***
  - ***Parabolæ commemorationẽ vel propoſitionem. Reſpiciẽdum ad***
    - *Diſcipulos, ut objectum concionis perſonale.*
    - ***Dominũ,** qui conſideratur,*
      - *παραβολικῶς, a*
        - *dignitatis eminentia:*
        - *ſua in rebus procurandis diligentia, quæ probatur ex*
          - *œconomiæ cõſtitutione:*
          - *rationum exactione, in qua tria:*
            - *citatio;*
            - *examinatio;*
            - *degradatio.*
      - *ἐξηγητικῶς: DEUS Pater eſt magnus Dominus,*
        - *latè dominando:*
        - *cœlum inhabitando:*
        - *ſubditis in cœlo & terra imperando:*
        - *mundum elocando:*
        - *Coryceos conſtituẽdo, nim.*
          - *ipſa hominis peccata clamãtia;*
          - *Angelos præſentes;*
          - *diabolos accuſantes;*
          - *pauperes & oppreſſos querulãtes;*
          - *conſciẽtiam trepidantem;*
          - *concionatores ingemiſcentes;*
          - *creaturas ſuſpirantes.*
    - ***Oeconomum***
      - *ſecum de periculo præcavendo deliberantem;*
      - *malum conſilium ipsô factô exſequentem,*
        - *debitores Domini ſui convocando:*
        - *de ſumma debiti percontando:*
        - *partem debitorum abalienando.*
  - ***Parabolæ adplicationem vel expoſitionẽ, in qua eſt***
    - ***diſpenſatoris commendatio vel admiratio:***
    - ***ad beneficentiam exhortatio, ubi occurrit,***
      - ***vera erga proximum caritas:***
      - ***pia liberalitas, in qua notetur***
        - ***τὸ ὅτι;***
        - ***τὸ πῶς.***
        - ***τὸ διά τι.***

- *Propoſitio μονομερὴς, de modo benè in die extremo ſtãdi, & fidelitatis laudem reportandi. Cõſideret quiſq;*
  - *divinam vocationem, quæ vel*
    - *generalis, ad fidem Chriſtianã:*
    - *ſpecialis; vocationem habent diſpenſatores*
      - *Eccleſiaſtici;*
      - *politici;*
      - *œconomici.*
  - *Coryceorum animadverſionem: Habemus hic partim*
    - *amicos,*
      - *Angelos bonos;*
      - *verbi miniſtros.*
    - *inimicos,*
      - *angelos malos;*
      - *homines læſos;*
      - *cogitationes accuſantes.*
  - *ſeveram & ſubitam citationem.* Citantur *homines tripliciter, per*
    - *vocem;*
    - *crucem;*
    - *mortem.*
  - *Strictam judicationem; ubi nihil efficitur*
    - *peccati negatione;*
    - *culpæ translatione;*
    - *longâ diſputatione;*
    - *Judicis corruptione.*
  - *Summam Chriſtianorum dignationem: ſint filii lucis,*
    - *verbo adhærendo;*
    - *in luce lucem veram agnoſcendo;*
    - *radios lucis foràs emittendo.*
  - *Legitimam bonorum adminiſtrationem, in quorum*
    - *κτήσει vitetur*
      - *ſpigritia;*
      - *fraudulentia:*
    - *χρήσει obſervetur*
      - *humilitas & modeſtia;*
      - *liberalitas & miſericordia.*

DISPOSITIO I.

Propoſitio τριμερὴς, contemplabimur CHRISTUM

- *miſerabiliter plorantem. Attende*
  - *quis ploret?*
  - *quando ploraverit?*
  - *ubi fleverit?*
  - *Cur fleverit? Sunt lacrymæ*
    - *amoris;*
    - *doloris;*
    - *interceſſorii clamoris.*
- *Lamentabiliter prophetantem: in prophetia eſt*
  - *ſecuritatis continuatio, quam arguit*
    - *ſumma Judæorum ἀπιστία:*
    - *deteſtāda eorundē ἀμέλεια & incuria:*
    - *deploranda ἀκηδία & negligentia.*
  - *Urbis devaſtatio. quæ deſcribitur ſecundum τὰ*
    - *ἡγούμενα,*
      - *obſidio;*
      - *concluſio;*
      - *coarctatio;*
    - *ἑπόμενα,*
      - *devaſtatio;*
      - *omniū demolitio;*
      - *internecio & miſera victorum tractatio.*
  - *Gratiæ reprobatio, h. e. viſitationis neglectio, quæ eſt*
    - *paterna & amica:*
    - *ſevera & inimica.*
- *mirabiliter reformantem. Reformationis*
  - *cauſa efficiens: Reformator eſt Chriſtus;*
  - *materia vel objectum eſt templum;*
  - *forma, per expulſionem:*
  - *finis, per facti defenſionem:*
  - *conſequens vel effectus, partim*
    - *bona verbi prædicatio;*
    - *malus, clandeſtina in necem Chriſti cōſpiratio.*

DISPOSITIO II.

Propoſitio διμερὴς; cōſiderat Chriſtum

- Vaticinantem: Habet ille
  - oculos flebiles, h. e. ſingulare factum, flevit: Notetur
    - loci circumſtantia; flevit prope Hieroſolymam:
    - temporis incōvenientia, in mediis gratulationibus:
    - lacrymarum ſignificātia: Ponderetur
      - plorantis dignitas;
      - lacrymarum proprietas;
      - temporis qualitas;
      - cauſæ gravitas, ſunt lacrymæ
        - docentis;
        - dolentis;
        - diligentis;
        - orantis;
        - invitantis, ad
          - pœnitentiam;
          - condolentiam;
          - diligentiā;
          - terrenorū deſpicientiam;
          - patientiā.
  - os vel linguam mirabilem, h. e. notabile dictū, quod conſtat
    - ſecuritatis extremæ exprobratione. Amplif. ἀντιθέσει ὀδυρτικῇ.
    - pœnæ ſecuturæ prænunciatione. Minatur urbi
      - obſidionem:
      - coanguſtationem:
      - incolarum internecionem:
      - ſupremam omniū deſolationem.
    - Cauſæ adſignatione; Viſitatio neglecta: Viſitavit te DEUS
      - Salvatorem Meſſiam mittendo:
      - Evangelium revelādo, prædicando:
      - ſalutem promovere adnitendo.
- Reformantem: in reformatione obſervetur
  - numulariorum conventus:
  - Chriſti adventus, zelō plenus, quem exerit
    - ἔργῳ ſive flagellatione;
    - λόγῳ, ſive increpatione.
  - Rei eventus, partim
    - bonus, reſpectu
      - Chriſti prædicantis.
      - populi ab ore ejus pēdentis.
    - malus, reſpectu magnatum.
  - Hoſtium conatus, ſed impeditus.

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Propoſitio [illegible] exhibens cauſas Rerumpubl. [illegible] [illegible], cujuſmodi ſunt

- *Veræ pœnitentiæ intermiſſio, quam lacrymis elicere Chriſtus adlaborat. Sunt enim lacrymæ*
  - *docentes, de natura humana veritate:*
  - *ſatisfacientes;*
  - *condolentes;*
  - *admonentes;*
  - *conducentes, ad*
    - *ſeriam peccatorū deteſtationem: plorat Chriſtus in*
      - *membris oppreſſis;*
      - *verbi miniſtris;*
      - *creaturis: patet inde, lacrymas eſſe admodū*
        - *ponderoſas;*
        - *precioſas;*
        - *doloroſas;*
        - *amoroſas;*
        - *animoſas;*
        - *fructuoſas.*
    - *vivificam conſolationem: DEUS patienter agit.*
- *Viſitationis cœleſtis neglectio. Viſitat DEUS vel*
  - *gratioſè:*
  - *furioſè & periculoſè. Monemur*
    - *de lento iræ divinæ proceſſu, qui poſitus in*
      - *monendo;*
      - *flagellando & caſtigando;*
      - *miracula edendo.*
    - *de regnorum mundi fatali periodo:*
    - *de regni Judaici reſtauratione, qua fruſtrà ſperatur.*
- *Templorum in ſpeluncas latronum commutatio; Latrones audiunt Judæi, ob*
  - *vanam in templum confidentiam:*
  - *ὑποκρίσεως vehementiam:*
  - *animi ſanguinarii truculentiam:*
  - *avaritiam & πλεονεξίαν. Uſus monitorius de templis nō profanandis, quod fit*
    - *perfunctoriâ verbi tractatione;*
    - *ſomnolētâ ejdē auſcultatione;*
    - *malitioſâ concionum & concionatorum criminatione;*
    - *turpi confabulatione;*
    - *falſæ doctrinæ propagatione;*
    - *ſanguinis innocui profuſione:*
    - *vitæ impiæ continuatione;*
    - *negotiatione &c.*
- *Violenta & mala verbi miniſtrorum tractatio. Quotannis hæc repetuntur, ut ponderemus*
  - *DEI irati potentiam:*
  - *cauſarum inſolentiam: in Judæis erat*
    - *ſecuritas;*
    - *incredulitas;*
    - *incuria;*
    - *impœnitentia;*
    - *violentia.*
  - *vanam in rebus externis confidentiam:*
  - *Excæcationis Judæorum vehementiam:*
  - *Chriſti φιλανθρώπου indulgentiam:*
  - *pœnitentiam.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio τριμερὴς, ob oculos conſtituens

- **Phariſæum ſuperbè orãtem:** obſervetur
  - parabolæ occaſio, factus animadverſus
    - ex falſa & præſumtuoſa meriti opinione;
    - ex ſupercilioſa aliorum deſpectione.
  - Phariſæi conditio & oratio, in qua ſunt partim
    - ἐπαινετὰ,
      - templi frequentatio:
      - vitæ ad normã ſtatutorũ divinorũ cõformatio
    - ψεκτὰ
      - ſuperbia:
      - hypocritica cordis malitia;
      - proximi deſpicientia;
      - inanis de propria juſtitia jactantia.
- **Publicanum demiſſè culpam deprecãtem;** ubi occurrit ipſius
  - προσωπογραφία, deſcriptio vel cõditio
    - generalis, ratione cujus dicitur homo:
    - ſpecialis, eſt publicanus.
  - πραχθέντα ſive actio:
    - relictô teloniô ad templum properat;
    - ardenter ad DEUM orat;
    - in gratiam cum DEO redire cogitat;
    - coram DEO ſeſe humiliat; humilitas ſe prodit in
      - ſtatione;
      - oculorũ dejectione;
      - pectorũ cõtuſione.
  - λεχθέντα h. e. oratio explicans partes pœnitentiæ præcipuas;
    - contritionem & ingenuam confeſſionem.
    - fidei declarationem.
- **CHRISTUM juſtè judicantem:** Judicium conſiſtit
  - in publicani juſtificatione; qui juſtus pronunciatur propter
    - humilitatem;
    - pœnitentiæ veritatem ſeu ingenuitatem;
    - fidei ſinceritatem.
  - in Phariſæi condemnatione;
  - in ſententiæ deciſivæ comprobatione, per epiphonema ex Ezech. 21, 26.

Digitized by Google

- Propoſitio [illegible], continens
  - Parabola de Phariſæo & publicano ἐξήγησιν, in qua ponderetur
    - Salvatoris intentio, eò directa, ut taxet in Phariſæo
      - πεποίθησιν ἐφ' ἑαυτῷ, meriti proprii opinionem:
      - ἐξουθένησιν τῶν ἄλλων, aliorũ deſpectionem.
    - Parabolæ enarratio, exhibens
      - Phariſæum corde elatum, cujus ſuperbia ex
        - fine
        - geſtu
        - modo
        - orationis elucet.
      - publicanum corde humiliatum.
    - Utrimq; comparatio; datur utrobiq;
      - æqualitas, continens τὰ κοινὰ: æquales ſunt ratione
        - humanæ conditionis;
        - intentionis.
      - inæqualitas, habens τὰ ἴδια: deprehenditur autem in
        - externa converſatione:
        - in utrimq; precatione, diſſimilitudo eſt in
          - geſtibus;
          - verbis: ex parte
            - Phariſæi; dicit
              - quid nō ſit
              - quid ſit.
            - publicani, ubi
              - peccatorum cōfeſſio: fidei demonſtratio; gratiæ imploratio.
  - Chriſti de utroq; ἐπίκρισιν, in qua eſt
    - ſententiæ deciſivæ pronunciatio:
    - ejuſdem confirmatio. Monemur a.
      - ut DEUM placatum reddamus, & ob id
        - vitæ morũq; honeſtati ſtudendum;
        - operibus coram DEO nō ſuperbiendũ;
        - à proximi deſpectu abſtinendum;
        - cor cōtritum & humiliatũ offerendũ;
        - de vero juſtificandi modo laborãdum;
        - viré & indeſinenter orandum.
      - ut in exercitiis pœnitentiæ veros nos Chriſtianos exhibeamus,
        - cultus divino ſeriò vacando;
        - DEUM ardenter invocando;
        - pie & inculpatè vivendo;
        - pœnitentiã agendo & continuando;
        - officium ſedulò faciendo.

Propoſitio μονομερὴς, de veris adoratoribus, in quibus requiritur

- *fidei ſimplicitas, ſine qua nihil DEO εὐάρεστον:*
- *animi humilitas, quæ procul abeſt à Phariſæo, in quo ex adverſo deprehenditur*
  - *carnalis ſui confidentia;*
  - *vana perfectionum jactantia;*
  - *hypocritica ſanctimonia;*
  - *ſpiritualis cordis ſuperbia;*
- *vitæ integritas, quæ quoad externos actûs etiam in Phariſæo promicat, in quo videre eſt*
  - *diligentem orationem;*
  - *inculpatè vivēdi rationem;*
  - *victûs moderationem.*
- *manuum liberalitas, directa potiſſimùm ad miniſterii conſervationem.*
- *pœnitentiæ ſinceritas: Rem ſeriam publicanum egiſſe conſtat ex*
  - *ſtatione;*
  - *oculorum ſubmiſſione;*
  - *pectoris percuſſione;*
  - *ingenua confeſſione.*
- *ſpei firmitas: in peccatis non deſperat publicanus.*
- *Vitæ novitas: juſtus enim declaratus, ex templo non revertitur ad telonium, ſed ad domum ſuam.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio requirit? agitur enim h. l. de

- *Homine ægrotante; in quo expendenda duo:*
  - *circumſtantiarũ cõſideratio; nim.*
    - *Chriſti reditus; ad oves perditas domûs Iſraël:*
    - *terminus â quo; fines Tyri ac Sidonũ:*
    - *terminus ad quem; mare Galilææ:*
    - *terminus per quem; fines Decapoleωs*
  - *hominis ægrotantis deſcriptio, quæ habet*
    - *medium, per quod ad Chriſtum adductus:*
    - *ſubjectũ in quo miraculum editum*
      - κωφὸς,
      - μογιλάλος.
- *Medico curante; in cura habebis*
  - *benignam hominis miſeri ſuſceptionem:*
  - *mirandam ejusdem curationem: in cura notetur*
    - *hominis à populo ſegregatio:*
    - *digitorum in auriculas immiſſio:*
    - *ſputi emiſſio:*
    - *linguæ contrectatio:*
    - *oculorũ in cœlum ſublevatio:*
    - *alta ſuſpiratio:*
    - *verbi efficaciſſimi pronunciatio.*
  - *repentinam effectûs conſecutionem, qui triplex*
    - *aurium reſignatio;*
    - *linguæ ſolutio;*
    - *recta locutio.*
- *Populo ſpectante; ubi occurrit*
  - *Chriſti inhibitio;*
  - *miraculi evulgatio;*
  - *populi obſtupefactio;*
  - *publica glorificatio, facta*
    - *in genere;*
    - *in ſpecie, omnia benè fecit*
      - *gratiâ ſuâ nos præveniẽdo;*
      - *ad ſalutem nos eligendo;*
      - *blandis verbis nos invitãdo;*
      - *benignè venientes ſuſcipiendo;*
      - *bonum opus in nobis perficiendo;*
      - *in Eccleſiam nos congregando;*
      - *per verbum & Sacramenta nobiſcum agendo;*
      - *mortuos vitæ reſtituendo.*

- *Propoſitio δημηγής, conſiderãs*
  - *Divinum Chriſti miraculum, in quo perpende*
    - *agri calamitatem, fuit*
      - *ſurdus;*
      - *mutus;*
      - *claudus;*
      - *ſtupidus.*
    - *Vicinorum caritatem, quam declarant*
      - *agrum Chriſto adducendo;*
      - *humiliter pro ipſo intercedendo.*
    - *Chriſti fidelitatem ſeu benignitatem; Obſerva*
      - *facta vel opera; nam*
        - *agrum adductum promtiſſimè ſuſcipit:*
        - *à turba illum abducit:*
        - *digitos in auriculas immittit:*
        - *ſputô emiſſô linguam ejus tangit.*
      - *geſtûs;*
        - *oculos in cœlum attollit;*
        - *ingemiſcit.*
      - *verbum, cum facto coharens, quô*
        - *aures aperiuntur;*
        - *lingua ſolvitur;*
        - *mutus rectè loquitur.*
  - *Miraculi perpetrati effectum*
    - *in muto & ſurdo, ſanitas;*
    - *in populo, ingens hilaritas, quã produnt*
      - *miraculum deprædicando:*
      - *ſupra modum admirando:*
      - *hymnum accinendo. Ad benè omnia faciendum DEUM provocabimus*
        - *Chriſtum benignè ſuſcipiendo:*
        - *caſtigationem paternam ferendo:*
        - *miſeriam noſtram conſiderando:*
        - *proximo ſubveniẽdo:*
        - *precibus inſtando:*
        - *à malis nos ſegregãdo:*
        - *ad cœlum reſpiciendo:*
        - *ob peccata ingemiſcẽdo:*
        - *(præbendo: aures verbo patulas*
        - *DEUM glorificando.*

Digitized by Google

Propoſitio μονομερὴς, conſiderans εὐεργετήματα, quibus DEUS omnia benè fecit, hodieq; benè facit; cujuſmodi ſunt

- benigna viſitatio:
- paterna viſitatorum caſtigatio:
- miſericors adflictorum poſt caſtigationem ſuſceptio:
- mirabilis eorũdem ſanatio; ſanat tàm animam, quàm corpus,
  - à turba nos ſeparando;
  - digitum in auriculas immittendo;
  - exſpuendo;
  - cœlum intuendo & ſuſpirando;
  - vocem emphaticam proloquendo.
- perpetua beneficiorum eorundem continuatio, requirens à nobis gratitudinem, quæ conſiſtit in
  - commiſerando;
  - rectè audiendo & loquendo;
  - comprecando;
  - humiliando;
  - glorificando;
  - Chriſtianiſmum exercendo in
    - proximi dilectione;
    - miſeriæ noſtræ conſideratione;
    - Chriſti Medici imploratione;
    - fidei fructificatione
      - ambitionē fugiendo;
      - modeſtiæ ſtudendo;
      - DEUM in omnibus celebrãdo.

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio τριμερής: oſtendit enim nobis Evangelium CHRISTUM

- de Apoſtolorum ſuorum beatitudine concionantem: notetur concionis
  - propoſitio;
  - propoſitionis ratio, à comparatis.
- cum Legiſperito de lege diſputantem, & continet
  - ζήτησιν, quæſtionem controverſam, in qua
    - perſonæ qualitas, νομικός τις:
    - finis, pravitas, ἐκπειράζων:
    - quæſtionis gravitas vel ſublimitas, de vita æterna.
  - λύσιν ἢ ἀπόκρισιν, ſolutionem datã, quæ conſtat
    - reciprocâ Chriſti interrogatione:
    - promtâ Legiſperiti reſponſione, quæ Decalogum reſolvit in dilectionem
      - DEI, in qua eſt
        - res ipſa dilectio;
        - modus rei, ex
          - toto corde;
          - tota mẽte;
          - tota anima;
          - totis viribus.
      - proximi, quæ declaratur ſecundum
        - rem &
        - modũ rei.
- parabolicè proximum hominis deſignantem; ubi occurrit
  - occaſio, ex quæſtione altera de proximi definitione orta:
  - parabolica Chriſti ad quæſtionem reſponſio:
  - parabolæ adplicatio, à
    - Legiſperito extorta;
    - Chriſto adprobata.

Evangelium cõſtat duplici colloquiô:

- *Prius, cum diſcipulis & Apoſtolis habitum, beatos prædicat illos: noteturq́;*
  - *Chriſti gratulatio;*
  - *Gratulationis ratio, ex viſione Chriſti, qui videtur*
    - *corporaliter;*
    - *ſpiritualiter;*
    - *corporaliter & ſpiritualiter ſimul.*
- *Poſterius cum Legiſperito inſtitutum, per quæſtiones duas, quarum*
  - *primâ quæritur de vitæ æt. hereditatione, in qua occurrit*
    - *malitioſa Legiſperiti intentio:*
    - *quæſtionis propoſitio:*
    - *contraria interrogatio:*
    - *ſummaria legis recitatio:*
    - *expedita Chriſti deciſio.*
  - *ſecundâ, de genuina proximi definitione, ubi obſervetur.*
    - *Legiſperiti intẽtio & tergiverſatio:*
    - *parabolica Chriſti reſponſio:*
    - *ſententiæ deciſivæ extorſio:*
    - *concionis parabolica cõcluſio. Amplif. ἐξηγήσει doctrinæ, de modo vitam æt. adipiſcendi, nimirùm*
      - *Chriſtum reverenter habẽdo, ne abeat;*
      - *de vera beatitudine cogitando;*
      - *Chriſtum deſiderando;*
      - *Scripturas attendendo;*
      - *DEUM & proximum diligẽdo:*
      - *ad Chriſtum Mediatorem confugiendo:*
      - *verbum factis exprimere ſtudendo.*

Propoſitio μονομερὴς thematica, quæ ſit vera ſalutis via? ſeu quâ in re cõſiſtat vera hominis felicitas; nim. in

- fideli Chriſti viſione: videtur
  - τυπικῶς;
  - σωματικῶς;
  - πνευματικῶς;
  - μικτῶς. Amplif. ἐκθέσει περίσματος de ſummo Chriſtianorum bono, quod poſitum eſt,
    - non
      - in opum fluxarum adcumulatione:
      - in rerum omniũ ad nutum fluxione:
      - in benivola amicorum propenſione:
      - in honoris dignitatisq́ʒ æſtimatione:
      - in carnis voluptuoſa delectatione:
    - ſed
      - in ſalvifica Chriſti viſione:
      - in ſedula ipſius auditione
- diligenti vitæ æt. inquiſitione: non in lege, ex qua neminem juſtificari arguit
  - ſumma legis perfectio & integritas: diligendus enim
    - DEUS
      - integraliter;
      - fideliter;
      - perſeveranter;
    - proximus, ut alter ego.
  - extrema virium noſtrarum imbecillitas:
  - horrenda naturæ noſtræ pravitas, depicta in homine ſauciato: excidit felicitate ſua homo,
    - Hieroſolymis exeundo:
    - Hierichuntem deſcendẽdo:
    - in latrones, diabolos, incidendo:
    - imaginem DEI amittendo:
    - poſteros omnes ſecum perdendo.
  - omnium mediorum egeſtas. Amplif. doctrinâ de liberi arbitrii viribus.
- tenaci verbi revelati adhæſione: huc enim adſtringit Legiſperitum Chriſtus: in lege quid ſcriptum eſt.
- ſtudioſa præſumtionis Phariſaicæ devitatione:
- accuratâ Samaritani contemplatione, quâ nobis oſtenditur,
  - Chriſti meritũ, conſtans incarnatione & paſſione: notetur h. l. in Chriſto,
    - benignus adſpectus;
    - paternus adfectus;
    - ſalutaris attactus
      - peregrinando h. e in carnem veniendo:
      - commiſerãdo:
      - accedendo & vulnera obligando:
      - in ξενοδοχεῖον ducendo:
      - hoſpiti nos cõmendando.
    - Reſtitutionem ille hominis fecit,
  - verbi miniſterium:
  - noſtrum erga proximum debitum.

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Evangelium de decem leproſis tractatur ſecundum

- *Circumſtantiarum cõſiderationem, cujusmodi ſunt,*
  - *tempus;*
  - *locus*
    - *per quem;*
    - *in quo;*
  - *objectum h. e. perſona curandæ*
    - *quot, decem;*
    - *quales, leproſi.*
  - *cauſa ſanationis, præter lepram oratio humilis*
    - *procul ſtant;*
    - *voce intentâ clamant, agnoſcentes Chriſtum*
      - *Salvatorem;*
      - ἐπιστάτην;
      - *ſolâ miſericordiâ impulsũ ſanare.*
- *miraculoſam leproſorum curationem, quæ continet*
  - *Dominicam viſionem:*
  - *ſanandi rationem; ite & oſtendite vos Sacerdotibus:*
  - *ſubitaneam ſanationem. Liberatur à lepra peccati homo*
    - *ad Chriſtum properãdo:*
    - *Eccleſiæ ſeſe adgregãdo:*
    - *peccatũ humiliter agnoſcendo:*
    - *verbo & promiſſionibus innitendo:*
    - *obſequium præſtando:*
    - *miniſterium adeũdo & venerando.*
- *eventus vel effectus connotationem, qui partim*
  - *bonus, in Samaritano, cujus gratitudo commendatur*
    - *à cauſa impulſiva:*
    - *à ſignis, quia*
      - *redit ad Chriſtum;*
      - *procidit in faciem;*
      - *glorificat DEUM;*
      - *gratias agit Medico.*
    - *à perſonæ conditione ſive qualitate, erat Samaritanus.*
  - *malus, in Judæis, qui exaggeratur*
    - *multitudine vel numero ſanatorum:*
    - *effectis, cujusmodi ſunt*
      - *abſconſio;*
      - *ingratitudinis exprobratio;*
      - *gloriæ denegatio.*
    - *generis conditione,* κατ' ἀντίθετον:
    - *Chriſti teſtificatione, quâ*
      - *factũ grati animi adprobat;*
      - *alienigenam Judæis præfert;*
      - *fidei præconium illi tribuit;*
      - *ſanitatis beneficium & fidem confirmat.*

Digitized by Google

Evangelium præſens exponit,

- *miraculoſam leproſorum ſanationem; attendatur*
  - *miraculi ἀφορμὴ ſeu occaſio, quam ſuppeditavit*
    - *Chriſti peregrinatio oſtendens*
      - *terminum ad quem;*
      - *terminum per quem;*
      - *locum proprium.*
    - *Decem leproſorum occurſatio, qui dicuntur*
      - *à longè ſtetiſſe;*
      - *altâ voce clamâſſe.*
    - *Leproſorum oratio, complectens*
      - *veram Chriſti agnitionē;*
      - *indignitatis cōfeſſionem;*
      - *miſericordiæ implorationem.*
  - *Miraculi μορφὴ forma vel ratio; ſanat eos*
    - *adſpectu benigniſſimô:*
    - *juſſu clementiſſimô; oſtendite vos Sacerdotibus,*
      - *non*
      - *in confeſſionis auricularis confirmationem:*
      - *ſed*
      - *in legis divinæ ratificationem:*
      - *in Sacerdotum commonitionem:*
      - *in miniſterii conſervationem:*
      - *in obedientiæ explorationem.*
    - *effectu exoptatiſſimô, inter eundū mundantur.*
- *diſtinctam erga Medicum declarationem; datur σῶστρον partim*
  - *culpabile; debebant illi Chriſto*
    - *reverſionem;*
    - *beneficii recognitionem;*
    - *glorificationem.*
  - *laudabile, h.e. gratitudinē*
    - *declaratam*
      - *factis, h.e.*
        - *beneficii recognitione;*
        - *ſuâ ad Chriſtum regreſſione:*
      - *geſtibus, humi procumbit:*
      - *verbis, h.e.*
        - *δοξολογίᾳ;*
        - *εὐχαριστίᾳ.*
    - *adprobatam à Chriſto.*

Digitized by Google

- **Propoſitio [illegible], conſiderans cauſas gratitudinis impellentes,**
  - *miſericordiæ divinæ magnitudinem, quam demonſtrat*
    - *clementiſſimò ſuò ad nos acceſſu;*
    - *promtiſſimò ad opem ferendam affectu.*
  - *miſeriæ noſtræ multitudinem. Conſpicua ea eſt in lepra, quæ peccato æquiparatur*
    - *in origine, ratione propagationis:*
    - *in qualitatibus, ratione*
      - *curationis, ἀνία[illegible] eſt;*
      - *contagionis;*
      - *adtrectionis;*
      - *enecationis.*
    - *in effectibus ſeu operationibus, ratione*
      - *totalis corruptionis;*
      - *inquietudinis;*
      - *ſitus;*
      - *raucedinis;*
      - *deformationis.*
  - *ingratitudinis turpitudinem, peccat ingratus*
    - *mentiendo;*
    - *injuſtiam exercendo.*
  - *gratitudinis pulcritudinem: Excitet in nobis ejus ſtudium,*
    - *mandati divini auctoritas;*
    - *cultûs hujus ſpecioſitas;*
    - *ipſa æquitas;*
    - *gratitudinis perpetuitas;*
    - *utilitas;*
    - *exemplorum claritas;*
    - *ingratitudinis fœditas;*
    - *pœnæ gravitas.*
    - *Grata a. eſt futura* DEO *noſtra gratitudo*
      - *noſtrâ ad Chriſtum acceſſione, in quo habemus* Dominum
        - *promtiſſimum;*
        - *mirabiliſſimum;*
        - *potentiſſimum;*
        - *humaniſſimum;*
        - *ordinis obſervantiſſimum.*
      - *morbi h. e. peccati agnitione & deteſtatione;*
      - *ingenuâ Chriſti confeſſione;*
      - *ardenti precatione;*
      - *miniſterii veneratione;*
      - *verâ animi humiliatione;*
      - *firmâ fidei retentione.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio remota; audiamus Chriſtum,

- *à Mammonæ ſtudio debortantem; cujus,*
  - *propoſitio eſt: avaritia à piis debet eſſe alieniſſima.*
  - *Propoſitionis ratio* ἐκ τῶν ἐναντίων καὶ ἀδυνάτων: *Nemo poteſt dominis ſimul inſervire duobus.*
  - *Soli à DEO ſerviendum*
    - *reverenter;*
    - *fideliter;*
    - *ſingulariter;*
    - *integraliter;*
    - *unanimiter;*
    - *alacriter;*
    - *ſinceriter;*
    - *ſapienter*
    - *Debemus DEO hoc ſervitium ratione*
      - *creationis;*
      - *poſſeßionis;*
      - *obligationis;*
      - *redemtionis;*
      - *ſanctificationis;*
      - *recompẽſationis.*
- *puſillanimes conſolantem; perpẽdatur ſolatii,*
  - *Propoſitio: Chriſtiani non ſint nimiũ ſoliciti de cibo, potu & veſtitu.*
  - *Confirmatio, probationis argumenta ſumit*
    - ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον; *qui majus dedit, etiam minus dabit;*
    - ἐκ τοῦ παραδείγματος, *exemplô ab aviculis deſumtô:*
    - ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἀχρήστου καὶ ματαίου; *eſt cura pro ſtatura longiori:*
    - ἐκ τοῦ παραδείγματος, *exemplô à floribus petitô. Amplificatur hoc argumentum re:*
      - *collatione minorum;*
      - *adjunctô;*
      - ἐπιφορᾶ.
    - ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, *à turpi gẽtilium more*
    - ἐκ τῶν πρός τι, *ex natura relatorum, h. e. Patris & Filii:*
    - *à ſtulto & ſupervacaneo;*
- *Conſilium fidele ſubminiſtrãtem; cujus notetur,*
  - *mandatum, jubet quærere*
    - *regnum*
    - *juſtitiam DEI; regnum ſc. gratiæ & gloriæ; extimulet nos*
      - *Chriſti mandantis auctoritas:*
      - *promiſſionum veritas:*
      - *rei quærẽdæ pretioſitas:*
      - *pœnæ gravitas:*
      - *temporis opportunitas.*
  - *promiſſum, à fine vel ſpe commodi. Proceſſus benedictionem à DEO impetrandi; fiat*
    - *ſoli DEO ſerviendo:*
    - *à curis vanis abſtinendo: cura datur*
      - *ſalutis ſpiritualis;*
      - *vocationis ſingularis;*
      - *futuri, carnalis;*
      - *ventris, gentilis;*
      - *polypragmonica fatualis.*
    - *nihil diffidendo;*
    - *regnum DEI quærendo.*

Digitized by Google

DISPOSITIO II.

- Duæ ſunt Evangelii partes, monſtrātur enim
  - τὰ φευκτὰ fugienda ſunt duo:
    - πλεονεξία, avaritia diſſuadetur
      - ab impoßibili;
      - à turpi, non decet in utrūq; latus claudicare.
    - μικροψυχία, hanc diſſuadet Chriſtus
      - ex loco comparatorum, à majori ad minus procedendo:
      - à minori ad majus, exemplum avium ad hominem adplicando:
      - ab abſurdo, æquè ſtultum pronunciando, ac ſtaturæ prolongationem:
      - à minori ad majus, exemplum florum accommodando ad veſtitum:
      - ab inhoneſto, contrarium Ethnicorum ſtudium producendo:
      - DEI providentiam urgendo.
  - τὰ πρακτὰ facienda: hic habes
    - ἐπιτροπὴν geminam
      - ad regnum DEI quærendum, cujus notetur
        - locus, regnū DEI eſt ſurſum:
        - tempus, πρῶτον:
        - modus, ἐν τῷ ἐπιζητεῖν.
      - ad juſtitiam DEI ſectandā; intelligitur juſtitia
        - meriti Chriſti imputata:
        - hominis converſi inchoata.
    - κατασκευὴν ab utili, vel ſpe præmii, quod futurum
      - ampliſſimum, omnia;
      - acceptiſſimū adjicientur;
      - convenientiſſimum, vobis.
    - ἐπίλογον, qui continet
      - propoſitionis repetitionem:
      - argumentorum novorū additionem, à
        - ſupervacaneo & moleſto:
        - non neceſſario; ſui cuiq; diei κακία.

DISPOSITIO II.

- Propoſitio μονομερὴς, cauſas explicās impellentes, excutiēdi curam victûs gentilem; talis eſt
  - debita DEO pietas: Illuſtratur ἀντιθέσει; quia Mammon delet
    - omnem verbi divini memoriam;
    - omnem in DEUM fiduciam;
    - omnem erga DEUM obedientiam;
    - omnem erga proximum miſericordiam.
  - vitæ noſtræ melioritas vel dignitas:
  - avium hilaritas:
  - curarum noſtrarum vanitas:
  - liliorum, herbarum & ſtirpium ſpecioſitas:
  - Ethnicis propria impietas:
  - DEI paternitas, vel Patris cœleſtis benignitas:
  - Curæ majoris neceſſitas. Cura alids vana eſt vel
    - inordinata ſeu præpoſtera;
    - ſuperflua;
    - anxia & timida. Vana hæc: Melior & magis neceſſaria eſt cura
      - animæ, requirens
        - regni cœleſtis anhelationem;
        - juſtitiæ ſalvificæ comparationem.
      - vocationis vel officii.

DISPOSITIO I.

In defuncti juvenis Nainici reſuſcitatione conſiderabimus

- *funeris deductionem, in qua obſervetur*
  - *temporis notatio;*
  - *loci determinatio;*
  - *miraculi occaſio;*
  - *comitatûs deſcriptio;*
  - *objecti deſignatio; Juvenis eſt, illuſtratur à*
    - *ſexu;*
    - *numero;*
    - *parentibus;*
    - *adjuncto;*
    - *conſequente vel effectu. Amplif. ἐξηγήσει cauſarum; etiam juvenes mors rapit, propter*
      - *peccati originalis contagium;*
      - *pietatis incitamentum;*
      - *inſigne juventutis emolumentum;*
      - *parentum delictū.*
- *Miraculoſam mortui reſuſcitationem, quam ingreditur*
  - *cauſæ impulſivæ adnotatio, qua duplex,*
    - *mulieris adflictæ viſio;*
    - *intima & q. viſceralis miſeratio.*
  - *matris lugentis filium conſolatio:*
  - *miraculi ipſius operatio: ubi occurrit*
    - *acceſſus;*
    - *attactus;*
    - *modus, verbô;*
    - *effectus; mortuus reviviſcit; ſigna ſunt*
      - *mortui erectio;*
      - *ejuſdem locutio;*
      - *filii excitati reſtitutio.*
- *Effectus cōſervationem in hominibus*
  - *præſentibus,*
    - *admiratio vel ſtupor;*
    - *DEI glorificatio;*
    - *publica de Meſſia exhibito confeſſio;*
    - *gratiarum actio.*
  - *abſentibus, famâ de Chriſto perceptâ longè lateq; miraculum propagantibus.*

Digitized by Google

- **Duo nobis proponimus:**
  - Viduam lugentem; cōſideranda venit
    - perſona lugens eſt in ſtatu
      - gratioſo vel glorioſo, fuit
        - civis oppidi Naim;
        - uxor mariti honorati;
        - mater filii probi.
      - calamitoſo & luctuoſo, quatenus
        - maritô orbatur;
        - filiô ſpoliatur.
    - perſona moriens, quæ deſcribitur à
      - patria;
      - ætate;
      - communi ſorte;
      - adjuncto, filius μονογενής.
  - Chriſtum viduam conſolantem, tùm
    - λόγῳ, noli flere; exterſit hanc vocem
      - benignus adſpectus;
      - interior miſericordiæ adfectus.
    - ἔργῳ; oſtenditur hîc nobis
      - Medicus, adparet is ut
        - opportunus opitulator:
        - fidelis miſerator:
        - dulcis conſolator:
        - mortis perdomitor:
        - vitæ reparator ac ſalutis auctor: quod patet in juvene, cujus reſtitutionē probat
          - mortis fuga;
          - motus;
          - loquela.
      - populus, commendatus ab effectis variis;
        - funus curat;
        - factum miratur;
        - DEUM glorificat;
        - miraculum evulgat.

Digitized by Google

Regimen peſtilentiale: h. e. modo piè ſub tutela Altiſſimi commorãdi, & beatè moriẽdi:

- *Chriſtum in omni vita & actione comitare: Medicus eſt*
  - *experientiſſimus;*
  - *feliciſſimus;*
  - *fideliſſimus; ut invenias,*
    - *verbum audito:*
    - *firmiter credito:*
    - *piè ac decenter vivito:*
    - *crucem patienter ferto.*
- *Mortem tuam ſubinde meditare: Mors eſt*
  - *animæ;*
  - *culpæ;*
  - *corporis;*
  - *æterna.*
- *Ordinem ſectare,*
  - *verè pœnitendo;*
  - *temperanter vivendo;*
  - *fidem conſervando;*
  - *ardenter orando;*
  - *cautè agendo.*
- *Defunctos ne adſpernare: Oſtenditur hîc nobis*
  - *digna piô homine condolentia:*
  - *ſepulturæ honorificentia; eſt μνημόσυνον*
    - *divinæ comminationis;*
    - *futuræ reſurrectionis.*
  - *exſequiarum vel comitatûs frequentia.*
- *Animum triſtem conſolando. Solabitur te Chriſtus,*
  - *tempeſtivè accedendo,*
    - *ante mortem, mala omnia καθ' ἐυδοξίαν avertendo:*
    - *in morte, per beatam ἀνάλυσιν ſtatione te evocando:*
    - *poſt mortem*
      - *oſſa omnia cuſtodiendo:*
      - *animam ſedibus beatorum reponendo.*
  - *benignè adſpiciendo;*
  - *paternè commiſerando:*
  - *humaniter compellando:*
  - *potenter juvando, & cruci, quin morti etiam imperando:*
  - *gaudiô cor tuum exhilarando.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

- *Propoſitio tripartita: continet enim Evangelium*
  - *Inſtitutum in domo Phariſæi convivium, circumſtantialiter deſcriptum; oſtenditur enim*
    - *hoſpes activus;*
    - *locus;*
    - *tempus;*
    - *finis;*
    - *convivæ vel συνέθιοι.*
  - *Divinum ſanati hydropici miraculum, in quo notetur*
    - *objecti deſcriptio; hydropicus:*
    - *de jure ſanationis quæſtio:*
    - *tacita Phariſæorum confeßio:*
    - *ipſa hydropici curatio:*
    - *facti vel miraculi defenſio, ex judicato κατὰ σύγελον.*
  - *Salutare Chriſti præceptum, cujus attendatur*
    - *ἀφορμὴ ſive occaſio;*
    - *ὑπόθεσις ſcopus vel propoſitio;*
    - *propoſitionis ratio ἀπὸ τοῦ*
      - *ἐκβησομένου;*
      - *αἰσχροῦ.*
    - *amplificatio, ab ἀντιθέσει τοῦ πραχοῦ;*
    - *Epiphonematica concluſio θετικὴ; L. C. eſt de humilitate, quæ colenda ob*
      - *mãdantis DEI auctoritatem;*
      - *pœnæ atrocitatem;*
      - *noſtram vilitatem;*
      - *exempli Chriſti aliorumq́ conformitatem;*
      - *noſtram utilitatem.*

DISPOSITIO II.

- Contemplabimur hac vice Chriſtũ
  - Ut accerrimum ſanati hydropici & ſabbati propugnatorem: ubi conſideretur
    - Chriſti ad convivium acceſſio;
    - malitioſa Phariſaeorum obſervatio;
    - fraudulenta hydropici productio;
    - artificioſa hoſtium deluſio, quam praeſtat Chriſtus
      - quaeſtionem de curatione Sabbatica proponendo:
      - quaeſtionem propoſitã realiter ſolvẽdo:
      - apologiam facti ſubjungendo:
      - obſervatores ſuos cõfundendo.
  - Ut graviſſimum humilitatis Doctorem: Propoſitio eſt duplex:
    - dehortatoria, cujus ratio
      - ab eventu;
      - à turpi.
    - adhortatoria ἀντιθετικὴ, cujus ratio eſt ab
      - honeſto:
      - γνώμῃ proverbiali.

DISPOSITIO III.

- in convivii Phariſaici viſitatione: Pii abhorrent à conviviis
  - vitioſis;
  - convitioſis;
  - rixoſis;
  - ſeditioſis;
  - inſidioſis;
  - invidioſis. Commendantur honeſta, in quibus ſpectatur
    - honeſta animi recreatio;
    - amicitiae bona plantatio.
- in voluntaria fraudis & inſidiarum perpeſſione:
- in benigna hominis miſeri (hydropici) ſuſceptione. Peccati cum hydrope collatio conſiſtit in
  - voluntaria acquiſitione:
  - totali corruptione:
  - ſitis augmentatione:
  - impoſſibilis curatione:
  - mortis acceleratione.
- In promta & miraculoſa hydropis curatione.

- *Imitanda & addiſcenda nobis exponitur, ut exemplum Chriſti manſuetudo ac humilitas, conſpicua & manifeſtata*
  - *In modeſta operis excuſatione: ubi L. C. de ſabbato ejusq; ſanctificatione. Conſideretur autem*
    - τὸ ἔτυμον ex S. lingua petendum: שַׁבָּת eſt quies.
    - τὸ ὁμώνυμον; eſt quintuplex;
      - creationis;
      - Moſaicæ inſtitutionis; Ceremoniale:
      - redemtionis;
      - renovationis;
      - conſummationis.
    - τὸ πρᾶκτον, ſanctificatio ſabbathi eſt gemina:
      - externa, & conſiſtit in
        - cōgreſſuum publicorum frequentatione:
        - purâ verbi prædicatione:
        - attentâ ejusdem auſcultatione:
        - legitimâ Sacramentorum diſpenſatione:
        - publicâ invocatione:
        - eleemoſynarum erogatione.
      - interna & fit
        - ab operibus carnis ceſſando:
        - animam in DEO quietādo:
        - beneficia DEI meditādo:
        - at. ſabbatum deſiderādo.
    - τὸ ἐναντίον: Violatur Sabbatum
      - verbi divini neglectione;
      - operum ſervilium tractatione;
      - peccatorum perpetratione;
      - ebrietate & comeſſatione.
      - Illuſtratur ἀντιθέσει; non violatur
        - operibus caritatis;
        - caſu neceſſitatis.
    - τὸ αἴτιον κινητικὸν, ſuadeat ſanctificationem
      - præcepti divini auctoritas;
      - æquitas;
      - neceſſitas;
      - utilitas;
      - promiſſionis largitas;
      - comminationū ſeveritas;
      - exemplorum claritas.
  - *In amica convivarum inſtitutione, quâ diſſuadet ſuperbiam, urgens humilitatem.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio [illegible]: Agitur in Evangelio de

- *Legis divinæ integritate: occurrunt tria:*
  - *circumſtantiarum notatio, h. e.*
    - *cauſæ principales vel agentes;*
    - *tempus;*
    - *modus; convenerunt* ἐπὶ τὸ αὐτό; ζητὸς, νομικός;
    - ὄργανον, *cauſa inſtrumentalis,* εἷς ἐξ αὐτῶν, γραμματεύς;
    - *cauſa finalis vel ſcopus, qui* πειραστικός.
  - *à Phariſæis propoſita quæſtio, habens*
    - προσφώνησιν;
    - ζήτησιν;
    - σύγκρισιν.
  - *nervoſa quæſtionis ſolutio, continens*
    - *mandati maximi recitationem h. e.*
      - πρότασιν, *ſive* τὸ ὅτι:
        - τὸ διότι, *eſt Dominus & DEUS tuus:*
      - κατασκευήν, *quæ declarat*
        - τὸ πῶς, *modum diligendi.*
    - *mandati ſecundi adjectionem, in quo ſimiliter eſt*
      - πρότασις, τὸ ὅτι *oſtendens:*
      - κατασκευή
        - τὸ πῶς *demonſtrans: ſicut, reſpicit*
          - *finem;* / *formã;* / *materiam* — *dilectionis.*
    - *utriusq; mandati commendationem à*
      - *ſimilitudine, ratione*
        - *auctoris;*
        - *ſententia decretoria;*
        - *obligationis;*
        - *modi.*
      - *magnitudine; Marc. 12, 31.*
      - *amplitudine; tota lex.*
- *Evangelii dignitate, ubi notantur*
  - *circumſtantiæ ſcil.*
    - ἀφορμὴ *quæſtionis movendæ;*
    - *cauſa efficiens;*
    - *objectum;*
    - *locus.*
  - *materia colloquii, vel ipſa quæſtio; eſt de Chriſto:*
  - *Phariſæorum ad quæſtionem propoſitam reſponſio:*
  - *reſponſionis Phariſaicæ oppugnatio:*
  - *utriusq; diſputationis eventus.*
- *Meſſiæ regniq; Meſſiani Majeſtate; oſtendit*
  - *collatorem, qui Jehovah:*
  - *vaſallum, vel perſonam inauguratam, qui Adonai*
  - *formalia collationis ex Pſal. 110, 1.*

Digitized by Google

Propoſitio διμερὴς, propter duo principaliora capita, quorum agit

- I. de legis divinæ tenore & vigore; ubi attendenda
  - occaſio, quam præbuerunt Sadducæi, partis adverſæ conſultatio:
    - reſurrectionem negantes;
    - animæ mortalitatem ſtatuentes;
    - vitæ æt. præmia damnatorumque pœnas inficiantes;
    - Angelos nullos credentes.
  - ipſa diſputatio, in qua notetur,
    - quis opponens: Amplif.
      - fine oppoſitionis;
      - modo, in ſpecie εὐνοϊκῶ; huc ſpectat
        - προσφώνησις;
        - προβασις, quæſtio.
    - quis reſpondens; Chriſtus, cujus reſponſio ponit mandatum
      - maximum, propter
        - objecti ſublimitatem;
        - debiti vel obligationis neceſſitatem;
        - difficultatem;
        - materiæ dignitatem;
        - ordinis naturalis habilitatem;
        - capacitatem;
        - finis nobilitatem;
        - perpetuitatem.
      - maximo proximum dicitur ſecundum,
        - ordine dignitatis;
        - ordine naturæ;
        - quantitate.
      - ſimile primo, vocatur ob
        - cauſæ effic. & materiæ identitatem;
        - amoris qualitatem ſeu ſinceritatem;
        - univerſalitatem, tum capacitatem;
          - obligationis;
          - maledictionis;
        - durabilitatem;
        - neceſſitatem;
        - difficultatem;
        - cohæſionis firmitatem.
  - utriuſque mandati exaggeratio.
- II. de Evangelii honore & decore, in quo obſervetur
  - ipſe actus ſeu conflictus, in quo ἀξιόσκεπτος eſt
    - à Chriſto mota quæſtio:
    - quæſtionis ſolutio, quæ partialis ob
      - Scripturæ ignorantiam;
      - animi maligni pervicaciam.
    - Chriſti ex Pſ. 110, 1. replicatio.
  - effectus ſive exitus conflictus, hoſtium confuſio.

- *Thema, de vera ſalùtis via, in qua tenenda*
  - *carnis rationisq́; refrenatio, quam negligentes Sadducæi errabant de*
    - *mortuorum reſurrectione, quam probat Chriſtus ex*
      - *Scripturæ ſententia;*
      - *DEI omnipotentia.*
    - *vitæ æternæ cōditione; quia beati futuri ſunt ἰσάγγελοι*
      - *Non*
      - *quoad corporum in ſpiritus mutationem;*
      - *ſed*
      - *quoad corporū glorificationem:*
      - *quoad perfectam DEI cognitionem:*
      - *quoad noſtram cum Angelis conſociationem.*
  - *rectæ Scripturas interpretādi ratio, ſecundum*
    - *Legem, cujus notetur*
      - *ſumma integritas & maxima hominum imbecillitas:*
      - *maxima utilitas: Lex enim data eſt, ut*
        - *ex lege peccata agnoſcamus:*
        - *ſit pædagogus noſter ad Chriſtum:*
        - *renatis verū monſtret DEI cultum, qui conſiſtit in dilectione*
          - *DEI & proximi.*
    - *Evangelium, quod oſtendit*
      - *perſonæ Chriſti majeſtatem & unitatem:*
      - *officii Chriſti dignitatem.*

DISPOSITIO I.

Evangelium præſens complectitur tria:

- τὰ περιστατικὰ, quibus fit ad miraculum acceſſus; h.e.
  - temporis ſignificatio:
  - loci notatio; ἰδία πόλις: Amplif. ἐξηγήσει, civitates Chriſti ſunt
    - verbum recipientes & audientes:
    - Chriſtum hoſpitiò excipientes & diligentes:
    - Chriſto benè cupiẽtes & facientes:
    - pœnitentes:
    - credentes:
    - mutuo ſe diligentes.
  - paralytici adportatio.
- τὰ πραχθέντα, h.e. ipſum factum, cujus adſignatur
  - cauſa in Chriſto προηγουμένη, benignus adſpectus:
  - cauſa προκαταρκτική, fides:
  - Effectus, ſeu factum ipſum; ſanat
    - non acriter objurgando; ſed
    - animum addendo, θάρσει;
    - peccata remittendo.
- τὰ ἐκβάντα, h. e. judicium de miraculo
  - pravum, in quo deprehẽditur
    - mala de Chriſto operibusq́ ejus cogitatio;
    - frivola ejusdem accuſatio & cõdemnatio;
    - Chriſti depulſio & defenſio, quá DEUM ſe probat ex
      - καρδιογνωσία;
      - curandi ἐξουσία;
      - ipſa αὐτοψία.
    - Effectûs conſecutio, in paralytico, qui
      - ultrò ſeſe erigit;
      - ſine ullius auxilio ſurgit;
      - ambulat;
      - lectum colligit & deportat
  - rectum, quod continet
    - populi ſtuporem & admirationem:
    - DEI glorificationem:
    - utriusq́ rationem.

Digitized by Google

- *In Evangelio cōſiderabimus*
  - *perſonas, quales ſunt,*
    - *bajuli, in quorum cōſideratione notatur,*
      - *Chriſti è finibus Gergeſenorum expulſio:*
      - *ſecunda Chriſti navigatio, cujus additur terminus*
        - *à quo;*
        - *per quem;*
        - *ad quem.*
      - *paralytici ad pedes Chriſti oblatio, projectio.*
    - *Homo ægrotus, laborans* παραλύσει.
    - *Medicus, animū habens juvandi cupidum quod patet ex*
      - *benevola inſpectione;*
      - *humana compellatione;*
      - *gratuita peccatorū remiſſione, quæ fundamenti locó habet*
        - *certum & infallibile DEI verbū:*
        - *ſanctum DEI juramentum:*
        - *ſolidum DEI pactum & teſtamētum:*
        - *precioſiſſimum Chriſti meritum: ac ejusdem ſacerdotium:*
        - *geminum verbo adpenſum ſigillum:*
        - *omnium converſorum exemplū.*
  - *res, quas continent*
    - *miraculum, fit verbō*
      - *abſolutionis;*
      - *ſanationis.*
    - *judicium de miraculo fertur*
      - *malè, à Scribis, quibꝰ divinitatem probat*
        - *juſtâ cordium perſcrutatione;*
        - *miraculoſa ſanatione;*
        - *experimentali exſecutione.*
      - *benè, à populo, qui*
        - *ob miraculum obſtupeſcit:*
        - *ob remiſſionem peccatorū DEO gratias agit.*

DISPOSITIO III.

Propoſitio μονομερῶς. de methodo medendi, ut corpus & anima rectè habeat. Si n. laborat

- corpus,
  - de noſtra miſeria ſeriò eſt cogitandum: Monet hac regula
    - de pœnitentia maturanda:
    - de præparatione ad mortem tempeſtivè inſtituenda,
      - non
        - animum non abjiciendo:
        - plorando & ejulando:
        - mortem flocci faciendo:
        - mortuos invocando:
      - ſed
        - DEO & proximo reconciliando:
        - medicis legitimis utendo.
  - crucis onus patienter ferendum:
  - ad Chriſtum unicū ſalutis fontem recurrendum:
  - verâ cordis fiduciâ ipſi ſoli adhærēdum. Fides autem ſit
    - in corde radicata;
    - operibus ornata, declarata;
    - in anguſtiis probata.
- anima; huic fac medicinam
  - ſuggeſtionibus ſatanæ reluctando:
  - rationem captivando:
  - in terra remiſſionem peccatorum maturè quærendo:
  - Chriſtum ſolum Mediatorem agnoſcendo:
  - gratitudini ſtudendo:
  - de lecto peccatorum ſurgendo.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS, Matth. 22, 1. 15.

DISPOSITIO I.

Partes Evangelii 2.

- Summam Regis in parādis nuptiis induſtriam, in ho-
  - Judæorum, in qua occurrit,
    - vocantis Majeſtas;
    - Sponſi ſublimitas;
    - nuptiarum ſolemnitas, quæ
      - perſonales;
      - ſpirituales;
    - Sponſæ venuſtas:
    - convivii nuptialis ubertas:
    - proxenetarum vel invitantium auctoritas:
    - vocandorū dignitas:
    - vocationis ſeveritas, quæ probatur ex
      - ſervorum emiſſione;
      - vocationis repetitione;
      - ſpeciali inſtructione cujus
        - propoſitio,
        - confirmatio à
          - præcipientis potentia;
          - cōvivii eminentia;
          - neceſſitatis evidentia;
          - rerū omnium ſufficientia.

†

✝ conſiſtimus tres:

- ✝ minum invitatione, quæ duplex:
  - gentium, in qua notantur tria:
    - vocationis occaſio;
    - mandati ſervis dati conditio; quia extẽditur ad univerſum hominum genus, idq́ inde patet, quia
      - ſervi mittuntur ad exitûs viarum;
      - jubentur invitare quoscũq; inveniunt;
      - inveniunt bonos & malos.
    - effectûs conſecutio; nuptiarum impletio, conſummatio.
- ſummam invitatorum in ſpernendis nuptiis ἀχαριστίαν & malitiam, in malevola adfectione. Defectûs notantur ex parte tùm
  - Judaeorum, ubi dantur
    - nolentes;
    - negligentes;
    - perſequentes, tripliciter
      - capiendo;
      - contumeliis adficiendo;
      - occidendo.
  - gentilium, ubi bonis mali permixti. Incidit
    - convivarum luſtratio:
    - defectus deprehenſio vel animadverſio, quoad veſtem nuptialem.
- ſummam Regis in ultione iracundiam; in ſevera punitione. Pœna autem eſt gemina:
  - temporalis,
    - ingratitudinis ac contemtûs relatio:
    - juſta Regis ad iram commotio:
    - exercituum immiſſio:
    - civitatis malignæ exuſtio.
  - æterna: Huc facit quòd Rex
    - αὐτοπροσώπως examinat:
    - duriter increpat:
    - confundit & obmuteſcere facit:
    - pœnam denunciat, quæ quadruplex:
      - ligatio; notatur
        - damnatorũ captivitas:
        - tormentorũ æternitas:
        - dolorum acerbitas:
        - operandi inhabilitas:
        - damnatorum ſocietas.
      - ex convivio nuptiali ejectio:
      - in tenebras propulſio:
      - fletûs & ſtridoris irrogatio:
        - flebunt ob
          - dolorum vehemẽtiam;
          - conſolationis carentiam;
          - fumi copiam;
          - æternitatis memoriam;
        - ſtridebunt ob
          - frigoris ſævitiam;
          - horroris truculentiam;
          - pœnarum moleſtiam;
          - invidiam;
          - impatientiam.

Concluſio eſt Evangelii ἐπιφωνηματικὴ, κατ' ἐπιφορὰν.

- Propoſitio δυνάμει: agitur hic
  - de multitudine vocatorū, cujus
    - Propoſitio eſt: Multi ſunt vocati.
    - Confirmatio, à diſtributione generis in ſpecies, h. e. Judæos & gentes: vocatio utriusque partis probatur
      - παραβολικῶς; ubi ſequētia membra:
        - regni cælorum adſimulatio:
        - Regis intentio:
        - Sponſi vel Filii regii contemplatio:
        - nuptiarum adornatio:
        - invitatorum per ſervos vocatio:
        - ſimplex recuſatio:
        - invitationis per alios ſervos iteratio:
        - invitationis deſcriptio, in qua datur
          - propoſitio, venite;
          - ratio ab adjuncto:
        - invitatorū mala actio, peccāt
          - nuptias negligendo:
          - aliena praferendo;
          - ſervos iniquè tractando.
        - Regis de contemtu & illata injuria cōqueſtio:
        - novi edicti promulgatio, de vocandis aliis mandati exſecutio.
      - ἐκθετικῶς, per ſingulorū membrorum expoſitionem:
        - regnum cælorum eſt ſtatus Ecclesiæ;
        - Rex eſt Pater cæleſtis:
        - Sponſus, Filius DEI:
        - Nuptiæ, vel Incarnatio, vel myſtica conjunctio:
        - Invitati ſunt Judæi, primariò vocati:
        - Judæis venire recuſantibus, ad gentes mittuntur ſervi:
        - Altilia, Jeſus Chriſtus cum beneficiis:
        - Judæi malè adfecti:
        - Gentibus patefit aditus ad nuptias:
        - Servi h. e. Apoſtoli emiſſi:
        - Boni mali admixti.
  - de paucitate Electorū, ubi tria:
    - Propoſitio: pauci ſunt electi.
    - Confirmatio progreditur
      - καθ᾽ ἄρσιν, non
        - ex Regis invidia:
        - ex adparatûs inopia:
        - ex ſervorū incuria.
      - καὶ κατὰ θέσιν; ſed ex propria hominum malitia: dantur n.
        - manifeſti vocationis oſores:
        - inhoneſti gratiæ contemtores:
        - …ieſtis mundanorum curatores;
        - ſceleſti ſervorum perſecutores:
        - odioſi ſimulatores:
    - Illatio: Ergò DEUS ſeriò vult omnes venire; quod probat pœna quadruplex;
      - iræ divinæ acceſſio;
      - exercitûs immiſſio;
      - totalis abjectio;
      - ignis infernalis adjudicatio.

Propoſitio [illegible] *de Eccleſia, quæ cõſideratur ratione*

- *Collectionis, ad quam con[c]urrunt perſonæ quadruplices:*
  - *Patris æterni clementia, quæ elucet ex*
    - *Filii deſponſatione:*
    - *rerum omniũ præparatione,*
      - *ab æterno nos eligendo;*
      - *Filium mittendo:*
      - *ἀπολύτρωσιν deſtinando;*
      - *verbum prædicari faciendo;*
      - *regnum nobis parando.*
    - *ſervorum ablegatione:*
    - *toties iterata vocatione.*
  - *Filii miſericordia; qui ſponſam ſibi imparem eligit, & in eam confert,*
    - *amoris ſinceritatem:*
    - *bonorum communitatem:*
    - *defenſionem & ab hoſtibus immunitatem:*
    - *ἐπιείκειαν ſive æquitatem:*
    - *fidelitatem*
      - *de nõ deſerendo;*
      - *de victu & aliis proſpiciendo:*
    - *honorem & dignitatem:*
    - *gaudii perpetuitatem.*
  - *Miniſtrorũ induſtria, in quibus requiritur*
    - *legitima vocatio;*
    - *juſta inſtructio;*
    - *fidei & conſtantiæ declaratio.*
  - *Invitatorum differentia. Vide præced. diſp.*
- *Gubernationis: regit & procurat Eccleſiam ſuam DEUS*
  - *nutriendo,*
    - *ſpiritualiter;*
    - *ſacramentaliter;*
    - *corporaliter.*
  - *veſtiendo;*
  - *examinando. Examen eſt triplex:*
    - *crucis;*
    - *cribrationis;*
    - *mortis.*
- *Conſummationis, & conſiſtit in*
  - *infidelium condemnatione, quos manent pœnæ*
    - *temporales:*
    - *ſpirituales*
      - *iræ divinæ inflammatio:*
      - *à nuptiis excluſio & ſequeſtratio:*
      - *æterna cõdemnatio.*
  - *fidelium glorificatione.*

DISPOSITIO I.

Propoſitio διμερὴς: Evangelium enim ob oculos ſtatuit

- *Regulum pro ſalute filii ſolicitantem; hic conſideranda venit*
  - *perſonæ conditio; conſideratur Regulus ut*
    - *Magiſtratus politicus;*
    - *pater φιλόστοργος;*
    - *paterfamiliâs bonus.*
  - *cauſarum adſignatio, quarum*
    - *una προκαταρκτικὴ, filii ἀσθένεια;*
    - *altera προηγουμένη, fama de Chriſti adventu*
  - *Factorũ notatio, quæ ſunt partim*
    - *ἐπαινετὰ,*
      - *Chriſti verè Medici compellatio;*
      - *vera animi humiliatio;*
      - *paterna pro filio ægro interceßio;*
      - *interceßionis repetitio;*
      - *fidei corroboratio;*
      - *familiæ inſtructio.*
    - *ψεκτὰ*
      - *tardior acceſſus;*
      - *orationis defectus, quẽ prodit*
        - *corporalem Chriſti præſentiam petendo & urgendo;*
        - *tempus auxilii determinando.*
- *Chriſtum Medicum, filium Reguli ſanantem: occurrit*
  - *Reguli objurgatio:*
  - *miraculoſa ſanatio, unicô verbô perfecta.*
- *Famulos Reguli, miraculum annunciantes: Hi*
  - *veniunt in occurſum Domini:*
  - *congratulantur hero ſuo:*
  - *credunt: fidei cauſa inſtrumentalis eſt*
    - *diligens Reguli percontatio:*
    - *fidelis heri inſtitutio.*

DISPOSITIO II.

Propoſitio διαιρὴς: Conſideratur n. Regulus,

- *in ſtatu diſcentium. Nota virtutes boni diſcipuli;*
  - *audire; hic Chriſti diſcipulus audit & deſcribitur ab*
    - *officio;*
    - *infortunio:*
    - *adjuncto ſtudio.*
  - *Scholam frequentare & præceptori adhærere:*
  - *Correptionem patienter ferre. Objurgatur, quia*
    - *præſentiam rogat;*
    - *tardiùs acceſſit;*
    - *in Galilæa demum occurrit.*
- *in ſtatu proficientium; hic fuit*
  - *credulus ſeu fidelis;*
  - *obſequens;*
  - *ſedulus & induſtrius: diſcipuli eſt repetere, quod facit Regulus*
    - *ſervos interrogando:*
    - *domeſticos informãdo.*
  - *manſuetus: Crucianorum piorum eſt,*
    - *Chriſto auſcultare diligenter:*
    - *orare ardenter:*
    - *crucem ferre patienter.*
  - *doctus, h. e. brevi multùm proficiens; quod continget,*
    - *infirmitatem candidè agnoſcendo:*
    - *Chriſtum ſponte accedendo:*
    - *verbo ejus pie credendo:*
    - *bene monenti promtè obediendo:*
    - *audita ſæpè repetendo, aliisq; largè communicando.*

DISPOSITIO III.

Thema: de ratione in Schola crucis bene verſandi & proficiendi. Obſervetur Schola

- *ingreſſus; in quo requiritur*
  - *Chriſti inveſtigatio:*
  - *fidei inflammatio.*
- *progreſſus, ad quem ſpectat*
  - *precum perſeverantia:*
  - *divinæ moræ moriisq; tolerantia:*
  - *præſentiæ Chriſti intelligentia:*
  - *in correptionibus patientia.*
- *egreſſus, conſiſtens in gratitudine, quam declarat*
  - *credendo;*
  - *in beneficia DEI inquirendo; Regulus hinc colligit*
    - *operis inſolentiam;*
    - *temporis convenientiam.*
  - *DEUM celebrando & alios inſtituendo.*

DISPOSITIO I.

Tractationem Evangelii dividimus in tres partes:

- *Actionem Domini cũ ſervo. Attendatur*
  - *Dominus, Rex qui introducitur, ut*
    - *rationem accepti & expenſi repoſcens:*
    - *debitum indicibile in ſervo deprehendens:*
    - *debiti ſolutionem urgens:*
    - *modum ſolutionis præſcribens.*
  - *Servus adparet*
    - *debitum non negans, ſed agnoſcens:*
    - *coram creditore ſuo ſe dejiciens:*
    - *Dominum adorans:*
    - *dilationem petens & ſolutionem promittens:*
    - *miſericordiam impetrans. Declaratur effectu duplici:*
      - *à pœna abſolutione;*
      - *æris alieni remiſſione. Illuſtratur ἐκθέσει parabolæ, quam vide in meditationibus Evangelicis.*
- *Actionem ſervi cum conſervo, in quâ occurrit*
  - *ſervi à Domino egreſſio:*
  - *debitoris inventio:*
  - *ſtrictiſſima cum conſervo actio; dum*
    - *duriter compellat;*
    - *manum injicit;*
    - *deprecantem non audit, ſed ſpernit;*
    - *in carcerem conjicit;*
    - *non niſi ſolutione factâ dimittere cupit.*
  - *ſervi iſtius delatio:*
  - *ſevera ejusdem citatio:*
  - *graviſſima illius accuſatio, conſtans*
    - *exordiô ἀνενδιστικῷ:*
    - *narratione beneficiorum exhibitorum:*
    - *exprobratione τῶν παραλειφθέντων.*
  - *atrociſſima ſervi nequam punitio:*
    - *Dominus ei iraſcitur;*
    - *tortoribus traditur;*
    - *ſpes liberationis ei præciditur. ἔκθεσιν parabolæ vide d. l.*
- *Epiphonematicam concluſionem; h. e. parabolæ adplicationem, ad mutuam ſuadendam reconciliationem.*
  - *Quis remittere offenſas debeat? ἕκαστος:*
  - *Cui? fratri ſuo:*
  - *Quid? παραπτώματα:*
  - *Quomodo fieri debeat reconciliatio? ἀπὸ τῶν καρδιῶν:*
  - *Cur? Movent omnes Chriſtianos*
    - *ipſius DEI mandatum ſingulare:*
    - *DEI exemplum peculiare:*
    - *DEI promiſſum generale:*
    - *Cognationis officium laudabile:*
    - *Debitum proprium inæſtimabile:*
    - *Fratris ſuſpirium intolerabile:*
    - *ſupplicium ſubſecuturũ inceſſabile.*

Digitized by Google

DISPOSITIO II.

- *Evangeliũ præſens agit de duobus:*
  - *de reconciliatione hominis cũ DEO, in quo notetur,*
    - *parabolæ accaſio, ex Petri interrogatione profluens:*
    - *parabolæ propoſitio & expoſitio, ubi ſpectetur*
      - *Regis propoſitum;*
      - *indicibile ſervi debitum;*
      - *ſervo ſubminiſtratũ conſilium;*
      - *extremum ſervi refugium, quod quærit in*
        - *humiliando;*
        - *culpam deprecando:*
      - *gratuitum Regis beneficium, cujus*
        - *cauſa impellens, miſericordia;*
        - *effectus, abſolutio.*
  - *de reconciliatione cum proximo. Servus ſe præbet*
    - *ſummè ingratum:*
    - *ſummè inhumanũ:*
      - *cauſa impellens, debitum vile:*
      - *modus tractationis; crudeliter agit & malè.*
        - *conſervũ comprehendendo;*
        - *ſuffocando;*
        - *rigidè debitum exigẽdo;*
        - *ſupplicantem non audiendo;*
        - *ſolvendi ſpacium nõ concedendo;*
        - *in carcerem conjiciendo.*
      - *eventus rei, quia*
        - *factum ad Dominum defertur:*
        - *ſervus citatur: ſic DEUS nos citat*
          - *cõciones legales acuendo;*
          - *ſigna iræ oſtendendo;*
          - *conſcientias terrendo;*
          - *adflictiones immittẽdo;*
          - *è ſtatione evocando;*
          - *judicio extremo ſiſtendo.*
        - *graviſſimè punitur, concitavit*
          - *Regis iram;*
          - *propriam infamiam;*
          - *duram ſententiam.*

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Propoſitio μονομερὴς, de modo remiſſionem peccatorũ impetrandi, gratiam conſervandi, & in ea apud DEUM perſiſtendi:

- debitum agnoſcendo & deplorando:
- propriam inopiam explorando:
- miſericordiam DEI adpellando, deliƈtorumq́; veniam precando; is remittit
  - miſericorditer;
  - univerſaliter;
  - totaliter.
- errata proximo libenter & ex animo condonando: Conſidera
  - debiti vilitatem;
  - conditionis paritatem;
  - ſcandali fœditatem;
  - accuſationis ſeveritatem;
  - Regis cœleſtis benignitatem;
  - pœnæ atrocitatem.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS, Matth. 22, 15. 23.

DISPOSITIO I.

Proponit Evan- †

- captioſã Phariſæorum quæſtionem; in qua notetur
  - circumſtantiarum enodatio; cujusmodi ſunt,
    - adjunƈtum temporis;
    - cauſa efficiens, vel auƈtores conſilii;
    - modus procedendi, συμβȣ́λιον ἔλαβον;
    - cauſa finalis eſt, παγιδεύειν;
    - συνεργία, diſcipuli Phariſæorũ cum Herodianis.
  - legatorum oratio, cõſtans
    - exordiõ κολακευτικῷ; tribuunt Chriſto
      - Φιλαλήθειαν;
      - ὀρθοδοξίαν;
      - παῤῥησίαν;
      - ἀπροσωποληψίαν.
    - propoſitione, quæ habet quæſtionem de cenſu
      - maximè controverſam;
      - captioſam;
      - periculoſam;
      - ponderoſam;
      - inſidioſam.
- artificioſam & expeditam Chriſti reſpõſionem, quam ingreditur,
  - perſonæ Chriſti ex καρδιογνωσίᾳ demonſtratio:
  - gravis hoſtium increpatio; reprehendit in eis
    - πονηρίαν;
    - ὑπόκρισιν;
    - finem vel ſcopum.
  - ad ſolutionem quæſtionis præparatio, quâ
    - petit ſibi monſtrari numiſma cenſûs:
    - quærit de inſcriptione.
  - Domini JESU illatio, h. e. quæſtionis ſolutio.

† gelium tria:

- necessariam de Magiſtratu politico inſtructionem; ubi habetur
  - Magiſtratus politici confirmatio, in Chriſti deciſiva, quâ oſtenditur,
    - cui dandum tributum?
    - quid dandum? τὰ τοῦ Καίσαρος.
    - quomodo dandum?
      - per redditionem;
      - cum certa determinatione, ne DEO quid decedat.
  - τῶν ἐκβάντων annotatio; ubi occurrit
    - adverſariorum admiratio: mirantur
      - hypocriſeως occultæ revelationem:
      - reſpõſionis expeditæ rationem:
      - propriæ confeſſionis contra ſeipſos detorſionem.
    - turpiſſima Phariſæorum confuſio:
    - major hoſtium induratio.

DISPOSITIO II.

- Propoſitio διμερὴς; continet enim Evangelium
  - Vafrũm Phariſæorũ adverſus Chriſtum conſilium: tractatur πειραστικῶς;
    - Quis contra Chriſtum inſurrexerit & conſpirârit?
    - Quid machinati fuerint?
    - Quomodo negotium tractârint? nim.
      - tectè Herodianos diſcipulis ſuis adſociando:
      - aſtutè candorem ſimulando: commendatur Chriſtus à
        - veritate;
        - profeſſionis dignitate;
        - integritate.
      - captioſè de cenſu interrogando. Studet Chriſtum παγιδεύειν
        - πανουργίᾳ, verſutiâ;
        - verborum blanditiis;
        - cornutô Syllogiſmô.
  - Mirum Chriſti effugium: elabitur ille,
    - malitiâ fraudisque animadverſæ detectione:
    - juſtâ hoſtium reprehenſione:
    - numiſmatis inquiſitione ac productione:
    - propriâ ipſorum confeſſione:
    - ſapientiſſimâ deciſione:
    - turpi hoſtium confuſione.

- *Thema, de duplici ſapientia,*
  - *Mundi ſive carnis, quæ in Pharisæis ſe exſerit,*
    - *malignâ conſpiratione;*
    - *hypocriticâ prætextûs politici prætenſione:*
    - *blandâ & dulci, ſed falsâ oratione.*
  - *Chriſti, vel ſpiritûs, conſiſtitq; in*
    - *vera ejuſdẽ (Chriſti) agnitione:*
    - *debita DEI veneratione;*
      - *verbum audiendo;*
      - *piè vitam inſtituendo.*
    - *neceſſaria Magiſtratûs obſervatione. Amplif. ἐκθέσει doctrinæ, de officio Magiſtratûs & ſubditorum.*
      - *Magiſtratus requirit viros*
        - *DEUM ſincerè timentes:*
        - *fervidè orantes:*
        - *verè miniſterium amantes:*
        - *paternè ſubditos curãtes:*
        - *cordatè juſtitiæ ſtudẽtes:*
        - *ſtudioſè avaritiam fugientes;*
        - *purè veritatem colentes:*
        - *extremò δωροφαγίαν deteſtantes:*
        - *adſiduè humilitatem ſectantes.*
      - *Subditi debent Magiſtratui ſuo cẽſum*
        - *honoris;*
        - *dilectionis;*
        - *precationis;*
        - *obſecutionis;*
        - *contributionis.*

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Tria ex Evangelio conſiderabimus:

- *Jairi petitionem, in qua notatu digna,*
  - *attentionis nota;*
  - *temporis circumſtantia;*
  - *perſonæ eminentia; deſcribitur ratione*
    - *nominis; Marc. 5, 22. Luc. 8, 41.*
    - *officii; vocatur*
      - *ἄρχων:*
      - *εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων.*
  - *firmâ in Chriſtum fiduciâ; hanc declarat*
    - *ipsô factô:*
    - *geſtu:*
    - *verbô; oratio conſtat*
      - *exordiô εὐνοητικῷ:*
      - *propoſitione δεητικῇ:*
      - *confirmatione κινητικῇ à*
        - *cauſa προηγουμένη:*
        - *rei neceſſitate, ut cauſa προκαταρκτικῇ:*
        - *cauſa finali.*
- *Mulieris hæmorrhouſæ ſanationem, quam incurrit*
  - *attentionis exſuſcitatio;*
  - *miſera mulieris conditio:*
  - *morbi exaggeratio, à*
    - *temporis diuturnitate;*
    - *medicinæ vanitate;*
    - *nimia puſillanimitate.*
  - *fimbriæ adprehenſio:*
  - *fidei plenitudo, certitudo & patefactio:*
  - *benigna Chriſti erga mulierem adfectio; oratio Chriſti habet*
    - *conſolationem;*
    - *filiationem;*
    - *cauſam vel mediũ ſanationis, fidem.*
- *Defunctæ filiæ reſuſcitationem, quæ exhibet*
  - *Chriſti φιλανθρωπίαν, ſtatim ſe exorari patitur:*
  - *ipſam θαυματουργίαν, in qua occurrunt*
    - *προηγούμενα*
      - *funebris adparatus; adſunt*
        - *αὐληταί;*
        - *ὄχλος θορυβούμενος.*
      - *Chriſti de tumultu judiciũ:*
      - *turbæ præjudicium.*
    - *τὰ προσεχῆ ἢ ἅμα ὄντα: Chriſtus*
      - *ingreditur cubiculum:*
      - *adhibet parentes:*
      - *accedens puellam adprehendit:*
      - *defunctam inclamat:*
      - *ſolô attactu & voce reſuſcitat.*
    - *τὰ ἑπόμενα.*
      - *puella ſurgit;*
      - *cibum ei dari jubet;*
      - *parentibus ſilentium imponit;*
      - *fama ſpargit & evulgat.*

Digitized by Google

- *Propoſitio* ἁμερής. *Inducit Evangeliſtam Chriſtum,*
  - *à profluvio ſanguinis mulierẽ liberantem; ubi reſpiciẽdum ad*
    - *mulierem ægrotantem, in qua conſpicitur*
      - *morbi magnitudo;*
      - *fidei certitudo;*
      - ἀξιόσκεπτος *eſt*
        - *fidei exſuſcitatio, ex auditu:*
        - *conſiliorum inſtitutio, ſeu fidei ab extra operatio:*
        - *conſilii exſecutio, quam tentat*
          - *retrò accedendo;*
          - *tangẽdo.*
    - *Medicum curãtem, qui ſuam prodit* προθυμίαν
      - *adflictam ſe convertendo:*
      - *humaniter ipſam alloquendo, dum*
        - *filiam adpellat;*
        - *bonô animô eſſe jubet;*
        - *fidei ſanitatem & ſalutem tranſſcribit;*
        - *ſanitatem promittit & confert.*
  - *defunctam Jairi filiam à morte reſuſcitantem. Attende*
    - *temporũ notationem:*
    - *ſupplicantis deſcriptionem:*
    - *cauſæ impulſivæ ſignificationem. Amplific.*
      - *adjunctô humilitatis:*
      - ἐνθέσει τῶν λεχθέντων, *ubi*
        - *compellatio honorifica;*
        - *miſeriæ enarratio tragica;*
        - *auxilii imploratio modificata.*
      - *ſupplicationis efficaciâ.*
    - *Miraculi ipſius delineationem; ubi notatur*
      - *Chriſti comitatus:*
      - *miraculi adparatus;*
        - *tibicines ejicit;*
        - *ſpem bonam injicit;*
        - *dormit ſaltem.*
      - *reſuſcitationis modus:*
        - *manu defunctam adprehendendo;*
        - *mortuam vocando.*
      - *miraculi effectus, in*
        - *puellâ, vitæ reſtitutio;*
        - *parentibus,* ἔκστασις μεγάλη;
        - *turba, miraculi evulgatio.*

Digitized by Google

Informatio in vita & morte hominum
- Ægrotantium; quos decet
  - patientia:
  - ſapientia, quæ conſiſtit in
    - celeri ad Chriſtum acceſſu:
    - fideli ejusdem attactu:
    - humili adſpectu.
  - fiducia, qua Chriſto tribuit juvandi
    - facultatem;
    - voluntatem;
    - facilitatem;
    - ideoq; credentibus
      - ſperandum;
      - exſpectandum;
      - exercendum, in
        - humilitate;
        - liberalitate.
- Morientium; morbos ſequitur mors amara, cujus acerbitatem ſanat
  - adſidua mortis meditatio:
  - medicinæ probatæ præparatio:
  - vera mortis contemplatio; ſecundum
    - legem terret;
    - Evangelium eſt ſomnus, cui confertur ob
      - pretioſitatem;
      - communitatem;
      - internam vitæ poteſtatem;
      - exſuſcitandi facilitatem;
      - multiplicem utilitatem
        - à peccatis & curis vacatio:
        - quieſcendi occaſio:
        - virium recollectio.
  - corporum noſtrorum reſuſcitatio, cujus fundamenta ſunt;
    - Chriſti reſurrectio;
    - noſtra redemtio;
    - noſtra cum Chriſto unio;
    - æterna regni Chriſti duratio;
    - noſtra ſanctificatio;
    - S. Cœnæ uſurpatio;
    - juſtitiæ divinæ ratio;
    - naturæ in creaturis præfiguratio.

Digitized by Google

DISPOSITIO I.

Propoſitio τριμερής: audimus enim Chriſtum

- *de urbis Hieroſ. terraq; Judaicæ devaſtatione vaticinantem; vaticinii datur*
  - *occaſio, ex Matth. 23. 24. c. petenda:*
  - *propoſitio, ex verſ. 14. tunc erit conſummatio:*
  - *confirmatio ex ſignis, quæ vel*
    - *remota, Matth. 24, 15. ſeq.*
    - *proximum, quod unum, notetur*
      - *emphatica adpellatio. βδέλυγμα:*
      - *ſigni explicatio, quæ varia: vide diſpoſ.*
      - *dicti comprobatio, ex Dan 9. 11. & 12.*
- *conſilium ſalutare ſubminiſtrantem, ubi piis*
  - *ſuadet*
    - *fugæ adprehenſionem, cujus*
      - *qualitas;*
        - *ad iter neceſſaria prætermittẽdo;*
        - *miſeram fugientium ſortem deplorando.*
      - *neceſſitas;*
      - *fiat*
    - *precum continuationẽ, quas commendat*
      - *in genere;*
      - *in ſpecie; jubet deprecari*
        - *intempeſtivam fugæ accelerationem:*
        - *calamitatum publicarum mitigationem:*
        - *temporum malorum decurtationem.*
  - *diſſuadet ſeductionem, cujus*
    - *propoſitio; cavete ne ſeducamini:*
    - *Ratio à*
      - *Meſſiæ confidti vanitate;*
      - *vocationis nullitate;*
      - *ſeductorum proprietate;*
      - *erroris efficacitate;*
      - *Chriſti veritate;*
      - *doctrinæ falſitate.*
- *efficaciter ſuos conſolãtem. Conſiſtit autem ſolatium in*
  - *Evangelii revelatione: Matth. 24, 14.*
  - *dierum decurtatione:*
  - *adventûs Domini ad judicium acceleratione. Illuſtratur ſimili à fulgure, quod exponitur*
    - *ῥητῶς, quatenus cõfertur fulguri extremum judicium, ob*
      - *ſubitaneam adparitionem;*
      - *ſplendorem & illuminationem;*
      - *terroris incuſsionem;*
      - *loci conditionem;*
      - *brevem durationem.*
    - *διανοητικῶς, de Evangelio, quoad*
      - *claritatem;*
      - *celeritatem;*
      - *univerſalitatem.*
  - *fidelium ad Chriſtum adgregatione: declaratur parœmiâ & ſimili; denotatur autẽ*
    - *debitum piorum officium:*
    - *veræ Eccleſiæ indicium:*
    - *ſalutare Chriſti beneficium. 2. Cor. 2, 15.*

Digitized by Google

Dupliciter conſiderari poteſt Evangelium, ut

- *Vaticinium, de urbis Hieroſ. excidio: In textu ἀξιόσκεπτος eſt,*
  - *ſignorum preceſſurorum enumeratio:*
  - *βδελύγματος declaratio, à*
    - *viſione;*
    - *loco;*
    - *teſtimonio. Dan. 9, 26.*
  - *fugæ ſuaſio: Amplif.*
    - *per circumſtantias, quòd fieri debeat*
      - *cũ ſumma celeritate:*
      - *cum rerum terrenarum jactura.*
    - *per collationem imparium: Væ prægnantibus.*
  - *ad preces exſuſcitatio, cujus eſt*
    - *propoſitio; orate, ne fuga fiat*
      - *in hyeme;*
      - *in Sabbatho.*
    - *ratio, à periculi magnitudine.*
  - *ulterior miſeriæ exaggeratio: niſi adbreviarentur dies &c.*
- *Præſagium, de extremo judicio: huic conſiderationi inſervit*
  - *temporũ deſcriptio, ab*
    - *abominationũ fœditate:*
    - *tribulationum varietate & atrocitate:*
    - *dierum iſtorum brevitate:*
    - *Pſeudo Chriſtorum & Pſeudoprophetarũ pluralitate. Seducent illi*
      - *falsâ nominis ſancti uſurpatione;*
      - *mimeticâ verborum recitatione;*
      - *inani miraculorum oſtentatione;*
      - *ſeductorum multiplicatione;*
      - *efficaci ſeductionis operatione.*
  - *piorum cõſolatio, petita ab*
    - *Evangelii in toto terrarum orbe prædicatione:*
    - *Chriſti de cœlo revelatione:*
    - *mutua conſociatione: Ubi cadaver, ibi aquilæ: confertur autem*
      - *Chriſtus cadaveri, ob*
        - *humanitatem;*
        - *mortis veritatem;*
        - *ſpeciem objectam ſeu deformitatem;*
        - *mortis virtutem.*
      - *fidelis homo aquilæ, ob*
        - *nobilitatem;*
        - *nidi ſublimitatem;*
        - *volatûs altitudinem & velocitatem;*
        - *viſûs ſubtilitatem;*
        - *odorandi ſagacitatem;*
        - *prædæ aviditatem;*
        - *longævitatem;*
        - *animoſitatem;*
        - *incolumitatem, à tactu fulminis.*

Digitized by Google

DISPOSITIO III.

Propoſitio μονομερὴς παραμυθητικὴ, exhibẽs conſolationũ momenta, terrori diei noviſſimi opponenda, cujuſmodi ſunt,

- Antichriſti, per prædicationem Evangelii facta, revelatio. Conveniunt βδέλυγμα Judaicũ & Papiſticum, ratione
  - principii & ortûs; Roma:
  - ſodalitii & comitatûs:
  - effecti & fructûs.
- Fuga conceſſio, immò præceptio.
- Oratio. Orandum autem pro
  - regni DEI adpropinquatione;
  - peccatorum remiſſione;
  - Spiritûs ſancti communicatione & gubernatione;
  - potenti contra diabolum defenſione;
  - digna coram tribunali Chriſti comparitione.
- Dierum malorum decurtatio.
- Chriſti manifeſtatio, & noſtra ad ipſum collectio.

DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS, Matth. 25, 31. ad finem uſq;

DISPOSITIO I.

* Partes Evangelii

Τὰ ἡγούμενα h.e. ſolemnem ad judicium præparationem, in quo adparet,

- Judicis dignitas; Filius Hominis:
- Adventûs qualitas; in gloria ſua:
- Comitatûs gravitas; aderunt Angeli, ut
  - actum ornent;
  - ſententiam adprobent;
  - Judici miniſtrent,
    - tubâ clangendo;
    - Chriſtum honorificè deducendo;
    - homines colligendo & judicio ſiſtendo;
    - collectos diſtribuendo;
    - malos in infernum cogendo, bonos in cœlum ſubvehendo.
- Solii ſpecioſitas: veniet in nube
  - ob adſcenſionis & reditûs identitatem, conformitatem:
  - ob divinam Judicis majeſtatem:
  - ob contemperandam adventûs claritatem:
  - ob transfigurationis ſublimitatem:
  - ob typorum perſpicuitatem:
  - ob primi & ſecundi adventûs adfinitatem.
- Judicandorum univerſalitas.

†

* conſiſtunum tres contemplanti

- †
- τὰ μέσα, συνεχῆ ἢ ἅμα ὄντα, h. e. juſtam judicii adminiſtrationem; quæ complectitur
  - πραχθέντα:
    - Chriſti Judicis ſuper thronum gloriæ ſeſsio:
    - omnium hominum ad tribunal Chriſti coactio,
      - ἀορίστως, indefinitè, congregabuntur;
      - καθολικῶς, omnes;
      - ἀνθρωπίνως;
      - αἰτιολογικῶς, ἀναγκαῖον.
    - congregatorum ſeparatio. Similitudo paſtoris monet de
      - ſeparationis facilitate:
      - bonorum ac malorum proprietate:
      - eorũ in hac vita ſocietate:
      - malorum in hoc ſeculo procacitate:
      - ſeparationis utilitate.
    - ſeparatorum collatio.
  - λεχθέντα habent
    - circumſtantias:
      - quando? tunc:
      - quis? Rex:
      - quid? Judicium.
    - ſententias, ratione ſubjectorũ diſtinctas:
      - pro ſtantibus ad dextrã, h. e. ovibus, quas
        - humaniſsimè invitabit:
        - honorificentiſsimè compellabit:
        - hereditate æ. præmiabit, v. 34. 41. Continetur his verbis
          - ſententiæ ex parte piorũ pronunciatio, per amicam invitationem, blandam compellationẽ, regni traditionem:
          - Latæ ſententiæ ratio, ab effectis ſeu ſignis; cibatione, potatione, hoſpitatione, nudi contectione, ægri curatione, incarcerati viſitatione:
          - Modeſta piorũ exceptio:
          - Uberior adlatæ rationis declaratio.
      - contra ſtantes à ſiniſtris, h. e. hædos: conſtat a.
        - ſententiæ pronũciatione; hæc continet
          - triſtem depulſionem;
          - iratã compellationem;
          - in ignem infernalem abjectionem.
        - ſententiæ latæ ratione:
        - hypocriticâ excuſatione.
- τὰ ἑπόμενα ἢ ἐκβάντα, h. e. ſtrictam latæ ſententiæ exſecutionem, tum
  - ex parte damnatorum: ibunt in ſupplicium æt.
  - ex parte ſalvandorum: notetur
    - ſalvandorum adpellatio:
    - felicioris ſtatûs deſcriptio.

Digitized by Google

DISPOSITIO II.

- *In præſenti Evangelio continētur duo:*
  - *noviſſimum diei extremi judiciū; ubi oſtendit*
    - *Judicis univerſalis magnificentiam; Judicem habemus*
      - *omnipotentem;*
      - *omnia ſcientem;*
      - *juſtè judicantem;*
      - *omnipræſentem.*
    - *Comitatûs excellentiam; omnes Angelis:*
    - *Judicandorum copiam:*
    - *Proceſſûs judicialis evidentiam: indicatur*
      - *Judicis ſeſſio;*
      - *omnium citatio;*
      - *Judicandorum abs ſe diſſeparatio.*
  - *Chriſti cum judicandis, & bonis & malis, colloquium, agens*
    - *de piorum felicitate: cōſtat hoc membrum*
      - *humaniſſimâ electorum invitatione;*
        - *à quo?*
        - *quomodo?*
        - *qui vocentur?*
        - *ad quid?*
        - *cur?*
      - *humilimâ juſtorum extenuatione;*
      - *ſententiæ latæ declaratione.*
    - *de impiorum infelicitate: notatur*
      - *ignis infernalis adjudicatio, conſtans*
        - *rejectione duriſſimâ;*
        - *adpellatione turpiſſimâ;*
        - *ſupplicii denunciatione triſtiſſimâ.*
      - *judicii ratio [illegible]:*
      - *damnatorum exceptio:*
      - *Judicis refutatio.*

Digitized by Google

Conſiderabimus τὰ παρασκευαστικὰ diei & judicii noviſſimi;

- Judicium extremum ob oculos ſubinde cōſtituendo: Actus h. l. deſcriptus oſtendit,
  - quis futurus judicii Præſes:
  - quis comitatus:
  - quæ Judicis adparentis Majeſtas:
  - qui judicandi:
  - quæ ſeparatio futura:
  - quæ ſententia de utrîq; ferenda.
- Veram juſtitiam ſectando: Electi dicuntur juſti:
- Benè ex fide operando:
- Humilitati ſtudendo:
- Pœnas damnatorum cogitando:
- Hypocriſin vitando:
- Pœnitentiam quotidiè agendo:
- Supplicium æt. & vitam æt. ſæpiùs conſiderando, unumq́; alteri opponendo.

Finis ſecundæ partis.

Digitized by Google

IN NOMINE JESU CHRISTI
Θεανθρώπου!

IN FESTO PENTECOSTES EVANGELIUM

Johan. 14. à verſ. 23. usq; ad finem.

23. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει· καὶ ὁ Πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ᾽ αὐτῷ ποιήσομεν.

24. Ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ· καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, οὐκ ἔστιν ἐμὸς· ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με Πατρός.

25. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, παρ᾽ ὑμῖν μένων.

26. Ὁ δὲ Παράκλητος τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ Πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν.

27. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν· μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω.

28. Ἠκούσατε ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑ-

23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, ſermones meos nō ſervat: & ſermo, quem auditis, non eſt meus: ſed ejus qui miſit me Patris.

25. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens.

26. Paracletus autem ille (qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet Luc 24.49
Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixi vobis. Joh. 15, 26.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis: ne turbetur cor veſtrum, neq; formidet.

28. Audiſtis, quòd Ego dixi vobis;

μῖν· ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. εἰ ἠγαπᾶτέ με, ἐχάρητε ἄν, ὅτι εἶπον· πορεύομαι πρὸς τὸν Πατέρα· ὅτι ὁ Πατήρ μου μείζων μού ἐστι.

29. Καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν, πρὶν γενέσθαι· ἵνα ὅταν γένητε, πιστεύσητε.

30. Οὐκ ἔτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν· ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν.

31. Ἀλλ' ἵνα γνῷ ὁ κόσμος, ὅτι ἀγαπῶ τὸν Πατέρα, καὶ καθὼς ἐνετείλατό μοι ὁ Πατήρ, οὕτω ποιῶ· ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν.

bis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; , quòd dixerim, vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.

29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut cùm factum fuerit, credatis.

30. Poſthac non multa loquar vobiſcū: venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.

31. Sed ut cognoſcat mundus, quòd diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

DUlciſſimum hoc eſt Evangelium, & conſolationis efficaciſſimæ pleniſſimum, pertinens partim ad genus cauſarum didaſcalicum, partim ad deliberativum. Partes enarrationis conſtituimus tres, harum verò agitur

I. *De amiciſſima Sacroſanctæ Trinitatis in animis credentium revelatione:*

II. *De ſuaviſſima diſcipulorum conſolatione:*

III. Demum *de certiſſima piorum exſultatione.*

Prima itaq; pars ſuppeditabit doctrinam Pentecoſtalem; (Pfingſt-Lehr) ſecunda ſolatium Pentecoſtale; (Pfingſt-Troſt) tertia gaudium Pentecoſtale. (Pfingſt-Frewde) De ſingulis ſeorſim.

PARS I.

In prioris partis textuali expoſitione obſervetur

I. *Concionis occaſio*, quam Salvatori præbuit curioſa Judæ, non proditoris illius, ſed alterius ex Apoſtolis, Lebbæi cognominati, ἀπορία & interrogatio; quâ quærit, cur CHRISTUS non mundo indifferenter univerſo, ſed Apoſtolis peculiariter ſeſe velit manifeſtare. Exiſtimabat enim cum multis aliis, faſcinô Judaïcô, de Meſſiæ regno ſeculari, dementatus, Meſſiam ita regiam ſuam Majeſtatem toti orbi oſtenſuram, ut omnes in ipſum credant &

& Regem ſuum agnoſcant. Quæcunq; enim (uti D. Gerhardus part. 3. Harm. Chemnitio-Lyſerian. pag. 587. annotat) vel ex Prophetis de vocatione gentium ad regnum CHRISTI Eſa. 42, 6. cap. 49, 6. ac de dilatatione regni Meſſiæ in totum orbem Pſal 72, 8. vel ex concionibus ipſius CHRISTI, de hoc myſterio audiebant, quòd ſcil. ſit lux mundi; Joh. 8, 12. quòd omnia velit trahere ad ſeipſum; Joh. 12, 32. ea in ſenſu carnali de quodam terreno & mundano regno accipiebant; adeò ut in ipſo adſcenſionis momento adhuc quærerent; Act. 1, 6. Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraëlis? Confer D. Tarnov. in Joh. pag. 978 ſ. Occaſio autem & origo prima. Huic opinioni vel imaginationi potiùs falſæ, regnoq; CHRISTI contrariæ, ea, quæ in hac prima parte habentur, opponuntur.

II. *Subjecti connotatio*, qui nim. ſint illi, quibus ſeſe gratiosè manifeſtare velit Salvator; Exprimit ſubjectum illud locutione indefinitâ, quæ æquipollet univerſali: ſi quis diligit me, h. e. omnis qui diligit, omnis diligens me.

III. *Prædicati adſignatio*, eorum exprimens officium, qui CHRISTUM diligunt. & conſiſtit in eo quod debeant ſervare ſermonem CHRISTI. Eſt autem ſervare ſermonem CHRISTI, agere pœnitentiam, & credere, ſibi remitti peccata, per & propter meritum ejus, ſine ullis meritis aut operibus propriis. Vel; Evangelium verâ fide amplecti ac retinere, & ex fide proximum propter CHRISTUM diligere. D. Gerhard. d. l. pag. 589. & ſeq. duplicem conſtituit φράσεως intellectum, primarium & ſecundarium. Πρώτως, primariò ac principaliter hic (inquit) intelligitur amplecti Evangelium de CHRISTO, ejusq; puritatem conſervare ac retinere. Probatur hoc

Servare ſermonem Chriſti.

1. *Ex numeri ſingularis uſurpatione*, ut innuat, loqui ſeſe de ſermone, h. e. doctrina, quæ eſt ipſius propria, & propter cujus manifeſtationem à Patre in hunc mundum miſſus eſt: illa verò eſt Evangelium, ſpecificè ſic dictum, h. e. læta illa concio de gratuita peccatorum remiſſione, juſtitia & vita æterna, credentibus in CHRISTUM promiſſa. Joh. 1, 18.
2. *Ex ſcopi conſideratione:*
3. *Ex ipſius CHRISTI explicatione:* Joh. 17, 6. 8.
4. *Ex emphatica pronominis poſſeſſivi adjectione:*
5. *Ex loci paralleli* (Joh. 8, 51.) *collatione:*
6. *Ex ſubjuncta promiſſione.* Vide Gerh. pag. 590.

Δευτέρως, ſecundariò, minùs principaliter & conſequenter per CHRISTI ſermonem intelligitur tota doctrina, quam in miniſterio ſuo propoſuit; quòd videl. non ſolùm debeamus promiſſionem Evangelicam fide amplecti; ſed etiam fidem illam per veros & convenientes fructûs, videl. per dilectionem DEI & proximi, per confeſſionem Evangelii, per patientiam in cruce &c. demonſtrare. Vide d. l. pag. 591. Ceterùm τὸ τηρεῖν ſive ſervare ſermonem CHRISTI non eſt accipiendum νομικῶς, de perfecta & numeris omnibus abſoluta ſermonis CHRISTI τηρήσει, qualem Moſes in lege exigit, & in renatis etiam eſt in hac vita imperfecta: ſed εὐαγγελικῶς, de inchoata obedientia, quam DEUS propter CHRISTUM in credentibus acceptat & gratam habet, quantumvis imperfecta ea ſit & multiplicis peccati labe polluta.

IV. *Revelationis iſtius modus ac ratio*, in mutua φιλήσει & ἀντιφιλήσει, filiorum nim. DEI & Patris cœleſtis poſita: *Qui diligit me, hunc Pater meus* (impenſiùs quàm antea) *diliget*. Hæc enim eſt propria quaſi nota eorum, quibus CHRISTUS ſe vult manifeſtare, nim. diligere ipſum. Dilectionis autem nomine, tanquam proprii veræ fidei fructûs, ipſam cauſam, fidem ſcil. intelligi pleriq; μετωνυμικῶς ſumtò vocabulò, ſtatuunt, ut ſit effectus pro cauſa. Neq; enim fieri poſſe, ut ſine fide quiſquam diligat DEUM; & viciſſim ſine fide impoſſibile eſſe placere DEO, ac diligi à DEO. Ideò verò (quæ verba ſunt D. Gerh. p. 588.) fidem deſcribi per dilectionem, ut conſtat, non eſſe ſermonem de fide hypocritica; vel de nuda fidei gloriatione; ſed de fide vera ac viva, quæ non eſt otioſa notitia, nec nuda profeſſio, vel gloriatio, ſed cum fiduciali boni cogniti adprehenſione conjuncta, ut natura fidei eò meliùs intelligatur, quæ eſt CHRISTO Mediatori unicè adhærere, ejusq; doctrinam firmiter amplecti &c. Interim tamen non eſſe à literali verborum ſenſu diſcedendum, ſed dilectionis nomine inſeparabilem illum veræ fidei effectum, quò CHRISTUM fide adprehenſum ſincerò amore complectimur, intelligendum eſſe, cenſet dictus auctor p. 589.

Dilectionis nomine fides comprehenſa.

Fides deſcripta per dilectionē.

V. *Manifeſtationis fructus & effectus ſive operatio*, triplicis nobis beneficii ἔνδειξιν inſinuans, conferendi in eos, qui CHRISTUM diligunt, ejusq; ſermonem fideli ac filiali ſtudiò ſervant & obſervant; horum

2. Pri-

Digitized by Google

1. Primum eſt, *reciproca Patris cæleſtis dilectio*, de qua jam modò diximus. Dilectionis Dei fructus.

2. Secundum eſt, *honorifica Patris, Filii & Spiritûs ſancti adventatio:* Ego, inquit CHRISTUS, & Pater meus, cum ὁμουσίῳ nobis Spiritu ſanctô, *ad eum veniemus*, velut amicus ad amicum. Non in loco ſapit Eſavita Maldonatus, ſolicitè h. l. quærens, cur Spiritûs quoq; ſancti nullam hîc fecerit mentionem Salvator. Sciendum enim, quòd quemadmodum CHRISTUS in dilectione Patris ſuam quoq; includit: ita ipſum nullatenus excludere Spiritum ſanctum, ſed eundem potiùs includere, cùm Spiritus ſanctus ſit unius eſſentiæ cum Patre & Filio, ac ſubſtantialis Patris & Filii amor; opera inſuper ad extra ſint indiviſa, omnibus tribus perſonis communia, ſervatô tamen ordine ac diſcrimine perſonarum.

Quæritur de modo adventûs. Quidam exponunt de noviſſimo CHRISTI ad judicium adventu; ſed de hoc ipſe propriè & principaliter non agit; verùm de ſpirituali & myſtico illo adventu, quô Pater & Filius per Spiritûs ſancti miſſionem veniunt in corda credentium, & manſionem apud illos faciunt; cujus conſequens erit adventus ille noviſſimus, in quo pii in patriam cœleſtem transferentur. D. Gerh. d. l. pag. 596. 597. ubi hanc ſententiam probat, ſex in medium productis rationibus; & tandem p. 598. ita concludit: Nequaquam igitur cogitandum, adventum hunc Patris & Filii eſſe in hac vita viſibilem, in oculos & ſenſûs externos incurrentem; ſed eſt inviſibilis, ſpiritualis, myſticus; nec fit quadam loci mutatione, cùm Deus ſit infinitus, ἀπερίγραπτος & ubiq; præſens; ſed peculiarium effectuum demonſtratione, ac loquitur CHRISTUS more humanô, per quandam συγκατάβασιν &c. Adventus myſticus.

3. Tertium eſt *ſalvifica Trinitatis apud credentes manſio.* Non enim ſolùm ad eum (inquit Salvator) veniemus, qui ſc. me diligit & ſermonem meum ſervat; ſed *& manſionem apud eum faciemus*, h. e. habitabimus apud illum, habitatione gratiæ in hac vita, & habitatione gloriæ in futura vita. Accipienda itaq; ſunt hæc verba de continuatione & duratione illius ſive gratiæ, ſive beneficii, h. e. de perpetua quadam Sacroſanctæ Trinitatis præſentia, & inhabitatione in credentium animis ἐνεργητικῇ. Quoniam enim pro ſtatu hujus vitæ ad DEUM venire non poſſumus; Deus pro ſua erga homines φιλανθρωπίᾳ & benignitate ad nos venire dignatur. Manſio Dei apud homines.

Ceterùm ut eò fortiùs effectus iſte animos hominum penetret, amplificatur,

 1. ἀντι-

1. *ἀντιθέσει* ſive contrario, quô oſtendit, quos ille exauctorare, atq; ex amicorum ſuorum numero delere ſive ſequeſtrare velit; *ἀπίστους* nim. & *ἀστόργους*, qui ſermonem Christi faſtidiunt & ſpernunt: hoc enim eſt, non ſervare ſermonem Chriſti. Quærunt hic nonnulli, cur Christus antehac ſingulariter ſit locutus, jam verò pluraliter dicat: *qui non diligit me, ſermones meos non ſervat?* D. Gerhard. pag 608. ita reſpondet: ſingulariter in præcedente membro Christum fuiſſe locutum, quia primariò ac præcipuè egit de ſermone Christi propriè ſic dicto, i.e. de doctrina Evangelii. In ſubſequente verò membro pluraliter ipſum loqui, vel per enallagen numeri uſitatam; vel eô ſenſu, quòd qui non diligat Christum, non ſolùm doctrinam Evangelii, quam fide amplecti debebat, repudiet; ſed etiam reliqua Christi præcepta de dilectione, humilitate, patientia &c. protervè contemnat. Ubi enim vera fides non eſt, ibi nec fructûs fidei locum habere poſſunt. Additur ratio, cur ſe mundo (h. e. ejuſmodi hominibus in mundo per metonymiam continentis pro contento & ſynecdochen partis) manifeſtare & propitium exhibere nolit; quia non diligit me, h. e. non amplectitur ſeriò Evangelium, nec credendo in me, nec proximum diligendo.

2. *Τῶν λεχθέντων ἐξηγήσει*, dictorum expolitione *αἰτιολογικῇ*; qualis ſit ſermo ille, nimirùm ſermo Patris. *Et ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, Patris.* Particula *καὶ* non eſt adverſativa, ſed *αἰτιολογικὴ* ſive cauſalis. Per *λόγον* autem non intelligitur *λόγος ἐνδιάθετος καὶ ὑποστατικὸς*, Filius Dei, ſed ab hoc ex ſinu Patris prolatus *λόγος προφορικὸς καὶ ἀκουστός*; ideò additur, *ὃν ἀκούετε*, quem auditis, doctrinam puta Evangelii, de mea perſona, officio & beneficiis, de gratuita peccatorum remiſſione, juſtitia & vita æterna, credentibus in me promiſſa; eam non confinxi ex proprio cerebro, nec humano arbitrio, ſed ex ſinu Patris mei cœleſtis protuli. Quô ipsô verò nullam Christus implicat contradictionem, quando ſermonem non ſuum, ſed Patris dicit; ſed cauſam ſolummodò ſuam conjungit cum cauſa Patris, à quo Judæi ſemper conati fuerant Christi negotium divellere. Negat enim Christus (uti D. Gerh. pag. 613. habet) ſermonem, quem prædicaverat eſſe ſuum, i. e. à ſe, tanquam nudo homine ac humanô duntaxat arbitriô excogitatum, non eſſe ſuum tantùm, exclusô Patre cœleſti; ſed eſſe etiam Patris, à quo miſſus ſit in mun-

Digitized by Google

mundum, tùm ut opus redemtionis peragere, tùm ut voluntatem ipſius generi humano revelaret. Negatio enim ſæpè ponitur pro comparatione, ac particula non, pro non ſolùm. 1. Sam. 8,7. Marc. 9,37. Joh. 5,30. & 6,38. & 12,44. D. Lucas Oſiander ita hunc locum exponit: Quòd hactenus docui, me eſſe Meſſiam, Dei Filium, id non eſt meum commentum; ſed eſt verbum Patris, qui dixit mihi: Filius meus es tu, hodiè genui te. Pſal. 2. Et quidem hactenus clariſſimis miraculis demonſtravi, me non ſomnia humana, ſed oracula divina proferre. Hæc ille. Confer Joh. 7,16. Miſſionis Chriſti finis.

3. Ἀποδιώξει ſive rejectione, quâ diſcipulos ad priores conciones remittit: *Hæc locutus ſum vobis*, (ταῦτα notant omnia illa, quæ totô miniſterii ſui tempore ipſis propoſuerat) *apud vos manens*, præſentiâ ſc. viſibili & externâ, in carne viſibili & mortali, quando familiariter vobiſcum converſabar, informans & erudiens vos, tùm dictis, tùm factis, me eſſe verum ac unicum mundi Salvatorem. Perinde enim loquitur, ac ſi jam non ampliùs cum ipſis verſaretur, quia poſt pauxillum temporis ab illis erat diſceſſurus. Luc. 24, 44. ſimilis habetur locutio.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Externus verbi auditus non ſufficit ad ſalutem, niſi accedat inſuper mandatorum vel præceptorum Christi fidelis obſervatio. Tit. 2,12. Joh. 15,14. Luc. 1,75. 1. Theſſ. 4,3. Auditus verbi nudus nō ſufficit ad ſalutem.

II. Vera ac viva Eccleſiæ membra, adeoq; ſancta Spiritûs ſancti domicilia ſunt Eccleſiæ membra & templa S.S.

1. *Sincerè CHRISTUM diligentes:* Eph. 3,19. Pſal. 18, 2. & 73, 25. Diligunt autem Christum, qui in eum verè credunt, & mandata ejus ſtudioſè obſervant: Pſal. 78, 38. Eſa. 29,13. Matth. 15,8.

2. *Sermonem CHRISTI accuratè ſervantes:* Jac. 1, 22.

3. *Propitium DEUM habentes.* Colligitur verò illud, ne quis aberret, tùm ex reciproca Patris dilectione, de qua paulò pòſt plura; tùm ex gratioſa inhabitatione. 1. Cor. 3, 16. 17. & 6, 15. 19. Eph. 4, 30.

III. Separantur itaq; à dilectione, & ἑπομένως inhabitatione Spiritûs ſancti, (1) increduli omnes; & (2) in peccatis contra conſcientiam perſeverantes. Joh. 15, 10. 15. 1. Cor. 6, 9. 2. Cor. 6, 14. 15. Eph. 2. 2.

IV. Sermonem Christi ſervare, eſt credere, quod Filius Dei ſit à Patre in hunc mundum miſſus, ut eſſet noſter Mediator, Servare ſermonem Chriſti.

Digitized by Google

tor. Redemtor ac Salvator, per quem ſolum ad Patrem venire, juſtitiæ ac vitæ æternæ participes fieri poſſimus.

V. Quisquis hanc concionem Evangelii verâ fide amplectitur, ac meritô CHRISTI in terroribus peccati ac mortis ſeſe erigit, ille ſermonem CHRISTI ſervat.

Eccleſiæ nota. VI. Obſerva notam veræ Eccleſiæ infallibilem: Ubicunq; verbum CHRISTI ſervatur, (ſervari autem, credi & factis exprimi non poteſt, niſi priùs audiatur; Rom. 10, 14.) ibi eſt cœtus fidelium, & vera CHRISTI Eccleſia. Sufficit enim, ad dignoſcendam Eccleſiam, verbi prædicatio, & obedientia erga miniſterium legitima, ut ψευδωνύμοις Papicolarũ notis nihil opus habeamus.

Eccleſia quid. VII. Eſt ergò Eccleſia cœtus hominum, ſermonem CHRISTI ſervans, Evangelium amplectens, & ejus puritatem retinens.

Opera bona ſunt neceſſaria. IIX. Monemur de neceſſitate bonorum operum; non enim auditores tantùm, ſed & factores verbi requiruntur. Jac. 1, 22. Tit. 2, 12 Luc. 1, 75. 1 Theſſ. 4, 3 Adde, quòd obſervatio mandatorum CHRISTI arguat ſinceritatem dilectionis; hæc verò propria nota eſt γνησίως ita dictorum DEI filiorum. 1. Joh. 3, 19. & 4, 10. Joh. 13, 35.

Cauſa ſalvationis & damnationis non eſt in decreto abſoluto. IX. CHRISTUS cauſam, propter quam mundo nõ obtingat ſalutaris & ſalvifica illa manifeſtatio, non quærit in abſoluto quodam decreto reprobationis, ſed in ipſis hominib9, quia ſc. non ſervant ſermonem CHRISTI: ſic cauſam, propter quam Apoſtolis & aliis credentib9 ſeſe ſalutariter manifeſtet, non ſtatuit in abſoluto decreto electionis; ſed in medio verbi, quod promtè audiunt, & ex auditu illo, per Spiritûs ſancti operationem, fidem concipiunt, quâ ſermonem CHRISTI ſervant, & ex fide ipſum diligunt.

Præſentia DEI. X. Occurrit in hoc textu doctrina, de præſentia DEI, cujus diſtincti in Eccleſiis noſtris gradus recenſentur. Alia eſt enim præſentia potentiæ univerſalis, ad omnes ſeſe creaturas extendens: Jer. 23, 23. 24. Act. 17, 28 Hebr. 1, 3 Alia eſt præſentia gratiæ ſpecialis, Eccleſiæ verorumq; ejusdem membrorum propria, de qua hoc locô diſſerit Salvator; Joh. 14, 24. Matth. 28, 20. Pſal. 34 18. & 145, 18. Eſa. 43, 2 Alia eſt præſentia gloriæ, futuram illam ac æternam vitam concernens; de qua Joh. 17, 24. 1. Cor. 15, 28. 1. Joh. 3. Pſal. 16, 11. A quibus præſentiæ gradibus totô genere differt præſentia Λόγȣ ad carnem, & in carne adſumta ſingularis, ratione cujus perſonaliter inhabitat humanam ſuam naturam. Conſe D. Tarn. Comment. in Joh. pag 1039. 1040.

XI. ... e.

XI. Teſtatur Scriptura multis in locis, totam ſacroſanctam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum in hac vita ad pios venire & in ipſorum cordibus manſionem facere. Rom. 8, 9. 1. Cor. 3, 16. & 6, 19. 2. Cor. 6, 16. Gal. 2, 20. Eph 3, 17. 2. Tim. 1, 14. Apoc. 3. 20.

DEI ad homines adventus & manſio.

XII. Veniunt Pater & Filius ad credentes, CHRISTUM diligentes, & ſermonem ejus ſervantes, per Spiritûs ſancti donationem, per interiorem & vivificam conſolationem, per gratiæ & donorum augmentationem, per uberiorem ſui manifeſtationem, per ſpiritualium beneficiorum multiplicationem, per auxilium & defenſionem, per paternam ex periculis & malis liberationem.

XIII. Noſtra dilectio nullô modô præcedit dilectionem DEI erga nos, ſed contrà. 1. Joh. 4, 10. 19 Rom. 5. 8. Joh. 15, 16.

Dilectio noſtra non præcedit dilectionẽ DEI; nec illa hujus eſt cauſa.

XIV. Hinc noſtrâ dilectione non promeremur dilectionem DEI, nec gratiam gratum facientem hominem coram DEO, quod utrumq; ex hoc loco (ſed malè) ſtabilire præſumunt Pontificii Præſens enim locus minimè omnium declarat cauſam dilectionis divinæ, ſed primariam tantùm indigetat notam eorum, quos favore ſuô complecti & inhabitare velit DEUS. A poſteriori itaq; duntaxat, h. e. ab effectu conſequente deſcribit verè fideles, & non ipſam reſpicit hominum juſtificationem, ſed incrementum tantùm donorum in juſtificatis per fidem in CHRISTUM. 1. Joh. 4, 10. 11. 19.

XV. CHRISTUS in obſervatione mandatorum ſuorum bonô contentus eſt novæ obedientiæ initiô. 1. Joh. 3, 23. 24. & 5, 3 Joh. 13, 34. Phil. 2, 13.

Obedientiæ novæ initiô DEUS eſt contentus.

XVI. Quæri h. l. à nonnullis ſolet, an detur Spiritus ſanctus καθ' οὐσίαν, an tantùm ſecundum dona? Et, an habitet in cordibus piorum ut Perſona, ratione ſubſtantiæ, an verò ſaltem effectivè, ratione operationis? Sed quæſtionem hanc diſcuſſit ante D. Gerhardum Tom. 1. L. C. p. 622. etiam D. Chemnitius, part. 1. loc pag. m. 257. ibi tandem ita concludit: *Nos teneamus ſimplicem & veram ſententiam, dari credentibus ipſum Spiritum ſanctum unà cum donis ſuis, quæ operatur non abſens, ſed præſens, exſiſtens in cordibus credentium. Eſſe tamen & manere diſcrimen inter Spiritum ſanctum, & dona ejus creata; & diſcernendum eſſe auctorem ab effectibus &c.*

Spiritus S. an detur καθ' οὐσίαν, an ſecundũ dona?

XVII. Cùm ſimus templa Spiritûs ſancti, immò totius Trinitatis, caveamus ſedulò, ne templum DEI, vel impietate, vel ſce-

Confer D. Gerh. p. 607

leribus contra conſcientiam polluentes, tàm exoptatum hoſpitem cordibus noſtris exturbemus. Rom. 8, 13. Gal. 5, 24. Eph. 4, 30.

Calviniano rum de amiſſione gratiæ doctrina.

XIIX. Erronea enim eſt Calviniſequarum doctrina, indignum eſſe Majeſtate Spiritûs ſancti, ab homine recedere, cùm manifeſtum 1. Sam 16, 14. exſtet teſtimonium, Spiritum Domini bonum à Saule receſſiſſe. Κυβεία eſt, manſionem vel inhabitationem eò rapere, quaſi ſemel à nobis accepta gratia, deperdi ampliùs nequeat.

XIX. Colligitur ex primæ hujus partis declaratione;

1. Homines poſt lapſum ſuapte naturâ non eſſe ſacroſanctæ Trinitatis, gratioſè inhabitantis, templa & habitacula: Eph. 2, 3. Joh 8, 34. Col. 1, 13.
2. Ex duræ ſatanæ captivitate & poteſtate non potuiſſe ſeſe ullum hominum propriis naturæ viribus liberare, ac ſemetipſum in templum ſanctum Domino præparare:
3. Deum verò noſtri miſertum Filium ſuum in carnem miſiſſe, qui eò fine Naturam humanam adſumſit, & in ea paſſionem ac mortem ſuſtinuit, ut bona per lapſum amiſſa, ac proinde gratioſam etiam illam Dei ἐνοίκησιν ac μονὴν hominibus repararet. Zachar. 3, 3. & 4, 9. & 6, 12. 13.
4. Beneficium iſthoc ἐνοικήσεως divinæ offerri hominibus per verbum Evangelii, quippe ad quod etiam hæc gratuita promiſſio de inhabitatione Dei pertinet. Zach. 2, 10. 2. Cor. 6, 16.

Templa DEI.

XX. Quotquot igitur verâ fide verbum Evangelii recipiunt, ad illos Pater & Filius, per Spiritum S. veniunt, & manſionem apud illos faciunt. Apoc. 3, 20. Eph. 3. 17.

XXI. Nos noſtris meritis, noſtris laboribus, noſtrô curſu non poſſumus gratioſam illam manſionem vel inhabitationem Dei impetrare, ſed Deus ſuâ gratiâ & ſuô ad nos adventu omnem noſtrum curſum, omne noſtrum ſtudium & laborem prævenit: quæ etiam cauſa eſt, quòd Christus manſioni præmittat adventum, & adventui dilectionem. Joh. 6, 37. 44. 45.

Venire ad DEUM.

XXII. Interim & hoc certum eſt, quòd non poſſimus ad Deum venire per veram converſionem, niſi priùs ad nos veniat per verbi prædicationem, per gratioſam vocationem, per efficacem Spiritûs ſancti operationem &c. Quanta verò hæc ſit dignatio, oſtendit D. Gerh. in harm. p. 604. 605. 606. 607.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Inter dilectionem CHRISTI, & obſervationem ſermonum ejus neceſſaria eſt connexio.

XXIV. Sicut nota eſt veræ Eccleſiæ ſervare ſermonem CHRISTI: Ita nota eſt falſæ Eccleſiæ, repudiare & rejicere ſermonem CHRISTI. Vide D. Gerh. p. 610.

Nota falſæ Eccleſiæ.

XXV. De miſerabili eorum conditione, qui CHRISTI ſermonem repudiant, & ſunt extra veræ Eccleſiæ conſortium; DEUS enim illos nec ſpeciali ſuâ dilectione, nec gratioſâ inhabitatione dignatur. Oſe. 4, 6.

Miſeria eorum, qui extra Eccleſiam ſunt.

XXVI. Odium CHRISTI & contemtus Evangelii ſunt invicem conjuncta. Joh. 15, 21. & 16, 3. & 8, 37.

XXVII. Perperam quondam Ariani veram CHRISTI divinitatem ex eo impugnârunt, quòd CHRISTUS negat, ſermonem quem prædicat eſſe ſuum, ſed Patris. Vide reſponſionem apud D. Gerhard. d. l. pag 612 613 cum quibus conjunge ea, quæ in analyſi textûs ſuprà monuimus.

Ariani divinitatem Chriſti impugnantes.

XXIIX Colligitur autem ex his CHRISTI dictis;

1. quòd CHRISTUS non venerit in ſuo nomine, ſed à Patre cœleſti miſſus: Joh. 5, 43. & 8, 42.
2. quòd miſſus ſit tùm ad docendum, tùm ad redimendum;
3. quod doctrina ipſius ſit αὐτόπιστος καὶ ἀξιόπιστος.
4. quòd contemtus doctrinæ CHRISTI in Patrem redundet: Luc. 10, 16. Joh. 12, 48 49.
5. quòd infallibilis ſit veræ doctrinæ nota, non humanô arbitriô eſſe allatam, ſed divinitùs revelatam.

XXIX. Miniſtri verbi ſtrenuè & indeſinenter ſuum faciant officium, cogitantes, ſe non perpetuò futuros cum auditoribus ſuis. 2. Tim. 4, 2.

Miniſtri verbi officium faciant.

XXX. Falluntur Pontificii, ad poſſibilitatem implendi Legem ex hoc loco concludentes. Lex enim requirit perfectam DEI ac proximi dilectionem: Renati autem inchoatô tantùm conatu & imperfectè diligunt, qui tamen conatus DEO placet, non ex ſe, ſed propter CHRISTUM, qui defectûs & nævos piorum plenitudine juſtitiæ, caritatis & obedientiæ ſuæ tegendo ſupplet.

Lex impletu impoſſibilis.

PARS II.

Secundâ porrò Evangelii parte Salvator, jam jam abiturus, denuò diſcipulos ſuos conſolatur, idq; præſtat duplici argumentorum genere.

1. Primum conſolationis argumentum deſumitur *à gratioſa Spiritûs ſancti miſſione.* Is verò deſcribitur tripliciter:

1. *ab appellatione*, quòd ſit futurus

1. *Paracletus*, conſolator ſive Advocatus, de qua nominis ratione alibi pluribus actum fuit. Confer Evang. Domin. Cantate & Exaudi.

Spiritus quomodo ſanctus.

2. *Sanctus Spiritus*· Eſt autem & dicitur ſanctus ratione

1. *Perſonæ vel eſſentiæ*, quatenus eſſentialiter eſt ipſa ſanctitas, ipſa puritas, omnis labis & immundiciei penitus expers.

2. *Officii, ſive efficientiæ*; quatenus, ut auctor & fons omnis ſanctitatis, nos Verbô & Sacramentis ſanctificat; quippe ſine cujus Numine nihil eſt in homine.

3. *Oppoſiti vel differentiæ*; hac enim notâ diſtingvitur à ſpiritibus malis, qui ſunt ἀνόσιοι, immundi, non ſancti. Dn. Gerh. p. 618 619.

Spiritus S. mittitur à Patre per Filium.

2. *Ab effuſionis ſeu miſſionis modo*, quòd mittatur à Patre per Filium, unde à Patre & Filio eum procedere innuitur. Dicit enim, Patrem miſſurum in Nomine h. e. merito CHRISTI: q d. propter me mittet, qui pro illo mittendo Patrem rogabo. Oſtendunt ſimul verba iſta cauſam meritoriam, propter quam donum illud ſit dandum, & per quem ſit impetrandum. D. Gerhard harm p. 619. & 620. ſextuplicem commemorat loci hujus expoſitionem, tandem verò ita concludit: Primaria ac præcipua ratio, propter quā CHRISTUS dicat in nomine ſuo à Patre Spiritum ſanctum miſſum iri, colligitur ex ipſius CHRISTI interpretatione Joh. 14, 16. & 16, 7. Senſus igitur eſt; quòd CHRISTUS ſuô meritô & efficaci interceſſione Apoſtolis impetraturus ſit Spiritum ſanctum. Ut enim ex ipſius plenitudine omnia ad ſalutem neceſſaria; ita quoq; Spiritum ſanctum accipimus. Joh. 1, 16.

3. *Ab effectu quodam ſingulari*, vel operatione & officio Spiritûs ſancti proprio; idq; conſiſtit.

Spiritus S. docet & ſuggerit.

1. Ἐν τῷ διδάσκειν, quòd Apoſtolos docturus ſit omnia quæ videlicet à CHRISTO abituriente non copioſiùs explicari, nec à diſcipulis adhuc rudioribus exactiùs intelligi poterant. Confer D. Gerh. pag 621. & D. Tarn. p. 980.

2. Ἐν τῷ ὑπομιμνήσκειν, quæ vox non ſatis commodè per ſuggeſtionem eſt reddita; propriè enim reminiſcentiam notat: & ſenſus eſt; quòd Spiritus ſanct9 in memoriam ipſis revocaturus ſit omnia.

omnia, quæ ex Magiſtro CHRISTO audiverant quidem, ſed præoccupati terrenis quibusdam & carnalibus de Regno CHRISTI cogitationibus Apoſtoli non intellexerant. Ergò (inquit D. Gerh. pag. 621.) Spiritus ſanctus non adferet novum doctrinæ genus, quod à doctrina per CHRISTUM tradita alienũ, ſed quæ CHRISTUS de regno DEI & aliis neceſſariis fidei capitibus docuit, quæq; Apoſtoli ob præconceptam de terreno Meſſiæ regno opinionem, atq; ob dolorem, ex prædictione abitûs obortum, nondum ſatis percipiebant, eorum veram ſententiam Apoſtolis manifeſtabit, ac quæ ipſorum animis exciderunt, in memoriam ipſis revocabit.

II. Alterum conſolationis argumentum petitur, *à beneficiorum, morte CHRISTI partorum, commemoratione.* Ea verò omnia uno pacis nomine comprehendere voluit, inquiens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Occurrunt in his verbis quatuor ἀξιομνημόνευτα.

1. Subjecti notatio. Subjectum dico pacem, quæ apud Hebræos in generali ſuo ſignificatu notat tranquillitatem, concordiam, ſanitatem, ſalutem, adeoq; omnem animæ & corporis felicitatem Gen. 41, 16. Hinc ſolebant illi non ſolùm in acceſſu ſalutationis locò, ſed etiam in diſceſſu valedictionis locò dicere, pax tibi, pax vobis; ſicut Latini in acceſſu dicunt, ſalve; in diſceſſu, vale, 1. Par. 12, 18. Ceterùm quid in ſpecie h. l. pacis nomine veniat, non una eſt omnium ſententia. Cenſent enim nonnulli Pax in ſubjectis.

1. per pacem ipſum Spiritum S. pacis auctorem ſignificari;
2. alii mutuam illam pacem intelligi, quam alii erga alios alunt & conſervant:
3. alii accipiunt de reconciliatione cum DEO, facta per abitum CHRISTI ad Patrem:
4. nonnulli exponunt de pace cum CHRISTO, ſive erga CHRISTUM:
5. quidam interpretantur de pace interna, h. e. pacata & tranquilla conſcientia, veræ felicitatis dono. Vera enim pax & ſolida felicitas eſt illa, ſi quis in conſcientia ſua certus eſt, quòd DEUM propter CHRISTUM habeat placatum. Senſus itaq; verborum ex mente D. Gerh. pag. 637. eſt iſte: Non eſt, quòd ob prædictionem de abitu meo conturbemini; ideò enim abeo, ut per hunc meum abitum pacem apud DEUM vobis impetrem, qui conſcientiæ tranquillitatem & mutuam pacem vobis conferat.

2. *Subjecti determinatio*, facta tùm per reſtrictionem; tùm per emphaticam repetitionem. Reſtrictio eſt in pronomine poſſeſ- Pax Chriſti.

 ſivo,

ſivo, meam pacem do vobis. DEUS eſt, divinam itaq; , non humanam, cœleſtem, non terreſtrem, adeoq; ejusmodi pacem ſe donare ſignificans, qualem ipſe in DEI conſpectu habeat; ut ſit, pacem meam, i.e. pacem ab Angelis in mea nativitate decantatam; Luc. 2, 14 per me in verbo Evangelii hactenus prædicatam, mortis & paſſionis meæ meritò mox impetrandam, ac per vos toti mundo offerendam, per verbum deniq; & Spiritum S. vobis & aliis credentibꝰ conferendam. Duplici itaq; ratione pax CHRISTI eſt ac dicitur, tùm (1) *προσποιητικῶς meritorie*, quatenus precioſiſſimi ſui ſangvinis profuſione in ara crucis eam promeruit: tùm (2) διαδοτικῶς, *effective ac diſtributive*, quatenus per verbum & Spiritum S. eam diſtribuit. D. Gerh. p. 637. Conſiſtit autem pax iſta in remiſſione peccatorum, in reconciliatione cum DEO, in liberatione à morte, diabolo & inferno, in conſcientiæ tranquillitate, in juſtitiæ, Spiritûs ſancti & vitæ æternæ donatione. Includit enim pax CHRISTI pacem ſive reconciliationem hominis cum DEO; pacem hominis in ſeipſo; & pacem hominis cum proximo; è quibus ſemper poſterior è priore naſcitur. Repetitio eſt emphatica rei ipſius confirmatio: & refert Auguſt. tract. 77. in Joh. prius membrum ad pacem in hoc ſeculo, quam vocare poſſumus pacem gratiæ; poſterius verò ad pacem in futuro ſeculo, quam vocare poſſumus pacem gloriæ. Plura de hac re habet D. Gerh. p. 642. & 643. quò te, benevole Lector, remitto.

Pax Chriſti unde dicatur & qualis.

Pax gratiæ & gloriæ.

3. *Prædicati conſideratio*; pacem enim iſtam ſuam non ſimpliciter dare, ſed & relinquere dicitur Princeps pacis JESUS CHRISTUS. Propriè enim illud relinqui dicitur, quod priùs in uſu fuit. D. Gerh. pag. 643. relinquere, inquit, eſt precantis; dare eſt id, quod optatur, etiam concedentis: relinquere eſt abituri; dare verò manſuri. Exiſtimant igitur nonnulli (1) hanc eſſe quaſi ultimam CHRISTI *valedictionem*: alii (2) ſeriam ad pacem ac concordiam *exhortationem*: (3) quidam teſtamentariam quandam CHRISTI *diſpoſitionem*, in qua pacem, inſtar precioſiſſimi cujusdam legati Apoſtolis reliquerit: (4) alii *conſolationem* Apoſtolorum ſingularem: vide de his iterum D. Gerh. p. 633. 634. 635.

Relinquere.

4. *Rei ipſius amplificatio*. Sublime eſt & amabile pacis nomen; amplificandi itaq; & exaggerandi ejus gratiâ non propoſitionis ſaltem utitur repetitione, ac ἀνακαινώσει ſive renovatione, ſed addit inſuper ἀντίθετον ſive oppoſitionem contrarii, pacis mundanæ, à qua pax CHRISTI eſt diverſa, tùm ratione generis, ſive ipſius doni; tùm ratione modi, tùm ratione finis. Pax enim

Pax mundi à pace Chriſti differt.

Digitized by Google

enim CHRISTI mundo eſt incognita, nec in illius poteſtate ſita; ſed nec temporalis; invito enim & reluctanti ſæpè eripitur. Et ſi vel maximè dat, precando potiùs quàm largiendo dat, & eâ ſolummodò intentione, ut finis ſit litium & bellorum, bonisq; fortunæ pacatè frui liceat: CHRISTUS verò dat pacem, ut DEO reconciliati in mediis fortunæ adverſantis fluctibus lætemur. Remitto hic Lectorem meum ad Dn. D. Gerhard. harm. ubi (1) differentias conſtituit novem inter pacem CHRISTI & mundi: (2) dandi modum oſtendit quintuplicem: (3) & finem dationis quadruplicem: pag. 638. 639 640.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Expreſſum h. l. habemus Sacroſanctæ Trinitatis teſtimonium: trium enim perſonarum diſtincta fit mentio. Pater mittens Paracletum Spiritum ſanctū eſt prima perſona; CHRISTUS JESUS DEI Filius, in cujus Nomine mittitur, ſecunda; Paracletus Spiritus ſanctus, qui mittitur, eſt tertia perſona; quod contra Sabellianorum, NeoPhotinianorum & aliorum AntiTrinitariorum furores probè eſt obſervandum. *Trinitatis teſtimonium.*

II. Ita autem hæ tres perſonæ invicem ſunt diſtinctæ, ut unam & eandem numerò eſſentiam communem habeant, & ſummò gradu unum ſint. Joh. 10. 30. *Perſonæ Trinitatis diſtinctæ.*

III. Propria hujus feſti eſt doctrina de perſona Spiritûs ſancti; ad eam verò duo pertinent; nim. ut cognoſcamus veram Spiritûs ſancti divinitatem; deinde ejusdem perſonalitatem, quòd ſit diſtincta à Patre & Filio perſona. Videantur loci & libelli methodici. Confer etiam D. Gerh. harm p. 626.

IV. Spiritus ſanctus (1) non eſt idem, quod Evangelium JESU CHRISTI in N.T quemadmodum modernorum Photinianorum nonnulli delirant: cauſa enim principalis cum inſtrumentali non temere eſt confundenda: Nec (2) eſt ſpes certa & fiducia vitæ æternæ immota, in quem errorem modò dicti fanatici prolapſi ſunt, confuſione cauſæ efficientis cum effectu: Spiritus enim ſanctus & motûs à Spiritu ſancto in corde accenſi, non ſunt ταὐτό: Sed eſt (3) Spiritus ſanctus ſingularis ſeipsâ exſiſtens perſona: propriam enim perſonalitatem arguunt ea, quæ hic leguntur, quòd mitti, docere, in memoriam revocare dicitur. 1 Cor 2 10. Confer D. Gerhard. Tom. 1. L. C. pag. 624. ſeqq. A Patre nihilominus *Photinianiſmus de Spiritu S.* *Perſonalitas Spiritûs S. probatur.*

minus

minus Filioq; realiſſimè eſt diſtincta perſona, quod locò jam dictò uberiùs deducitur. pag. 615.

Divinitas Spiritûs S. probatur.

V. Divinitas Spiritûs ſancti ex eo probatur, quòd Apoſtolis in memoriam revocavit omnia, quæ ex ore CHRISTI priùs illi audiverant; quod abſq; potentia, omniſcientia & omnipræſentia divina fieri nullâ ratione poteſt. Matth. 10, 20 Vide plura in hanc ſententiam, tàm θετικῶς, quàm ἀντιθετικῶς apud D. Gerhard. d. l. pag. 616. 617. 629 630. 632.

Perſonalitas Spiritûs ſancti.

VI. Perſonalitas Spiritûs ſancti probatur tùm ex nomine, quia dicitur SPIRITUS, propterea quòd per modum ſpirationis à Patre & Filio ab æterno procedat; tùm ex miſſione, quia Pater in Filii nomine eum mittit.

VII. Monemur de ſumma & ineffabili perſonarum divinitatis κοινωνίᾳ, quòd communem Spiritum ſpirent. Joh. 15, 26. Gal. 4, 6. 2. Theſſ 2, 8.

Spiritûs S. officium διδασκαλικόν.

IIX. De officio Spiritûs ſancti in Eccleſia διδασκαλικῷ ſive informatorio; eſtq; illud docendi officium

1. *perpetuum;* Joh. 14, 16.
2. *maximè neceſſarium;* Eſa. 11, 2. & 29, 11. Eph. 1, 17. 18.
3. *mediatum;*
4. *non ſolùm publicum & externum, ſed & privatum & inter-* 2. Cor. 3, 8. 1. Cor. 12, 3.

Sanctum, vel potius ſanctificans; adminiſtratur enim non ſolùm intellectûs illuminatione, ſed etiam voluntatis ad bonum inflammatione, & totius hominis ſanctificatione. D Gerh harm. p. 617 628 629.

IX Spiritûs ſancti munus non in novorum fidei articulorum revelatione, ſed in eorum, quæ à CHRISTO priùs tradita ſunt, explicatione, & oblivioni datorum commonefactione conſiſtit.

Officium Spiritûs S. conſolatorium.

X. De officio Spiritûs ſancti παρακλητικῷ ſive conſolatorio iterum erudimur. Joh. 10, 28. Rom. 5, 1. & 8, 1. 35.

Spiritus terrens diabolus.

XI. Spiritus ergò pavidas & perturbatas conſcientias terrens, non ſanctus; ſed malignus cenſendus eſt Spiritus, non audiendus, ſed ad orcum relegandus. Rom. 8, 14. 16. Gal. 4, 4. 1. Joh. 3, 19. Rom. 8, 26.

Miſſio Spiritûs S.

XII. De Spiritûs ſancti miſſione. Ut enim ille officiò docendi, ſuggerendi, conſolandi & ſanctificandi perſungi queat à Patre in nomine Filii mittitur, idq; divinitati & majeſtati Spiritûs ſancti

ſancti nihil quicquam derogat: Mittitur enim non per imperium, nec per conſilium, ſed per originem. D. Gerh. harm. p. 630.

XIII. Mittere autem h. l. non ſignificat functionem aliquam alicui cum auctoritate & imperio demandare; ut Eſa. 6, 8. Jer. 14, 14. nec includit aliquam loci mutationem, ut Matth. 11, 2. ſed accipitur modô divinô & hyperphyſicô. Et quanquam miſſio fiat in tempore & ſit temporalis, æternam tamen præſupponit processionem.

XIV. Miſſio Spiritûs ſancti eſt duplex, viſibilis, qualis Matth. 3, 16. Act. 2, 3 & inviſibilis, in corde credentium. Gal. 4, 6. Miſſio Spiritûs S. duplex.

XV. Spiritus ſanctus mittitur à Patre in nomine Filii: eſt ergò donum paternum, quod filiis datur. Rom. 8, 15. Gal. 4. 6.

XVI. Spiritus ſanctus omnia docuit Apoſtolos, videlicet quæ ad myſteria cœleſtia, ad regnum CHRISTI, & ad ſalutem conſequendam pertinent. Ergò perfecta eſt eorum doctrina. Apoſtolorũ doctrina perfecta.

XVII. Ad officium docendi in Eccleſia requiritur cognitio eorum, quæ populo DEI proponenda, quæq́; ad regni CHRISTI propagationem pertinent. Miniſterii requiſitum

XIIX. Ex promiſsione Spiritus ſancti colligere promtum eſt, quantô amore CHRISTUS Eccleſiam ſuam proſequatur, quantamvè pro ea curam gerat.

XIX. De ſummo CHRISTI beneficio, quòd pacem amiſſam ſuô nobis meritô recuperavit. Eſa. 9, 6. Rom. 14, 17. Phil. 4, 7. Luc. 2, 14. Pax Chriſti beneficium ſummum.

XX. Fructus enim abitûs CHRISTI ad Patrem, per paſſionem, mortem, reſurrectionem & adſcenſionem, eſt reconciliatio noſtra cum DEO. Rom. 5, 10. 2. Cor. 5, 18. 19. Eph. 2. 14 16 17. Col. 1, 20. Abitûs Chriſti fructus.

XXI. Pax illa conſcientiæ cum DEO non in Lege, nec in noſtris meritis, ſed in ſolo Evangelio offertur. Rom. 1, 16. & 4, 5. & 5, 1 Eſa. 9, 6. & 64, 6. Matth. 15, 9. 2. Cor. 5, 20. 1. Joh. 3, 21. Eph. 6, 15. Phil. 4. 7. Pax in Evangelio.

XXII. Colligitur ex hac CHRISTI de pace promiſsione, Pax duplex.

1. Pacem eſſe duplicem; ſpiritualem & corporalem, externam & internam, cœleſtem & mundanam, æternam & temporariam:
2. Pacem etiam corporalem & externam eſſe magnum DEI donum. 1. Tim. 2, 2.
3. Pacem verò ſpiritualem & internam, cœleſtem & æternam donum eſſe longè præſtantius & auguſtius.
4. Pacem illam ſpiritualem complecti tria: (1) reconciliationem Pacis ſpiritualis contenta.

C

tionem hominis cum DEO: (2) tranquillitatem conſcientiæ, quæ naſcitur ex agnitione & ſenſu hujus gratiæ: (3) ac mutuam hominum concordiam, quæ ex mentis tranquillitate & adfectuum debitò ordine naſcitur. Gerh. p. 645.

5. Pacis iſtius ſpiritualis auctorem & ἀρχηγὸν eſſe JESUM CHRISTUM. Eſa. 9, 6. Eph. 2, 14. Col. 1, 20. Act. 10, 36. Eph. 6, 15. In hac vita pax illa inchoatur, in altera conſummabitur.

XXIII. Pax externa non cum jactura internæ ſeu ſpiritualis pacis eſt quærenda & acceptanda. Zach. 8, 19.

Eccleſia errare poteſt & Papa.

XXIV. Ineptè admodum concludunt Pontificii: Spiritus ſanctus eſt promiſſus Eccleſiæ: Ergò errare non poteſt: Ergò infallibili adſiſtentia apud Papam & Prælatos eſt quodammodo adfixus: Ergò omnia Papæ, Conciliorum & Patrum, in Synodo generali congregatorum, placita ac decreta mera ſunt oracula; cùm contrà omnis homo mendax Pſal. 116, 11. pronuncietur. Refutat has ineptias copioſè D. Gerhard. harm. pag. 622. 623. 624. 625.

Spiritus S. non manet cum peccatoribus.

XXV. Quia Spiritus DEI, ſanctus dicitur Spiritus, utiq; cum ἀνοσίοις, qui ſceleribus & flagitiis corpus animamq; contaminant, non manebit. Sap. 1, 4. 2. Cor. 6, 15.

PARS III.

Fuit etiam ſecunda Evangelii pars, reſtat ultima. Ubi Spiritûs ſancti conſolatio, ibi verum cordis gaudium & exſultatio: illam promiſit diſcipulis Salvator; de hac nihil quicquam dubitare præſumant. Oriturum verò erat gaudium diſcipulorum,

Gaudium Apoſtolorũ unde.

Timoris remotio.

ταράσσεσθαι.

1. *Ex timoris remotione:* Patre enim per Filium reconciliatô, nullus in animis credentium timori locus debet eſſe reliquus, ſic ipſomet præcipiente Dominô: *Non turbetur cor veſtrum, neq; formidet.* Verbum ταράσσεσθαι vehementis commotionis ac perturbationis vim habet; ſicut perturbabatur Herodis animus cùm audiret, natum eſſe novum Regem: Matth. 2, 3. ac diſcipuli turbabantur, cùm putarent adeſſe ſpectrum, unde præ timore exclamabant: Matth. 14, 26. Marc. 6, 50. Luc. 24, 38. ut & Zacharias ad repentinum Angeli conſpectum. Luc. 1, 12. Eſtq; metaphora à commotione aquæ deſumta. Joh. 5, 4. Lætitia enim eſt q. mentis tranquillitas; ſed pavor, timor & horror ſunt ejusdem perturbationes. Vide plura in feſt. Philipp. & Jacob. diſpoſ. 1. part. 1. Δειλιᾶν eſt, ob igna-

δειλιᾶν.

Digitized by Google

ignaviam ac timiditatem refugere & detrectare periculum, eſſe animò timidô ac pavidô: unde cùm ob inſolitam maris tempeſtatem diſcipuli vitæ ſuæ timerent, vocabantur à CHRISTO δειλοὶ Matth. 8, 26. Marc. 4, 40. Apoc. 21, 8. δειλοὶ cum ἀπίστοις & aliis enormiter flagitioſis conjunguntur. Notetur hoc locô, quòd CHRISTUS perturbationem cum timore jungat; ubi prius refertur ad effectum, ex prædictione abitûs CHRISTI in Apoſtolis ortum, poſterius ad adfectum, ex prædictione malorum, in mundo Apoſtolis imminentium, ortum. Duo enim, ait D. Gerh. harm. p. 649. prædixerat CHRISTUS Apoſtolis; (1) quidem, ſe per mortem ab illis abiturum, inde cor ipſorum perturbabatur: (2) pericula & perſecutiones ipſis in mundo imminere, inde cor ipſorum formidabat & quaſi colliqueſcebat. Utriq; animi morbo hæc particula conſolationis cujusdam locô opponitur.

2. *Ex reditûs promiſſione: Audiſtis, quod ego dixi vobis; vado & venio ad vos:* h. e. morte ſuperatâ, genereq; humanô Patri placatô, ex mortuis ſum reſurrecturus, ad vos reverſurus, & vobiſcum manſurus omnibus diebus, ad ipſam uſq; ſeculi conſummationem, quâ peractâ, ad me vos glorioſe ſum recepturus. Ergò non eſt, quòd ob diſceſſum meum turbemini, qui vobis non triſtitiæ, ſed lætitiæ ſempiternæ anſam præbebit. Verbum ἔρχομαι ponitur pro ἐπαναλεύσομαι, præſens pro futuro, & ſimplex pro compoſito, more Hebræis uſitatô; abeo & venio h. e. redibo ad vos, diſcedo, mox rediturus.

3. *Ex felici ſtatuum permutatione:* Ex ſtatu enim *κενώσεως* ſive exinanitionis profundiſſimæ transferat ad ſtatum *ὑπερυψώσεως* ſive exaltationis glorioſiſſimæ. Huc ſpectant verba: *Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quòd dixerim vobis, vado ad Patrem.* Involvunt hæc verba argumentum ſive cauſam, ob quam abitum ſive mortem CHRISTI lugere Apoſtoli non debeant, cùm mors ejus ſit futura glorioſa, h. e. ordinata ad exaltationis gloriam; eſt enim emphaſis in vocabulo ME, ſi diligeretis me, h. e. meam gloriam & majeſtatem, in quam non modò propter me, ſed etiam propter vos, & in veſtrum commodum ſum ingreſſurus, utiq; gauderetis, tùm propter gloriam meam, tùm propter commodum veſtrum, quia abitu meô ad eam vobis aditum ſum patefacturus. Interim & illud CHRISTUS ſubinnuit, diſcipulos nondum rectè & perfectè ſe diligere, ſed humanis adfectibus plùs, quàm par eſt, indulgere. Diligebant quidem Apoſtoli CHRISTUM; ſed ſeipſos plus, Mors Chriſti glorioſa.

quàm CHRISTUM; ideò enim moleſtè ferebant ipſius diſceſſum, quòd commodis viſibilis præſentiæ ægrè carebant. Ineſt igitur ſimul his verbis tacita quædam ἐπίπληξις ſive objurgatio; ſi diligeretis me, verè ſcilicet ac perfectè, tum haut dubiè gauderetis, deq; tàm ſalutari abitu & mihi & vobis ex animo eſſetis gratulaturi. Ratio cõſequentiæ eſt, quia depoſitâ infirmitate hac mortali abeo ad Patrem, per paſſionem ac mortem in gloriam meam ingreſſurus, & ad dexteram Patris mei cœleſtis conſeſſurus, adficiendus ab eo honore & gloriâ inæſtimabili. Additur cauſa; *quia Pater major me eſt.* Majorem autem ſe Patrem adſerendo, nihil quicquam ὁμοουσίᾳ ſuæ cum Patre detractum voluit. Ideò enim Pater major, quia Filius ſeſe exinanivit, & Homo factus eſt. Quæ ſententia Auguſtinum habet ὁμόψηφον; ita enim ille: *Unum ſunt Pater & Filius, ſecundum id, quod DEUS erat Verbum; major eſt Pater ſecundum id, quod Verbum caro factum eſt.* Ergò non ſimpliciter, ſed comparatè hæc verba ſunt accipienda.

Pater Chriſtô major.

Ceterùm variè hic textus, ob Arianorum κυβείαν, à veteribus olim fuit expoſitus;

1. quidam enim de divina natura expoſuerunt:
2. alii κατὰ δόξαν, ſecundum opinionem Apoſtolorum dictum eſſe ſtatuerunt:
3. aliqui de perſona Mediatoris explicuerunt:
4. nonnulli ratione officii CHRISTUM Patre minorem dici exiſtimaverunt:
5. alii de CHRISTO ſecundum humanam Naturam rectiſſimè interpretantur; quam ſententiam D. Gerh. in harm. pag. 658. 659. 660. nervosè probavit:
6. alii de ſtatu exinanitionis non incommodè acceperunt:
7. alii etiam nomen μείζονος non de majori quantitate, ſed de meliori qualitate ſive conditione intelligendum eſſe docuerunt. Vide d. l. plura, & confer D. Tarn. comm. in Joh. p. 1044.

4. *Ex meriti CHRISTI adplicatione.* Ideò enim de paſſione ſua toties verba ſeſe feciſſe ait, ut non tantùm cordatiores redderentur, ſed & eventu dicta comprobari animadvertentes, firmiùs crederent Evangelio, atq; in fide ſua, quâ ſolâ fit meriti CHRISTI adplicatio, confirmarentur. Verbis: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis:* quid vero?

1. me haudquaquam inſcium vel invitum capi, crucifigi, mori; ſed ſcientem ac volentem;

2. me

Digitized by Google

2. me per adſcenſionem meam ideo ad Patrem ire, ut æquali cum ipſo fruar felicitate & gloriâ:
3. me promiſsionis memorem miſſurum vobis Spiritum ſanctum.
4. me in prædictionibus meis fuiſſe veracem;
5. Patrem cœleſtem curam mei agere ſingularem:
6. me eſſe promiſſum Meſſiam, quin & verum DEUM, DEI Filium, D. Gerhard. p. 665.

5. *Ex ſatanæ devictione*, tanquam cauſa paſſionis concurrente instrumentali: *Poſthac non multa loquar vobiſcum*, quandoquidem hora illa inſtat, quâ à vobis abeam, & à verbis ad facta, à ſermone ad opus tranſeam, ut ſicut hactenus in prædicatione Evangelii voluntatem Patris perfeci: ita eandem in generis humani redemtione perficiam, propter utrumq; enim ſum miſſus. *Venit enim* (jam jam) *princeps mundi hujus*, diabolus ſcilicet, (Johan. 12, 31. & 16, 11. Eph. 6, 12.) & cum ſatellitio ſuo impetum in me faciet, ad ſupplicium crucis ignominioſiſſimum me abrepturus, & potentiam in me ſuam experturus; verùm conatu planè irritò, quia in me, tanquam à peccatoribus ſegregato, nihil quicquam juris habet. Non enim ſum peccator, ut ceteri homines. Quæritur autem h. l.

1. Cur diabolus dicatur princeps hujus mundi? Non certè quòd ipſe mundum hunc viſibilem, aut quidquam eorum, quæ ſunt in mundo, creârit; nec quaſi mundum pro ſuo arbitrio ac nutu etiã contra DEI voluntatem gubernet; ſed princeps mundi vocatur ratione — *princeps Diabolus mundi.*

1. *falſæ gloriationis*; Matth. 4, 9. Luc. 4, 6.
2. *operationis*, quâ efficaciter agit in filiis incredulitatis; Eph. 2, 2. 2. Cor. 4, 4.
3. *ſpontaneæ ſubjectionis*;
4. *perverſæ opinionis*; quia hominum opinione princeps eſt:
5. *tyrannicæ poteſtatis & dominationis*, quia per & propter peccatum dominium, vel potiùs tyrannidem (quam Cyrillus dicit principatum adulterinum) in genus humanum conſecutus eſt. Rom. 5, 14. Heb. 2, 14. Vide D. Gerh. part. 1. harm. pag. 533. & part. 3. pag. 667.

2. Cur CHRISTUS paſſionem ſuam ad principem hujus mundi diabolum referat? Factum hoc cenſetur, — *Paſſio Chriſti ad diabolũ quomodo relata.*

1. *propter principalem cauſam impulſivam*; Luc. 22, 3. 53.
2. *propter imminentis certaminis magnitudinem*;
3. *propter cauſarum ſociarum multitudinem*;

4. *propter præſentis mali certitudinem;*
5. *propter ſatanæ fortitudinem*, quia totis viribus ſtudioq; indefeſſò, ut hoſtis CHRISTI ἀσπονδος, hoc agit, ut calcaneo ipſius inſidietur. Vide D. Gerh. part. 3. p. 668.669.

3. Cur CHRISTUS addat, non habet in me quidquam, cùm mori tandem ipſum oportuerit, atq; ita ſuccumbere viſus fuerit? Reſpondet D. Gerhard. d. l. pag. 670.

1. Quia negat, ſe ob propria peccata vel ſuâ culpâ pati, crucifigi ac mori; nulla enim in CHRISTO ἀνομία: Pſal. 69, 5. Joh. 8, 41.
2. Negat diabolum quidquam juris in ſe habere; ubi nullum peccatum, ibi nullum diaboli jus: 1. Cor. 15, 55.
3. Negat ſe coactum & invitum, vel à diabolo ſuperatum pati ac mori:
4. Negat diabolum ſibi prævaliturum.

Porrò amplificatur hæc particula προκατάληψει, per ἀνθ̓ἕσιν ἢ ἀναίρεσιν ſive remotionem falſæ, ac poſitionem veræ cauſæ Potuiſſent enim diſcipuli dare ἔνστασιν: Si nihil juris in te habet ſatan, cur ergò ad mortem & crucem uſq; te perſequetur? Λύσις habet cauſam impellentem & finalem paſſionis, CHRISTI dilectionem, & Patris voluntatem. Senſus eſt: non morior ullâ meâ culpâ, quòd diabolus mortis in me cauſam inveniat, aut viribus ſuis me cogat; ſed ut voluntati Patris morem geram, qui vult, ut patiar, & pro ſalute humano generi impetranda mortem ſubeam. Hæc enim ſola & unica eſt cauſa, quòd ad mortem quodammodo properem, & ſponte meâ hoſtibus meis in occurſum proficiſcar. Vide plura, ad uberiorem textûs hujus intelligentiam facientia, in harm. D. Gerh. pag. 675. ubi ſimul exponit, quid mundi nomine h. l. veniat; cur CHRISTUS morti ſeſe obtulerit; pag 676.677.678. quòd CHRISTUS in ſtatu exinanitionis hæc quidem locutus fuerit, decretum autem æternum ſemper præſuppoſuerit; pag. 679. quô ſenſu diſcipulos in hortum ſecum evocaverit, pag. 680.681. tandem verò pag. 682. ita concludit: Simplicisſimè reſpondetur, quòd CHRISTUS hortatus quidem verbis hiſce fuerit Apoſtolos, ut à menſa, cui adhuc aſſidebant, ſurgerent, & ad locum, ubi comprehendendus erat, ſecum exirent: interim, ut fieri ſolet, aliquantiſper adhuc in cœnaculo fuiſſe commoratum, ſermonem ex ſermone longiùs traxiſſe, ſtando reſiduam valedictoriæ hujus concionis partem abſolviſſe, preces Patri cœleſti obtuliſſe, ac tum demum abitionem

extra

Digitized by Google

extra urbem in hortum oliveti, ad quam diſcipulos paratos eſſe jubet; ſuſcepiſſe:

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Quemadmodum ſummum malorum, quæ Lex comminatur, eſt cor pavidum & formidine plenum; Levit. 26, 36. Deut. 28, 65. ita maximum bonorum, quæ CHRISTUS nobis promeruit, inq; Evangelio offert, eſt cor de gratia DEI certum, ac proinde lætum & tranquillum. Rom. 5, 1. Cor tranquillum.

II. Fideles CHRISTI non habent cauſam formidandi, Patre per Filium placatô, & Spiritu ſanctô in corda eorum effuſô. 2. Cor. 7, 5. Sap. 17, 12. 13. Rom. 5, 1. & 8, 15. Gal. 4, 6. Timoris cauſa nulla.

III. CHRISTUS in cruce quandoq; nobis videtur abire, non quòd abſolutè & ſimpliciter à nobis diſcedat; ſed quòd præſentiæ ſuæ gratioſæ ſenſum nobis ſubtrahat, & vivificæ conſolationis efficaciam ad tempus à nobis abſcondat, ex quo triſtitia ac dolor in cordibus noſtris exoritur. Chriſti abitio à nobis.

IV. Abitus ad Patrem & ipſi CHRISTO, & nobis eſt exoptatus: CHRISTO enim finem malorum, nobis æternam juſtitiam ac vitam peperit. Luc. 24, 26. Pſal. 110, 7. Joh. 17, 24.

V. CHRISTUS pios ſuos, cruci in hoc mundo ſubjectos, nunquam eſt deſerturus. Matth. 28, 20. Johan. 4, 18. Vide Domin. Jubil.

VI. Gratulemur iis, qui ex hac miſeriarum valle piè deceſſerunt. Sap. 3, 1. Apoc. 14, 13.

VII. CHRISTUS quà homo, ſanctus eſt & ἀναμάρτητος; quia ſatanas nihil habet in eum juris. Joh. 8, 46. Hebr. 7, 26. 2. Corinth. 5, 21.

IIX. Teſtimonium divinitatis CHRISTI h. l. habemus geminum; quorum Divinitas Chriſti.

1. eſt *pacis ſpiritualis elargitio*; Phil. 4, 7. Eſa. 9, 6.
2. *futurorum prædictio*, quæ certè divinam planè perſonam præſupponunt. Eſa. 41, 23.

IX. Colligitur ex hac phraſi, de abitu CHRISTI ad Patrem.

1. quòd mors CHRISTI fuerit ingreſſus ad gloriam Patris:
2. quòd ex vera CHRISTI dilectione gaudere debeamus, ipſum ad Patrem h. e. in ſuam & Patris gloriam ingreſſum eſſe:
3. quod omnium verè-piorum mors ſit abitus ad Patrem: 2. Cor. 5, 1. Phil. 1, 23.

4. quòd

4. quòd de noſtro ex hoc mundo deceſſu gaudere debeamus: Joh. 17, 24. *Ejus eſt mortem timere, qui ad* CHRISTUM *nolit ire:* Cyprian.

5. quòd ob cognatorum & amicorum obitum plus juſtô dolere non debeamus.

Arianiſmus de Chriſti divinitate.

X. Nihil hîc moramur Arii blaſphemiam, qui ex dicto; Pater major me eſt: divinitatem CHRISTI impugnare blaſphemè conatus eſt; cùm tamen hoc in loco non de divina, ſed humana ſua natura loquatur, ſecundum quam ad dexteram Patris erat collocandus. Et ſanè juxta illam naturam ſemper eſt & manet minor, h. e. inferior Patre: at cùm de divina ſua natura ipſi ſermo eſt, ibi dicit: Ego & Pater unum ſumus. Joh. 10, 30. & 14, 10. 11.

XI. Urgenda ſunt contra iſtam Arii impietatem teſtimonia Scripturæ evidentisſima, in quibus Patri CHRISTUS dicitur æqualis. Joh. 5, 18. & 10, 30. & 16, 15. & 14, 9. 10. Phil. 2, 6. Confer D. Gerh. harm. part. 3. pag 654. ſeqq.

XII. Uſus omnium prædictionum & vaticiniorum eſt confirmatio fidei. Joh. 16. 4.

Fidei gradus.

XIII. Fides ſuos habet gradûs & incrementa.

Diabolus princeps mundi.

XIV. Non imbellem & imbecillem, ſed fortem habemus adverſarium, qui vocatur princeps mundi hujus, non ratione creationis vel gubernationis; ſed ratione dominationis, quatenus ille per peccatum dominium, tyrannidem veriùs, in genus humanum eſt conſecutus, ut mentes hominum, DEô permittente, excæcare & ad ſcelera varia impellere poſſit. Eph. 2, 2. & 6, 12. 2. Tim. 2, 26. 1. Pet. 5, 8. Luc 11, 21. Job 40. 20.

Diabolus amiſit poteſtatem.

XV. CHRISTUS cùm ſit ἀναμάρτητος, nihil in ipſum juris habuit ſatanas; & quia (quod Hilarius ait) injuſtè in CHRISTUM manûs injecit, omnem ſuam poteſtatem amiſit Heb. 7, 26.

XVI. Ab organis ſatanæ ad cauſam principalem, à qua impelluntur & inſtigantur, oculos noſtros convertamus; ac cœtum eorum, qui CHRISTUM & verbum ejus perſequuntur, intueamur, non ut cœtum hominum, ſed ut catervam diabolorum.

Amoris Chriſti teſtimonium

XVII. Teſtimonium habemus amoris CHRISTI erga nos infallibile, quem in eo teſtatum fecit, quòd noſtri redimendi cauſâ mortem innocens ſubire voluit. Luc. 22, 15. Joh. 13, 1 & 15, 13

XIX. Mors CHRISTI in æterno ſacroſanctæ Trinitatis conſil[illegible] decreta Act. 2, 23. & 4, 28.

Mors Chriſti libera.

XX. Pater inde, mortem CHRISTI, non fuiſſe coactam, ſed liberam ac ſpontaneam.

XX.

Digitized by Google

XX. In Scriptura nonnunquam idem opus tribuitur Deo, & ſatanæ & hominibus, modum explicat D. Finck. Cent.I. can.48.

XXI. Ex clauſula Evangelii colligitur,

1. quòd Cristus non ſuerit Deo & mandatis ejus contrarius:
2. quòd obedientiâ ſua pro omnium hominum inobedientia ſatisfecerit: Rom. 5, 19.
3. quòd Pater cœleſtis ratum & gratum habeat, quicquid paſſione & morte ſuâ Christus promeruit: Eph. 1,6.
4. quòd ſancta Christi obedientia primariò ac præcipuè ſit noſtrum meritum, ſecundariò tamen & conſequenter nobis etiam in exemplum propoſita:
5. quòd exemplò Christi non ſolùm mandatorum obſervantiâ, ſed crucis etiam impoſitæ tolerantiâ noſtram erga Deum dilectionem teſtatam reddere debeamus

XXII. Cur Christus in hortum exierit, & diſcipulos unà ſecum eò abduxerit, hujus verò utriusq; rei cauſas adſignavit D. Gerh. part. 3. harmon. pag. 684. quibus tandem ſubjungit uſum horum omnium myſticum p 685.

XXIII. Spiritus ſanctus parat in nobis voluntariam obedientiam, tandemq; illud in nobis efficit, ut per mortem promtè ad Deum in patriam cœleſtem emigremus. Pſal. 110, 3. Rom. 8, 14. Concludo cum D. Gerhardo p. m. ſubinde ingemiſcens:

Da mihi, da pacem pacis mitiſſime Princeps,
Sed pacem tantùm da mihi CHRISTE tuam!

Addo

Et mihi cùm mortis decreta advenerit hora,
Da quoq; tranquillè CHRISTE benigne mori!

DISPOSITIO SECUNDA

Propositio διμερής.

Duo nobis præſentis Evangelii περικοπὴ conſideranda proponit κεφάλαια:

I. *CHRISTUM quæſito Judæ reſpondentem;*

II. *CHISTUM Apoſtolos ſuos conſolantem*: ibi habemus diſcipulorum de Christi revelatione *informationem*; hic eorundem adverſus abitum & mortem Christi *conſolationem*.

PARS I.

Ἀφορμὴν reſponſioni ſeu concioni huic præbuit Apoſtolorum CHRISTI unus, nomine Judas; non quidem ille πονηρὸς κομμαλος Judas Iſchariodes, Magiſtri ac Domini ſui proditor nefarius ſed alter, Judas Lebbæus, qui & Thaddæus cognomine dictus, cujus adhuc in ſcriptis N. T. epiſtolam exſtare volunt. Dixerat is Salvatori, promittenti diligentibus ſeſe ἐμφανισμὸν ſive manifeſtationem ſui: Domine, cur tantùm nobis diſcipulis, non mundo universo te es revelaturus? Es enim Meſſias, Sol ille juſtitiæ propheticus Mal. 4, 2. à quo totus mundus illuminari debet. Quærit Judas, ex ſola ignorantia veri ac genuini ſensûs, quòd diſcere cuperet Magiſtri verba rectè intelligere, & malo, quod impendere audierat, remedium quærere, uti adnotat D. Tarn in Joh. pag. 1039. Huic quæſito in principio Evangelii reſpondet Salvator JESUS,

Judas Lebbæus.

I. *Sui dilectionem requirendo.* Non eſt ἀπροσδιόνυσος, uti primâ fronte videtur, hæc CHRISTI reſponſio. Etſi enim de revelatione quærenti, reſpondet de dilectione: aptiſſimè tamen reſpondet, cauſam exprimens, cur manifeſtari nolit mundo; quia nimirùm à mundo non diligatur. Diſcipulis autem & aliis omnibus, animô ſeſe ſincerô dilecturis, manifeſtationem palàm pollicetur. Confer D. Pelarg. in Joh. fol. 165 b.

Dilectionis Chriſti noſtra.

II. *Dilectionis* τεκμήριον *infallibile producendo*, quòd in ſermonis vel mandatorum obſervantia conſiſtat. Loquitur h. l. CHRISTUS non νομικῶς, ſecundum Legem, ſed εὐαγγελικῶς, ſecundum interpretationem Evangelii, ratione cujus ſervare ſermonem vel mandata CHRISTI, eſt accipere & retinere Evangelium fide, ſic, ut cor adſentiatur verè, & verè credat. Item, profiteri doctrinam adprehenſam, & tandem obedire illi fide & bonâ conſcientiâ. D. Pel. fol. 166. a. Atq; hoc ſenſu de diſcipulis ſuis Joh 17, 6. pronunciat Servator, quòd ſermonem ſuum ſervaverint, licèt magna ipſorum eſſet imbecillitas. Et de nobis idem adfirmari debet, ſi tenemus doctrinam Evangelii incorruptam, cum propoſito retinendi fidem bonamq; conſcientiam.

Servare ſermonē Chriſti.

Dilectionis præmium.

III. *Dilectionis præmium conſtituendo*, nimirùm

1. *reciprocam Patris dilectionem*, quæ tamen non conſideratur, ut αἴτιον ſive cauſa promerens, ſed ut τεκμήριον ſive nota infallibiliter monſtrans ſubjecta, quæ amore ſuô Pater cœleſtis complectitur.

2. *Gra-*

Digitized by Google

2. *Gratioſam ſacroſanctæ Trinitatis inhabitationem*, expreſſam per τὸ ἐλθεῖν, καὶ μονὴν ποιεῖν, venire & manſionem facere. Etſi enim Patris tantùm Filiiq; expreſſa fiat mentio: Spiritus tamen ſanctus hoc in loco neceſſariò eſt ſubintelligendus. Eſt enim Amor, nexus ac vinculum Patris atq; Filii συναΐδιον. Confer D. Gerh. part. 3. harm. pag. 595. Trinitatis inhabitatio.

Modum veniendi myſticum egregiè deſcribit Auguſtinus: *DEUS*, inquiens, *Trinitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt ſubveniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo.*

IV. Veros ſuos cultores à falſis & hypocriticis diſcernendo. A contrario enim oſtendit, eos ſolùm fieri ſacroſanctæ Trinitatis domicilia, qui, quod ore fatentur, opere complent, atq; ita veri ſunt verbi cuſtodes. Per λόγυς ſignificat doctrinam & præcepta. Contrà verò illos, qui verbum vel abjiciunt, vel negligunt, vel parvipendunt, vel non ſervant, non pertinere ad iſtum ſanctorum numerum, cùm ſermone ac dilectione careant, & ἑπομένως non poſſint eſſe tanti hoſpitis habitacula. Quòd autem λόγον ait non eſſe ſuum, ſed Patris mittentis, nihil hoc parit contradictionis; ſed facit (1) tùm ad πληροφορίαν, quod non nova proferat proprii cerebri inventa; ſed divina Patris cœleſtis oracula, cum quo unius & ejuſdem ſit & ſubſtantiæ & voluntatis: (2) tùm ad συζυγίαν; cauſam enim ſuam conjungit cum cauſa Patris, à qua Judæi ſemper negotium CHRISTI divellere conati fuerant. Subjungit tandem ἐπίλογον reſponſionis, ad priores conciones diſcipulorum animos revocando: Hæc locutus ſum vobis apud vos manens.

Uſus I. Informatorius.

I. De duplici beneficiorum Pentecoſtalium genere; quorum eſt Pentecoſtalia beneficia.

1. *Caritatem incendere*, tùm erga DEUM, tùm erga proximum. Caritatem iſtam non docet caro & ſanguis; Gal. 5, 17. Matth. 16, 17. ſed ignis ille caritatis entheus ab igne cœleſti Spiritu ſancto eſt accendendus. 1. Cor. 12, 3. Gal. 5, 22. Zach. 12, 10. Rom. 5, 5. Sicut enim Spiritus ſanctus eſt ſubſtantialis Amor inter Patrem & Filium: ita accendit in nobis ſimilem erga DEUM adfectum. Hinc orat Eccleſia:

Digitized by Google

Du ſüſſe Liebe ſchenck vns deine Gunſt/
Laß vns empfinden der Liebe Brunſt/
Daß wir vns von Hertzen/
Einander lieben/
Vnd im Friede auff einem Sinne bleiben.

Poſitâ autem ſincerâ Dei dilectione; proximi etiam dilectio ἀντιπόκειτ© ſponte ſubſequetur. 1. Joh. 4,20. Rom.12,9.

2. *Templum DEI exſtruere*, quod & ipſum auctorem habet Spiritum ſanctum, vinculum illud Trinitatis firmum & indiſſolubile, uti Bernhardus loquitur. 1. Joh.4,13. Rom. 8,9.Eph.3,17.1. Cor. 6,19 2. Cor.6,16. 1. Joh 1,3.

II. De Spiritu ſancto,cujus hoc feſtum eſt peculiare ac proprium. Dn. Monradus part. 2. pag. 4. 5. 6. 7. doctrinam hanc ita proponit, ut conſideret

1. à quo detur,
2. quomodo detur,
3. per quæ media detur,
4. quibus detur

} Spiritus ſanctus:

5. quòd ſemper adfuerit Eccleſiæ,
6. quòd ſit conſolator noſter,
7. quòd ſit Eccleſiæ Gubernator, Doctor & defenſor;
8. quòd ſit Dux noſter Spiritus ſanctus:
9. Unde quis ſcire poſſit, quòd habeat Spiritum ſanctum, nim. ex pugna adverſus carnem.

II. Conſolatorius.

Magna ad nos redundat conſolatio,

1. ex dictis beneficiis Pentecoſtalibus, quippè nos tantô Deus dignatur honore, ut corda noſtra grata & jucunda ſibi faciat habitacula. O gratiam! ô clementiam! 1. Cor. 3,16. Prov.8,31. Eſa. 57,15. & 66,2. Apoc. 21,3.

2. Ex Christi ad Patrem abitu, qui ita eſt comparatus, ut ſimul nobiſcum ipſe maneat ἀόρατ©. Matth. 18,28. & 28,20.

3. Ex futuro habitaculo in cœlis: quandoquidem enim hic in ſanctuario & contritis cordibus Deus habitat; illis cum ipſo perpetuò in excelſis habitabimus. Joh. 12,26. & 17,24.

III. Monitorius.

1. Noſtrum eſt, beneficia iſthæc gratâ mente agnoſcere, & tantò

tantò hoſpite non indignos nos gerere. Joh. 15, 9. 14. 1. Cor. 6, 9. 2. Cor. 6, 14. Sir. 1, 35. 1. Cor. 2, 10. Sap. 1, 4.

2. Noſtrum quoq; eſt, verbi divini contemtum cavere, quô præſente, nullus eſt dilectioni & inhabitationi Dei locus. Oſe. 4, 6. & 9, 12.

3. Noſtrum inſuper eſt Jesum diligere, qui prior nos dilexit, & mortis ſuæ lytrò nos redemit. Vide Monr. d. l.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui tale requirunt inhabitationis apud homines ſubjectum, quod planè ſit ἀναμάρτητον, nullô nec originalis, nec actualis peccati labe pollutum, hunc in modum deblaterante Jeſuitâ Schererô: Dieweil das die vnlaugbare vnd vngezweiffelte Warheit iſt / daß die vnzertrente Dreyfaltigkeit im Hertzen der Kinder Gottes wohnet / muß entgegen ein gar grober Irrthumb ſeyn / deren / die da fürgeben / die Erbſünde bleibe auch in den Getaufften vnd Widergebornen / ſambt allen würcklichen Sünden / bis in die Todt-Gruben. Was iſt das für ein ſauber wolgebutzter Tempel vnd Pallaſt / darinnen ein ſolcher Vnflat / Koth / Wuſt vnd Grewel der Sünden ligt? Was ſol GOtt da machen / der allen Sünden zu wider iſt. 2. Cor. 6, 14. 15. — Papiſmus requirit in hac vita homines ἀναμαρτήτους.

Reſp. 1. *Profluxit* error ex falſo principio, peccatum ita tolli in Baptiſmo ab homine, ut nullum ejus veſtigium maneat in renatis reliquum, immò nihil amplius ſit, quòd ad culpam imputari queat. 2. *Peccatum* autem in renatis etiam poſt Baptiſmum ſupereſſe patet, tùm ex Paulina querela; Rom. 7, 14 & ſeqq. tùm ex luctâ, quæ ſentitur in renatis; tùm ex propria renatorum confeſſione; 1. Joh. 1, 8. tùm ex effectu peccati, vires ſuas in renatis etiam exerentis; quin mortem gignentis, in ipſis etiam infantibus ſtatim poſt Baptiſmum decedentibus. 3. *Etſi* igitur per regenerationis gratiam peccatum originis prorſus condonatur; non tamen quoad materiale funditùs extirpatur. 4. *Argumentum* Tonſoris intorſum quod ſpectat, verum quidem eſt, Deum & peccatum non ſimul poſſe ſtare, ſed quoad regnum & dominium, ſeu quoad gradûs eosdem. 5. *Diſtinguendum* enim inter peccatum regnans, & non regnans; inter peccatum facere & habere. Renati quidem peccatum habent, 1. Joh. 1, 8 ſed non faciunt, 1 Joh. 3, 9. h. e. frenum ei non laxant & ſed illi reſiſtunt. 6. *Diſtinguendum* etiam inter odiô dignum eſſe & odio haberi; ſeu inter odibile & odium actuale. Peccatum quidem in ſeſe Dei odium ſemper meretur,

nec unquam fit res Deo grata: in renatis autem propter Christum, qui omnes peccatorum pœnas ſuſtinuit, odium & ſupplicium actuale tollitur. Rom. 8, 1. 7. *Diſtinguendum* inter primitias Spiritûs, Rom. 8, 23. & inter perfectam Spiritûs plenitudinem: illæ ſunt hujus vitæ, hæc alterius. *Huc faciunt* ea, quæ Tom. 3. L. C. pag. 15. 13. & 15.14. habet D.Gerhardus: *Verba*, inquiens, *mundandi, delendi, lavandi &c. reatum planè & plenè ſolutum eſſe arguunt, interim tamen negari nequit*

1. *in carne renatorum adhuc habitare peccatum, teſte Apoſtolô Rom. 7, 14. & ſeqq.*
2. *In renatis manere luctam carnis & Spiritûs; Gal. 5, 17.*
3. *interiorem hominem in renatis quotidianâ renovatione indigere; 2. Cor. 4, 16.*
4. *infantes baptizatos & morbis & morti obnoxios eſſe; Rom. 5, 14.*
5. *etiam fidelium baptizatorum liberos peccato originali obnoxios naſci; Joh. 3, 6.*
6. *inde eadem Scriptura, quæ peccata deleri teſtatur, ea tegi, & non imputari adſerit. Rom. 4, 6. 7. &c.*

PARS II.

Revertitur jam Salvator Christus ad conſolationis telam pertexendam, in præcedentibus inchoatam; ſolaturq; Apoſtolos,

I. *de Spiritu ſancto eos erudiendo.* Sed non ſpem tantùm facit illis mittendi Spiritum ſanctum; verùm etiam de meliori donum hoc Pentecoſtale commendat;

1. *à nominibus* ejus propriis, quòd dicatur

παράκλητος.

1. παράκλητος, quæ vox ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν deducta, notat Advocatum ſeu Conſolatorem, de qua adpellatione alibi plura monuimus.
2. ἅγιος, ſanctus, quippe qui non terrena & mundana, ſed ſpiritualia & cœleſtia tradit, & eò motibus internis animos fidelium inclinat.

2. *A cauſa principali* ac intermedia. Mittendus enim à Patre in Nomine Christi.

Officium Spiritûs ſancti.

3. *Ab officio* duplici, quorum
   1. eſt *docere* omnia, ad ſalutem ſcilicet neceſſaria:
   2. *ſuggerere* omnia, quæ priùs Christus dixerat. Non

enim

enim novam adlaturus erat doctrinam, Scripturæ vel verbo revelato contrariam; ſed eam ipſam, quam Salvator, αὐτοπροσώπως καὶ αὐτοφώνως, ſonuerat, repetiturus inq; memoriam revocaturus. Theophylactus ita: *Quoniam obſcura erant diſcipulis quæ dicebantur, & alia quidem non intelligebant, & de aliis multùm dubitabant, ut ne iterum interrogent eum & dicant: quæ mandata ſervare debemus? liberat eos à turbatione, dicens: Paracletus obſcura & intellectu difficilia cognita vobis faciet. Nam hæc, quæ vobis videntur obſcura, dixi, cùm manerem & eſſem apud vos: ſi autem abiero, de omnibus docebimini.* De differentia verò inter τὸ διδάσκειν καὶ ὑπομιμνήσκειν ita ille: *Spiritus ſanctus & docuit, & ſuggeſſit. Docuit quidem, quæcunq; non dixerat eis* CHRISTUS, *utpote portare non valentes. Suggeſſit vero quæcunq; dixerat quidem Dominus, ſed obſcuriùs, vel quæ propter imbecillitatem rationis memoriâ comprehendere noluerunt Apoſtoli.*

II. *Pacem eis paratam largiendo.* Eſt enim pacis nomen apud omnes mortales admodum plauſibile: quia Pacis nomen gratum.

nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Collectio Enthymematica talis eſt:

Ex mundo abiturus pacem meam vobis relinquo:

Ergò non decet nec opus eſt, animô vos perturbatô eſſe ac formidoloſo.

Antecedens illuſtratur,

1. Ὅρῳ *ſeu definitione* pacis: Non enim quamlibet diſcipulis ſuis pacem pollicetur, ſed ſuam pacem. Pax illa eſt Pax Chriſti.

1. *cum* DEO; Rom. 5, 1.
2. *cum corde*, vel conſcientia; Rom. 8, 1. Col. 2, 14.
3. *cum proximo.* Matth. 5, 5. Rom. 12, 18. Eph. 4, 2, 32.

2. Διακρίσει, *diſtinctione* inter ſuam & mundi pacem. Pax mundi incerta eſt, inconſtans & ſimulata interdum; at pax ea, quæ CHRISTUM datorem & auctorem habet, ſtabilis eſt, immò firma, ſolida, immortalis, fine carens, licet millia bellorum undiq; ingruant. & quotidie millia inſidiarum parentur, uti B. Chryſoſtomus loquitur. Pax mundi.

III. *Abitûs ſui rationem & naturam oſtendendo*, qui ita eſt comparatus, ut inde non doloris aut triſtitiæ, ſed gaudii ac lætitiæ potiùs materia reſultet, tùm ad vos, inquit Salvator, quibus portas Paradiſi aperio, quibus cœli januam pando, quibus vitæ ſemitam monſtro, & Spiritum Paracletum mando; tùm ad me, in meliorem hac vitâ conditionem transferendum. Vado enim ad Patrem, qui

major

Digitized by Google

Pater major Filio.

major me eſt, ſc. ſecundum Divinitatem. Minor enim eſt ratione humanitatis: quia naturâ ſuâ adſumtâ ivit ad Patrem, qui Deitate nunquam à ſinu Patris diſceſſit. Confer Theophyl.

IV. *De morte ac paſſione ſua eos inſtituendo.* De illa verò loquitur tripliciter:

1. Προφητικῶς, certò eventuram *prædicendo*:

2. Ὀργανικῶς, cauſam inſtrumentalem, ſatanam cum organis ſuis Judæis, *perſtringendo.* Princeps is dicitur mundi, vel quia principatum obtinet in homines improbos; 2. Tim. 2, 26. vel quia imperium ſibi falsò arrogat in omnia mundi regna. Luc. 4, 6. Theophyl. *Principem hunc intellige mundi, non creaturæ, ſed mundi confuſi, & mundana ſapientis. Non enim cælum gubernat ac terram, quia omnia evertiſſet ac conturbâſſet, ſed ea, quæ ſponte ſe illi tradunt. Ideò & princeps tenebrarum dicitur.*

3. Τελικῶς, *finem* paſsionis ſuæ *ſignificando*, qui reſpectu piorum eſt fides; dixi vobis, ut credatis; reſpectu CHRISTI, promtisſima Patri obediendi voluntas.

Uſus 1. Informatorius.

De Spiritu ſancto; de quo tria hîc occurrunt ἀξιομνημόνευτα:

I. *Spiritûs ſancti eſſentia*, quis & quid ſit ratione perſonæ.

Spiritûs S. eſſentia.

Non eſt κτιστόν τι, ſive creatū quid, quod Arii & Macedonii quondam, hodiè Photinianorum maximè eſt delirium: ſed eſt tertia ſacroſanctæ Trinitatis perſona, Patri Filioq; ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος. Divinitas ejus probatur;

Spiritus S. eſt DEUS.

1. *ex divinis adpellationibus*: dicitur enim Jehovah, quod nomen eſt ſoli DEO competens. 2. Sam. 23. 2. 3. Act. 1, 16. dicitur etiam αὐτολεξεὶ DEUS. Act. 5, 5. 1. Cor. 6, 19. 2. Cor. 3, 17. & 6, 16. Eph. 4, 6.

2. *Ex divinis proprietatibus*, quales cumprimis ſunt,

1. *æternitas*; Hebr. 9, 14.
2. *immortalitas*; Sap. 12, 1.
3. *immenſitas* ſive omnipræſentia; Pſal. 139, 8. Sap. 1, 7. Joh. 14, 16.
4. *omnipoteſtas*; Luc. 11, 20. Eſa. 11, 2. Sap. 7, 23. & 11, 21. 2. Tim. 1, 7. & quæ ſunt proprietates DEI aliæ.

3. *Ex divinis operationibus*, utpote

1. *creatione*: Gen. 1. 2. Pſal. 33, 6. Job. 33, 4.
2. CHRISTI *conceptione*: Luc. 1, 35.

3. CHRI-

3. CHRISTI *unctione:* Pſal. 45, 8. Eſa. 61, 1. Act. 10, 38.
4. CHRISTI *à mortuis reſuſcitatione:* Rom. 8, 11.
5. *Hominum* 1. *regeneratione;* Joh. 3, 5. Tit. 3, 5. Joh. 1, 33, & 7, 29 33. Eſa. 44, 3. Ezech. 36, 25.
2. *vivificatione;* Joh. 6, 63.
3. *renovatione;* Pſal. 118, 27. Act. 16, 14. Jer. 31, 33.
6. *Miniſterii conſtitutione:* Gen. 6, 3. Matth. 10, 20. Joh. 16, 8. Act. 7, 51. & 13, 2. & 20, 28. 1. Cor. 12, 11. 2. Co. 3, 8.
7. *Futurorum revelatione.* Joh. 16, 13. Apoc. 19, 10.

4. *Ex divinis cultibus:* In Spiritum S. credimus & baptizamur, Spiritum S. invocamus: Ergò verus eſt DEUS.

II. *Perſonalis Spiritûs ſancti ſubſiſtentia,* & à reliquis perſonis differentia. Eſſe autem Spiritum S. perſonam *ἰδιοσύστατον*, propriâ perſonalitate præditam, liquidò patet in textu Evangelico. Alius enim eſt, qui mittit Spiritum, Pater; alius in cujus Nomine mittitur. Vin' clariùs? Ito ad Jordanem, & videbis. Differt verò à Patre & Filio *ἐκπορεύσει* illâ *ἀνεκδιηγήτῳ*, quæ eſt characteriſtica Spiritûs ſancti proprietas. In preced. plura. Spiritûs S. perſonalitas.

III. *Officii eminentia*, quod hoc locô conſtituitur triplex. Eſt enim Officium Spiritûs S.

1. *Conſolator;* hinc dicitur Paracletus, de quo officio alibi copioſiùs.
2. *Sanctificator*, hinc ſanctus vocatur, non modò *ἁγιωδῶς*, ſed & *ἐνεργητικῶς*, Eſa. 4, 4. Rom. 1, 4.
3. *Doctor*, hinc *διδάσκαλος* audit. Defungitur hoc officiô
   1. *publicè*, tùm Eccleſiæ Doctores gubernando; Matth. 10, 20. Joh. 15, 27. 2. Petr. 1, 21. 2. Cor. 3, 8. Eſa. 64, 10. tùm auditores informando: Act. 16, 14. Phil. 2, 13.
   2. *privatim*, piorum quorumvis animos illuminando, regenerando, renovando, docendo, ut ſciant, quâ ratione debeant rectè (1) credere; Joh. 6, 29. 2. Theſſ. 3, 2. (2) vivere; Rom. 8, 15. (3) diligere; Gal. 5, 22. (4) orare. Zach. 12, 10. Joh. 4, 23. Rom. 8, 26.

II. Conſolatorius.

1. Quòd non mortuus ſit CHRISTUS ex neceſſitate, quia omnipotens erat; neq; ex debito, quia ſanctus & immaculatus; ſed ex libera voluntate, quia miſericors & miſerator Dominus. Eſa. 53, 8. Joh. 10, 18. Chriſtus mortuus liberè.

2. Quòd in vita æterna exemti ab omni malo fruemur pace CHRISTI, h. e. omni bonô.

III. Monitorius.

1. Ut vegetam & florentem in animabus noſtris conſervemus pacem CHRISTI. Phil. 4, 7. Pſal. 51, 10.

2. Ut ſaturi hujus vitæ læti per mortem hinc emigremus. Vide Monrad. pag. 10.

3. Ut caveamus Spiritûs ſancti amiſſionem.

IV. Refutatorius.

Calviniſmus, de Spiritûs S amiſſione.

Calvinianorum, quorum παράδοξον, potiùs ἑτερόδοξον eſt, Spiritum S. ſemel acceptum, nunquam poſſe amitti. Oppono, quæ habentur Pſal. 51, 13. Eſa. 64, 10. Eph. 4. 30. Amiſſus poteſt recuperari,

1. *orando;* Luc. 11, 13. Act. 8, 15. Joël. 2, 32.

2. *verbum reverenter habendo;* Joh. 14, 23. Act. 10, 44.

3. *pœnitentiam veram agendo,* Act. 2, 38. quam in nobis omnibus ſalutariter operari dignetur benignus ille DEI Spiritus, cui cum Patre & Filio ſit gloria in omne ævum. Amen.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Dirigemus σκέψιν ac meditationem noſtram, in præſenti feſtivitate, ad unicum ſolummodò thema, dicturi, *de veris diſcipulorum Pentecoſtalium* (Pfingſt-Schüler) *tùm officiis, tùm privilegiis.*

Ἐξήγησις.

Pentecoſtalium diſcipulorũ officium.

Noſtra vel maximè intereſt, doctrinam propoſitam rectè & percipere & addiſcere, ne ſcientiâ deſtituti rerum, ad feſtivitatem hanc, immò ſalutem noſtram neceſſariarum, Spiritum DEI ſanctum amittamus vel excutiamus. Multi enim primitias Spiritûs ſancti in Baptiſmo quidem acceperunt, ſed donum iſthoc DEI ſalvificum iterum ingrati repudiârunt, & ſalutis ſuæ naufragium fecerunt. Tale quid ne nobis quoq; accidat, ante omnia ſcire expedit τὰ δέοντα, quæ pios, veros ac genuinos CHRISTI diſcipulos facere æquum, immò planè neceſſarium eſt. Regulis certis totum negotium, ſecuti ductum Evangelii includemus. Harum

I. eſt, *Dominum JESUM ſincerè diligere.* Præſupponitur fides,

fides, tanquam cauſa; dilectio enim eſt fructus vel effectus fidei. Gal. 5, 22. Rom. 14, 23. Heb. 11, 6. Cain non diligit, neq; Judas: pereunt itaq;. Petrus autem diligit, Joh. 21, 15. 16. 17. Ne verò quis ſe ipſum & alios decipiat, neceſſarium omninò fuerit Dilectio fidem præſupponit.

II. *Verbum* CHRISTI *ſervare.* Factô enim hic opus eſt, non verbis, quibus fruſtrà DEUS colitur. Eſa. 29, 1. Matth. 15, 8. Pſal. 50, 16. 17. Exulet verbum Papæ Romani: ſolus CHRISTUS eſt audiendus. Deut. 18, 18. 19. Matth. 17, 5. Verbum CHRISTI continet pœnitentiam & fidem, cum novæ obedientiæ ſtudio conjunctam. Marc. 1, 15. Act. 20, 21. Johan. 15, 14. Ceterùm verbum hoc CHRISTI ſervatur Verbum Chriſti.

Servare verbum Chriſti.

1. *auſcultando;* Luc. 11, 28. Joh. 8, 47. Rom. 10, 18.
2. *venerando;* 2. Cor. 10, 4.
3. *obtemperando.* Rom. 2, 13. Jac. 1, 22. Quibus requiſitis cùm careant Pontificii, Calviniani, hypocritæ & alii, indicio eſt, ipſos CHRISTUM non diligere, ſed odiô proſequi. Joh. 14, 31. Sicut præcepit mihi Pater, ita facio: non, ſicut præcipit Papa, ratio, caro, mundus, ſatanas.

III. *Sanctitati ſtudere:* Sanctus eſt Spiritus, qui CHRISTI fideles agit: ſanctos itaq; convenit eſſe Chriſtianos, Spiritûs ſancti domicilia. Levit. 11, 44. Sanctum verò eſſe, non ſignificat eſſe *ἀναμάρτητον*: tales in hac vita non dantur. Pſal. 14, 4. Job. 9, 2. & 14, 4. Sed in juſtitia & ſanctitate ſervire DEO. Luc. 1, 75. Triplices autem dantur ſancti in Scripturis: Sanctitas Chriſtianorum.

Sancti triplices.

1. *Φαινομένως* ſancti, (Scheinheiligen) quales quondam Phariſæi, hodiè Jeſuitæ. Luc. 18, 11.
2. *ὁμωνύμως* ſancti, h. e. tantùm ſecundum nomen, non autem ſecundum rem tales; (Maulheiligen) quales hypocritæ omnes, ſepulcris dealbatis ſimiles. Matth. 21, 27.
3. *ἀληθῶς καὶ ἀνυποκρίτως* ſancti, (rechte Chriſtheiligen) qui tales ſunt & dicuntur 1. *imputativè;* 1. Cor. 1, 30. 2. Cor. 5, 21. 2. *inchoativè.*

IV. *Timorem excutere:* diabolus Spiritus eſt terroris; (ein Schreckengaſt und Geiſt) contrà Spiritus ſanctus eſt Spiritus lætitiæ. Pſal. 51, 14. Timor autem, ut conſtat, eſt duplex; unus filialis, alter ſervilis, de qua diſtinctione alibi. Huc facit illud, quòd Spiritus ſanctus vocetur Paracletus. Theophylactus: ſubinde, inquit, *Paracletum nominat, propter continuas ipſorum adflictiones, bonô* Timor abſit. Timor duplex.

illos animô eſſe faciens, quòd ab illo refocillandi eſſent. Hæc omnia quisquis accuratô ſtudiô obſervaverit, is genuinum ſeſe cultorem feſti exhibet. Gaudebit itaq; privilegiis feſti propriis,

Penteco-ſtalia privilegia. Dilectio noſtra non eſt meritoria.

1. *Amabili Patris æterni dilectione*, quæ per Spiritum S. diffuſa eſt in cordibus noſtris. Rom. 5, 5. Eſt autem dilectio noſtra, quâ inchoatè & imperfectè CHRISTUM ejusq; verbum diligimus, nullô modô cauſa divinæ dilectionis meritoria; ſed nota duntaxat ac ſignum adfectûs erga eos paterni. Vide præced. diſpoſ.

2. *Acceptabili DEI inhabitatione*, Levit. 26, 12. Sic mundani Principes ſubditos ſuos honorant, ſi *αὐτοπροσώπως* ædes eorum ingrediuntur. Jac. 4, 7.

PaxChriſti ejusq; fructus.

3. *Exoptabili cordis pacificatione*, de qua Luc. 2, 14. Angeli canunt, Paulus diſſerit: Rom. 5, 1. Phil. 4, 7. Nulla in hac mortali vita felicitate iſtâ major. Comitatur enim pacem CHRISTI ultrò,

1. *remiſſio peccatorum certiſſima*; Pſal. 32, 1.
2. *precum exauditio gratiſſima*;
3. *hoſtium profligatio fortiſſima*;
4. *filiatio dulciſſima*;
5. *emigratio ex hac vita feliciſſima, beatiſſima.*

Oramus cum Eccleſia: *DEUS, qui hodiernô die corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu rectè ſapere, & de ejus conſolatione ſemper gaudere, per JESUM CHRISTUM Filium tuum Dominum noſtrum. Amen.*

IN FESTO SS. TRINITATIS, EVANGELIUM

Johan. 3. à v. 1. ad 16.

1. ΗΝ δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων.

2. Οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ῥαββὶ, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ Θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ.

1 *ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine princeps Judæorum.*

2. *Hic venit ad JESUM nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quod à DEO veneris magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit DEUS cum eo.*

3. Ἀπ-

3. Απεκρίθη ὁ Ιησῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· Αμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, ὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ.

3. Reſpondit JESUS & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt videre regnum DEI.

4. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος· πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι;

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? num poteſt in ventrem matri ſuæ iterum introire, ac naſci?

5. Απεκρίθη ὁ Ιησῦς· Αμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ.

5. Reſpondit JESUS: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum DEI.

6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι.

6. Quod natum ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.

7. Μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι, δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.

7. Ne mireris, quòd dixi tibi, oportet vos naſci è ſupernis.

8. Τὸ πνεῦμα ὅπῦ θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτῦ ἀκύεις· ἀλλ᾽ ὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ πῦ ὑπάγει· ὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τῦ πνεύματος.

8. Spiritus ubi vult ſpirat; & vocem ejus audis: ſed neſcis unde veniat, & quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.

9. Απεκρίθη Νικόδημος, καὶ εἶπεν αὐτῷ· πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι;

9. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: quomodo poſſunt hæc fieri?

10. Απεκρίθη ὁ Ιησῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· σὺ ὁ διδάσκαλος τῦ Ισραὴλ, καὶ ταῦτα ὐ γινώσκεις;

10. Reſpondit JESUS & dixit ei: Tu es ille Magiſter Iſraelis, & hæc ignoras?

11. Αμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυρῦμεν, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν ὐ λαμβάνετε.

11. Amen amen dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.

12. Ει τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ

12. Si terrena dixi vobis, &

οὐ πιστεύετε, πῶς ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια πιστεύσετε;

13. Καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ ὑιὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ· οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν ὑιὸν τοῦ ἀνθρώπου.

15. Ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credituri ſitis?

13. Et nemo adſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, Filius Hominis, qui eſt in cœlo.

14. Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis:

15. Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

VErſatur totum hoc Evangelium in genere cauſarum didaſcalico. Salvator enim CHRISTUS Phariſæum Nicodemum, viam ſalutis inveſtigantem, ſufficienter erudit & informat. Partes expoſitionis, more conſuetô, conſtituimus tres, quarum

I. complectitur *propoſitionem, ſive ſimplicem Nicodemi de hominis ſalute informationem:*

II. *regenerationis per cauſas explicationem;*

III. *pleniorem myſterii, de hominis regeneratione ac ſalute declarationem.*

PARS I.

Primæ partis enarrationem ingrediuntur tria:

I. *Perſonæ interrogantis deſcriptio.* Deſcribitur autem illa.

1. *A ſpecie*, fuit homo: hiſtoriæ enim ſeries optimè à ſpeciei adnotatione ſumit initium.

2. *A vitæ genere*, erat ex ordine & ſecta Phariſæorum.

3. *A nomine*; dictus fuit Nicodemus; (ἀπὸ τῆς νίκης, à victoria, καὶ δήμου h.e. populo) q.d. victorem populi, idem quod Nicolaus.

Princeps Judæorum.

4. *Ab adjuncto* dignitatis; fecit princeps Judæorum: non utiq; princeps politicus; ſed vir primarius, cujus conſiliis, auctoritate & ſtudiis ceteri tùm utebantur, tùm regebantur.

Digitized by Google

tur. Illi enim, qui inter Phariſæos ſummi erant, & penes quos poteſtas erat, in negotiis religionis judicandi, excommunicandi & jus prehenſionis, dicebantur ἄρχοντες, uti annotat D. Chemnit. harm. Evang. pag. 345. Hieroſolymis igitur principes populi ſive Judæorum vocabantur, qui in aliis civitatibus ἀρχισυνάγωγοι nominabantur. Confer D. Tarnov. comment. in Joh. p. 248. Idem autem Nicodemus, qui erat Phariſæus profeſſione, & dignitate ſive auctoritate inter reliquos conſpicuus, ſimul Rabbi vel Doctor quoq; legis erat, uti infrà patebit.

5. *Ab ardenti pietatis ſtudio*, cum infirmitate tamen multa conjuncto, idq; declaratur effectu: venit ad CHRISTUM, gratiâ nimirùm diſcendi ab illo doctrinam cœleſtem. Non enim facit, ut Phariſæorum reliqui, qui totam CHRISTI doctrinam abjiciebant & blaſphemabant. Venit autem ad CHRISTUM noctu, partim ob pudorem, partim ob timorem: verebatur enim, ne ſi clarâ die CHRISTUM accederet, ea res collegis innoteſceret, & ipſe Senatu ejiceretur; id quod fidei admodum infirmæ ac languidæ erat indicium. Cauſam hanc exponit Joh. c. 12, 42 43. Vide D. Chemn. d. l. pag 346. D. Tarn. p. 249.

Nicodem. cur noctu ad Chriſtũ.

II. *Nicodemi oratio*, tribus conſtans partibus; quarum eſt

1. *Exordium*, benevolentiæ captandæ accommodatum. CHRISTUM enim Rabbi adpellat: quò ipſò etſi ſatis oſtendat, quàm præclaram de CHRISTO opinionem conceperit: illum tamen nec Meſſiam, nec DEI Filium agnoſcit, ſed tantùm pro Doctore ſingulari & Propheta aliquo eximio habet. De voce Rabbi & cognatis vide D. Tarn. p. 172. ſeqq.

2. *Propoſitio:* Scimus, quòd à DEO, h. e. divinitùs, miſſus ſis Magiſter, i. e. ad reſtaurationem doctrinæ: q. d. interprete D. Chemnitiô p. 345. non vulgus tantùm, ſed & nos Phariſæi, ſtupendis miraculis tuis convicti, perſuaſi ſumus, credere & fateri cogimur, te eſſe Doctorem, qui non ex ſeipſo docendi munus arripuerit; ſed qui extraordinariâ & immediatâ vocatione à DEO ad officium docendi ſit miſſus.

3. *Confirmatio*, deſumta

1. à ſuæ & Phariſæorum reliquorum conſcientiæ teſtimonio

Digitized by Google

nio proprio; quia nos omnes, vi veritatis convicti hoc ſcimus, te eſſe Doctorem θεόπεμπτον.

2. Ab effectis, ſeu miraculorum evidentia; quia nemo poteſt tot tantisq; miraculis vocationem ſuam teſtatam facere, niſi DEUS ipſe in vocationem ejus conſenſerit. Sentit ergò Nicodemus, CHRISTUM miracula illa ſua edere non alienâ, ſed propriâ virtute, ac proinde miracula eſſe verè divina, quæ ſatanas imitari nullâ ratione poſſit. Senſit etiam, quod D. Chemnitius addit, DEUM adeſſe CHRISTO, non hypoſtaticâ unione, ſed ſicut Prophetarum miniſterio adfuit. Longè igitur à vera agnitione CHRISTI Nicodemus adhuc abfuit.

Miracula Chriſti.

II. *CHRISTI reſponſio*, in qua notetur

1. *Juramentô facta adſeveratio*; amen amen dico tibi; quæ vox eſt vel optantis, eorum, quæ dicta ſunt, conſummationem; vel confirmantis eorum, quæ dicenda ſunt, veritatem. Vide de hac jurandi formula plura apud D. Chemn. pag. 348. 349. & apud D. Tarn. p. 174. 175. 176. Synonyma ſunt, crede mihi; Joh. 4, 21. fidelis ſermo. 1. Tim. 1, 15, & 3, 1. & 4, 9.

Amen.

2. *Status ſeu principalis quæſtio*, ex reſponſione CHRISTI collecta. Eam enim fuiſſe de via ſalutis, ſive de modo ac ratione, quâ homo regnum cœlorum ingredi poſſit, ex textu ipſo promtum eſt colligere. Alii volunt, CHRISTUM, ut fidem in Nicodemo majorem accenderet, noluiſſe exſpectare, donec ipſe, quod vellet, exponeret, ſed ad cogitata animi ipſius voluiſſe CHRISTUM præveniendo reſpondere, ut inde Nicodemus intelligeret, ipſum eſſe cordium ſcrutatorem. Ex profeſſo autem tractat doctrinam, de hominis juſtificatione, cujus initium eſt Regeneratio. Summa autem reſponſionis huc redit: παλιγγενεσία omnibus hominibus, ſalvari cupientibus, eſt maximè neceſſaria. Ratio ab utili per ἀντίθεσιν: quia ſine ea nemo poteſt videre regnum DEI, h. e. non poteſt particeps eſſe vitæ æternæ. Unica enim eſt via conſequendæ ſalutis ordinaria, per regenerationem ſcilicet ſpiritualem. Vim vocis naſcendi, regenerationis & τοῦ ἄνωθεν premit D. Chemnit. pag. 349. & ſeq. ubi vide, ſi placet. Confer etiam D. Tarn. p. 250.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Cura præcipua.

I. Prima ac præcipua noſtra cura ſit, de via perveniendi ad ſalu-

Digitized by Google

ſalutem ac vitam æternam. Luc. 13, 24. Matth. 6, 33. Luc. 10, 42. Phil. 2, 12.

II. DEUS in deploratiſſimo vitæ ſtatu electorum ſuorum aliquos conſervat. 1. Reg. 19, 18. Rom. 11, 4. 2. Tim. 2, 19.

III. Quin ex omnibus ordinibus aliquos DEUS in regnum ſuum vocat. Pſal. 47, 10. & 68, 23. Act. 10, 35. Joh. 7, 48.

IV. Nicodemus requiſita aliquot boni diſcipuli ſuô nobis exemplô oſtendit; qualia ſunt, Diſcipuli boni requiſita.

1. ſeriô diſcendi ſtudiô teneri;
2. opinionibus præconceptis non inhærere;
3. correptionibus neceſſariis non obluctari. 2. Tim. 3, 7.

V. In negotio ſalutis ſolus CHRISTUS audiendus. Matth. 3, 17. & 17, 5. 1. Cor. 1, 30.

VI. Exemplum Nicodemi nullô modô patrocinatur eorum timiditati, qui veritatem doctrinæ cœleſtis nôrunt, & confiteri publicè verentur, metuentes ſibi à magiſtratu, aliisvé, cum quibus vivunt, diverſam religionem amplectentibus. Non enim exemplis, ſed legibus eſt judicandum. Matth. 10, 32, 33. Luc. 9, 26. Rom. 10, 10. 2. Cor. 4, 13. 2. Tim. 1, 8. & 2, 12. 1. Pet. 3, 15. Tepidi in religione.

VII. Diſtingvendum inter falſa miracula, ubi vel ſenſus ludificantur, vel conjunctio fit occultarum cauſarum naturalium, ad confirmandam falſam doctrinam; Exod. 7, 13. Deut. 13, 1. 2. Theſſ. 2, 9. Apoc. 13, 13. Matth. 24, 24. & inter vera miracula, quæ omnem poteſtatem rerum naturalium excedunt, ad confirmandam cœleſtem doctrinam. 1. Reg. 17, 24. Miracula vel falſa vel vera.

IIX. Sunt enim miracula teſtimonia divina, quæ doctrinam Evangelii confirmant; Joh. 20, 31. & ſolum DEUM auctorem habent. Pſal. 72, 18. & 86, 8. 10. Miracula quid.

IX. Infirmi in fide non contemnendi, ſed admittendi, recipiendi & erudiendi. Nam & CHRISTUS fidem Nicodemi, quantumvis infirmam, tolerat, in aliis etiam clementer fovet, modò fides ſit docilis, & petat augeri ac confirmari. Eſa. 42, 3. Rom. 14, 1. Infirmi in fide non abjiciendi.

X. Fides Nicodemi de CHRISTO vera & integra non fuit, ſed initium tantùm ſeu potiùs rudimentum q. quoddam, quod probat D. Tarn. in Joh. p. 261. q. 2. Fides Nicodemi.

XI. Phariſæorum nonnulli peccatum in Spiritum ſanctum irremiſſibile commiſerunt: quia agnitam Evangelii veritatem ſcientes & volentes hoſtiliter & cum blaſphemia perſecuti ſunt. Matth. 12, 32. Joh. 3, 11. 1. Joh. 5, 16. Peccatum in Spiritũ S. Phariſæorum.

XII. Nihil præſidii in hoc Nicodemi exemplo habent Neutrales.

Neutrales, aſtuti religionis diſſimulatores. Imbecillitatis enim hoc eſt exemplum, ad conſolationem, non ad imitationem ſacris literis conſignatum. Matth. 10, 33. Rom. 10, 10.

Fides non ſemper eſt eadem. XIII. Fidem hominis Chriſtiani non ſemper unô & eodem modô ſeſe habere, Nicodemi exemplô edocemur. Pſal. 30, 7. & 31, 23. Eſa. 42, 1. ſeqq. Rom. 8, 26. Joh. 7, 50. & 19, 39.

XIV. Potentia ſatanæ in filiis incredulitatis, conſpicitur in Phariſæis *αὐτοκατακρίτοις*, 2 Theſſ 2 10. Rom. 1, 21. 24. 26. 28. Act. 13, 46.

XV. CHRISTUS naſcendi ſeu generandi voce uſus oſtendit, ſe peccata arguere, non opera tantùm mala, ſed ipſam naturam vitiatam, quam naſcendo accepimus.

Naturæ humanæ corruptio. XVI. Sequitur inde, (1) naturam noſtram ita eſſe corruptam, ut non corrigenda aut reſarcienda, ſed tota regeneranda ſit: (2) inſtaurationem naturæ non noſtris poſſe fieri viribus; homo enim neq; ad generationem, neq; ad regenerationem ſui quicquam ex ſe conferre poteſt: (3) neminem ſuis vel qualitatibus, vel virtutibus, vel operibus poſſe in regnum DEI pervenire. Rom. 3, 20. 28. Gal. 3, 10. 11. Eph. 2, 9.

XVII. Pravitas humanæ naturæ non contrahitur conſuetudine, nec per actiones pravas, tanquam habitus, infunditur, ſed ipsâ generatione contrahitur. D. Chemn. p. 350.

Videre pro agnoſcere. XIIX. Videndi verbum ſumitur interdum pro agnitione, ut quando regnum DEI proponitur & offertur, caro illud non poteſt videre, h. e. agnoſcere, niſi deſuper Spiritu illuminetur. Joh. 14. 17.

XIX Omnes, qui non renaſcuntur pereunt. Eph. 2, 1. Marc. 16, 16. Joh. 3, 18.

Baptiſmi neceſſitas. XX. Blaſphemè in os contradicunt Servatori JESU CHRISTO, cum Calvino Schwenckfeldiani & Anabaptiſtæ, uſum Baptiſmi ad ſalutem non neceſſarium, immò infantibus quoq; neq; utilem neq; ſalutarem eſſe contendentes. Qui enim infantem à Baptiſmo arcet, is, quantum in ſe, eundem ab ingreſſu in regnum cœlorum arcet. Marc. 10, 14. Confer D. Tarn. p. 262.

XXI. Alia eſt ratio infantum, qui præmaturâ morte præventi Sacramentô uti non poſſunt: hic enim non defectus ſeu privatio, ſed contemtus damnat.

PARS II.

In ſecunda hac parte notabilia occurrunt duo:

I. *Nicodemi objectio* vel quæſtio altera, à modo regenerationis carnali petita. Carnalis enim cùm eſſet Nicodemus, carnali etiam modô reſponſum CHRISTI excepit, & unum ſaltem genera-

Digitized by Google

nerationis modum ſe noviſſe teſtatur, naturalem nimirùm illum, quô mediantibus parentibus noſtris, ex carne carnales naſcimur: atq; ita inſignem ſuam in divinis ruditatem & infantiam prodit. Ab abſurdo autem ita argumentamur:

Homo ſemel ex utero materno natus, non poteſt in uterum matris ſuæ, præſertim jam adultus ac ſenex, redire, & denuò naſci: Regenerationis impugnatio.

Ergò regeneratio hominis abſurda, impoſſibilis, immò nihil eſt. Potuiſſet in genere loqui, inquit D. Chemn. p. 351. Eſt enim omni ætati impoſſibile corporaliter denuò naſci, ſive ſit puer, ſive ſenex: ſed ſumit ætatem ſenectutis, ut ab ætate ſenili, quæ naſcenti contraria & morti proxima eſt, major videatur abſurditas. Præcipuè verò ſenem nominat, quia de ſe potiſſimùm loquitur.

II. *Objectionis ſolutio*, facta per ἐξήγησιν ſive expoſitionem eorum, quæ ſuperiùs de renaſcentia in genere & obſcuriùs dicta videbantur. Ut enim paulatim ad majorem & pleniorem doctrinæ ſuæ intelligentiam Nicodemum perducat, jam modum etiam renaſcentiæ ſubjungit:

1. *Uſitatum præmittendo juramentum*, majoris fidei & adſeverationis ſive certitudinis gratiâ.

2. *Ex cauſis deſcribendo hominis regenerationem.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, (tanquam cauſa organica) & Spiritu (tanquam cauſa efficiente) non poteſt introire in regnum DEI. Aquâ quidem, quatenus per Baptiſmum, veluti medium regenerationis iſtius ſalutare, purgamur à ſordibus, non corporis, ſed animæ: Spiritu verò, quatenus is per hanc ipſam aquam baptiſmalem efficaciter operatur, corda renovando, & in obſequium fidei obſignando. Aqua pro Baptiſmo. Dn. D. Chemnit. harm p. 352. ait: aquæ adpellatione CHRISTUM h. l. totum miniſterium N. T. complecti, verbum ſc. & Sacramenta. Conjungi autem aquam & Spiritum, quia Verbum & Sacramenta ſunt externa media ſeu organa, per quæ Spiritus ſanctus vult efficax eſſe. Aqua pro miniſterio. Stabilit hanc ſententiam pag 353 his verbis: *Quòd ſententia hæc CHRISTI de miniſterio verbi & Sacramentorum, tanquam organô Spiritûs ſancti, intelligenda ſit, una ratio eſt, quæ vel ſola piis mentibus ſatiſfacere poteſt & debet: quòd ſcilicet Paulus Baptiſmum, h. e. lavacrum aquæ in verbo, vocat lavacrum regenerationis per Spiritum ſanctum.* Tit. 3, 5. Quâ explicatione quaſi intentô digitô indicat, hunc locum de regeneratione ex aqua & Spiritu, de Baptiſmo eſſe intelligendum; id quod contra Calviniſequarum κυβείαν probe eſt notandum, qui hoc locô de Baptiſmo agi, nimis perfrictâ fronte negant,

Digitized by Google

negant, contra quos in Vindiciis ſuis diſputat M. Johan. Meelführerus, ubi vide plura: confer etiam D. Tarn. p.261. Regnum verò DEI, modò dictô D. Chemnitiô interprete, complectitur liberationem à peccato, diabolo, æterna morte & damnatione. Item, remiſſionem peccatorum, juſtificationem, adoptionem, hereditatem vitæ æternæ., juſtitiam, pacem & gaudium in Spiritu ſancto. Rom. 14, 17.

Regnum DEI quid notet.

3. *Neceſſitatem regenerationis oſtendendo*, oppoſitione duarum nativitatis ſpecierum, carnalis & ſpiritualis, externæ & internæ. *Quod enim natum eſt ex carne*, h.e. immundo ſemine conceptum & natum, illud *eſt caro*, peccatô horribiliter contaminatum, ac proinde iræ divinæ ac æternæ damnationi ſubjectum. Contrà *quod natum eſt ex Spiritu ſancto*, generatione hoc internâ & ſpirituali, quæ fit per aquam, illud *eſt Spiritus*, i.e. ſpiritualis homo, Spiritûs ſancti gratiâ CHRISTO inſitus. Neq; enim novum eſt, ut ſubſtantiva pro adjectivis, ſeu abſtracta pro Concretis ponantur: ut h. l. caro pro carnali, Spiritus pro ſpirituali. Qui de σημασίᾳ Carnis & Spiritûs plura deſiderat, is conſulat D. Chemnit. Harm. Evang. pag. 346. 353. 354. D. Oſiandr. h. l. Calixt. in concord. pag. 127. ſeqq. & alios interpretes ſaniores, qui omnes ὁμοθυμαδὸν tandem eò inclinant, carnem ſignificare in hac diſputatione hominis naturam, quatenus poſt lapſum peccatô infecta eſt, & qualis ex generatione naturali parentum naſcitur. Concluſio tandem D. Tarnoviô referente emergit talis:

Regenerationis neceſſitas.

Caro in ſacris quid.

Nulla caro poteſt introire in regnum cœlorum:
Omnis homo, ante regenerationem ex Spiritu, eſt caro:
Ergò nullus homo ante regenerationem ex Spiritu, poteſt introire in regnum cœlorum. pag. 251. Carnem quod ſpectat, ſynecdochica eſt locutio, ſecundum canonem Theologicum, quem habet D. Finck. cent. 1. can. 80. ἡ γραφὴ ἀπὸ τοῦ μέρους πολλάκις ὀνομάζει τὸ ὅλον: Scriptura S. à parte ſæpè denominat totum; ſed hæc conſideratio non eſt hujus loci. Tarn p. 252.

4. *Regenerationem declarando*; per ſimilitudinem nimirûm à vento cujus πρότασις eſt: Quemadmodum ventus oculorum ſenſu neq; videri, neq; comprehendi poteſt, nec tamen hinc rectè concluditur, ventum nihil eſſe, cùm indiciis haut dubiis ſeſe proferat, dum flatu atq; ſonô ſive ſibilô ſuô aures hominum ferit, & alia miranda ac grandia opera efficit, licèt neſcias, unde veniat, & quò vadat: Ἀπόδοσις: Ita regeneratio eſt opus Spiritûs ſancti, in-

trin-

Digitized by Google

trinſecùs hominem, pro voluntatis ſuæ beneplacito, regenerantis, ac proinde oculis non corporis, ſed fidei intuendum. Etſi enim oculis corporis conſpici nequeat: tamen internam factam eſſe regenerationem, à poſteriori h. e. ab effectis, vi & efficacia Spiritûs ſancti, in homine regenerato novos motûs cientis, & fructûs converſionis operantis, manifeſtè deprehenditur. Atq; ita, uti D. Tarn. p. 252. loquitur, implicitè docetur, rem ipſam, nempè regenerationem in nobis ex effectu cognoſci; modum, quô ejus fiat initium & progreſſus ſive corroboratio, à nobis ignorari. Id enim eſt, quod dicit CHRISTUS; ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu. An verò loquatur præcisè CHRISTUS de Spiritu ſancto, an de vento, an de anima, D. Tarn. declarat; nos mediam ſententiam cum D. Chemnitio tenemus. Plures venti ad ſpiritualem hominis regenerationem accommodationes, vide apud D. Chemnit p. 356. p. 268.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Monemur de rationis humanæ, in myſteriis rebusq; divinis cœcitate. 1. Cor. 2, 14. & 3, 18. 19. Luc. 7, 35. *Rationis cœcitas.*

II. CHRISTI hoc locô conſpicitur promtitudo, viam nobis ſalutis aperiendi. Joh. 18, 37. 1. Tim. 2, 4.

III. Homo naturali ſuâ generatione eſt peccator: quicquid enim ex carne natum eſt, caro eſt, h. e. carnale & carnaliter adfectum. Carnalis autem adfectus inimicitia eſt adverſus DEUM: Rom 8, 7. Sequitur ergò reatus, quòd naturâ ſimus filii iræ. Eph. 2, 3. 1. Cor. 15, 50. Pſal. 51, 7. Job. 14, 4. & 15, 14. Rom. 7, 21. 24. *Homo naturâ peccator.*

IV. Cùm carnis vocabulô ſignificetur totus homo, naturaliter corruptus, animâ conſtans & corpore; ſequitur non corpus ſolum, ſed & animam ſimul ex ſemine humano naturaliter propagari. Cùm enim totus homo, corpore & animâ, regeneretur, totum etiam hominem, corpore & animâ conſtantem, priùs generari naturaliter conſentaneum eſt. Vide locos D. Haſenreff. p. 63. & ſeqq. D. Hunn. in Gen. f. 55. *Animæ propagatio.*

V. Regeneratio hominis complectitur tria: *Regenerationis requiſita.*

1. Spiritûs ſancti illuminationem; Joh. 6, 44. 1. Cor. 2, 14.
2. Peccatorum remiſſionem, juſtificationem, adoptionem & vitæ æternæ hereditatem: Tit. 3, 5. *D. Chemn. p. 351.*
3. Fructûs regenerationis, ut efficiamur nova creatura.

VI. Quotquot ergò fructibus regenerationis deſtituuntur, flagi- *Mortui ſpiritualiter.*

Digitized by Google

flagitiisq; ſeſe contaminant, ii oſtendunt, ſe iterum ſpiritualiter eſſe mortuos. Eph. 2, 1. 5.

Baptiſmi neceſſitas & utilitas. VII. De neceſſitate, utilitate & efficacia Baptiſmi: niſi enim quis ita renaſcatur, ſalvari nequit. Loquimur de neceſſitate, non abſoluta, ſed ad ordinem à DEO ſancitum reſtricta ſive determinata. Epheſ. 5, 27. Tit. 2, 14. & 3, 5. 1. Petr. 3, 21. Rom. 6, 4. Hebr. 10, 22. Gal. 3, 27. 1. Johan. 5, 6. Vide D. Tarnov. p. 263. 264.

Enthuſiaſmus. IIX. Salvandi itaq; non ad raptus & ſpeculationes Enthuſiaſticas remittendi, ſed ad externum verbi & Sacramentorum miniſterium revocandi. 1. Pet. 1, 23. Tit. 3, 5. D. Chemn. p. 352.

Pædobaptiſmus. IX. Habemus etiam hoc in loco teſtimonium & confirmationem Pædobaptiſmi, furoribus Anabaptiſtarum opponendam. Confer libellos & locos Theologicos; cumprimis D. Haſenreff pag. m. 319. ſeqq.

X. Errârunt collocutores Ratisbonenſes ex parte Pontificiorum, negantes Pædobaptiſmum ex Scripturis probari poſſe. Quædam enim in Scriptura S. ſunt & dicuntur, quædam in ea ſunt, & non dicuntur, uti loquitur D. Finck. Cent. 1. can. 1.

Baptiſmi reiteratio. XI. Errant etiam, qui Baptiſmum ſæpiùs iterandum cenſent. Quemadmodum enim homo ſemel tantùm naturaliter ad hanc vitam generatur: Ita ad ſpiritualem vitam ſemel tantùm renaſcitur; ſicut & Circumciſio V. T. ſemel duntaxat adhibita fuit.

XII. Ante regenerationem ſumus extra regnum DEI. Coloſſ. 1, 13.

XIII. Homo carnalis per ſe non poteſt viribus propriis in regnum DEI introire. Rom. 8, 3. 7. Gal. 5, 17. Eph. 2, 3.

XIV. Univerſa noſtra nativitas peccatô horribiliter eſt contaminata. Pſal. 51, 7. Job. 14, 4. Gen. 6, 5 Rom. 8, 7.

Baptiſmô tollitur peccati formale. XV. In Baptiſmo tollitur formale peccati ſeu reatus, ac imputatâ per fidem juſtitiâ CHRISTI acceptamur, ut filii & heredes DEI, manente interim materiali. 2. Cor. 4. 16. Rom. 7, 18.

Peccatum originis. XVI. De peccato originis h. l. poteſt doceri, quòd (1) verè quidem ſit peccatum, propriè ita dictum, univerſum hominum genus morti & iræ divinæ ſubjiciens: Rom. 5, 12. Eph. 2, 3. (2) omnes omninò homines inficiat; Gen. 5, 3. Pſal. 51, 7. Job. 15, 16. (3) non tamen ſit ipſa hominis ſubſtantia. Caro hîc non abſtractivè, ſed concretivè ſumitur. Conſule locos: Haſenreff. pag. 90. 91. 92.

Eſt accidens. XVII. Peccatum originis eſt accidens. Quemadmodum enim imago DEI in homine, non ſubſtantia, ſed accidens fuit: ita quoq;

Digitized by Google

quoq; corruptiò, quæ imagini perditæ ſucceſſit, non ipſa ſubſtantia hominis, ſed horrendum ejuſdem eſt accidens. Rom. 7, 17. 20.

XIIX. Subſtantia enim hominis, quatenus à DEO creata, etiam poſt lapſum res bona eſt: peccatum verò atrox malum eſt, profectum à diabolo. Ac ut opus DEI ab opere diaboli neceſſariò diſtingvendum eſt; ita inter ſubſtantiam hominis, conditam à DEO, & inter peccatum, quod aliunde acceſſit, neceſſarium diſcrimen conſtituendum & retinendum eſt. Flacianiſmus.

XIX. De liberis fidelium & regeneratorum errant Calviniani, docentes, eos ab utero matris eſſe ſanctos DEI filios, & adoptatos vitæ æternæ heredes. Liberi enim non ex regeneratione parentum ſpirituali, ſed generatione carnali proſeminantur. Calvinianiſmus, de ſanctitate liberorum.

XX. De liberis infidelium, ſive extra Eccleſiam natis, quæritur, an ſint damnandi; vide D. Tarn. in Joh. p. 165. & 166. Liberi infidelium.

XXI. Falsò etiam Cinglius gentilibus cœlum patere adſeruit. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire regnum DEI.

XXII. CHRISTUS ſolus à depravatione naturali nos liberavit. Joh. 14, 6. Act. 4, 12.

XXIII. Refelluntur Calviniani, efficaciam Baptiſmo noſtro modò non omnem derogantes.

XXIV. Spiritûs ſancti divinitas ex eo probatur, quòd regenerationis noſtræ principale agens conſtituatur. Pſal. 51, 6. Eph. 4, 18. Rom. 8, 10. 11. 14. Spiritus S. DEUS.

XXV. In quotidianis & Phyſicis rebus in hac vita corporali multa ſunt & fiunt, in quibus virtutem DEI exſtare negare non poſſumus; & tamen modum ejus ſenſibus & ratione noſtrâ comprehendere non valemus: nec tamen illam propterea, quia ratio ejus occulta nobis eſt, negamus.

XXVI. Verba CHRISTI, ubi vult, non accipienda ſunt de aliquibus, ſive abſolutè electis, ſive de prædiſpoſitis, nec de omnibus in Eccleſia vocatis: quia locus non agit de Spiritu S. Si tamen de eo ageret, aut ſi quæreretur: ubinam ſpirare velit Spiritus ſanctus? reſpondemus, in omnibus vocatis, externam diſciplinam præſtantibus, h. e. verbum DEI audientibus, legentibus, repetentibus, meditantibus: nec obicem Spiritui ſancto curis mundanis, aut peccatis regnantibus, alióve modô ponentibus. De abſolutè electis, quos Calviniani volunt, & de prædiſpoſitis, quos Pontificii ſomniant, nullum in Scriptura verbum: igitur eos non intelligit CHRISTUS, inquit D. Tarn. p. 169. Electi abſolutè & prædiſpoſiti.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Doctrina feſti hujus propria, de DEO nimirùm Uno in eſſentia, & Trino in perſonis, quâ ratione ex præſenti Evangelio deduci ac probari queat, vide in Vindic. Meelführ. th. 5. & ſeqq.

PARS III.

Occurrunt hîc duo membra:

I. *Nicodemi ſtupiditas*, tanquam ἀφορμὴ ulterioris informationis. Hanc verò prodit, de modo regenerationis craſsè interrogando; quem quia ratione ſuâ adſequi non valet, ideoq; fidem illi derogandam eſſe opinatur, inquiens: *Quomodo hæc fieri poſſunt?* nempè ea, de quibus hactenus CHRISTUS diſſeruit; de mutatione hominis carnalis in ſpiritualem, per regenerationem, deq; ejus, quoad modum, ratione inperceptibili, quoad effectum verò ſenſibili: de quibus erudiri ſe petit. Non enim hoc, quomodo, eſt ejusdem generis, cum illo incredulorum, Joh. 6, 52. ſed cum illo Mariæ, Luc. 1, 34. alterum eſt incredulitatis, alterum docilitatis. D. Tarn. p. 253.

Quomodo duplex.

II. CHRIRSTI *humanitas*, cum debita conjuncta & permixta reprehenſione. Habemus hîc tria:

1. *Nicodemi accuſationem;* Tu es ille Magiſter vel Doctor Iſraëlis, & hæc ignoras? q. d. non debebas eſſe tàm ſtupidus, & hæc ignorare.

2. *Incuſationis rationem* triplicem:

1. *Ab adjuncto officio* deſumta eſt: tu es Doctor in Iſraël, & hæc ignoras? Quæ verba, uti D. Chemnitius cenſet, pag 357. non tàm exprobantis ſunt, quàm admirantis & dolentis, eò rem cum Eccleſia Iſraëlitica rediiſſe, ut ipſa fundamenta & principia doctrinæ cœleſtis, non vulgo tantùm, ſed ipſis etiam Doctoribus ignota ſint. Ignorantiam itaq; Nicodemi ac ceterorum Phariſæorum, tanquam iſti ordini indecoram, hoc perſtringit argumentô:

Omnis doctor Iſraëlis tenetur hæc ſcire:

Tu es doctor Iſraëlis;

Ergò teneris hæc ſcire, ac proinde hæc ignorantia juris admodum tibi eſt indecora, totiq; adeò iſti, in quo vivis, cum collegis, ordini. D. Tarn. p. 253.

2. *Ab evidentia* & certitudine teſtimonii CHRISTI, qui ſecundum Interpretum quorundam ſententiam, cum Johanne & reliquis Prophetis ac Doctoribus ſinceris conjungit, quòd ſecum de naturæ noſtræ corruptione, & ſalutis mediis ordinariis idem doceant:

ceant:

Digitized by Google

ceant: *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur.* Vel poſſunt hæc (ut volunt alii) accommodari ad myſterium Trinitatis, ut ſit ſenſus: quod ſcimus, h. e. quod in arcano Trinitatis conſilio decretum ac conſtitutum eſt, hoc loquimur, h. e. revelamus hominibus. Rectiùs facere videntur, qui directè ad CHRISTUM verba hæc accommodant, conveniunt enim cùm aliis; Joh. 8, 38. Matth. 11, 27. Joh. 1, 8. & 8, 16. 17.

3. *A collatione imparium* petita eſt: *ſi terrena dixi vobis;* h. e. ſi ſimilitudinem à vento deſumtam, & ſenſibus veſtris obviam, non intelligitis; quomodo crederetis, ſi de cœleſtibus ſimpliciter, & absq; omni comparatione diſſeram. Quod autem terrena ſe loqui ait, illud non de ſubjecta materia, quæ ſpiritualis & cœleſtis eſt, ſed de modo docendi eſt intelligendum: uti habet D. Chemnit. pag. 358.

3. *Ulteriorem Nicodemi informationem:* Proponit enim illi, exempli q. locô myſteria verè-divina, eô fine producta, ut rationem ac terrenam ejus intelligentiam revellat, retundat, ac confundat: Unum eſt *de Incarnatione;*

alterum *de Paſſione ac morte* CHRISTI.

De Incarnatione ejus ſonant verba: *Nemo adſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo &c.* Hæc verba nonnulli ita exponunt: Nemo arcana Patris cœleſtis novit, & conſilium ejus de ſalvandis hominibus perſpectum habet, niſi qui deſcendit de cœlo, h. e. adſumtâ carne Homo factus, & inter homines commoratus eſt, quippè qui priùs in cœlis erat; in terra verò etſi eſſet, tamen non videbatur; ſed adſumtâ humanâ naturâ repentè cœpit in terris videri, perinde ac ſi eô ipsô tempore è cœlis deſcendiſſet. Vide D. Calixt. Conc. pag. 131. & D. Chemn. harm. pag. 359. ubi ſequentia leguntur: *Hæc ſententia continet deſcriptionem perſonæ* CHRISTI, *quòd* DEUS *ſit & homo. Dicitur verò deſcendiſſe de cœlo, non quòd divinitas profectione locali cœlum reliquerit: (ideò enim poſt deſcenſionem dicitur, qui eſt in cœlo) ſed quia adſumendo humanam naturam, quæ cœlô excluſa erat, Filius hominis factus eſt ratione Incarnationis & Exinanitionis. Dicitur item de cœlo deſcendiſſe, non quòd carnem de cœlo detulerit; ſed quia ab æterno fuit in cœlo, h. e. verus* DEUS, *& carnem ex Maria per cœleſtem operationem Spiritûs ſancti adſumens, dicitur è cœlo deſcendiſſe, factus Filius hominis.* Et poſt pauca: *Dicitur autem Filius ille hominis eſſe in cœlo: non enim duæ in* CHRISTO *perſonæ ſunt, ſed unica perſona eſt* DEUS *& Homo.* Plura de hoc loco invenies apud D. Hunn. comm. in Joh. pag. m. 141. & ſeqq. D. Tarnov. in Joh. p. 254. ita: Regeneratio-

Incarnatio Chriſti.

Deſcenſus Chriſti de cœlo.

Digitized by Google

nem, quâ unum cum CHRISTO fiamus per fidem, ipſiusq; juſtitia reputetur noſtra, eſſe omnibus, ingredi regnum cœlorum volentibus, neceſſariam; quod tali Syllogiſmô probat:

Is ſolus ſuis viribus naturalibus adſcendit in cœlum, qui de eo deſcendit:

Filius hominis ſive Meßias deſcendit de cœlo:

Ergò Filius hominis ſolus adſcendit ſuis viribus naturalibus in cœlum; & per conſequens, nos ceteri omnes, ſi adſcendere in cœlum volumus, opus habemus regeneratione. Cetera, ad textûs hujus intelligentiam pleniorem ſpectantia, vide apud D. Tarn. in quæſt. d. l. pag. 271. & ſeqq.

Paſſio Chriſti. De paſſione ſua ejusq; merito & efficacia concionatur iis verbis: Sicut Moſes in deſerto &c. Oſtendit nimirùm, quô meritô Salvator beneficia illa, nobis diſtribuenda, acquiſiverit. Regeneratio enim, adoptio & vita æterna pendent ex paſſione, merito & efficacia CHRISTI. Modum verò juſtificationis & ſalvationis noſtræ elegantisſimô typô illuſtrat, deſumtô ex Num. 21. cujus ſenſus eſt: Quemadmodum Iſraëlitæ in deſerto morſum ſerpentem ignitorum peſtiferum effugere non potuerunt, niſi vultu oculisq; converſis in ſtatuam ſerpentis ænei, juſſu DEI â Moſe erecti: Ita quotquot morſu ſerpentis infernalis ſunt infecti, ſanari aliter non poſſunt, niſi per gratiam Spiritûs ſancti, oculis fidei Filium hominis, in ligno crucis exaltatum intuiti fuerint. Omnis autem, qui in eum crediderit, non peribit, ſed vitam æternam habebit. Confer D. Tarn. p. 255. & 280.

Serpens æneus.

Porismata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Quomodo perniciosum. I. Quæſtio περὶ τοῦ πῶς in ſacris & fidei articulis eſt perniciosiſſima, & ſecundum Juſtinum, *incredulitatis eſt ſignum, de DEO & rebus divinis quærere, quomodo.*

II. Licet miniſtris verbi duriùs interdum, pro re nata, auditores ſuos compellare. Luc. 24, 25. Gal. 3, 1.

III. Scriptura etiam V. T. multis teſtimoniis naturæ noſtræ corruptionem deſcribit ac deplorat, ut & neceſſariam adverſus illam regenerationem, quod ignorare Magiſtrum in Iſraël turpe erat. Pſal. 51, 7. Ezech. 11, 19. & 36, 26. Zach. 13, 1.

IV. Quia terreni ſumus, ideò DEUS per externum miniſterium nobiſcum agit, quia cœleſtia aliàs capere non poſſumus.

V. De-

Digitized by Google

V. Deſcenſus CHRISTI è cœlo, non tantùm manifeſtationem in carne, ſed etiam totius Θεανθρώπε ζαπείνωσιν ſeu humiliationem ad ſervilem uſq; conditionem ſignificat. Deſcenſus Chriſti è cœlo.

VI. CHRISTUS adſcendit ad cœlos, non ut Enoch; aut Elias, qui nec propriâ virtute, nec in meritum pro aliis adſcenderunt; ſed ita, ut ſecundum naturam humanam, juxta quam exaltatus eſt ad dexteram DEI, impleret omnia. Eph. 4, 10. Confer D. Tarn. in Joh. pag. 271. Adſcenſio Chriſti ad cœlos.

VII. Ex eo, quòd CHRISTUS è ſupernis oriundus, à Patre exiviſſe, de cœlo deſcendiſſe, & in mundum ita veniſſe dicitur, ut tamen ſimul ſit in cœlo, vera ipſius Divinitas probatur, quod contra Photinianos negantes oſtendit D. Tarn. pag. 275. 276. 277. Divinitas Chriſti.

IIX. Filius hominis in terris cum Nicodemo loquens, eſt in cœlis, quod Majeſtatem quoq; omnipræſentiæ carnis CHRISTI irrefragabiliter importat. Omnipræſentia carnis.

IX. Nemo præter Filium hominis adſcendit in cœlum ſuis meritis, viribus, aut ſanctitate propriâ.

X. Correctiones æquò animô admittendas & ferendas eſſe exemplô Nicodemi edocemur. Pſal. 141, 5.

XI. Non poſſunt homines, niſi per CHRISTI mortem, ſalvari; unde paſſionis neceſſitatem æſtimare licet. Paſſionis neceſſitas.

XII. Fides itidem neceſſaria eſt, ad vitæ æternæ acquiſitionem. Hab. 2, 4. Actor. 16, 31. Rom. 14, 23. Fidei neceſſitas.

XIII. Una fuit omnibus temporibus via ſalutem æternam conſequendi. Act. 15, 11. Joh. 14, 6. 1. Cor. 3, 11. Via ſalutis una.

XIV. Exaltatio de CHRISTO in Scriptura τριχῶς uſurpatur: Exaltatio Chriſti triplex.

1. *pro paſſione*, morte & crucifixone; Joh. 8, 28. & 12, 32. ita exaltatur ut victima:
2. *pro ſeſsione* ſeu evectione ad dexteram DEI; ſic exaltatur ut Mediator. Act. 2, 33. Phil. 2, 9. Hebr. 9, 24.
3. *pro prædicatione* ſeu revelatione Evangelii; ſic exaltatur ut ſignum. Eſa. 11, 10. D. Chemn. p. 361.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO τριμερής.

Enarrationem præſentis Evangelii duabus partibus abſolvemus, audituri

Digitized by Google

I. Nicodemum in ſuo ad CHRISTUM *acceſſu proponentem, eundemq́; humaniter compellantem;*

II. CHRISTUM *cum Nicodemo ſuaviter colloquentem.*

PARS I.

Quoad primæ partis διέξοδον, tria in conſiderationem veniunt:

I. *Nicodemi deſcriptio*: commendatur enim illius perſona

Pharisæi.

1. *ab officio*, h. e. à ſecta, cui adhærebat: erat unus ex Phariſæis, quorum ſumma erat tum temporis apud Judæos auctoritas: CHRISTO verò ſtudiô ſeſe infenſiſſimô præ aliis opponebant.

Princeps Judæorum

2. *Ab* ὑπεροχῇ *ſive prædominio*, h. e. ſua, quam habebat apud alios præeminentia: erat princeps Judæorum, ita nominatus, ſive quòd in familia aut tribu ſua principatum teneret; ſive quòd nobilitate & divitiis inter Judæos præcelleret; ſive quòd ex populi eſſet gubernatoribus, uti annotat D. Pelarg. quæſt. in Johan. f. 27. a.

3. *A ſummo*, quô tenebatur, diſcendi veritatemq́; indagandi *ſtudio*, cum multa tamen infirmitate conjuncto. Studii eſt, quòd reliquis ſui ordinis complicibus, CHRISTO pertinaciter ſeſe & contra conſcientiæ propriæ teſtimonium opponentibus, ipſe ſolus integer permanſit, piè in CHRISTUM adfectus. Infirmitatis eſt, quòd non interdiu, ſed noctu Dominum adiiſſe legitur, quod ipſum partim *pudori*, partim *timori*, partim deniq; *amori* ejus à veteribus tranſcribitur. Pudori, quòd puderet ipſum, Legis Doctorem, diſcere: timori, quòd Judæos formidaret, veritus, ne ab illis excommunicaretur: amori, qui ex ſilentio & ſolitudine facilè colligitur. Confer D. Pelarg. d. l. fol. 27. b.

II. *CHRISTI compellatio*, vel ad CHRISTUM directa oratio. Eſt autem oratio illa Nicodemi ἐγκωμιαστικὴ ſive ἐπιδεικτικὴ, quâ CHRISTUM commendat

Rabbi.

1. *à rerum divinarum peritia*; hinc vocat eum Rabbi, non utiq; ullô aſſentandi ſtudiô, ſed ſine omni fuco, ἀνυποκρίτως planè. Dicitur autem Hebræis à radice רָבַב multus fuit, multiplicatus vel auctus eſt: hinc nomen רַב multus, copioſus, magnus. Ita Judæi Doctorem vocant רַב, & cum adfixo jod, רַבִּי magiſter mi, præceptor mi:

mi: innuitq; hominem honorabilem, inclytum, reputatum, ob multiplicem dignitatem, ſcientiam & doctrinam præ ceteris clarum. Nam rerum uſu variaq; doctrinâ Doctor reliquos meritò debet antecellere, & apud auditores ſuos cum fructu docere, ut augere & multam reddere poſſit pietatem.

2. A vocationis excellentia, quam habeat, non ab hominibus, ſed immediatè ab ipſo DEO.

3. A rei cum nomine convenientia: Rabbi diceris; es enim divinitùs nobis miſſus Doctor: q. d. *Doctoris veri nomen & omen habes*: idq; probat dupliciter; (1) tùm à ſua ſuorumq; gregalium ſcientia & conſcientia; (2) tùm à miraculorum eminentia, quâ tacitè divinitati ipſius perhibet teſtimonium. Chriſtus Doctor.

Divina enim ſigna divinum requirunt auctorem:
Signa & prodigia tua ſunt divina:
Ergò te divinum eſſe auctorem conſentaneum eſt.

III. *Ipſa propoſitio*, ſummam rei continens. Hanc verò Evangeliſta non expreſsè quidem ponit; ex ipſa tamen CHRISTI reſponſione liquet ſatis, totius colloquii cardinem in eo verſari, quomodo quis poſſit regni cœleſtis hereditatem vel adire, vel conſequi. Phariſæi operum meritis legalibus beneficium iſthoc impetrari poſſe falsò opinabantur; à qua opinione, cùm audiret Nicodemus, & Johannem Baptiſtam & CHRISTUM Salvatorem longisſimè diſtare, rectiùs ſe edoceri petiit. Vide Pelarg. fol. 28. a. b.

Uſus 1. Informatorius.

Commodè propter feſtum inſtans tractari poteſt doctrina de vera θεογνωσία. Eſt quidem notitia DEI aliàs vel naturalis, vel revelata: ſed nos de priori h. l. nulli ſumus ſoliciti: eſt enim illa, vel planè nulla, vel imperfecta, vel languida in hac vita: Revelata verò feſti eſt propria. Ea conſideratur *1. theoreticè; 2. practicè.* Notitia DEI.

Quoad θεωρίαν, de DEO cognoſci debet tùm *quidditas*; tùm eſſentiæ *unitas*; tùm perſonarum *Trinitas*.

Quid DEUS ſit breviter quidem, ſed nervosè dicunt Hebræi, quòd ſit Jehovah Elohim. Dilucidiùs hoc declarant ἰδιώματα eſſentialia, quæ in ſacris literis DEO adſignantur: e. g. quòd ſit DEUS quid.

1. Spiritus; Joh. 4, 24. Luc. 24, 39. non creatus, ut Angeli; ſed

Membra DEO tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς.

increatus. Corpus autem, manûs, brachia, oculi, aures & alia corporis humani membra DEO interdum adſcribuntur κατ' ἀνθρωποπάθειαν, propter intellectûs noſtri imbecillitatem: omnia verò ejusmodi dicta accipienda ſunt θεοπρεπῶς.

2. Inviſibilis: Rom. 1, 20. Col 1, 15. 1. Tim. 1, 17. Joh. 1, 18.

3. Simplex, expers omnis compoſitionis:

4. Immutabilis, ac proin immortalis: Pſal. 102, 28. Mal. 3, 6. Jac. 1, 17.

5. Æternus; Pſal. 90, 2. Jer. 10, 10.

6. Infinitus, incircumſcriptus, adeoq; omnipræſens: Job. 11, 8. Pſal. 139, 8. Jer. 23. 24.

7. Omnipotens. Gen. 17, 1. Pſal. 115, 3. & 135, 15. Luc. 1, 37. &c.

DEUS eſt Unus.

Verus ille DEUS ratione ἐσίας eſt unus: (πλυθεΐα enim gentium craſſa maximam partem per DEI gratiam eſt exploſa; licèt ſubtilis idololatriæ ſpecies quàm plurimas mens humana præter DEUM ſibi fingat:) idq; ſtabilitur,

1. per dicta, id ipſum affirmantia; Deut. 6. 4 Eph. 4, 6.

2. per dicta negentia; Deut. 4, 35. Eſa. 44. 6.

3. per dicta excludentia. Deut. 32, 39. Eſa. 37, 16. Joh. 17, 3.

Excluſiva autem non opponitur reliquis in divinitate una perſonis, ſed iis duntaxat rebus, quæ extra DEUM ſunt.

De perſonarum Trinitate in ſequentibus dicetur.

Praxin hujus doctrinæ quod ſpectat, uſus ejusdem conſpicitur 1. διδασκαλικῶς, tùm in fidei confirmatione; tùm in vera invocatione: Nos enim ſcimus, quem invocemus. Joh. 4, 22.

2. ἐλεγκτικῶς, contra omnes hæreſes, quæ à puritate hujus doctrinæ receſſerunt olim, hodieq; recedunt; quales fuerunt & etiamtum ſunt Polytheitæ, Tritheitæ, Ariani, Antitrinitarii, Samoſateniani & Photiniani, tùm veteres, tùm recentiores. Pontificii item Mariolatræ & Hagiolatræ Eſa. 42. 8.

3. παιδευτικῶς, ad ſtudium pietatis & unitatis. Joh. 17, 11.

II. Conſolatorius.

Semen ſanctum reſiduum.

1. Contra fidelium paucitatem: DEUS enim in medio impiorum & Eccleſiæ malignantium, ſanctum ſuum habet & cuſtodit ſemen. Eccleſia enim vera eſt cœtus electorum, qui non ſemper oculis hominum

Digitized by Google

num ſunt obvii; quia Dominus novit ſuos. 2. Tim. 2, 19. Patet inde, quid ſentiendum de aſininis Jeſucidarum clamoribus, ubi Eccleſia Lutherana fuerit ſub Papatu? Reſpondetur

Lutherana Eccleſia ubi ſub Papatu.

1. in omnibus iis locis, ubi ſemen verbi fuit ſparſum: in domo Domini, in qua ſedet Antichriſtus, cui multi contradixerũt:
2. apud infantes baptizatos:
3. apud fideles omnes, qui piè ex hac vita deceſſerunt:
4. apud occultas Nicodemitas; vide recuſationem Concilii Tridentini:
5. apud martyres:
6. ſummatim loquendo, ubi ſemen Eccleſiæ fuit & manſit, ibi fuit Eccleſia.

2. *Contra fidei imbecillitatem:* CHRISTUS enim in fide admodum infirmum Nicodemum non rejicit, ſed benignè admittit, humaniterq; informat. Eſa. 42, 3. 2. Cor. 12, 9.

Infirmitas fidei.

III. Monitorius.

I. De ſolo CHRISTO in negotio ſalutis & conſulendo & audiendo. Is enim à Patre nobis miſſus Doctor & interpres voluntatis divinæ. Deut. 18, 15. ſeqq. Eſa. 61, 1. Matth. 17, 5. Joh. 1, 18.

II. Ut omni ſtud ô, aſſiduâ vigilantiâ & absq; mora inveſtigemus viam, ad vitam æternam ducentem; ne minùs attentè tractemus negotium ſalutis, quàm mundi mancipia negotia ſua ſecularia. Pſal. 95, 8. Sir. 5, 8. Matth. 7, 13. Luc. 13, 24. & 16, 8. Eſa. 30, 21. Monr. p. 47. 48.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, in feſto corporis CHRISTI idololatrico circa hoc tempus magis occupatorum, quàm in pura de Sacroſanctæ Trinitatis myſterio doctrina adſerenda: quæ etiam cauſa fuit, quòd Jeſucida Schererus integram de hoc feſto concionem Poſtillis ſuis aculeatis insereret: pag. 426. & ſeqq. De hoc verò feſto quid ſtatuendum, videat benevolus Lector apud D. Gerhardum p. m. Tom. 5. L. C. pag. 430. & ſeqq.

Corporis Chriſti feſtum.

PARS II.

Vidimus & audivimus Nicodemi *alloquium*; ſequitur ipſum Salvatoris

Digitized by Google

vatoris cum Nicodemo *colloquium.* Patet autem ex præcedentibus, thema vel quæſitum colloquii fuiſſe, de modo regnum DEI, vel quòd idem eſt, ſalutem æternam conſequendi. De hac materia ſermones miſcent collocutores, CHRISTUS & Nicodemus diſtinctis actibus tribus.

I. *Actu primô* audimus CHRISTUM, diſcipulum ſuum Nicodemum *συντόμως*, ſed *fundamentaliter*, in negotio ſalutis, *erudientem.* Summa informationis huc redit: Salutis æternæ adipiſcendæ ordinarium medium eſt generatio vel nativitas nova, quæ fiat *ἄνωθεν*, deſuper vel denuò: (utrumq; enim hac voce denotari auctor eſt Chryſoſtomus:) Vel, *παλιγγενεσία* ſive regeneratio hominem facit regnum DEI ingredi. Confirmatur hæc theſis

1. *ſanctô* CHRISTI *juramentô;*

2. *firmô ab impoßibili argumentô:* quia ſine regeneratione illa nemo poteſt videre regnum DEI: ſeu, quod huic æquipollet, impoſſibile eſt ſine regeneratione videre regnum DEI: illa enim eſt hujus *αἴτιον ἄνευ οὗ μὴ*, cauſa ſine qua non.

II. *Actu ſecùndô* habemus

1. *Nicodemum, ſententiam* CHRISTI, h. e. ipſam regenerationem, *oppugnantem.* Oritur illud ex ἀγνοίᾳ: quid enim ſit *τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι*, Phariſæus non intelligit. Quandoquidem enim unam tantummodò hominis nativitatem, externam nimirùm ſive carnalem illam, â natura dependentem, ſciat & intelligat, alteram, internam ſcilicet, ſpiritualem & cœleſtem, planè negat, tanquam abſurdam & impoſſibilem. Sic ergò dictamen rationis ſuæ ſecutus colligit: *Impoßibile eſt, hominem ſeniô confectum vel adultum, in uterum maternum redeundo, inde renaſci:*

Ergò tua quoq; ſententia eſt impoßibilis & abſurda, & per conſequens per regenerationem homo ſalvari, vel regnum DEI intrare nullô modô poteſt. Servari quidem maximè velim, at quomodo renaſci poſſim non video.

2. CHRISTUM *adſertionem ſuam defendentem:* propter Nicodemi enim dubitationem à ſententia ſua nullatenus decedit Servator, neq; reſponſionem ſemel datam immutat; ſed modum inſuper παλιγγενεσίας ſive renaſcentiæ iſtius addendo θέσιν φυλάττει ſive confirmat; & quidem

1. *ὅρκου ἐπαναλήψει, juramenti repetitione:*

2. Τρό-

Digitized by Google

2. *Τρόπου ἐξηγήσει*, ſive *modi explicatione.* *τὸ ἄνωθεν* enim jam clariùs dicit, per aquam & Spiritum interpretando, aquam puta Baptiſmi, qui janua eſt ſalutis; & Spiritum, cujus donum eſt fides per caritatem efficax. Hoc igitur eſt medium conſequendæ ſalutis, renaſcentia, non naturalis, ex utero fœminæ iteratò facta, ſed alia, quæ eſt ex aqua & Spiritu. Ex loco itaq; cauſarum veras regenerationis cauſas adducit, ita ut *κύριον αἴτιον*, cauſa efficiens principalis ſit Spiritus ſanctus, corda hominum renovans, & in obedientiam fidei obſignans *αἴτιον ὀργανικὸν*, cauſa inſtrumentalis eſt aqua; intelligitur *συνεκδοχικῶς* Baptiſmus; Sacramentum illud initiationis, N. T. peculiare & uſitatum.

Regeneratio ſalutis medium.

3. *Διακρίσει*, *diſtinctione* inter carnalem & ſpiritualem nativitatem: de illa Nicodemus; de hac Salvator diſſerit, inquiens: *quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, h. e. ſpiritualis eſt homo, qui natus per Baptiſmum. Ceterùm quid carnis nomine h. l. veniat, non una eſt omnium ſententia; videat, qui volet varias carnis acceptiones atq; ſignificationes apud D. Calixt. in concord. Evang. pag. 127. 128. 129. D. Gerhardus Tom. 2. L. C. pag. 526. ita: Per carnem h. l. intelligitur tota natura corrupta, carens ſpirituali & interiori obedientiâ erga Legem. Lex ſpiritualis eſt, requirit integrum & ſpiritualem omnium virium obedientiam; ſed quod ex carne naſcitur, caro eſt & carnale, totô impetu fertur ad carnalia, deſtituitur ſpirituali luce & rectitudine, ideoq; etiam regnô DEI excluditur. 1. Cor. 15. 50. Rom. 8. 7. Hinc igitur facilè intelligitur, quô ſenſu dicat Servator, (refero verba D. Calixti p. 130.) quod natum eſt ex carne caro eſt, nempè neceſſitatem ſpiritualis regenerationis demonſtrat. Oportet omnem ſalvandum regenerari, quia quod natum eſt ex carne, ſc. depravata, hoc etiam ipſum caro eſt ejusdem generis. Et quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt, h. e. ſpirituales ſentit motûs, & ſpirituales habet inclinationes ac deſideria, agitur Spiritu DEI. Rom. 8. 9. 14.

Nativitas duplex.

Caro in ſacris.

4. *Ὁμοιώσει*, *comparatione* vel ſimilitudine venti, quâ & Nicodemi cogitationes prævenire, & regenerationem, de qua dixerat, adſerere; & deniq; rationis ferociam retundere voluit. Non enim continuò negandum, vel abſurdum atq; impoſſibile ſtatuendum eſt id, quod rationis noſtræ ambitu capi, vel ſenſibus externis comprehendi nequit; ſecundum Canonem Theologicum: *Ab ignoratione rei,*

ad negationem ejuſdem, non valet conſequentia. Habet D. Finck. cent. 2. can. 39.

III. *Actus tertius continet*

1. *Nicodemum adhuc dum dubitantem*, & περὶ τοῦ πῶς τῆς παλιγγενεσίας ſcrupuloſè quærentem; quod Chryſoſtomus dicit eſſe non multùm credentium, ſed adhuc terrena ſapientium. Cyrillus, Judaicum nominat verbum & cauſam extremi ſupplicii.

2. CHRISTUM

1. *diſcipulum ſuum duriùs aliquantò tractantem:* ubi occurrit increpatio à turpi, quâ ἄγνοιαν ipſi exprobrat.

2. *Myſteria ſalutis Nicodemo pandentem.* Hic

1. *præmittit* conſuetum juramentum, majoris fidei gratiâ.

2. *Opponit* Nicodemi inſcitiæ & ruditati ſuam planè infallibilem auctoritatem. Pluraliter loquitur, vel ut perſonas Trinitatis reliquas innuat; vel Johannis Baptiſtæ doctrinam cum ſua conjungat: nam & is eandem doctrinam de regeneratione in doctrina pœnitentiæ urgere ſolitus fuerat.

3. *Confundit* Phariſæum, à minori ad majus argumentando: ubi per

ἐπίγεια. τὰ ἐπίγεια nonnulli intelligunt vulgaria, facilia, ruditati & infirmitati humanæ accommodata: alii verò generationem carnalem: alii demum ſimile de vento. Per ἐπουράνια verò, vel quæſtionem de regeneratione; vel ſublimia myſteria, captum mentis humanæ longè exſuperantia alia, qualia mox ſubjungit. Nam

ἐπουράνια.

4. Nicodemo totum ſalutis vel juſtificationis noſtræ modum per cauſas *deducit*, oſtendendo

1. ſalutis noſtræ auctorem, ſive cauſam efficientem primariam, Filium-Hominis, cujus ſolius beneficiô regni cœleſtis hereditas nobis obtingit.

2. Cauſam intermedium ſive meritum, quod requirebat

1. *Filii DEI Incarnationem*, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & Homo factus eſt, uti Symbolum Nicænum loquitur. Notetur canon Theologicus: *Particulæ illæ, in cœlo, in altù, in excelſis, in ſacra Scriptura de DEO uſurpatæ, non locô illum concludunt, ſed ſummam, divinam, cœleſtem & ſupra omnia eminentem majeſtatem deſcribunt.* D. Finck. cent. 1. can. 78.

2. Ejuſdem *paßionem*, quam typô ſerpentis ænei declarat: vel, ut cum

ut cum textu loquamur, conſiſtit ſalutis noſtræ modus, in deſcenſu & aſcenſu. Deſcenſus CHRISTI duo complectitur; Deſcenſus Chriſti.

1. *ἐνσάρκωσιν, incarnationem;*

2. *ταπείνωσιν, humiliationem*, vel exinanitionis ſtatum. Cœlô enim ſeſe demiſit, non carnem cœlitùs adferendo; nec localiter ſecundum Deitatem ex cœlo aliquo ſupremo in terram ſeſe demittendo; ſed in carne ſe manifeſtando.

Adſcenſus comprehendit *1. ipſam CHRISTI adſcenſionem;* Adſcenſus Chriſti.
2. ſeſſionem ad dexteram DEI, ad quam ſecundum Humanam Naturam evectus eſt, & dominatur plenariè omnibus creaturis. Quæritur hoc locô, quomodo CHRISTUS poſt conſummatum exinanitionis ſtatum ſit exaltatus? Reſp. non tantùm reſpectu noſtri, ſed etiam ſui, adeoq; verè & reipsâ, ex ignobiliore conditione in plenarium divinæ majeſtatis conſortium translatus eſt & evectus. Scriptura enim, inquit Athanaſ. orat. 2. & 4. cont. Arian. & ex ipſo D. Finckius cent. 4. can. 96. non intelligit ſubſtantiam Verbi exaltatam, ſed ad humanitatem ejus hoc ſpectat, & propter carnem exaltari dicitur. Theophylactus ita: *Filium hominis cum audiveris deſcendiſſe de cœlo, ne exiſtimes, quòd caro è cœlo deſcenderit. Hoc enim Apollinarius docuit, quòd CHRISTUS habuerit corpus de cœlo; quòd per Virginem tranſierit, quaſi per canalem. Verùm quia una hypoſtaſis, h. e. una perſona CHRISTUS ex duabus naturis conſtituta; ideò omnia, quæ ſunt hominis, dicuntur de Verbo: & interim ea, quæ ſunt Verbi, attribuuntur homini. Sic & hoc quoq; locô Filius hominis dicitur deſcendere de cœlo, & quòd una ſit perſona, & una hypoſtaſis: deinde, ut ne cùm audiveris, qui deſcendit, putes, quòd non ſit in cœlo, dicit: Is qui eſt in cœlo.* Noli enim ſuſpicari, me propterea non eſſe illic, quia deſcendi: ſed & hîc adſum corporaliter, & illic ſedeo cum Patre, ut DEUS.

3. Cauſam ex parte noſtra organicam, fidem, adprehendentem CHRISTUM, de ſtipite crucis ſuſpenſum, & pro peccatis omnium hominum mortuum. Ideò enim ille ſuſpenſus eſt patibulò, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Tandem in ſimilitudine hac de ſerpente æneo typica, duo Canones

Theologici probantur: quorùm unus oſtendit, vaticinia de CHRISTO in V. T. vel directa eſſe, vel indirecta; hoc locô typus ſerpentis ænei directè repræſentavit CHRISTUM: Num. 21, 9. Vide D. Finck. cent. 1. can. 82. Alter docet, in Scriptura ſacra nonnunquam idem boni & mali eſſe ſymbolum. Idem cent. 2. can. 86.

Uſus 1. Informatorius.

Trinitatis myſterium

I. De adorando S.S. Trinitatis myſterio, cujus documenta expreſsiſſima in hoc quoq; habentur Evangelio. Sic enim Salvatori Nicodemus: Scimus, quòd à DEO veneris Doctor: ubi prima Trinitatis perſona, mittens Filium, voluntatis divinæ Interpretem, Doctorem ſive internuncium, innuitur. CHRISTUS loquitur Nicodemo; habes ſecundam perſonam, Filium DEI incarnatum. Regenerationem hominis fieri neceſſum eſt ex aqua & Spiritu: en tibi tertiam perſonam, per media ſanctificantem, quicquid ex carne natum eſt. Simile documentum producitur ex verſ. 11. quæ ſcimus loquimur, & quæ vidimus teſtamur; de quo vide D. Pelarg. quæſt. in Joh. ſ. 29. & Vindic. Meelführeri th. 16. Idem nonnulli probare conantur ex lectione feſti hujus epiſtolica, Rom. 11, 36. ſed de hoc textu D. Finck. cent. 4. can 36. ita: *A particulis ex ad DEUM Patrem, per ad DEUM Filium, in ad DEUM Spiritum ſanctum non firma nectitur conſequentia.* Confer D. Gerhard. Tom. I. L. C. pag. 362.

Regenerationis neceſſitas & qualitas.

II. De hominis regeneratione, cujus ſumma ad ſalutem neceſſitas à Salvatore admodum urgetur. Eſtq; ſingulare myſterium accuratâ διασκέψει vel maximè dignum. Inſtitui poteſt ſecundum cauſarum ſeriem.

1. *Cauſa efficiens*, ſive *Pater* noſtræ regenerationis, eſt ipſe DEI Filius; Pater ille æternitatis; Eſa. 9, 6. ſecundus Adam; 1. Cor. 15. 46. Sicut itaq; primus Adam procreat liberos ad vitam naturalem: Ita ſecundus Adam ad cœleſtem vitam. Eſa. 8, 18 Pſal. 22, 31. & 110, 3. Joh. 1, 12. *Mater*, eſt Eccleſia, aliàs Sponſa etiam CHRISTI nuncupata. Pſal. 45, 10. & 87, 5. Gal. 4. 26. *Uterus*, in quo fœtus ſpiritualis concipitur, formatur, geſtatur, eſt verbum DEI vivificum. Joh 6, 68.

2. *Materia ex qua*, vel *ſemen* noſtræ regenerationis, eſt itidem verbum, ſecundum verſiculum:

Vivimus in verbo, velut embryo matris in alvo:

1. Pet. 1, 23. Jac. 1, 18. Luc. 8, 11. Verbum eſt duplex; Legis & Evangelii, cui ſigilla duo, Baptiſmus & Cœna Domini, Sacramenta N. T. ſunt

Digitized by Google

ſunt adpenſa. Vide D. Finck. cent. 2. can. 59. 60. & cent. 4. can. 38.

3. *Forma* regenerationis nihil eſt aliud, quàm converſio peccatoris ad DEUM, ſive immutatio animi à malo in bonum, complectiturq́; Regeneratio quid.

1. *Veteris hominis mortificationem*, beneficiô Legis perficiendam. Jer. 23, 29. Pſal. 19, 7. & 119, 120.

2. *Novi hominis reſuſcitationem* & vivificationem, factam per Evangelii prædicationem, hominem pecccatorem iterum erigentem. 1. Sam. 2, 6. Matth. 11, 28. Eſa. 27, 8. Rom. 6, 6.

4. *Ὄργανον ſive medium*, reſpectu noſtri, eſt fides, quæ in Scriptura duplicem habet oculum; unô reſpiciens CHRISTUM, alterô proximum. D. Finck. cent. 4. can. 31.

5. *Finis* regenerationis eſt υἱοθεσία. Joh. 1, 13. Rom. 8, 16.

6. *Effectus*, eſt hereditas vitæ æternæ. Rom. 8, 17. Johan. 10, 11. Plura de inſigni hac, & conſolationis vivificæ pleniſſima materia vide in aureo libello D. Philippi Nicolai, qui inſcribitur, Theoria vitæ æternæ; libr. 3.

III. Quòd Filius DEI è cœlo deſcendens, in carne noſtra pro nobis de ligno crucis ſit ſuſpenſus, Redemtor generis humani, credentibus ſalutem æternam conferens. Moor. p. 43. 44.

IV. Quòd Baptiſmus ſit lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu ſancto, ſine quo nemo ſalvatur, ſi id contemnat. Tit. 3, 5. Eph. 5, 26. Idem p. 45. 46. Baptiſmus quid.

II. Conſolatorius.

1. *Ex noſtri per Spiritum ſanctum in regeneratione purgatione.* Etſi enim ratione primæ nativitatis caro de carne ſimus, rei iræ DEI & æternæ damnationis: beneficiô tamen Baptiſmi, in nomine DEI Patris, Filii & Spiritûs ſancti adminiſtrati, abluimur à ſordibus peccatorum noſtrorum, & conſtituimur filii ac heredes vitæ æternæ. Eſa. 4, 4 Mich. 7, 19. Regenerationis effectus.

2. *Ex S.S. Trinitatis in ſalute noſtra delectatione.*

3. *Ex meriti CHRISTI conſideratione.* Nam & hoc conſolationem efficaciſſimam ſubminiſtrat, quòd CHRISTUS pro nobis paſſus, & de ligno crucis ſuſpenſus iram Patris placavit, nosq́; ipſi reconciliatos in gratiam priſtinam, unde fueramus elapſi, reduxit. Hinc omnis, qui in ipſum crediderit, non peribit, ſed vitam æternam habebit. Eſa. 53. 4. 2. Cor. 5, 21. Rom. 5, 6. & 8, 31. ſeqq. Confer D. Finck. cent. 1. can. 94. & cent. 4. can. 61.

Baptiſmi operatio.

4. *Ex Baptiſmi operatione*; quòd, quoniam per Baptiſmum regenerati ſumus credimusq; Evangelio, videbimus regnum DEI, & adſcendemus cum CHRISTO & per ipſum in cœlos. Gen. 28, 12.

5. *Ex futura vitæ recordatione*; quòd, cùm hic terrena ſcrutari, nec ventum metiri poſſumus, in futura vita rectiùs edocti, etiam cœleſtium habituri ſimus cognitionem. Monr. p. 50. 51. 52.

III. Monitorius.

1. Ut piè ac reverenter de DEO & de ſummo Trinitatis myſterio loquamur. Ibid. p. 49. Mirari hic non rimari decet.

θεογνωσίας requiſita, quibus ad DEUM itur.

2. Ut ad DEUM TrinUnum venire totis viribus connitamur; venire autem eſt DEUM agnoſcere. Προσκείμενα ad θεογνωσίαν veram neceſſaria, & media perveniendi ad DEUM ſunt,
   1. *nativitatis carnalis agnitio & recordatio*;
   2. *ſalvifica regeneratio*, conſideranda, non ut opus externum, quod Nicodemus falsò putabat; ſed opus DEI ſalutare, quô homines impuri peccatóq; polluti in Baptiſmo, mediante aquâ & Spiritu â peccatis mundantur, & denuò filii DEI efficiuntur: Vide D. Scheupn. p. 176. 177.
   3. *Mediorum regenerationis obſervatio & uſurpatio:*
   4. *regenerationis operatio:*
   5. *meritorum propriorum abdicatio:*
   6. *meriti CHRISTI communicatio.*

IV. Refutatorius.

1. Calvinianorum, negantium, typum ænei ſerpentis loqui de exaltatione CHRISTI in cruce; ſed de exaltatione ejus, quæ facta eſt in prædicatione Evangelii; cui errori oppono Joh. 8, 28. & 12, 32. Num. 21, 9. Atqui hac ratione Calvinus hoſtem ſe crucis CHRISTI haut obſcurè prodit. A vaticiniis autem & typis ſive figuris argumentamur affirmativè & negativè. Cent. 2. can. 12. D. Finck.

Calvinus hoſtis crucis Chriſti.

Papiſmus, de Maria ſine peccato orig. nata.

2. Pontificiorum, 1. in peccato originali Mariam B. ſemper Virginem conceptam eſſe πὰξ καὶ λὰξ negantium. Cui errori opponimus Joh. 3, 6. & canonem Theologicum: Ubi Scriptura S. non diſtingvit, ibi nec nos diſtingvere debemus. D. Finck. cent. 3. can. 12.

Lutherus utrum exoſam habuerit vocem Trinitatis & ὁμοουσίας.

2. Calumniantium, veriùs mendacium loquentium, dum Luthero falsò tribuunt, quòd exoſam habuerit vocem Trinitatis; nec τὸ ὁμοούσιον,

ὁμοούσιον, Arianis à Concilio Nicæno quondam oppoſitum, ferre voluerit. Hinc Tonſor noſter intonſus hunc in modum ſcriptitat, pag. 419. Luther hat hievon dieſe Wort: Man begehet heut das Feſt der H. Dreyfaltigkeit / welches wir auch ein wenig müſſen rühren / daß wir es nicht vmbſonſt feyren / wiewol man dieſen Namen Dreyfaltigkeit / nirgend findet in der H. Schrifft / ſondern die Menſchen haben jhn erdacht vnd gefunden / darumb lautet es zumal kalt / vñ viel beſſer ſpreche man / GOtt / dann die Dreyfaltigkeit ꝛc. Luther hat auch genaget vnd gebiſſet am Wort ὁμοούσιον, damit die Patres im Nicæniſchen Symbolo anzeigen wollen / daß der Sohn mit dem Vater eines Weſens ſey. Dieſes Wort heiſſet Luther prophanam vocem, ein vnheiliges Wort / daß die Patres ohn vnd auſſer der Schrifft gebraucht ſolten haben. Sagt auch weiter: Quod ſi odit anima mea vocem ὁμοούσιον, & nolim ea uti, non ero hæreticus. Reſpond. 1. Calumniatorem audis, benevole Lector; & retundit calumniam ipſa lectio ſcriptorum B. Lutheri. Quicquid autem ſit de vocabulis, quibus docendi & perſpicuitatis causâ Eccleſia utitur, reipsâ plures eſſe in una DEI eſſentia perſonas, in & ex Scripturis habemus; in re iſta nominanda vel nominibus certis exprimenda, ſumus faciles. Novimus interim B. Lutherum vocabulô Trinitatis ſæpiſſimè uſum; calumniæ autem occaſionem vel anſam præbuit, quòd ipſe itidem monuerit, vocem Germanicam non eſſe ſatis commodam, ideoq́; vim & ſenſum ejus populo rectè eſſe explicandum. Vide D. Gerh. Tom. L. C. pag. 326. 327. Quid verò interſit inter trinum & triplex, vide in Exeg. p. 986. 2. Δοχοφόρον agit Jeſuſcida: Bellarminus enim, referente D. Gerhardô Exeg. p. 968. narrat, patres Concilii Antiocheni negâſſe, Filium Patri eſſe ὁμοούσιον, ac nihilominus eos rectè ſenſiſſe, nec Arianæ hæreſeos adfines fuiſſe. 3. Lutherus in lib. de Concil. & Eccleſ. tom. 7. Jen. f. 243. vocem homouſios in explicatione hujus myſterii non tantùm uſurpat, ſed etiam pro eadem ſtrenuê pugnat. 4. In confut. rationum Latomi, tom. 2. oper. Lat. f. 407. non abſolutè & categoricè, ſed ſecundum quid & certô reſpectu dicit: quod ſi anima mea odit nomen homouſios; & diſertè ibidem addit, non de re, ſed de ipſo vocabulo ſeſe agere, modò rem teneam, inquit, in Concilio per Scripturas definitam, hæreticus non ero. Hæc Gerhardus; & hæc nos; progredimur ad tertiam Diſpoſitionem.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής.*

Ut tempori, h. e. præſenti feſtivitati, quâ agitur de ſublimi illo Trinitatis ſummè-benedictæ articulo, inſerviamus, placet ex prælecta Evangelii περικοπῇ illud ſolùm in conſiderationem revocare, *quâ nimirùm ratione S.S. Trinitas nobis ſeſe revelaverit?*

Ἐξήγησις.

Multa quidem ex Scripturis V. & N.T. pro adſerenda & ſtabilienda propoſitione fundamenta in medium poſſent produci, quibus probatur, plures unâ in Divinitate una eſſe perſonas: ſed nos ſequemur filum hodierni Evangelii, in quo ſex potiſſimùm ſeſe efferunt pluralitatis, & præcipuè Trinitatis perſonarum documenta. Præſupponimus autem veriſſimam antiquitatis regulam: *Ubicunq; Patris & Filii fit mentio in Scriptura, ibi Spiritus ſanctus ſubintelligitur, per Scripturam loquens.* 2 Sam. 23, 2 2. Pet. 1, 21.

Trinitas perſonarũ ſex fundamentis probatur.

I. Primum fundamentum deſumitur *ex Filii DEI Incarnatione*, quæ hoc locô dicitur miſſio vel adventus à DEO, dicente Nicodemô: ſcimus, quòd à DEO veneris. Quid autem ſit venire à DEO CHRISTUS ipſe ediſſerit, Joh. 8, 42. & 12, 46. & 16, 28 1. Tim. 3, 16 Gal. 4, 4 Joh. 1, 14. Concurrere verò ad operis iſtius ſanctiſſimi non unam, non duas, ſed omnes tres Divinitatis perſonas, Angelus nos Gabriel edocuit. Luc. 1, 35.

Incarnatio Trinitatem probat.

II. Secundum articuli hujus fundamentum petitur *ex verbi divini prædicatione.* Nicodemus fatetur, CHRISTUM eſſe Doctorem θεόπεμπτον; hoc verum eſt, non modô generali, quô reliqui à DEO mittebantur Prophetæ & Eccleſiæ Doctores: ſed modô planè ſpeciali, quatenus erat Interpres DEI, ſcriptis olim Prophetarum multipliciter decantatus, revelaturus nobis omne DEI conſilium, de ſalvandis hominibus. Deut. 18, 15. Eſa. 63, 1. Theophylactus ita h. l. commentatur: *Magiſtrum ipſum vocat, q. purum hominem, talem enim opinionem de eo conceperat. Idcircò & ſubdit: Nullus poteſt talia facere, niſi DEUS ſit cum eo. Vides, quòd ſicut ad Prophetam & hominem dilectum à DEO, accedit ad JESUM.* Et poſt pauca: *Nicodemus humilem de CHRISTO habebat opinionem, nempè quòd Magiſter eſſet, ac DEUS eſſet cum illo. Habemus iterum myſterium Trinitatis revelatum.* DEI conſilium nemo revelare & docere poteſt, niſi qui ex ſinu Patris novit ac didicit. Matth. 11, 27. Joh.

Joh. 1, 18. 1. Cor. 2, 10. Sic dicitur DEUS eſſe cum CHRISTO, non modô vulgari, ſed huic myſterio peculiari, quem aliâs *ὁμουσίαν* dicere cum Eccleſia priſca ſolemus. Joh. 10, 38. 2. Cor. 5, 19. DEUS erat in CHRISTO, quod miracula ejus confirmabant. Inde unctus oleô lætitiæ, Spiritu nimirùm ſanctô. Eſa. 61, 1. Pſal. 45, 8. En iterum S.S. Trinitatis documentum evidens. Pater mittit Filium Doctorem & Interpretem ſuæ voluntatis, is ungitur Spiritu ſanctô.

III. Tertium fundamentum oritur *ex noſtra regeneratione*, quæ per lavacrum Baptiſmi nobis contingit, & de hac potiſſimùm Filius DEI concionatur. Jam quemadmodum in Baptiſmo CHRISTI S.S. Trinitas ὀφθαλμοφανῶς quodammodo ſeſe manifeſtabat; Patre de cœlo teſtificante; Filio in Jordane Baptiſmum à Johanne ſuſcipiente; Spiritu ſanctô in ſpecie columbæ deſuper adparente. Matth. 3, 17. Ita hodieq; Baptiſmus noſter adminiſtratur, in nomine DEI Patris, Filii & Spiritûs ſancti. Propter ſimpliciores ac rudiores inſtitui poteſt digreſſio in locum communem, de hominis regeneratione, cujus obſervetur, Regeneratio probat Trinitatem.

1. *Neceſſitas*, Marc. 16, 16. Vide præced. diſpoſ. Opponendum hoc eſt, tùm Anabaptiſtico furori, de non baptizandis infantibus: Marc. 10, 14. tùm Calviniſtico errori, de ſanctitate liberorum Chriſtianorum hereditaria. Utriſq; rectè opponitur adſertio CHRISTI: Quicquid ex carne natum eſt, caro h. *e.* peccatô corruptum eſt. Rom. 8, 7. 1. Cor. 15, 50. Eph. 2, 3. Pſal. 51, 7. Regenerationis neceſſitas.
2. *Qualitas:* Non fit craſsô modô regeneratio hominis, qualem Nicodemus, rationis ductum ſecutus, ſibi imaginabatur; ſed modô ſpirituali, certiſq; mediis deſcriptô. *Per Spiritum enim* (inquit Theophylactus) *ſpiritualem intelligere debes. Neq; Spiritus divinus fit baptizatus, ſed cùm adoptionem filiorum in Spiritu, & gratiam & honorem ſuſceperit, ſpiritualis eſſe meretur.* Regenerationis qualitas.
3. *Difficultas*, quam in Nicodemo dubitante perſpicere licet; quem tamen Salvator placidè corrigere, inq; myſterio iſthoc rectiùs erudire ſtudet, ſumtâ ſimilitudine à vento. *Si ventum*, (iterum Theophylactus ait) *qui Spiritus eſt ſenſibus ſubjectus, ignoras, quomodo & quò ſpiret; quomodo regenerationem à divino Spiritu curioſiùs inquiris? Si hic ſpiritus comprehendi nequit, multominùs ſancti Spiritûs gratia legibus naturæ ſubdetur.* Regenerationis difficultas.

IV. Quartum fundamentum profluit *ex* CHRISTI *ipſius teſtificatione*. Scimus, inquit ille, vidimus, loquimur, & teſtamur. Quæ verba

Digitized by Google

pluralitatem perſonarum in hoc myſterio haut obſcurè ſubindicant. Non enim ſolus eſt CHRISTUS, ſed ſemper cum Patre: Joh. 8, 16. & Spiritus Domini ſemper ſuper ipſum. Eſa. 61, 1. Luc 4. 18. Cyrillus ait: *Quoniam Salvator Patrem ac Spiritum S. in ſeipſo naturaliter habet, plurali numerô perſonas teſtantium protulit.* Et Rupertus, referente D. Pelargô: *non ait Dominus, quod vidi, hoc teſtor: ſed quod vidimus, teſtamur, ſeipſum & Patrem intelligi volens.*

V. Quintum fundamentum producitur *ex* CHRISTI *glorificatione ſive exaltatione*, de qua præclarè concionatur in aphoriſmo illo planè divino: Nemo adſcendit in cœlum, niſi qui è cœlo deſcendit; Filius hominis, qui eſt in cœlo. Quæ verba loquuntur non tantùm de CHRISTI *humili ratione*, Phil. 2, 6. 7. ſed & de majeſtatica ipſius *exaltatione*, quæ filio hominis contigit ex gratia, quam DEI Filius habet naturâ, ex ſua cum Patre & Spiritu S. ὁμουσίᾳ. Si quis uberiorem loci hujus ἐξήγησιν deſiderat, is præter D. Hunnium, D. Oſiandrum & alios orthodoxos Theologos, conſulat ſolidam Deciſionem quatuor controverſorum capitum, pag. 56. & ſeqq. ubi quoq; egregia Lutheri hujus loci explanatio inſeritur.

VI. Sextum fundamentum fluit *ex generis humani Redemtione*, quæ paſſionem & mortem vel maximè requirebat, ab illa Perſona, Filio videlicet hominis, pro placanda ira Patris, ſuſtinendam, & in typo ſerpentis ænei olim adumbratam: ubi ſimul perſonarum pluralitas concurrit, idq; ſubſequens ſtatim textus declarat, in aureo illo aphoriſmo: Sic DEUS dilexit mundum &c.

Hæc omnia, (ut uſum quoq; dictorum breviter monſtremus) eum in finem hodiernâ die populo proponuntur & inculcantur, ut moneamur inde

1. θεωρητικῶς, de vera veri DEI cognitione, in qua totum vitæ æternæ pondus unicè conſiſtit: Joh. 17, 3. præterea hinc

Adoptionis noſtræ ratio.

2. πρακτικῶς diſcamus, quâ ratione in filios DEI TriUnius adoptari valeamus. Quemvis ſalvandum hæc ſcire neceſſum eſt: quæſtionibus igitur agemus.

DEI cognitio quid requirat.

Quæritur. 1. quid de vero DEO Chriſtianus ſcire, credere & confiteri debeat? Reſpond.

DEUM eſſe.

1. Eſſentiæ divinæ veritatem. Eſſe autem DEUM probatur

1. *externè*, tùm ex rerum creatarum contemplatione; Rom. 1, 20. tùm ex verbi revelatione:

2. *internè*, partim ex indelebili conſcientiæ trepidatione; Rom.

Rom. 2, 15. partim ex infallibili Spiritûs S. obſignatione. Joh. 3, 35.

2. *Eſſentiæ divinæ unitatem*, de qua vid. præced. diſpoſ.

3. *Perſonarum in Deitate Trinitatem*. Ibid.

2. Quæritur, quomodo DEI TrinUnius, Patris, Filii & Spiritûs ſancti filii fieri queamus? Vide textũ Evangelicum: fit nimirùm illud,

1. *ſeipſum noſcendo: Decidit è cælo divinum* γνῶθι σεαυτόν: hinc Nicodemus ad CHRISTUM ire cogitur.
2. *Prava ſodalitia fugiendo:* Pſal. 1, 1. ſeqq.
3. *Media ſalutis quærendo:* Matth. 6, 33. Joh. 5, 39. Prov. 8, 35.
4. *JESUM diligendo:* Eph. 3, 18. 1. Cor. 16, 21. Joh. 21, 16.
5. *JESUM Præceptorem fideliter audiendo:* Matth. 17, 5.
6. *Seſe innovando;* Joh. 1, 12. 13. huc facit regeneratio:
7. *Caſtigationem patienter ferendo:* Pſal. 141, 5.
8. *JESUM rectè agnoſcendo:*
9. *In ipſum firmiter credendo:* Hoc enim qui fecerit, non peribit, ſed habebit vitam æternam. Oremus: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere: & in potentia majeſtatis adorare unitatem; quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA I. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 16. à verſ. 19. ad finem usq.

19. Ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς.

20. Πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι Λάζαρος, ὃς ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκωμένος.

21. Καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ.

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & byſſô, & epulabatur quotidiè ſplendidè.*

20. *Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceroſus;*

21. *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis: ſed & canes veniebant, ac lingebant ulcera ejus.*

pluralitatem perſonarum in hoc myſterio haut obſcurè ſubindicant. Non enim ſolus eſt CHRISTUS, ſed ſemper cum Patre: Joh. 8, 16. & Spiritus Domini ſemper ſuper ipſum. Eſa. 61, 1. Luc 4, 18. Cyrillus ait: *Quoniam Salvator Patrem ac Spiritum S. in ſeipſo naturaliter habet, plurali numerô perſonas teſtantium protulit.* Et Rupertus, referente D. Pelargô: *non ait Dominus, quod vidi, hoc teſtor: ſed quod vidimus, teſtamur, ſeipſum & Patrem intelligi volens.*

V. Quintum fundamentum producitur *ex CHRISTI glorificatione ſive exaltatione*, de qua præclarè concionatur in aphoriſmo illo planè divino: Nemo adſcendit in cœlum, niſi qui è cœlo deſcendit; Filius hominis, qui eſt in cœlo. Quæ verba loquuntur non tantùm de CHRISTI *humili ratione*, Phil. 2, 6, 7. ſed & de majeſtatica ipſius *exaltatione*, quæ filio hominis contigit ex gratia, quam DEI Filius habet naturâ, ex ſua cum Patre & Spiritu S. ὁμουσίᾳ. Si quis uberiorem loci hujus ἐξήγησιν deſiderat, is præter D. Hunnium, D. Oſiandrum & alios orthodoxos Theologos, conſulat ſolidam Deciſionem quatuor controverſorum capitum, pag. 56. & ſeqq. ubi quoq; egregia Lutheri hujus loci explanatio inſeritur.

VI. Sextum fundamentum fluit *ex generis humani Redemtione*, quæ paſſionem & mortem vel maximè requirebat, ab illa Perſona, Filio videlicet hominis, pro placanda ira Patris, ſuſtinendam, & in typo ſerpentis ænei olim adumbratam: ubi ſimul perſonarum pluralitas concurrit, idq; ſubſequens ſtatim textus declarat, in aureo illo aphoriſmo: Sic DEUS dilexit mundum &c.

Hæc omnia, (ut uſum quoq; dictorum breviter monſtremus) eum in finem hodiernâ die populo proponuntur & inculcantur, ut moneamur inde

1. θεωρητικῶς, de vera veri DEI cognitione, in qua totum vitæ æternæ pondus unicè conſiſtit: Joh. 17, 3. prætereà hinc

Adoptionis noſtræ ratio.

2. πρακτικῶς diſcamus, quâ ratione in filios DEI TrinUnius adoptari valeamus. Quemvis ſalvandum hæc ſcire neceſſum eſt: quæſtionibus igitur agemus.

DEI cognitio quid requirat.

Quæritur. 1. quid de vero DEO Chriſtianus ſcire, credere & confiteri debeat? Reſpond.

DEUM eſſe.

1. *Eſſentiæ divinæ veritatem.* Eſſe autem DEUM probatur

1. *externè*, tùm ex rerum creatarum contemplatione; Rom. 1, 20. tùm ex verbi revelatione:

2. *internè*, partim ex indelebili conſcientiæ trepidatione; Rom.

Rom.2,15. partim ex infallibili Spiritûs S. obſignatione. Joh.3,33.

2. *Eſſentiæ divinæ unitatem*, de qua vid. præced. diſpoſ.

3. *Perſonarum in Deitate Trinitatem.* Ibid.

2. Quæritur, quomodo DEI TrinUnius, Patris, Filii & Spiritûs ſancti filii fieri queamus? Vide textũ Evangelicum: fit nimirùm illud,

1. *ſeipſum noſcendo: Decidit è cælo divinum* γνῶθι σαυτόν: hinc Nicodemus ad CHRISTUM ire cogitur.
2. *Prava ſodalitia fugiendo:* Pſal. 1, 1. ſeqq.
3. *Media ſalutis quærendo:* Matth. 6, 33. Joh. 5, 39. Prov. 8, 35.
4. *JESUM diligendo:* Eph. 3, 18. 1. Cor. 16, 21. Joh. 21, 16.
5. *JESUM Præceptorem fideliter audiendo:* Matth. 17, 5.
6. *Seſe innovando;* Joh. 1, 12. 13. huc facit regeneratio.:
7. *Caſtigationem patienter ferendo:* Pſal. 141, 5.
8. *JESUM rectè agnoſcendo:*
9. *In ipſum firmiter credendo:* Hoc enim qui fecerit, non peribit, ſed habebit vitam æternam. Oremus: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere: & in potentia majeſtatis adorare unitatem; quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA I. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 16. à verſ. 19. ad finem usq.

19. Ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς.

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & byſſô, & epulabatur quotidiè ſplendidè.*

20. Πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι Λάζαρος, ὃς ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκωμένος.

20. *Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceroſus;*

21. Καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ.

21. *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis: ſed & canes veniebant, ac lingebant ulcera ejus.*

Digitized by Google

22. Ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν, καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ· ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη.

23. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ.

24. Καὶ αὐτὸς φωνήσας εἶπε· Πάτερ Ἀβραὰμ ἐλέησόν με, καὶ πέμψον Λάζαρον, ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου· Ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ.

25. Εἶπε δὲ Ἀβραάμ· τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ Λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά· νῦν δὲ ὧδε παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι.

26. Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν πρὸς ὑμᾶς, μὴ δύνωνται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν.

27. Εἶπε δέ· ἐρωτῶ οὖν σε πάτερ, ἵνα πέμψῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου·

28. Ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφοὺς, ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου.

29. Λέγει αὐτῷ Ἀβραάμ· ἔχουσι Μωσέα, καὶ τοὺς Προφήτας, ἀκουσάτωσαν αὐτῶν.

22. Accidit autem, ut moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: mortuus eſt autem & dives, ac ſepultus eſt.

23. Atq; in tartaro ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, videt Abraham eminùs, & Lazarum in ſinu ejus.

24. Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret lingvam meam: quia crucior in flamma hac.

25. Dixit autem Abraham: Fili recordare, quòd receperis bona tua in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic ſolatiò fruitur, tu verò cruciaris.

26. Et ſuper hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens firmatus eſt: ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neq; iſthinc huc tranſcendere.

27. Ait autem: Rogo ergò te Pater, ut mittas eum in domum patris mei:

28. Habeo enim quinq; fratres, ut teſtificetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum cruciatûs.

29. Ait illi Abraham: Habent Moſen ac Prophetas, audiant illos.

Digitized by Google

30. Ὁ δὲ εἶπεν· οὐχὶ πάτερ Ἀβραάμ· ἀλλ᾽ ἐάν τις ἀπὸ νεκρῶν πορευθῇ πρὸς αὐτοὺς, μετανοήσουσιν.

31. Εἶπε δὲ αὐτῷ· εἰ Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, πεισθήσονται.

30. At ille dixit: Non pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis iverit ad eos, reſipiſcent.

31. Ait autem illi: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexit, credent.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Commodè Evangelium hoc poteſt reduci ad genus cauſarum demonſtrativum: Continet enim narrationem parabolicam de divite epulone & mendico Lazaro, quâ taxat CHRISTUS turpiſſimum & nocentisſimum divitiarum abuſum. Quanquam quoad ſcopum, quem Salvator intendit, ad genus cauſarum didaſcalicum non inconcinnè etiam referatur. In utriusq; enim perſona depingere voluit univerſum hominum genus, quomodo tractet DEUS illos in hac vita, & qualiter vitam in hoc ſeculo inſtituere debeant, ut olim cœleſtis quoq; beatitudinis in futuro ſeculo participes evadãt. D. Chemn. harm. Evang. cap. 123. p. 101. In ſpecie autem ſcopus CHRISTI in recitatione hac parabolica eſt,

1. Confirmare neceſſitatem præcepti, de faciendis amicis, ex Mammona injuſto; cujus neglectio diviti epuloni æternum attulit detrimentum.
2. Ob oculos ponere exemplum ejus, quod Salvator dixerat: hominibus excelſum, coram DEO eſt abominandum.
3. Conſolari pauperes, & oſtendere, quòd paupertas & aliæ hujus vitæ miſeriæ non ſeparent hominem à dilectione DEI, nec impediant à conſequenda vera & durabili felicitate, ſed eam magis promoveant, ſi quis ſciat eas prudenter ferre.
4. Confirmare doctrinam de futura vita, præmiis piorum & pœnis impiorum.
5. Commendare auditum verbi, & neceſſitatem miniſterii.

Ad hos locos tota recitatio referenda, de qua non neceſſarium putant nonnulli diſputare, ſitnè hiſtoria, an parabola, modò teneamus ea, quæ CHRISTUS per eam docere voluit. Partes Evangelii ſunt tres:

1. *Divitis epulonis conſideratio;*
2. *Pauperis mendici contemplatio;*
3. *Abrahami cum divite inſtituta collocutio.*

PARS I.

Divitis epulonis deſcriptio.

Prima Evangelii pars in divitis epulonis deſcriptione eſt occupata: Das Fette wil doch immer gern oben ſchwimmen. Proponit autem nobis ob oculos tria:

1. *Divitis vitam*, quæ deſcribitur ex loco adjunctorum, qualia ſunt;
   1. *opum terrenarum abundantia*, hinc dicitur πλούσιος, quaſi πολὺ οὐσίος, multùm habens; nihil enim ipſi defuit, habuit bonorum omnium copiam, & hoc mundus in præcipua felicitatis parte ponit, inquiens: Beatus vir, qui habet multùm Silbergeſchirr. Job. 21, 7. Pſal. 144, 13.
   2. *Domicilii præſtantia*, ad cujus januam jacebat mendicus. Fuiſſe autem domum ſplendidam, ex multitudine comeſſatorum colligere licet. Infrà dicit domum patris ſui; fuit ergò res non parta labore, ſed hereditate relicta.
   3. *Veſtitûs excellentia;* dicitur enim indutus fuiſſe purpurâ & byſsô. Purpura, adnotante D. Chemnitiô pag. 103. fuit veſtis regia & ſenatoria, quæ etiam Pontificibus Judæorum, quibus ſucceſſerunt purpurati Romani, ad geſtandum à Regibus ethnicis conceſſa fuit. 1. Macc. 14, 43. Byſſus fuit linum Indicum & Ægyptium, ex quo veſtis linea conficiebatur, quâ olim reges tantùm amiciebantur. Tanti fuit precii, ut auro permutaretur & compararetur: igne (ſi Plinio fides habenda) non conſumebatur, ſed purgabatur.

      Purpura. — Byſſus.
   4. *Voluptatum indulgentia;* epulabatur enim quotidiè ſplendidè. εὐφραίνεσθαι eſt, non tantùm epularum deliciis ſeſe oblectare, ſed lætum genio ita indulgere, ut omnia, quæ ad voluptatem & hilaritatem facere poſſunt, ſtudioſè & magnis ac profuſis ſumtibus conquirantur. Et tales, luxurioſas comeſſationes exercuit hic epulo quotidiè, idq; fecit λαμπρῶς, magnificè, pomposè, ut facilè intelligas, fuiſſe illum Epicuri de grege porcum.

      εὐφραίνεσθαι.
   5. *Avaritia & immiſericordia*, quæ inde colligitur, quòd mendicum

Digitized by Google

dicum ad micarum ſub menſa participationem admittere recuſavit, quæ alioquin vel à canibus devorantur, vel pedibus hominum conculcantur.

II. *Divitis mortem*, quæ homini lætitiæ carnisq; voluptatibus ſolùm dedito, non potuit non contingere acerba. Moritur autem ille triplici quodammodo morte: 1. *corporis;*
2. *animæ;*
3. *æternâ morte.*

O dives, dives, non omni tempore vives!

III. *Eventa poſt mortem*, quorum duo commemorantur:

1. *ſepelitio;* legitur enim de illo, quòd ſepulturæ honore adfectus fuerit, quod dubiò procul cum magna pompa ac ſplendore factum eſt: ita enim in mundo fieri videmus:

Cùm moritur dives, concurrunt undiq; cives;
Cùm moritur pauper, præſtò eſt vix unus & alter.

2. *Damnatio*, quæ eô ipsô innuitur, quòd nulli ipſi morienti vel mortuo adſunt Angeli, nulli qui ſuſciperent animam deportandam in locum gaudii; ſed detruſa ea eſt in locum infernalem: unde in tartaro & tormentis fuiſſe dicitur, h. e. in loco damnatorum; ideoq; conqueri neceſſum habet, ſe cruciari in flamma infernali.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Ideam habemus hominum Epicuræorum, quorum DEUS venter. Phil. 3, 19. Pſal. 14, 2. & 36, 2. Sap. 2, 1. ſeqq. Eſa. 56, 12.

II. Habemus etiam ſpeculum infelicitatis & inconſtantiæ vitæ terreſtris. Vide D. Theodor. h. l. pag. 357. Speculum item divitum & lurconum ſeculi hujus. Ibid.

III. De hominis felicitate ex eventibus & conditione externa hujus vitæ judicandum non eſt. Mal. 3, 14. 15. Pſal. 37, 13. Jer. 12, 1.

IV. Divites in ſtatu verſantur admodum periculoſo. Matth. 19, 23. Prov. 30, 7. 1. Tim. 6, 9. 10. Divites in ſtatu periculoſo.

V. Etſi enim divitæ ſint donum DEI: tamen non faciunt per ſe hominem beatum, niſi diſcat eas contemnere, abuſum earum ſollicitè cavere, & ad cœleſtia adſpirare. Luc. 8, 14. & 11, 28. & 12, 16.

VI. Divitiis ergò non abutamur, ſi accidant. Pſal. 62, 11. 1. Corinth. 7, 31. Abutuntur iis homines Divitiarũ abuſus.

1. ſecu-

1. *ſecurè vivendo;*
2. *DEUM non amando;*
3. *ſuperbiendo;*
4. *pauperum obliviſcendo;*
5. *crapulæ indulgendo;*
6. *mortalitatis non reminiſcendo;*
7. *alios contemnendo;* quæ omnia in exemplo divitis hujus epulonis ad oculum cuivis patent. 1. Joh. 3, 17.

VII. Divitiarum autem abuſus, non poſſeſſio, damnat. Prov. 10, 22. & 22, 2.

IIX. Etiam in Scriptura ſacra diverſi ſunt unius rei effectûs: ſic divitiæ in avaro ſunt inutiles, in liberali proficuæ, in uſurario nocuæ, in pio frugiferaces. D. Finck. cent. 2. can. 67.

Veſtitus ratio. IX. Honeſtè, & pro ratione vocationis ac ſtatûs, ſplendidè etiam veſtiri, per ſe DEO non improbatur; quin & honorato viro magnum veſtis decus addit honeſta; abuſum autem veſtium DEUS abominatur. Eſa. 3, 18. Ezech. 7, 20. 1. Tim. 2, 9. 1. Petr. 3, 3. Gen. 41, 42. Matth. 6, 29.

X. Quisq; igitur veſtitu uti debet, pro qualitate ſui ſtatûs & functionis.

XI. Superbia omnis vitanda. Dan. 4, 34. Amos. 6, 8. Prov. 16, 5. & 21, 4. & 29, 24. Tob. 4, 14. Sir. 3, 30. & 10, 7. De luxu veſtimentorum vide D. Theodor. p. 358.

Luxus. XII. De luxu in cibo & potu vitando. Confer Domin. 2. Adventûs; & D. Theod. p. 359.

Immiſericordia. XIII. Immiſericordia quoq; fugienda. Ezech. 16, 49. Rom. 1, 31. Deut. 23, 3. 4. Job. 20, 19. Prov. 21, 10. Jac. 2, 13. D. Theod. p. 361. 362.

XIV. Divites caveant, ne ſpem & fiduciam in fluxis & caducis mundi hujus bonis ac divitiis ponant. Eſa. 29, 8. Matth. 6, 20. 1. Timoth. 6, 17. Pſal. 62, 11.

XV. Malis in hac vita plerunq; meliùs eſt, quàm bonis. Jer. 12, 1. Job. 21, 6. Pſal. 37, 35.

XVI. Omnibus hominibus, tàm bonis, quàm malis eſt moriendum. Job. 14, 5. Rom. 5, 12. & 6, 23. Hebr. 9, 27.

PARS II.

Lazarus mendicus deſcriptus. Contemplati ſumus divitis epulonis vitam & mortem, nec non ea, quæ mortem illius immediatè ſunt conſecuta: Jam è diametro men-

Digitized by Google

mendicum quoq; intuebimur. Is verò nobis deſcribitur ratione planè contrariâ; ſecundum

1. vitam præſentem;
2. mortem ſubſequentem;
3. ſtatum utrumq; excipientem.

I. Nam quoad vitam præſentem διὰ διὰ πασῶν vita divitis à vita mendici diſſidet: quia

1. ibi rerum omnium eſt adfluentia; hîc nil niſi extrema paupertas, & inopia. Eſt enim mendicus, πτωχὸς à πτώσσω, ſive πτωέω, quod ſignificat, metu percellor; timidè enim oberrant mendici, timidè ſtipem colligunt, timidè divites alloquuntur. πτωχὸς

2. Ibi voluptas & luxuria dominatur: hic ſumma corporis infirmitas ac virium impotentia. Non erat ex mendicorum validorum & ignavorum numero: ſed ἡλκωμένος, ulceroſus, pro purpura pus, pro byſſo ſcabiem, ſaniem & ulcera, pro epulis famem, pro ſplendore ignominiam, ſordes & fœtorem oſtentans. Hinc neq; laborare, neq; panem ſibi præ ægritudine corporisq; infirmitate proprium parare poteſt.

3. Ibi ciborum & eſculentorum, ut & potûs deliciæ variæ: hic miſeranda fames & inedia: defraudatur enim etiam micis, de menſa divitis cadentibus; plus interim miſericordiæ à canibus, quàm à divite ejusq; famulitio domeſtico percipiens. Nam canes venientes lingebant ulcera illius. Quanquam nonnulli (quod habet D. Chemn. p. 104.) exiſtiment, hoc ipſum etiam ad augendam miſeriam feciſſe plurimùm. Canes enim linxiſſe ulcera, non ut mendico benefacerent, ſed ut ipſis benè eſſet. Neq; enim ſemper dolore caret, quando ulcera nondum matura attinguntur & contrectantur.

Vides diſparem planè mendici fortunam in hac vita. Illud tamen vel maximè ad mendici præ divite felicitatem ſive commendationem facere videtur, quòd nomen ipſius expreſsè ponitur, divitis ſilentio involvitur. Propitium itaq; habet DEUM, cui & notus eſt, (ideò enim nomen ejus exprimitur, tanquàm in cœlo ſcriptum) & præ cæteris carus ac dilectus, quod indicat ſignificatum nominis ejus: Lazarus enim eſt, habens adjutorem DEUM, à Rad. עָזַר juvit, adjuvit, & juvando ſuſtentavit. Hinc nomen עֵזֶר auxilium, adjutorium; ut ſit Lazarus, auxilium DEI, omiſſo א initiali, ab אֵל DEUS. Intelligitur inde, Lazarum fuiſſe talem, qui ope alterius ad adjuvandum Lazari etymon.

K indi-

indiguit; vel cujus adjutor fuit DEUS, ſi non in hac, certè in altera vita. Habitavit ergò in corde ejus fides, exſpectans auxilium Domini, idq; ſpe firmâ, ſub patientia Chriſtiana: quæ divitiæ longè ſuperant omnes theſauros divitis epulonis.

II. Mortem Lazari ſubſequentem quod ſpectat, finem illa exoptatum attulit perpeſſæ miſeriæ: in deſcriptione verò ejusdem notantur duo:

1. Τὸ πραχθὲν; accidit, ut moreretur mendicus, idq; cum divite habuit commune.

Mors ſervat legem, tollit cum paupere Regem.

Maturiùs tamen præ divite moritur Lazarus, & haut dubiè æquiori ac tranquilliori animò. Mors enim ejus eſt

1. imperfecta; quia non animâ, ſed corpore moritur; quin immò non Lazarus, ſed miſeria Lazari moritur.

2. glorioſa, quæ peculiari gaudet privilegiô, quod ſubſequentia edocebunt pleniùs.

2. Τὸ παραλειφθὲν. Mortis quidem fit mentio; ſepulturæ verò nulla. Chryſoſtomus, referente D. Chemnitiô, exiſtimat, ipſum ſine omni comitatu, à vilibus hominibus extra urbem protractum, in foveam forſan aliquam abjectum fuiſſe, nullâ contectum terrâ, quod aſini ſepulturam Scriptura dicit. Jer. 22, 19.

Cap. 123. p. 106.

III. Statum demum Lazari poſt mortem quod attinet, exoptatam ille nobis exhibet miſeriarum perpeſſarum cum ſumma felicitate permutationem. Deſcribitur autem illa

1. *à cauſis miniſtrantibus.* Piè enim defunctus à DEO non fuit poſthabitus, aut abjectus, quod anteà videri poterat; ſed præſtò fuerunt ſancti Angeli, qui ex hac vita diſcedentem deportârunt. Angeli curant, quem homines negligunt & contemnunt.

Sinus Abrahæ.

2. *à ſubjecto loco*, qui ſinus vocatur Abrahæ, quò anima Lazari ab Angelis fuit deportata, ubi paratum ei fuit ſolatium & gaudium ſempiternum. Loquitur Salvator ἀνθρωποπαθῶς: liberi enim, ſinu vel patris, vel matris excepti, placidè quieſcunt, ſolatia audiunt, & omnium malorum facilè obliviſcuntur. Eadem eſt ratio beatorum in manu DEI. Dicitur ſinus Abrahæ; quia Abrahamus fuit communis Judæorum pater, hodieq; eſt omnium verè fidelium. Gen. 17, 6. Rom. 4, 17. Et quia Lazarus cum Abrahamo eandem fidem, idemq; fidei ſigillum habuit; ideoq; ſigni-

Beatitudo cœleſtis cur dicatur ſinus Abrahæ.

Digitized by Google

ſignificatur, in idem fidelium Abrahamitarum conſortium Lazarum fuiſſe receptum.

3. à fine, qui requies & conſolatio in DEO. Receptus eſt enim Lazarus in illud πᾶ, ubi DEUS ipſe, ubi Angeli, ubi Abraham cum reliquis Patriarchis, Prophetis & electis DEI hominibus, ut ibi ſolatiô fruatur in conſpectu DEI perpetuô.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Oſtenditur exemplô Lazari, externas miſerias à dilectione DEI neminem ſeparare. Rom. 8, 35. & ſeqq. Crux non ſeparat à DEI dilectione.

II. Lazarus pauper & miſer omnibus pauperibus & miſeris exemplô eſt & ſolatio. D. Theod. p. 363.

III. DEUS novit fideles ſuos ex nomine. Exod. 33, 37. Eſa. 48, 1. Impiorum nomen DEO eſt abominabile. Pſal. 16, 4. Prov. 10, 7.

IV. Nihil facit paupertas Lazari ad mendicitatem Papiſtarum, Monachorum cumprimis, electitiam ſtabiliendam. Pauperes ſunt ſine defectu, humiles ſine deſpectu. Ita multi ex Chriſtianis malis deteriores facti ſunt hypocritæ, immò idololatræ, ex paupertate & mendicitate facientes idolum. Mendicitas Papiſtica.

V. Quemadmodum itaq; divitiæ per ſe neminem damnant: ita paupertas per ſe neminem ſalvat. Sir. 27, 1. Prov. 30, 9.

VI. Juſtus non planè deſeritur. Pſal. 55, 23. Sir. 2, 11. & ſeqq. 2. Petr. 2, 9. Eſa. 54, 7.

VII. De diverſitate ſortis humanæ in hac vita, ratione cujus alii ſunt divites, alii pauperes. 2. Sam. 14, 14. 1. Par. 29, 15. Job. 7, 1. Pſal. 34. 20. & 89, 1. & 73, 12. Prov. 22, 2. Eccl. 8, 24.

IIX. Pauperes & mendici non deſperent; qui hic egent, illic, modò ſint pii, ſolatiô fruentur. Exod. 3, 1. Ruth. 2. 22. 1. Sam. 16, 11. Luc. 2, 7. Matth. 8, 9. Prov. 14, 31. & 16, 5. & 22, 2. Pauperes non deſperent.

IX. De communi mortalitate, cui omnes ſubjacent homines. Pſal. 59, 2. & 89. 49. Eccl. 2, 16. Job. 3, 19. & 10, 22. Sir. 40, 3. Eſa. 5, 14. Mortalitas communis

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

X. Angeli ſunt Spiritûs miniſtratorii. Hebr. 1. 14. Tob. 12, 12. Zach. 1, 12. Act. 10, 3. 4. Apoc. 8, 3. 4. Job. 33, 23. Officium eorum eſt, piorum animas deportare in cœlum. Vide D. Theod. p. 365. Angelorũ officium.

Sinus Abrahæ.

XI. De ſinu Abrahæ vide eundem Theod. p. 368. 369. Non venit hoc nomine limbus patrum in V. T. qui nullus eſt. Ibid. p. 372.

Animarũ ſtatus poſt mortem.

XII. De ſtatu animarum poſt mortem teneatur,

1. quòd anima cum corpore non intereat, ſed ſit immortalis. Eccl. 12, 7. Matth. 10, 28. & 22, 32. Eſſe autem illam ſpiritum immortalem, colligitur ex

Animæ immortalitas

   1. *ipſa creatione*, facta inſpirando, & hinc divina & immortalis eſt; Gen. 1, 20. 24.
   2. *conſcientiæ teſtificatione;*
   3. *operatione*, quâ omnia terrena transſcendit;
   4. *collectione*, cum populo & patribus ſuis; Gen. 25, 7.
   5. *profectione ad DEUM:* Eccl. 12, 7. Phil. 1, 23. 2. Cor. 5, 1. Sap. 3, 1. Pſal. 31, 6. Luc. 23, 46. Act. 7, 59. 1. Petr. 2, 25.
   6. *impiorum ad æternos cruciatûs deſtinatione.* Matth. 10, 28. Vide D. Haſenreff. p. 57. ſeqq.

μετεμψύχωσις

2. Quòd animæ defunctorum non incertis ſedibus vagentur; neq; per μετεμψύχωσιν Pythagoricam ex ſuis corporibus in alia corpora commigrent; ſed CHRISTUS in hac parabola duo tantùm monſtrat loca, ad quæ animæ, è corporibus ſuis egreſſæ, deveniant: unum in regno æterno, alterum in igne æterno; illuc piorum, huc impiorum demigrant animæ. Apoc. 14, 13. Luc. 23, 44. Joh. 5, 24. & 12, 24. & 17, 24. Job. 21, 13. Luc. 12, 20. Sap. 3, 1. Vide D. Chemn. p. 108. & D. Haſenreff. pag. 447. Tertium locum ignorat univerſa Scriptura.

XIII. Piorum calamitates poſt mortem deſinunt, & in æterna gaudia commutantur. Joh. 16, 20. Eſa. 60, 21. Apoc. 14, 13. & 21. 4. Pſal. 30, 12. & 126, 5. 6.

Pauperis Lazari habenda ratio.

XIV. Habenda eſt ratio pauperis Lazari, ab iis maximè, quibus mundi hujus bona abundantiùs adfluunt. Fiat autem

1. *calamitatem illi non exprobrando:* Prov. 17, 5. & 22, 2. Sir. 4, 3. 1. Corinth. 4, 7.
2. *pauperem non defraudando:* Prov. 22, 16. Sir. 34, 25.
3. *clamores pauperum exaudiendo:* Sir. 4, 4. Prov. 21, 13.
4. *libenter & liberaliter dando.* Luc. 6, 38. & 16, 9. Pſal. 41, 2. & 112, 9. Prov. 14, 31. & 19, 17. & 28, 27. 1. Tim. 6, 17. 18.

PARS III.

Reſtat colloquium divitis, cum Abrahamo inſtitutum; ejus obſervetur

1. Or-

I. *Occaſio*, orta ex conſpectu Lazari in ſinu Abrahæ, quem videt adfluentem gaudiô & fruentem ſolatiô, pro malis iis omnibus, quæ in hac vita ſuſtinuerat; quod ſpiritualiter accidiſſe exiſtimant Theologi: veriſimile eſt enim, animam epulonis in inferno ſecum cogitâſſe ſequentia, & tale reſponſum in conſcientia ſua accepiſſe. Additur amplificandi & illuſtrandi causâ

1. *tempus & locus*; dives eſt in inferno, qui eſt locus damnatorum; huc ubi perventum, non ampliùs datur pœnitentiæ vel tempus vel locus: Ex adverſo Lazarus conſpicitur ab illo in ſinu Abrahæ, qui eſt locus æternæ felicitatis, & nuncupatur ita, quod parte quoq; ſecundâ innuebamus, quia Abraham fuit pater credentium. Rom. 4, 16. Ut igitur parentes ſuſcipiunt liberos ſuos in ſinum ſuum, quando volunt eos conſolari; Eſa. 66, 12. Ita Abraham dicitur excipere ſinu ſuô eos, qui ex hac miſeriarum valle in fide Abrahæ demigrant, & transferuntur ad æternam beatitudinem. Eſtq; phraſis illa magis ad vetus, quàm novum T. accommodata, & pertinet ad eos, qui moriebantur in fide venturi Meſſiæ. Nunc autem CHRISTô exhibitô & ad cœlos evectô, rectè commendamus animas noſtras in ipſius manûs cum Stephano, Act. 7, 59. & ita diſcedimus, ut poſthac cum ipſo ſimus. Phil. 1, 23. 2. Cor. 5, 8. Sinus Abrahæ.

2. *Adjunctum* tormentorum exquiſitisſimorum: dicuntur enim βάσανοι, h. e. cruciatûs facinoroſorum, quando veritatis indagandæ ergò torturis & cruciatibus variis, ſub manu carnificis, exponuntur & ſubjiciuntur. βάσανοι.

II. *Colloquii forma vel ratio*, quæ continet duo:

1. *petitoria*; &
2. *refutatoria* vel reſponſoria.

Petitoria ſunt duûm generum; quorum unum epulonem ipſum; alterum fratres ejus concernit.

Pro ſe petit, *pœnarum mitigationem*. Hic occurrit orationis petitoriæ,

1. *Exordium*, captans benevolentiam à jure vel officio paterno. Loquitur enim tanquam Judæus genere & origine; ſiquidem patrem nominat Abrahamum. Conſtat autem, duplices eſſe Abrahamo filios; alios quidem carnis; alios verò fidei; & hi ſunt γνήσιοι ſive genuini, qui etiam cum fideli Abrahamo hereditatem æternam accipient. Reliqui, qui tantùm ſunt carnis, alieni autem à fide & pietate Abrahæ, non habent partem in æterna promiſſa benedictione. Rom. 9, 7. 8. Abrahami filii duplices.

7. 8 Gal. 4. 28. 29. Joh. 8, 39. 40. Itaq; carnalis ex Abrahamo nativitas epuloni nihil quicquam profuit.

2. *Propoſitio: Miſerere mei;* æquum enim & uſitatum aliàs eſt, immò naturale, filii miſereri parentem.

3. *Confirmatio*, continens rationes tres: quarum deſumitur

1. *à modo juvandi*, veluti cauſa inſtrumentali; mitte Lazarum.
2. *A minori & facili;* concede guttulam ſaltem aquæ, digito Lazari adhærentem, quam lingvæ adfundat vel inſpergat; Atq; ita ſuſpirare incipit, ſi poſſit dignus haberi aliquali refocillatione, ſed nihil obtinuit, uti poſtmodum audiemus.

ὀδυνῶμαι. 3. *A cauſa movente* vel impellente; *quia crucior in hac flamma* ὀδυνῶμαι ſignificat, acutisſimos, ceu partûs, dolores patior. Qui verò ſint illi cruciatûs non explicat: ſunt enim ἀνεκδιήγητοι, ineffabiles. Jam enim (verba ſunt D. Chemnitii) anima torquetur perpetuô morſu conſcientiæ, ex recordatione admiſſorum ſcelerum; mox ſubit dolor amiſſæ irreparabilis felicitatis, quam beneficiô CHRISTI facilimè conſequi potuiſſet: rurſus illum excruciat cogitatio æternæ damnationis, quæ nunquam averti poterit: præterea quòd cum dolore exſpectat reſurrectionem corporis, cum quo anima rurſus unita, diabolo tradetur in horribiles pœnas, ex quibus non liberabitur in omnem æternitatem.

Pro fratribus ſuis petit, *ſeriam eorundem emendationem.*

1. *Propoſitio* eſt: rogo, ut miſerearis fratrum meorum. Quia enim ſcit epulo, ſe ſui genii & ingenii fratres poſt ſe in mundo reliquiſſe, divinare aliter haut poteſt, quàm ut & ipſi ſint venturi in eundem cruciatuum locum. Et quia optat averti poſſe, ideò Lazarum concionatorem ipſis mitti petit. Sequitur enim
2. *Ratio* petitionis gemina:
   1. *à forma vel modo*, quem præſcribit Abrahamo, veriùs ipſi DEO; mitte Lazarum, ſc. à mortuis reſuſcitatum.
   2. *Ab utili;* ne veniant in hunc tormentorum locum. Hactenus petitoria epulonis.

Refutatoria ſeu reſponſoria directa ſunt ad duplicem divitis petitionem.

Primæ petitioni reſpondet *per ſimplicem negationem*, adjunctâ ratione,

1. *ab injuſto, vel cauſa prohibente*, quæ eſt δικαιοκρισία ſeu juſtum DEI judicium; Recordare fili &c. Filium vocat, genere & origine, non fide, vel imitatione. Alii volunt iconicè dictum, q. d.

Abrahæ filius.

egre-

egregium verò mihi filium: fili non genuine, ſed degener, licet naturalis; fuit enim ſecundum carnem Judæus; non autem ſpiritualis, adoptatus per fidem, dilectus & acceptus.

2. *Ab impoſsibili*, propter ingentem locorum diſtantiam, ingens hiatus firmatus eſt. Græcum χάσμα, hiatum vel voraginem terræ notat, ἀπὸ τοῦ χαίνειν, ab hiando. Quemadmodum enim hiatus terræ, ſi magnus ſit, impedit, ne quis ex uno loco in alium tranſeat: ſic firmisſimò & immutabili DEI decretò conſtitutum eſt, ut quicunq; ſemel naturæ debitum per naturalem mortem exſolvit, ille nunquam in hanc temporalem vitam redire poſſit, ſi maximè velit: quin eodem decretò terminatum eſt, ne qui ſemel vitæ æternæ particeps factus eſt, nunquam eâ excidat; & qui ſemel in infernum detruſus eſt, perpetuò in eo maneat, nec redemtionem ullam exſpectet. χάσμα.

Secundæ petitioni eodem modô reſpondetur *per inficiationem*.

Ratio. 1. *à veris & ordinariis ſalutis cauſis organicis*, quæ negligere inhoneſtum:

2. *à majori ad minus*: ſi ordinaria media non admittunt, multò minùs extraordinaria: habent Moſen & Prophetas, quos oportebat audire; fruſtrà opponitur, plus effectum iri, ſi quis ex mortuis ad illos iret: ſi enim eò impietatis prolapſi ſunt, ut Moſen & Prophetas negligant, nunquam credituros ſcias, ſi quis ex mortuis reſurrexerit. Hoc fuit illud divitis cum Abrahamo colloquium: quomodo autem fieri potuerit, ut dives ex tartaro conſpiceret Lazarum, in loco beatitudinis conſtitutum: quomodo item clamaverit ad Abrahamū; quomodo mentionem lingvæ ſuæ faciat; itemq; digiti Lazari, cùm tamen neq; Lazarus corpore ſuô in cœlum, nec dives corpore in infernum ſtatim à morte venerit, ſed anima Lazari & divitis ſimiliter, relictis terræ corporibus, in ſuum quæq; locum migraverit: & quæ aliæ quæſtiones ſimiles hìc moveri fortè poſſent, de his non oportet nos eſſe curioſos aut ſolicitos; ſed ſimpliciter ſpectare intentionem CHRISTI, quæ eſt, teſtificari de altera vita, quæ poſt hanc redit; & quòd DEUS ſit juſtus Judex, retribuens unicuiq; ſecundum ea, quæ hìc per vitam geſſit, ſive bona, ſive mala ea fuerint. 2. Cor. 5, 10.

Pori-

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. DEUS reddit unicuiq; ſecundum facta ſua. Rom. 2, 6. 2. Theſſ. 1, 6. Eſa. 25, 24. Apoc. 7, 14. & ſeqq.

Infernum eſſe. II Eſſe infernum, divitis hujus teſtatur exemplum & querela; ſecùs quàm multi impii ſibi imaginantur, putantes, eſſe fulgura ex pelvi & inania terriculamenta, quæcunq; de cruciatibus & doloribus infernalibus ſubinde auditoribus inculcantur. Matth. 25, 41. 2. Theſſ. 1, 9. Deut. 32, 22. Eſa. 5, 14. Job. 18, 21. & 24, 19. Eſa. 30, 33. Num. 16, 32. Apoc. 9, 2. & 19, 21. & 20, 1. Vide D. Theod. p. 369. 370. D. Gerhard. Tom. 9. L. C. pag. 522.

Animarũ conditio duplex. III. Duplex tantùm eſt conditio animarum poſt hanc vitam, quemadmodum etiam duo tantùm ſunt loca, non plura, quæ omnium defunctorum animas excipiunt; locus vel ſedes beatorum, (aliàs vita æterna) & locus vel domicilium damnatorum, (quod aliàs infernus ſeu gehenna dicitur.) Marc. 16, 16. Matth. 25, 46. Dan. 12, 2. Joh. 5, 23. Vide D. Chemn. p. 108.

IV. Hæc duo ſunt loca ſive receptacula, ad quorum alterutrum migrat, quicunq; ex hac vita diſcedit. Non datur tertium, aut locus intermedius, de quo ex Scripturis conſtet.

Purgatorium & limbi nihil ſunt. V. Pura-puta figmenta ſunt, quæ Pontificii de locis intermediis, purgatorio, limbo puerorum, extra & præter omnem Scripturam excogitàrunt. Unus eſt infernus, in quem dives epulo detruſus eſt, & eodem omnes impii detrudentur. Joh. 3, 36. Unum eſt cœlum, in quod Lazarus ab Angelis fuit deportatus, & eodem venient omnes, qui unico CHRISTI meritô confiſi, firmâ in illum fide obdormiverunt. Joh. 11, 26. & 17, 24. Luc. 23. 43. Apoc. 14, 13. Sap. 3, 1. Vide plura apud D. Chemn. pag. 115. & Vindic. Meelführ. th. 27. & ſeqq.

Pœnarum infernaliũ æternitas. VI. Damnatorum cruciatûs in inferno futuros æternos, inæſtimabiles & inenarrabiles. Eſa. 47, 14. & 66, 24. Judith. 16, 21. Marc. 9, 44. Sap. 5, 3. Apoc. 14, 11. & 18, 7. & 20, 10. D. Theod. p. 370.

VII. In Scriptura ſacra impii puniuntur per ea, per quæ peccant. D. Finck. cent. 3. can. 16.

Infernus quibus paratus. IIX. Quibus paratus & deſtinatus ſit infernus: primùm diabolo & angelis ejus; deinde hominibus damnatis: Matth. 25, 41. operantibus iniquitatem; Matth. 7, 23. incredulis; Marc. 16, 16. κακοέργοις, quorum opera mala ſunt; Joh. 3, 19. contemtoribus Moſis & Pro-

Prophetarum; Luc. 16, 31. ſcortatoribus, ſimulacrorum cultoribus, adulteris, mollibus, furibus, avaris, ebrioſis, maledicis, rapacibus; 1. Cor. 6. 9. 10. immundis, laſcivis, veneficis, contentioſis, iracundis, ſeditioſis, hæreticis, invidis, homicidis, irreconciliabilibus; Gal. 5, 20. 21. & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Apoc. 21, 8. Vide D. Theodor p. 371. 372.

IX. Ex inferno nulla eſt redemtio; ingens enim hiatus inter condemnatos & beatos firmatus eſſe dicitur: ſicut & è contrario, certum eſt, quod è ſtatu beatitudinis ſemel adeptæ pios & ſanctos deturbare nemo poſſit. Pſal. 6. 6. & 49, 15. & 140, 10. Prov. 30, 16. Eſa. 38, 18. Job. 7. 9. Confer D. Chemn. p. 117. 118. *Ex inferno nulla eſt redemtio.*

X. In eo igitur omne momentum ſitum eſt, ut videat unusquisq; quâ conditione hanc vitam terminet. Eccl. 11, 8. *Finem reſpice.*

XI. Nihil damnatis ſolatii aut levaminis accedit, ex multitudine eorum, qui in idem barathrum conjiciuntur, ſed magis adgravari illorum tormenta. *Damnatorum multitudo nihil dat ſolatii.*

XII. Bis igitur ſtulti, immò inſani ſunt, qui temerè & profanè jactant parùm ſe curare, quem in locum poſt mortem deferantur; non enim defecturos ſocios, quocunq; veniant.

XIII. Patet ex dictis, quid ſit damnatio æterna; nimirùm eſt ineffabilis miſeria, inter exquiſitiſſimos cruciatûs animæ & corporis, ex ſenſu iræ DEI infinitæ, cum confuſione inter diabolos, in tenebris horrendis, æternùm ſuper impios continuanda. Lege de hac materia plura Tom. 9. L. C. D. Gerh. *Damnatio quid.*

XIV. Poſt hanc vitam reſtat alia beatior vita, in qua pii gaudiô, ſolatiô & conſpectu DEI ſempiternô fruentur. Sap. 5, 16. Tob. 2, 18. Dan. 12, 3. Matth. 25, 34. Joh. 10, 27. Pſal. 16, 11. Eſa. 35, 10. & 49, 10. 1. Pet. 1, 18. Hinc Marcellus eleganter: *Vita poſt hanc alia.*

Felix ô nimium felix, cui ſedibus illis
Tàm pulcris, & tàm jucundis, tamq; beatis
Vivere conceſſum eſt, ſupremi munere Regis.
Tunc ego nec lacrymas, tunc nec ſuſpiria cordis
Ulla ſciam, ſed erunt lætiſſima jubila tantùm.

XV. Conſpectu beatorum & felicitatis eorum, multùm augebitur damnatio impiorum. Sap. 5, 2. ſeqq.

XVI. Maturè in hac vita reſipiſcendum: hic enim eſt locus pœnitentiæ & gratiæ, ibi juſtitiæ. Pſal. 95, 8. Sir. 5, 8. 9. & 18, 22. Rom. 2, 4. *Pœnitentia hujus vitæ.*

2, 4. Duo tempora homini poſita ſunt, unum vitæ, alterum mortis & judicii. Vide D.Chemn.harm. p.117.

Sanctorū invocatio ἄγραφος.

XVII. De invocatione & ſuffragiis ſanctorum nihil novit Scriptura ſacra. Vide D.Theod. p.372.

XIIX. Omnibus vitæ hujus miſeriis opponendum eſt, quod de Lazari hic ſolatio legitur. Ibid. p.373.

XIX. Quâ ratione cruciatûs infernales effugere valeamus, nimirum audiendo Moſen & Prophetas. Sic ergò

Verbi commendatio.

XX. Scriptura ſacra ſeu verbum DEI nobis omnibus commendatur: Verbum itaq; prædicatum audiendum. Joſ.1,7. 2.Pet.1, 19. Luc.10,42. & 11,28. Joh.5,24.39.

XXI. Non audiendum in Eccleſiâ: hæc dico, hæc dicis: ſed hæc dicit Dominus. D.Finck. Cent.1.can.90.

Dives epulo cur damnatus.

XXII. Cauſa damnationis primaria diviti epuloni fuit, quòd verbum DEI contemſit, & non credidit reſtare vitam aliam, in qua luendum eſſet iis, qui impiè & impœnitenter dies ſuos in hoc mundo traduxerunt.

XXIII. Certò ſciamus nullum verbi prædicati contemtorem ad ſalutem pervenire.

XXIV. Commonefaciendi ſunt homines, ne quidquam tribuant adparitionibus ſpirituum, neq; veritatem ſciſcitentur ex mortuis. Eſa.8,20. Joh.17,17. Deut.18,10.11. 1.Sam.28,6. & ſeqq.

XXV. Ex Scriptura enim revelata, non ex mortuis diſcenda veritas. Eſa.8,19. Pſal.119,109. Luc.10,16. 2.Pet.1,19.

XXVI. Nam & ipſe Salvator, qui eſt veritas, nos ab adparitionibus animarum & ſpectris diabolicis ad verbum patefactum revocat.

Scripturæ encomiū.

XXVII. Eſt ergò (1) ſumma Scripturarum neceſſitas; Joh.5. 39. & 20,21. Luc.16,31. (2) ſumma earundem perſpicuitas; Pſal.19, 9. & 119,105. Prov.6,23. 2.Cor.4,3. 2.Pet. 1, 19. Confer D. Finck. cent.1.can.34. (3) ſumma auctoritas; Epheſ.2,20. (4) ſumma demiq; perfectio. 2.Tim.3,16. Pſal.19,8. Joh.15,15. Act.20,26.

XXIIX. Ipſi verò Scripturæ, quippè quæ eſt æternum & immutabile DEI verbum, per nos nihil addendum, nihil detrahendum eſt. D.Finck.cent.2.can.7.

Scripturæ oſores.

XXIX. Fugiendi ſunt omnes Scripturarum θεοπνεύστων oſores; quales ſunt Epicurei, Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ, Schvvenckfeldiani, Weigeliani, & præ reliquis μισογράφοις Papiſtæ ac Jeſuitæ omnes,

mnes, quorum hac in re impietas toti jam orbi Chriſtiano innotuit. Ad Legem potiùs & ad teſtimonium recurrendum; Eſa.8,19. hic habemus firmiorem, (βεβαιότερον) quàm in ſcrinio Papalis pectoris, ſermonem. 2.Pet.1,19. Joh.17,17.

XXX. De modo, via ac ratione perveniendi eò, ubi Lazarus ſolatiô fruitur ſempiternô; & effugiendi ex adverſo locum, in quo dives epulo cruciatur. Fiet illud

Modus infernum effugiendi.

1. *Fraternitatem* (h. e. vitia) *epulonis devitando*, puta
   1. *avaritiam, injuſtitiam & immiſericordiam;*
   2. *faſtum & ſuperbiam;*
   3. *ἀσωτίαν & intemperantiam;*
   4. *ἀσέβειαν, verbiq; negligentiam;*
   5. *impœnitentiam:* aut enim pœnitendum, aut ardendum;
2. *Moſen & Prophetas, i. e. verbi miniſterium, audiendo:*
3. *pœnitentiam non procraſtinando, ſed maturando.*

DISPOSITIO SECUNDA.

Propositio διμερής.

Duo tractantur in hoc Evangelio κεφάλαια, quæ διὰ βραχέων contemplabimur, dicturi

I. de divite epulone;
II. de paupere mendico.

PARS I.

Parabolam commemoret Salvator, an hiſtoriam, operosè nonnulli diſputant: nos priori ſententiæ adſtipulamur, iis motiràtionibus, quas D.Hunnius p.m. hoc in locô recenſet: quia

1. animæ piorum & impiorum non poſſunt mutuò colloqui:
2. Nulla hominis vox poteſt eſſe tanta, tamq; valida ac ſonora, ut ex inferno ad cœlum uſq; penetret:
3. Sanctis in cœlo de noſtra in terris ſorte nihil conſtat, per illud Propheticum Eſa.64,16. Unde ergò ſcirent, quid rerum impii in inferno agerent?
4. Sed neq; illud congruit, quòd de lingva divitis dicitur. Corpus in ſepulcro, atq; ita etiam lingva: anima itaq; ſola in gehenna. Spiritus verò cum ſit, membra corpora non admittit. Sic anima Lazari in ſinum Abrahæ deportata, digitum habet per ſe nullum. Confer Vindic. Meelführ.th.1.2.3.4.5.6.

Divitis epulonis deſcriptio.

Porrò quoad primam Evangelii partem, conſideratur dives epulo triplicìter:

I. Ratione vitæ præſentis, in qua deſcribitur ab adjunctis & cognatis adjunctorum, quæ utplurimùm in ejuſmodi hominibus ſolent deprehendi: nimirùm

1. *à divitiis ampliſſimis*; eſt & dicitur πλούσιος, dives, multa habens ac poſſidens; ſed ſibi ſaltem fuit dives, quod eſt contra naturam divitiarum, quæ Græcis χρήματα vocantur, ἀπὸ τοῦ χρᾶσθαι, ab uſu earum erga proximum etiam, maximè erga DEUM, a quo omne bonum deſuper. Jac. 1, 17. (χρήματα.)
2. *A veſtimentis pretioſiſſimis*; luxus autem in veſtitu cognatum eſt divitiarum, ſive communiter accidens: veſtitur enim purpura & byſſô; veſtis & habitus iſte fuit regius.
3. *Ab epulis lautiſſimis*; εὐφραίνεται h. e. genio indulget, luxum quærit in cibo & potu, cujus comes eſt voluptas carnis; & hoc eſt epulari quotidiè ſplendidè, ſecundum illam Epicuri cantilenam: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. (εὐφραίνεται.)
4. *Ab ædibus ſplendidiſſimis*, infra dicit domum patris ſui.

II. Ratione vitæ deſinentis: nam

contra vim mortis non herbula creſcit in hortis.

Mirum itaq; non eſt, divitem, qui ſupra dicebatur homo, tandem & ipſum concedere fatô: miſerum autem ex adverſo, divitiis eundem in morte non poſſe juvari.

O dives, dives, non omni tempore vives!

Vitam itaq; ipſius, impiè & turpiter inter mera flagitia exactam excepit

1. *mors luctuoſa*, tàm ratione defuncti, quàm ratione familiæ:
2. *Sepultura ſumtuoſa*; dicitur enim non mortuus ſolùm, ſed & ſepultus, h. e. divitum more ſplendidas habuiſſe exequias.

III. Ratione vitæ ſubſequentis: Mortem enim illius illicò comitatur

1. *tremenda ad orcum detruſio*;
2. *horrenda cruciatuum ἀνεκδιηγήτων ſive inenarrabilium perpeſſio*; Græcis dicuntur βάσανοι; ipſe verò conqueritur, ſeſe ὀδυνᾶσθαι, cruciari, veluti partu difficili laborantem. Chryſoſtomus permutat cum verbo ἀποτηγανίζεσθαι, quod eſt quaſi in ſartagine torrefieri. (βάσανοι.)
3. *miſeranda omnis auxilii & ſolatii privatio*. Petit quidem ille

1. dole-

1. *à loris mitigationem*; Verbis? *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ac refrigeret lingvam meam.* Quibus verbis continetur,

1. *miſericordiæ imploratio*, veluti res petita; hinc Abrahamum patrem adpellat, ut faciliùs impetret, quod vult & deſiderat; ſed nimis ſerò. In vita patrem hunc non noverat, ſed abnegaverat; fruſtrà igitur jam eum fatetur & invocat.

2. *modicula relaxationis poſtulatio*, cujus formam præſcribit; hic modus rei: vult Lazarum mitti, & guttam aquæ lingvæ ejus adfundi. Minuta petit & vile admodum, uti videtur, miniſterium; ſed & illa, quantumvis exigua, negantur; propter

   1. τὸ ἄδικον; verbis: *recordare fili;* (filium vocat, quia patrem ipſe Abrahamum dixerat) *quia accepiſti bona tua in vita tua:* Revocat ipſi in memoriam priorem fortunam, quando vitæ hujus bona abundè & adfatim habuit, malè autem iis uſus felicitate alterius vitæ ſuapte culpâ excidit. Iniquum autem videtur & injuſtum, eos, qui vitæ prioris commodis gaviſi & abuſi ſunt, partem etiam quærere in bonis alterius vitæ, in qua eſt viciſſitudo & commutatio rerum.

   2. τὸ ἀδύνατον, impoſſibile eſt poſtulatum iſthoc; non poteſt Lazarus hinc ad te tranſire, propter χάσμα **illud** μέγα inter nos & vos firmatum.

2. *Lazari ad fratres ablegationem.* Repulſam enim ille cùm tuliſſet, pro fratribus eſt ſolicitus; hoc ipsô innuens

1. fratres ſe reliquiſſe in mundo ſui ſimiles; alioquin nullâ opus fuiſſet ſolicitudine;

2. in religionis negotio malè ſe fuiſſe enutritam; novum igitur ipſi petit doctorem:

3. pœnas omnium impiorum eſſe communes, gradibus licèt diſtinctas. Sed & hujus petitionis fert repulſam;

   1. διὰ τὸ μὴ ἀναγκαῖον, propter non neceſſarium: ſi enim rem ſeriam agant, habere ipſos Moſen & Prophetas, h. e. verbum Legis & Evangelii, in ſcriptis ſive libris Moſis & Prophetarum comprehenſum; hoc mediô utantur, ſi velint cruciatûs infernales evadere.

   2. διὰ τὸ μάταιον, propter ſupervacaneum. Si enim Moſi ac Prophetis, quorum ſumma eſt in mundo, apud Judæos potiſſi-

tiſſimùm auctoritas, non attendunt, nec credunt; Ergò non credent mortuo, cujus poteſt eſſe fallax & erronea doctrina.

Uſus 1. Informatorius.

Inferni deſcriptio.

I. De inferno, quòd verè talis ſit locus, diabolis & damnatis hominibus deſtinatus. Deſcribitur ille in ſacris

1. *per loci inamœni habitationem;* Sap.17,14. Eſa.34.10.11.
2. *per horribilem membrorum omnium dilacerationem:* dives enim in βασάνοις dicitur fuiſſe; Judith.16,22. Apoc.20,10.
3. *per ſtatûs piorum deplorationem;* Sap.5,3.4.5.
4. *per intolerabilem excruciationem;* ὀδυνῶμαι, crucior in hac flamma;
5. *per ignis infernalis uſtulationem;* Apoc.14,10. & 20,14. Eſa.30,33. Matth.3,12.& 5,22.& 13,41.
6. *per omnis ſolatii denegationem;* Apoc.14,11.
7. *per deplorandam bonorum præteritorum commemorationem;*
8. *per æternam pœnarum durationem.* Apoc.9,6.

Divitiarũ abuſus.

II. Divites hujus ſeculi ſunt in ſtatu admodum periculoſo; propter turpem divitiarum abuſum. Abutuntur illis plerunq;

1. *ſecurè vivendo;* Sir.5,4.5.6.
2. *DEUM non amando;* pro DEO habent aurum & Mammona iniquitatis;
3. *ſuperbiendo;* Sir.3,30.
4. *pauperum obliviſcendo;* Pſal.41,1. ſeqq.
5. *crapulæ indulgendo;*
6. *alios contemnendo;*
7. *gratias non agendo.* Tolle abuſum & non nocebunt divitiæ.

Infernum effugiendi modus.

III. De modo effugiendi infernum, qui conſiſtit in

1. *audiendo*, Moſen ſc. & Prophetas, h.e. ſcripta Moſaica & Prophetica; ex illis enim diſcere licet normam & formam divini cultûs, vitæ rectè inſtituendæ, & ſalutis æternæ conſequendæ viam, quin & modum ac rationem, cruciatûs gehennæ evitandi. Luc.10,16.42. Joh.5,39. Jac.1,21.
2. *Pœnitendo;* hic nocuit differre paratis; hic vita aut retinetur aut amittitur: Pſal.95,8. Sir.5,4.5.6.7.& 18,22.
3. *Gehennam ſæpiùs cogitando;* crucior in hac flamma:

4. *Pecca-*

4. *Peccata divitis epulonis cautè devitanda:* Fratres habet; damnavit epulonem, fratresq; h.e. ſectatores ejus damnat,

1. *ſuperba in veſtitu ſumtuoſitas;*
2. *immoderata in victu guloſitas;*
3. *canina erga proximum inhumanitas, tenacitas;*
4. *ſecuritas;*
5. *impietas,* oſor eſt miniſterii.

Divitem quid damnavit.

IV. De ſtatu & conditione animarum impiarum è corpore egreſſarum; ſtatim enim poſt mortem experiuntur initia dolorum & cruciatuum infernalium. Sunt enim (1) in inferno, ἐν τῷ ᾅδῃ; at ſi infernum dixeris, omnis generis cruciatûs dixiſti; quia in inferno eſt præſentia omnis mali, & abſentia omnis boni: (2) ſunt ἐν βασάνοις, tales ſentientes dolores, quales experiuntur malefici, qui exquiſitiſſimis tormentis ſunt ſubjecti: (3) ὀδυνῶνται, ſentiunt anguſtias parturientibus familiares. Vide plura Tom. 8. L. C. D. Gerhard. pag. 586. 587.

Animarũ impiarum ſtatus.

V. Inter verbum DEI & Scripturam S. non eſt reale aliquod diſcrimen: legere enim & audire verbum DEI ſunt ἰσοδυναμοῦντα pariq; omnino cenſu habentur. Non poterant fratres divitis epulonis audire prædicationem Moſis & Prophetarum, ante aliquot ſecula jam tum defunctorum. Ergò ad evolvenda ipſorum ſcripta remittuntur; ac proinde legere ſcripta Moſis & Prophetarum eſt audire Moſen & Prophetas. Act. 13, 27. D. Gerh. Exeg. p. 24. 25.

Verbum & Scriptura realiter nõ differunt.

VI. De Scripturæ perfectione: Ex quo enim modus ſalutis conſequendæ addiſci poteſt, illud perfectum eſſe neceſſum eſt; Jam verò ex Scriptura S. modus conſequendæ ſalutis perfectè addiſci poteſt: Ergo. Vel ita: Si divitis epulonis fratres ex Moſe & Prophetis poterant perfectè diſcere, quomodo cruciatus gehennæ evitandi, utiq; etiam vitæ ſalutisq; conſequendæ viam ex Moſaicis & Propheticis ſcriptis diſcere poterant. Ibid. pag. 401. ſeq.

Scripturæ perfectio.

III. Monitorius.

1. Ne offendamur nimiâ impiorum felicitate, quod filiis hujus ſeculi multoties evenire, teſtis eſt Malach. cap. 3, 14. 15. Confer Pſal. 37. & 73. Item Jer. 12.

Impiorum felicitas ſcandaloſa

2. Ne ex rerum proſpera vel aſpera ſorte felicitatem hominis cujusquam æſtimemus. Vide Monrad. pag. 57. 58.

3. Us

3. Ut divites vitam in timore Domini tranſigant, cum timore & tremore ſalutem ſuam operantes. Ib. p. 59.

4. Ut pœnitentiam maturemus; poſt hanc enim vitam nullus eſt pœnitentiæ locus.

5. Ut Scripturam Propheticam & Apoſtolicam diligenter & legamus & perſcrutemur. Joh. 5, 39. 2. Pet. 1, 19.

6. Quòd plerunq; in hac vita malis benè.

III. Refutatorius.

Origeniſtarum error. I. Origeniſtarum, de quibus Theophylactus ita: Obſerva hoc locô, inquit, contra Origeniſtas dicentes, quod tempus erit, quô finientur impiorum ſupplicia, & peccatores cum juſtis conjungentur, & ſic omnia in omnibus erit DEUS. Ecce enim audimus Abraham dicentem, quòd hi, qui volunt hinc ad vos, vel illinc ad nos tranſire non poſſint. Sicut igitur impoſſibile eſt, ex conſortio juſtorum quempiam tranſire in locum peccatorum: Ita impoſſibile eſt, ut nos docet Abraham, tranſire a loco pœnæ, in locum juſtorum. Abraham ſanè fide dignior eſt, quam Origenes. Ceterùm æternitas pœnarum infernalium errori huic Origeniano rectè & opponitur, & probatur

Pœnarum infernalium æternitas.

1. *ex ſacrarum literarum atteſtatione*, tam κατηγορικῶς; Job. 31, 12. Pſal. 49. 15. Eſa. 24, 22. & 33, 14. & 34, 10. & 65, 5. Ezech. 26, 20. Dan. 12, 2. Judith. 16, 20. 21. Matth. 18, 8. & 25, 41. Joh. 8, 51. & 11, 26. 2. Theſſ. 1, 9. Apoc. 14, 10. & 20, 10. quam ἀποφατικῶς: Job. 7, 9. & 10, 20. Prov. 27, 20. & 30, 16. Eſa. 66, 24. Matth. 3, 12. & 5, 25.
2. *Ex perpetua iræ divinæ duratione*; Deut. 32, 22. Eſa. 30, 33.
3. *Ex chaſmatos confirmatione*; Luc. 16, 26.
4. *Ex januæ occluſione*; Matth. 25, 10. Luc. 13, 25.
5. *Ex beatitudinis oppoſitione*; Matth. 25, 46. Dan. 12, 2.
6. *Ex pœnitentiæ remotione*;
7. *Ex ignis infernalis deſcriptione*; Pſal. 11, 6. Eſa. 30, 33. & 34, 33. Apoc. 19, 20. & 20, 10. & 21, 8.
8. *Ex peccati turpitudine & confuſione*;
9. *Ex voti fruſtratione*; Apoc. 9, 6.
10. *Ex vinculorum injectione*; Matth. 22, 13.
11. *Ex dæmonum adſociatione.* Matth. 25, 41. Vide de his D. Gerhard. Tom. 9. L. C. pag. 625. & ſeqq.

2. Pon-

2. Pontificiorum, certum inferni locum ſibi in centro terræ imaginantium; quam opinionem refellit D.Gerhard. Tom. 9. L. C. pag.688.& ſeqq.& D.Meelführ. in Vindic.th.74.& ſeqq. Noſtrates rectiùs ſtatuunt, in hujus vitæ caligine inferni locum inveſtigari non poſſe, ideoq; à curioſa ejus inquiſitione abſtinendum eſſe meritò. Horum modeſtiam, Gerhardus ait, judicamus eſſe tutisſimam, & omni præconiò dignisſimam. Eam verò dum ſectatur B. Lutherus noſter, immeritò vapulat à Scherero illo Jeſucida & Luthero maſtige peſſimo. Sic enim ille fol.442. a. criminatur & calumniatur: Ob die Seelen der Gottloſen/ſagt Luther/kurtz vor ſeinem Ende/alsbald nach dem Todt gepeiniget werden / kan ich nicht gewiß ſagen etc. Darumb ſcheinets/als ſchlaffen vnd ruhen ſie auch/ Jch kan aber davon nichts gewiß ſagen. An einem andern Ort ſchreibt er/ daß ein ſonderlicher Ort ſeyn ſolt, da die verdampten Seelen itzt innen ſeyn/halte er für nichts. Ut autem benevolus Lector de Jeſubitico candore rectiùs facere queat judicium, initiò verba Megalandri Lutheri, unde illa depromſit, huc adſcribam. Sic autem ille in Comm. ſuper Geneſin cap. 25. fol. m. 255.a. Primum locum dicunt (Papiſtæ) eſſe damnatorum, qui eſt cruciatus ignis æterni. Verùm an animæ impiorum torqueantur ſtatim poſt obitum, non poſſum adfirmare. (Ratio, quia nihil hac de quæſtione in Scripturis S. nobis Spiritus ſanctus revelavit: quod autem non eſt ſcriptum, non eſt ſentiendum, qui priſcæ eſt Eccleſiæ canon:) Quanquam exemplum divitis epulonis huc facit. Sed contrarius locus eſt 2.Pet.2. de malis Angelis, qui ſervantur ad judicium. Et verba Pauli 2.Corinth.5. omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal CHRISTI, ut referat unusquisq; propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Adparet eos etiam dormire & quieſcere, ſed *nihil adſero.* Et poſt aliqua: Verborum CHRISTI ad latronem hæc ſententia eſt: Hodiè mecum eris in paradiſo, i.e. in meo ſinu, ubi ego ſum, ſimiliter & tu eris, ibi cœlum & paradiſus idem ſunt: niſi quòd adhuc apud ſanctos, quies & pax eſt, non regnum. CHRISTUS eſt in cœlo vel paradiſo, ut gubernet, judicet, regat Eccleſiam, mittat Angelos ad miniſterium Eccleſiæ, diſtribuat dona hominibus, exaltet humiles &c. Semper enim operatur, non quieſcit: ſicut ſancti dormientes, de quibus Eſa. 63. dicitur: Abraham neſcit nos, & Iſrael ignorat nos. Magnum itaq; diſcrimen eſt inter ſanctos dormientes, & CHRISTUM regnantem: illi dormiunt, & neſciunt quid agatur, & tamen quieſcunt: Impii verò quando moriuntur, ſive olim

ante CHRISTI adventum deceſſerint, ſive hodiè poſt exhibitum CHRISTUM, ſimpliciter vadunt *ad damnationem*. An verò ſtatim incipiat damnatio poſt mortem, neſcimus; quia ſcriptum eſt, ſiſtendos eſſe omnes ad tribunal Judicis; & Joh. 5. prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii. Meminerimus igitur poſt CHRISTUM ceſsâſſe ſinum Abrahæ, & impletas eſſe promiſſiones omnes de venturo ſemine. Nos alias promiſſiones & longè ampliores habemus, editas à Filio DEI incarnato, paſſo & reſuſcitato, quibus qui non credunt, in æternum damnantur. In quo autem ſtatu ſint qui damnantur in N.T. nihil poſſum adſerere, in medio relinquo. Alter locus exſtat Tom. 3. Jen. Germ. fol. 212. b. & ſic habet: Daß er (Jonas) aber ſagt; In dem Bauch der Hellen/ meinet er den Bauch des Fiſches/ vnd nennet jhn/ der Hellen Bauch/ nicht daß der Fiſch die Helle ſey/ ſondern der Bauch iſt jhm eben ſo viel geweſt als die Helle/ vnd Jona ſeine Helle drinnen hat. Gleich als möcht er ſprechen/ aus dem Bauch des Todes/ nicht daß der Fiſch der Todt ſey/ ſondern daß Jona ſeinen Todt drinnen leid. Denn er redet hie nicht/ was der Fiſch ſey/ ſondern wie jhm zu ſinn geweſt ſey in dem Fiſch/ nemlich/ daß jhn gedaucht hat/ er führe hinunter in die Helle/ da er dem Fiſch in den Bauch fuhr/ vnd wol möcht alſo ſagen: aus dem Bauch meiner Hellen/ oder aus dem/ der meine Helle war. Was aber die Helle ſey für dem jüngſten Tage/ bin ich noch nicht allzu gewiß. Denn daß ein ſonderlicher Ort ſeyn ſolte/ da die verdampten Seelen itzt innen ſeyen/ wie die Maler malen/ vnd die Bauch-Diener (in Papatu) predigen/ halt ich für nichts. Denn die Teuffel ſind ja noch
2. Pet. 2. nicht in der Hellen; ſondern wie Petrus ſagt/ mit Stricken zur Hellen
Eph. 6. verbunden. So heiſt ſie S. Paulus der Welt Regenten vnd Gewaltigen/ die droben in der Lufft ſchweben/ Chriſtus auch den Teuffel der Welt Fürſten nennet. Vnd ja nicht ſeyn köndte/ wenn ſie in der Hellen weren/ daß ſie die Welt regierten/ vnd ſo viel Büberey vnd Jammer trieben/ die Pein würde jhnen wol wehren.

Animadvertit ex contextu & ipſo verborum ſono Lector benevolus, quid diſtent æra lupinis, & quæ ſit mens ac ſententia Lutheri. 1. Certum πȣ̃ inferni, qui locus uſitatè dicitur damnatorum, nullus negat: πȣ̃ quoq; damnatorum à πȣ̃ beatorum revera diſtinctum eſſe, atq; ab eo vel longiſſimô intervallô ſeparatum concedit; ſed ſitum illius πȣ̃ determinatum libenter & modeſtè ignorat: de inferno in centro terræ, (quod Papicolæ volunt, adſerunt & acerrimè propugnant,

pugnant, haut ſecus ac ſi in inferno fuiſſent, omnia ejus conclavia perluſtraſſent, & nudius tertius inde ad homines ſuos reverſi fuiſſent) aut alio certo mundi loco, nihil quicquam ſcimus; figmentum iſthoc auctoribus ſuis relinquentes. 2. Et quanquam ſolemnis judicii extremi actus demum inſtituetur in illo die, qui mundo erit noviſſimus: anima tamen interim ſive ſpiritus hominis impii percipit ſenſum futuri judicii, idq; exſpectat cum anguſtia, non aliter, ac ſi facinoroſus aliquis in carcere conſtitutus, qui ad ſupplicium cuſtoditur. 3. Loquitur ſaltem Lutherus adverſus eos, qui certum inferni locum determinare ac deſcribere in Papatu auſi fuerunt: quemadmodum d. l. in Geneſ. dicit, eos quinq; animarum δοχεῖα ſive receptacula commentos eſſe, extra & præter omnem Scripturam, quæ duo ſaltem ejusmodi loca novit, non plura, nec pauciora. 4. Alterum cavillum, quod ſpectat, quò Jeſucida intonſus B. Lutherum propter duriora quædam de animarum ſomno pronunciata Pſychopannychitis accenſere conatur, ſciendum (1) Lutherum *probabiliter* duntaxat loqui ac diſputare, nihil verò certi determinare, quæ modeſtia laudem, non crimінationem meretur. (2) In locis citatis, ad totum hominem ſomnum illum refert, ut ipſa interim anima non dormiat, ſed vigilet, & patiatur viſiones & loquelas Angelorum & DEI. (3) Ubi ad ipſam animam ſomnum referre videtur, utitur populari dicendi genere, ac phraſi Scripturæ familiari, ut felicem animarum ſtatum, ab omni dolore ac labore penitùs liberum, quodammodo exprimat, & opinionem illam, quæ ex Papatu adhuc multorum animis erat infixa, quaſi animæ in purgatorio aliquid ſupplicii luere cogerentur, eximat. Sic ergò animas dormire & requieſcere dixit ſenſu eô, quòd omnis doloris, tormenti, cruciatûs ac pœnæ penitùs ſint expertes, imitatus hac in parte linguam Spiritûs ſancti. Apoc. 6, 10. Vide plura apud D. Gerh. Tom. 8. L. C. pag. 592. ſeqq.

PARS II.

Parte ſecundâ diviti epuloni opponitur mendicus Lazarus, itidem conſiderandus tripliciter: **Lazarus deſcribitur.**

I. *Ratione vitæ inſtantu*, ubi deſcribitur
  1. *à vitæ conditione miſerabili*, quæ conſpicitur
    1. *ex ſumma rerum omnium inopia;*
    2. *ex maxima miſeria*, quæ conjunctam habet infamiam coram mundo, ex mendicitate ortam;

3. *ex graviſſima triſtitia ;* πτωχὸς ἀπὸ τοῦ πτώσσειν, à trepidando. *Pauper erat & infirmus, atq; graviter,* inquit Theophylactus; *hulceroſus enim erat. Ægrotant alii, ſed hulceribus carent; hic autem graviore modò adfligebatur, & ad veſtibulum divitis jacebat. Ecce alius dolor! Videre alios in delitiis, ſe autem fame premi. Deſiderabat enim ſatiari, non ſumtuoſis ferculis, ſed de micis ejus, & illis quibus ſatiebantur canes.* Paupertatis itaq; nomine omnia dixit, rerum omnium defectum, deſertionem; nuditatem; (quam ex oppoſito colligimus, quòd ad oſtium divitis abjectus dicitur:) famem, ægritudinem, ignominiam & ſordes quotidianas.

Paupertas quid notet.

2. *A nominis mentione honorabili.* Divitem absq; nomine in parabola adſumſit; utpote qui neq; dignus ſit, qui a DEO nominetur, ſicut & per Prophetam dicit: non memor ero nominum illorum per labia mea: neq; dignus, cujus nomen poſteritati mandetur. Nomen autem pauperis memorat. Juſtorum enim nomina in libro vitæ ſcripta ſunt. Lazari verò nomen ad commiſerationem etiam facit: DEI enim opem & auxilium ſignificat. Theophylactus ait: *Fert Hebræorum traditio, Lazarum quendam per illud tempus extremâ inopiâ & infirmitate laboráſſe, cujus memor fuerit Dominus in parabola hac, utpote noti & manifeſti.* Fides penes auctorem eſto.

II. *Ratione vitæ ceſſantis.* Nam *non ſi malè nunc & olim ſic erit:* ſed miſeriis hujus vitæ exantlatis adipiſcitur Lazarus:

1. *mortem latam & beatam*, idq; colligere promtum eſt,

Sinus Abrahæ.

1. *ex Angelorum miniſtratione;* miniſtros enim in agone habet bonos Angelos, qui in miniſterio ejus adſunt, animam deportare parati.

2. *Ex loci notatione*, in quem ab Angelis ille fuit delatus. Dicitur autem ſinus Abrahæ, beatitudinis & quietis portus, ad quem electi omnes colliguntur. Sic enim exponit Theophylactus: *Sinûs Abrahæ vocant continentiam bonorum, quæ repoſita ſunt juſtis, qui à tempeſtate hujus maris ingrediuntur in portûs cæleſtes. Quoniam & in mari ſinûs adpellámus loca portubus & quieti apta.* Hæc ille. Rectiùs D. Gerh. Tom. 8. L.C. pag. 276. Locus ille, inquit, adpellatur ſinus, metaphorâ ductâ vel a parentibus, qui puerulos ſuos, diurnâ diſcurſatione feſſos, vel ex peregrinatione donum reverſos, aut ex adverſo aliquo caſu ejulántes, ſolatii causâ in ſinum ſuum recipiunt, ut ibi ſuaviter quieſcant: Eſa. 66, 13. Vel à convivio, cui regnum cœlorum

in Scri-

in Scripturis adſimilatur, in quo alter in alterius ſinu juxta conſuetudinem Judæorum recumbere ſolebat. Dicitur pluraliter *ἐν τοῖς κόλποις*, quia hic ſinꝰ omnes electos recipit &c. Abrahæ ſinus dicitur, quia illi promiſſio de Meſſia peculiariter erat facta, quam qui verâ fide adprehendunt, & in ea decedunt, in ſinu Abrahæ, h. e. in gaudium & requiem beatorum in cœlo colliguntur; quô reſpectu etiam Abraham vocatur pater omnium credentium. Rom. 4, 11. Matth. 8, 11. Confer ea, quæ d. l. habentur pag. 568. Cenſent nonnulli phraſin hanc eſſe & adpellationem V. T. propriam; cui ſententiæ favere videtur B. Lutherus in cap. 25. Gen. fol. 254. a. CHRISTUS, inquit, *in Evangelio adpellavit ſinum Abrahæ, in quem congregati ſunt Lazarus & omnes alii ſancti, de cujus explicatione aut definitione ſuum cuilibet relinquo judicium, pro ſingulorum captu, neq; quicquam adſeram, cùm & Auguſtinus dicat ſe neſcire. Sed non rectè facimus, ſi ſervamus ſinum Abrahæ in N. T. Sicut enim ante mortem Abrahæ non fuit ſinus Abrahæ: ita nullus ampliùs eſt poſt* CHRISTI *adventum. Non facio igitur hoc tempore ſinum Abrahæ, nec ſentio ullum locum eſſe, in quo tanquam gremio nos amplectatur Abraham. Sed ſinus Abrahæ, quô fovet & amplexus eſt omnes ſanctos morientes uſq; ad mortem* CHRISTI, *eſt promiſſio facta Abrahæ: in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Sic ſinus Adæ fuit promiſſio de venturo* CHRISTO, *cujus promiſſionis pater eſt Abraham. Sed hodiè verſa eſt in verbum de* CHRISTO *manifeſtato in carne, & qui diverſum crederet, eſſet Judæus & damnatus: quia Abrahæ ſinus poſt reſurrectionem* CHRISTI *deſtructus eſt, & ſucceſſit melior ſinus, ſc.* CHRISTI: *quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in* CHRISTI *ſinum.* Hæc Lutherus. Abſit autem ſchiſma inde aliquod inter noſtrates exoriatur: loqui enim licet phraſibus etiam V. T. Prudéntibus loquor & ſcribo.

2. *Sepulturam ſpretam*, immò fermè nullam: altum enim de ea apud Lucam ſilentium. Sed homini pio, beatè & bonè ex hac vita mortali decedenti, *facilis jactura ſepulcri.*

III. *Ratione vitæ reſtantis*; ubi tragicos Lazari casûs læta excipit rerum omnium ſive καταστροφὴ, ſive μεταβολὴ, quæ conſiſtit,

1. *in beata* DEI *viſione*;
2. *in æterna conſolatione & glorificatione.* Probè notandum, inquit D. Gerhard. d. l. quòd Lazarus in hoc ſinu Abrahæ dicitur con-

ſolationem percipere; utiq; ergò ipſius anima non dormit, ſed conſolatione erigitur, ac ſentit locô malorum, quæ in hac vita ſuſtinuit, ſibi retribui bona.

Uſus I. Informatorius.

Sors piorum.

1. De ſorte piorum in hac vita adverſa: pejori enim illi plerunq; ſunt locô præ impiis. Pſal. 34, 20. Sir. 2, 1. ſeqq. Actor. 14, 22. Rom. 8, 29.

2. De morte omnibus hominibus communi. Sir. 14, 18. Heb. 9, 27.

3. De doctrina verbi omnibus mortuorum adparitionibus & miraculis præferenda. D. Gerh. Tom. 5. L. C. pag. 1243.

II. Conſolatorius.

Conſolatio piorum in cruce.

Conſolatio ad pios abundè promanat

1. *ex divina recordatione;* Exod. 33, 12. Luc. 10, 20. 2. Tim. 2, 19. Eſa. 49, 14. 15. & 54, 7. 8. Jer. 31, 20.
2. *ex mali ceſſatione;* DEUS enim ſanctos ſuos non ſinit tribulationes habere continuas. Chryſoſt. Pſal. 30, 6. & 37, 37. (zu letzt wird es wol gehen) & 55, 23. & 68, 20. 21. Rom. 8, 28. 1. Cor. 10, 13. 2. Cor. 4, 17.
3. *ex promta Angelorum miniſtratione:* Pſal. 34, 8. & 91, 11. Ebr. 1, 14.
4. *ex vitæ melioris exſpectatione:* Sap. 2, 23. & 5, 16. Tob. 2, 18. 1. Tim. 4, 8. 2. Theſſ. 1, 6.
5. *ex æterna gaudii duratione.* Sap. 3, 1. & 5, 16. Apoc. 14, 13. Joh. 16, 22. Confer Monrad. theſ. pag. 61. 62.
6. *ex jucunda in vita æterna cognitione.* Ibid.

III. Monitorius.

Monemur, 1. ut ſi quis inops eſt & æger, ſub paupertatis onere αὐτάρκης & ſorte ſuâ contentus modeſtè ſe gerat, tùm erga ſeipſum, tùm *erga DEUM, tùm erga proximum.* Monr. p. 59. 60.

2. Ut ſive divites, ſive inopes ſimus, conſilium Abrahæ ſtudioſè ſectemur. Ibid.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de purga-

Pontificiorum, quôrum 1. purgatorium ementitum in hoc Evange-

angelio plenis cataractis exſtinguitur. Vide D. Meelführ in Vindic. Dec.4.diſp.4.th.160.& diſp.6.th.44. Præ ceteris autē D.Gerh. Tom. 8.L.C. pag.325. ubi octuplici argumentorum genere purgatorii vanitatem & nullitatem demonſtrat, uſq; ad pag.415.

torio, & ſanctorum ſuffragiis.

2. Falſa & ex arena contextis funiculis ſimilis deprehenditur collectio: Dives epulo rogavit pro fratribus: Ergò ſancti & juſti in cœlis orant pro tota Eccleſia: Ergò ipſis ſupplicationes & faciendæ & nuncupandæ, ut pro nobis DEUM interpellent, tanquam Secretarii & mediatores ad DEUM, qui aliter exaudiri nolit, niſi per hujusmodi Referendarios, quod Piſtorii Apoſtatæ eſt commentum & nugamentum, in hodœpor. p. 260. Reſp. 1. Ab epulone divite ad ſanctos in cœlo, nulla ſequela valet. 2. Orat dives in inferno, ſed non exauditur, ita conſequens foret, nec ſanctos exaudiri. 3. Non qualiscunq; rogatio aut compellatio, ſed vera invocatio Papiſtis erat probanda: extra oleas ergò vagantur. 4. Solus DEUS eſt invocandus. Vide in hanc ſententiam plura in D.Haſenreff. p.461.& ſeqq. D.Gerh. Tom. 8.L.C. pag.511.& 853.854. D.Meelf.th.133.& ſeqq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Hominis damnati flammisq; infernalibus mancipati; hominis item beati & ſalvati idea in præſenti nobis Evangelio proponitur. *Cauſas itaq; tùm damnationis, in divite epulone, tùm ſalvationis, in paupere Lazaro aliquantò accuratiùs inveſtigabimus.*

Ἐξήγησις.

Damnatur dives, non propter divitias: Prov.10,20. Sir.13,30. *Tolle impietatem, & non nocebunt divitiæ:* Auguſt. Adſignantur aliæ damnationis cauſæ, quarum fuit

I. *ὑπερηφανία, faſtus & ſuperbia*, quam DEUS extremè deteſtatur. Prov.16,5.18.& 29,13.Eſa.14,11. Sir.3,19.20.& 20,11. Mich.6,8. Pſal.113,5.6. Matth.11,29. 1.Pet.5,6. Hic poteſt inſtitui digreſſio in reprehenſionem faſtûs, qui in veſtium potisſimum ſumtuoſitate paſſim locorum conſpicitur.

II. *Ἀσωτία, luxus & intemperantia*, conjuncta cum ἀσελγείᾳ, libidinoſa carnis voluptate; quia ſine Cerere & Bacho friget Venus. Eſa.5,11.22.& 22,13. Sap.2,6.ſeqq. Luc.17,26.27.& 21,34. 1.Cor. 6,10. Gal.5,20. Eph.5,18. Jer.51,40.

III. Πλεο-

III. Πλεονεξία, *avaritia & immiſericordia* erga egenos; Quæritur; cur epulo dives non apud alium quendam ſanctum, ſed apud Abrahamum vidit Lazarum? Theophyl. reſpondet: Quoniam *hoſpitalis fuerat Abraham.* Ut igitur reprehenderetur illius inhoſpitalitas, propterea illum apud Abrahamum videt. Ille etiam eos, qui præteribant, in domum ſuam trahebat; hic autem etiam intra domum ſuam jacentes deſpiciebat. Job.31,24. Jer.6,13. 1.Cor.6,10.Eſa.5,8. Avaritia quid ſit, vide Prov.11,26.& 21,6.& 23,4.& 28,8.20. Ezech.22, 25.29. Amos.5,11. Sir.14,9.& 31,1. Col.3,5. 1.Tim.6,10. Si ſapis, & tuæ ſatagis, cave peſtem illam animæ nocentisſimam. Luc.12,15. Pſal.41,2. Hebr.13,5.16. Eſa.58,7. Tob.4,7.8.9. 1. Johan.3,17. Jac. 2,13.

IV. Ἀσέβεια, *impietas & cultûs divini neglgentia*; Moſen enim & Prophetas noluit audire, nedum ſequi. Oſe.4,6. Eſa.24,17. Zach. 7,11. Prov.1,24.& 5,12. Luc.14,24. 2.Theſſ.1,7. Quâ ratione verò impiorum & incredulorum, tùm in mundo adhuc nobiſcum viventium, tùm pridem defunctorum & in inferno cruciatûs ἀπεκδεχομένους ſuſtinentium, conſideratio pietatem nobis inſtillare & ingenerare poſſit ac meritò debeat, oſtendit D.Gerh.Schol.piet.lib.1.c.17.& 18.

V. Ἀμετάνοια, *finalis impœnitentia*, in qua dum perſeverat epulo dives, poſt mortem locum pœnitentiæ ac gratiæ invenit nullum. Pſal.95,8. Sir.5,3.4.5.6.

Salvatur ex adverſo Lazarus, non ex ſua ſive paupertate, ſive mendicitate; neq; ex propria ſanctitate, de qua in judicio DEI totus deſperare cogitur: Job.9,2.3. Sed

1. *ex gratiæ divinæ fideli adplicatione*, quam nominis ratio importat:
2. *ex ſancta ad veram Eccleſiam adgregatione:*
3. *ex ſeria peccatorum agnitione & deploratione*; ea enim Moſes ipſi revelavit: Rom.3,20.
4. *ex diligenti Moſis & Prophetarum auſcultatione*: Joh.5,39. & 8,51. Rom.1,16. Luc.11,28.
5. *ex fideli Meſſiæ adprehenſione*; Rom.10,4.
6. *ex publica fidei teſtificatione*: Edidit enim fructûs pœnitentiâ dignos. Tob.4,6.7. Matth.5,16. Phil.4,8. Sap.3,15. 1.Tim.6,11. Matt. 3,8. Gal.6,7.8. Theophylactus ait: *Nunc nihil eſt tàm utile, ut Scripturarum diligens ſerutatio. Mortuorum ſuſcitationem falsè & adparenter facere poteſt etiam diabolus, ut ſeducat imprudentes, ſeminans doctrinas de inferno,*

dignas

dignas ſuâ malitiâ: At iis, qui Scripturas probè ſcrutantur, nihil poteſt illudere: illa enim ſunt lucerna & lumen, quô lucente fur deprehenditur & manifeſtatur. Oremus: *DEUS, ſperantium fortitudo, adeſto propitius invocationibus noſtris, ut quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in exſequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti DEUS, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

DOMINICA II. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 14. à verſ. 16. usq; ad 25.

16. Ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον μέγα, καὶ ἐκάλεσε πολλούς.

17. Καὶ ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις· ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα.

18. Καὶ ἤρξατο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες. Ὁ πρῶτος εἶπεν αὐτῷ· ἀγρὸν ἠγόρασα, καὶ ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν καὶ ἰδεῖν αὐτόν· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.

19. Καὶ ἕτερος εἶπε· ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε, καὶ πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.

20. Καὶ ἕτερος εἶπε· γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖν.

21. Καὶ παραγενόμενος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἀπήγγειλε τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ταῦτα. Τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης εἶπε τῷ δούλῳ αὐτοῦ· ἔξελθε ταχέως εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, καὶ τοὺς πτωχοὺς καὶ ἀναπήρους καὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς εἰσάγαγε ὧδε.

16. *Homo quidam adparaverat cœnam magnam, & vocavit multos:* Matt. 22, 2. Apoc. 19, 9.

17. *Miſitq; ſervum ſuum horâ cœnæ, ut diceret invitatis: Venite, quia jam parata ſunt omnia.*

18. *Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe mihi eſt exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum.*

19. *Et alter dixit: Juga boum emi quinq;, & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excuſatum.*

20. *Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.*

21. *Ac reverſus ſervus, renunciavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, claudosq; & cæcos introduc huc.*

23. Καὶ εἶπεν ὁ Κύριος πρὸς τὸν δοῦλον· ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμοὺς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν· ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου.	23. *Et ait Dominus ſervo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare: ut impleatur domus mea.*
24. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῶν κεκλημένων γεύσεταί μου τοῦ δείπνου.	24. *Dico enim vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæſentis Evangelii lectio verſatur in genere cauſarum didaſcalico. Continet enim parabolam de Cœna magna, divite Convivatore, qua amorem DEI erga genus humanum ardentiſſimum egregiè Salvator depinxit. Partes ſunt tres; agitur enim

I. *de clementiſſima hominum ad cœnam magnam invitatione:*

II. *de invitatorum declaratione, h. e. frivola & turpiſſima recuſatione:*

III. *de ſeveriſſima contemtorum punitione.*

PARS I.

Primæ partis explicationi inſervit

I. *parabolæ recitandæ occaſio*, ſive cauſa concionis hujus impellens προκαταρκτικὴ, quam ſubminiſtravit Phariſæi cujusdam, menſæ unà cum CHRISTO in convivio adſidentis, votum, quô antecedentem CHRISTI concionem ἐκφωνήσει manifeſtà comprobavit, in hæc verba erumpens: *Beatus qui edit panem in regno DEI.* Quæ verba dupliciter ab interpretibus exponuntur. Quidam in bonam partem interpretantes, deſideriô cœleſtis convivii accenſum Phariſæum, ex devoto pectore hæc protuliſſe volunt. Alii contrà, ex aliorum ingenio hunc quoq; Phariſæum æſtimantes, ex æmulatione & inſolentia locutum eſſe contendunt, ſermocinantem Dominum interpellare ac confundere, quin ſermonem quoq; ejus corrigere volentem. Quicquid ſit, ſive hoc fecerit Phariſæus ex vera devotione; ſive quòd putarit, viliora eſſe ea, quæ Dominus monuerat de humilitate, & de pauperum cura, quàm quæ conſeſſui tantorum virorum convenirent;

rent; ſe verò de ſublimioribus velle diſſerere; ſive occaſionem ſumſerit ex verbo CHRISTI, quò reſurrectionis juſtorum meminerat: non improbat Dominus, quòd circa ſumtionem cibi terreni cogitet de pane cœleſti, & de æterna beatitudine: ſed ita rem eſſe comparatam, ut non omnes ad eam perveniant, qui ſibi eam fortè pollicean tur. Ut enim aliquis poteſt eſſe invitatus ad cœnam lautam, nec tamen illâ frui, ſi ad cœnam, quando opus eſt, non veniat, ſed negotia eidem alia præferat: ita ad regnum DEI multi ſunt vocati; ſed per negligentiam & contemtum poſſunt ſe ipſos excludere, ut ad perfruitionem æternorum bonorum nunquam perveniant. Atq; hoc eventurum Phariſæis & aliis Judæis, Evangelii CHRISTI contemtoribus, hac ipsâ parabolâ ob oculos eis ponit.

II. *Cœnæ magnæ deſcriptio, tractanda* tùm ſummariè, tùm exegeticè; ubi tria in conſiderationem veniunt:

1. *Cauſa efficiens primaria*, quæ dicitur ἄνθρωπός τις, homo quidam; intelligitur DEUS Pater cœleſtis, qui homini adſimilatur, DEUS Pater homini adſimilatur.
   1. *Propter creationem*, quia in homine à ſe condito imago DEI elucebat: Gen. 1, 27.
   2. *Propter Incarnationem*; quia hominem fieri voluit Filium ſuum unigenitum, ut imago in homine amiſſa ejus beneficiò reſtauraretur:
   3. *Propter ſuam erga nos homines adfectionem*, planè paternam & humanam. Prov. 8, 31. Joh. 7, 18. Pſal. 103, 13. Tit. 3, 4.
2. *Adjuncta Cœnæ qualitas*. Homo iſte dicitur paraſſe convivium, intelligitur vita æterna; non quòd ibi ſit cibus & potus, aut aliæ comeſſationes; nam in his regnum DEI non conſiſtit Rom. 14, 17; ſed quòd in conviviis quæramus refocillationem ac hilaritatem, quæ ibi erit æterna, & omnibus numeris perfecta. Pſal. 16, 11 & 36, 8. 9. Convivium iſthoc vocatur Cœna magna: ubi tria obſervationem merentur accuratam ζητήματα: Convivii vita æter.
   1. Quid Cœnæ nomine veniat? Quidam (referente Dn. D. Chemnitio) per cœnam intelligunt Dominicam illam diſpoſitionem, quâ Filius DEI, noviſſimis mundi temporibus Homo factus, redemtos ſuos paſcit pane verbi Evangelii, & variis Sacramentorum ferculis. Alii felicitatem vitæ æternæ, ad quam Electi per verbum miniſterii vocantur. Cœna Evangelica.

Cœna dicitur (non jentaculum, non prandium) tùm quia in hac vita poſt Evangelii revelationem & prædicationem nulla alia eſt exſpectanda doctrina nova; tùm quia Evangelium non, ut Lex, aboletur; tùm quia cœleſte convivium nulla ſequetur felicitas alia; ſed hæc durabit in omnem uſq; æternitatem. Definitionem hujus cœnæ inde collegit D. Meelführ. in Vindic. th. 3.

Cœna magna. 2. Cur cœna iſthæc dicatur magna? Magna dicitur

1. *propter Convivatoris majeſtatem.* Magnus is eſt DEUS: Deut. 7, 21. Pſal. 48, 2. & 95, 3. & 147, 5. Jer. 32, 18.

2. *Propter magnam & ineffabilem caritatem:* Joh. 3, 16. Prov. 1. 24. Eſa. 65, 2.

3. *Propter durabilitatem:* Joh. 16, 22.

4. *Propter ferculorum variorum tùm ſuavitatem, tùm pretioſitatem.* Qualis cœna; talis cibus & potus: Cœna eſt ſpiritualis: talis itaq; etiam cibus & potus. Adponitur enim convivis in hoc tàm ſplendido convivio,

1. Cor Patris cœleſtis, dilectione ardentisſimâ plenum Joh. 3, 16. Pſal. 34, 9. & 103, 13.

2. Agnus ille DEI, JESUS CHRISTUS, in alto crucis ſtipite ad ignem amoris iræq; divinæ toſtus & aſſatus: Pſal. 22, 27. Joh. 1, 29.

3. Panis Angelorum, panis vitæ: Joh. 6, 51.

4. Caro CHRISTI: Joh. 6, 54.

5. Potus eſt, 1. aqua vitæ, de qua Joh. 7, 37. 38.
2. ſangvis CHRISTI, habens vim expurgandi peccata. Gen. 49, 11. 1. Joh. 1, 7.

5. *Propter miniſtrorum dignitatem;* Angeli enim ſunt λειτουργικὰ πνεύματα: Hebr. 1, 14. Dan. 7, 10. Pſal. 103, 21.

6. *Propter gaudii ſublimitatem:* Eſa. 35, 10. & 65, 13.

7. *Propter hoſpitum invitatorum numeroſitatem*, de qua paulò pôſt dicetur:

8. *Propter iræ gravitatem*, quâ proſecuturus eſt omnes cœnæ hujus contemtores;

9. *Propter vaſorum multiplicitatem.* Vaſa iſta ſunt,

1. verbum prædicatum; hîc Agnus DEI offertur credendus:

2. Baptiſmus; hîc offertur CHRISTUS induendus; Gal. 3, 27.

3. Ab-

3. Abſolutio, hic offertur nobis Salvator, meritò ſuô adprehendendus:

4. Sacramentum altaris, in quo proponitur nobis ſacramentaliter & ſpiritualiter comedendus & bibendus. Jam guſtate & videte, quàm ſuavis ſit Dominus! Pſal. 34, 9.

3. Quibus magna hæc Cœna parata ſit? Vocavit multos. Per multos (1) intelligit Dn. Chemnitius, & hunc ſecuti alii, Judæos, præſertim primores inter ipſos, qui poſteà horâ cœnæ ſeſe excuſant; & alia magis neceſſaria, uti ipſi putabant, prætendunt. Hos enim DEUS per Legem invitavit, quæ eſt pædagogus ad CHRISTUM. Gal. 3, 24. (2) Alii multos dixiſſe volunt, propter Angelos. Etſi enim & illi cœleſti fruantur convivio: non tamen fruuntur ut invitati, ſed ut domeſtici. (3) Alii non incongruè referunt ad univerſum hominum genus. In Scripturis enim ſacris multi ſæpè ponuntur pro omnibus. Matth. 20, 28. & 11, 28. 1. Tim. 2, 9. Eſa. 55, 1. Dan. 12, 2. Joh. 5, 28. DEUS enim nemini hominum ſalutem invidet. (4) Sunt deniq;, qui reſpectu gentium hæc dicta eſſe ſtatuunt. Eſt Hebraiſmus in phraſi. **Multi vocati qui.** **Multi pro omnibus.**

III. *Cauſæ inſtrumentalis adſignatio*, vel ſervorum emiſſio. Habes paranymphos ad Cœnam magnam vocantes, fideles verbi miniſtros; quales fuerunt Patriarchæ ante- & poſt diluviani, Prophetæ & Apoſtoli, eorundemq; fideles in officio ſucceſſores. Quòd autē in ſingulari dicit, ſervum ſuum, id ſuā nō caret emphaſi. Una enim & eadem eſt doctrina Prophetarum & Apoſtolorum, una ſalutis via: non ſecùs, ac ſi unus omnium eſſet ſervus. Notetur inſuper in hoc membro,

1. *Temporis opportunitas*; emiſiſſe enim dicitur ſervum horâ cœnæ. Per horam iſtam intelligitur, vel tempus *viſitationis* univerſum, prout cujuslibet Eccleſiæ particularis, aut hominis vocatio in id tempus incidit, quod tempus etiam gratiæ dicimus: Vel tempus *promiſſionis*, ab Adamo uſq; ad CHRISTUM; Vel deniq; tempus *exhibitionis*, quô venit DEI Filius, adferens hominibus Evangelium; & ſangvinem ſuum pro illis effundens. Paulo dicitur plenitudo temporis. Galat. 4, 4. **Hora cœnæ.**

2. *Finis emiſſionis*, ut vocentur vel invitentur homines ad Cœnam magnam.

3. *Forma* vocandi honoraria; *Venite, quia parata ſunt omnia*; h. e.

interprete CHRISTO, Marc.1,15. agite pœnitentiam, & credite Evangelio. Omnia enim ad ſalutem neceſſaria per CHRISTUM ſunt parata; non opus eſt, ut de noſtro aliquid addamus.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Menſales cogitationes. I. In uſu cibi corporalis cogitandum etiam de cœleſtibus per CHRISTUM nobis partis & paratis epulis. Joh.6,27. Rom.14,17.18. Exod.32,6. 1.Cor.10,7.31. Luc.22,29.30.

Cœna ſpiritualis. II. Cœnam DEUS nobis paravit ſpiritualem; nam & fames ſitisq; noſtra eſt ſpiritualis. Matth.5,6. Eſa.55,1.ſeqq. Rom.8,32.

III. Hinc ergò ineffabilem DEI φιλανθρωπίαν, bonitatem ac miſericordiam vel manibus palpare licet, quòd nos miſeros homines, terræ, quod dicitur, filios, ſterquilinium, cinerem & pulverem, ad conſortium cœnæ, h. e. beatitudinis in cœlis repoſitæ, admittit. Declaravit, hodieq; declarat φιλανθρωπίαν iſtam ſuam

φιλανθρωπία DEI.

1. *cœnam nobis ex gratia parando;* Pſal.23,5. Eſa.25,6.
2. *benignè ad illam nos invitando;* Pſal.34,9. & 36,10.
3. *hominem ſe vocando,* Filiumq; in carnem humanam mittendo; Joh.1,14. 1.Tim.3,16. Tit.3,4. Hebr.2,14.16. Eleganter, ut omnia, Chryſoſtomus: Quoties punitivam ſuam virtutem indicare vult DEUS, urſus, pardus, leo & hujusmodi nuncupatur; quando verò miſericordiam exprimere vult, dicitur Homo;
4. *Omnia gratis nobis donando.* Eph.1,4. & 2,8. Col.1,10. 1.Joh.4,9.10. Rom.6,23.

IV. Hæc DEI bonitas excitet in nobis deſiderium hanc cœnam accedendi, eademq; per fidem fruendi. Pſal.42,1.2.

DEUS ſalutem vult omnium hominum. V. DEUS ſeriò & ardenter vult & expetit hominum omnium ſalutem. In eum enim finem miſſis ſervis venire nos jubet, vocationemq; aliquoties iterare ſolet. Ezech.33,11. 1.Tim.2,4. 2.Pet.3,9. Act.17,30. Eph.1,9. Tit.2,11. Rom.5,19. 2.Cor.5,15. Matth.28,19. Marc.16,15. Quæ etiam cauſa eſt, quòd contemtores, ingratos & inobedientes ſeverè objurget, quod patebit ex ſeqq. Matth.23,37. Luc.7,30. & 19,41. Act.3,46.

Calvini- VI. Nullius igitur teruncii eſt argumentum Calviniſtici m–: quic-

quicquid DEUS vult, id facit: DEUS autem non ſalvat omnes. Ergò non omnes vult ſalvari; quæ concluſio eſt contra expreſſam Scripturæ literam. 1.Tim. 2, 4. & 4, 10. Et præterea à voluntate DEI abſoluta, in articulo electionis, ad ordinatam ſive limitatam non valet conſequentia; quia voluntas ſalvandi non eſt abſoluta, ſed fide in CHRISTUM limitata. Joh.3,16.36. & 6,40. 1.Joh.5,10. Vide D. Finck.cent.4.can.24. ſimus de ſalute hominum.

VII. Falſum eſt & blaſphemium eorundem Calviniſequarum dogma, quò fingunt, DEUM nolle omnium hominum ſalutem, ſed plerorumq; reprobationem ac damnationem. Horrenda ſunt Bezæ verba: *Hoc dico, nunquam tempus fuiſſe, vel eſſe, vel futurum, quò DEUS voluerit, velit, aut voliturus ſit ſingulorum miſereri.*

IIX. Vitioſa eſt quoq; collectio: Multi dicuntur vocati: Ergò non omnes. Eſt enim ὁμωνυμία in vocabulo multi, quod hic accipitur, *non ſegregativè, ſed collectivè,* pro tota hominum omninò omnium multitudine. Vide D.Theod.pag.383.384.

IX. Vocatio enim hominum ad Eccleſiam eſt univerſalis. Matth.28,19. Marc.16,15. Luc.24,16. Matth.20,2. & 22, 2.Col.1,6. Act.13,46. **Vocatio univerſalis.**

X. Salus noſtra eſt merè gratuita. Rom.3,4. & 6,23. **Salus gratuita.**

XI. DEUS enim omnia ad ſalutem noſtram neceſſaria abundè præſtitit & paravit. Joh.3,16. Rom.8,32. Act.17,30.

XII. Ne hilum itaq; quidem noſtris conſiliis, ſtudiis aut operibus ad ſalutem noſtram contulimus. 2.Cor.3,5. Rom.3,9. Eph.2,8. 9. Pſal.23,5. Rom.8,3. Heb.10,14.

XII. Servus emiſſus typus eſt cujusvis verbi divini miniſtri, cujus omne ſtudium eò dirigatur, ut ad cœleſte convivium quam plurimos adducat convivas. Eſa.58,1. Ezech.3,17. Act.20,28. 2.Tim. 2, 15. & 4,2.5. 1.Pet.5,2.3.

XIV. DEUS per verbi miniſterium nos etiamdum vocat ad cœnam magnam: noſtrum eſt vocationi promtò animô ac Spiritu parere. Hebr.2,3. 2.Cor.5,20. Eſa.55,1.

XV. Ad cœnam illam magnam h. e. Evangelii auditum nos omnes impellat **Cœna magna adeunda.**

1. *DEI vocantis auctoritas*; Deut.7,21. & 10,17. & 5,24.
2. *punientis ſeveritas*; Matth.21,43. 2.Par.15,2.
3. *rejectionis pœnæ atrocitas*; Matth.11,10. Luc.10,13.
4. *infernalium pœnarum perennitas*; Eſa.66,25.
5. *ferculorum adpoſitorum jucunditas*; Eſa.25,6.

6. pre-

6. *promiſſorum ſuavitas*; Matth. 11, 26.
7. *comminationem gravitas*. Deut. 28, 15. 1. Sam. 2, 10.

PARS II.

Vidimus invitatorem liberaliſſimum; videbimus porrò, quales ſeſe præſtiterint invitati, ad hanc tam benevolam Patris cœleſtis vocationem. Hic verò reſpondet parabola: *Et cœperunt omnes* unô ore, quaſi ex pacto & conſtituto, *ſeſe excuſare*. Conveniunt nimirum in eo omnes, quòd ſua quædam negotia emanſioni quisq; prætexit. Amplificatur per μεϱισμὸν, generis in ſpecies diſtributionem: ſpargitur enim totum negotium in tria hominum recuſantium genera.

1. Primum eſt *agricolarum*, h. e. eorum, quibus agricultura, labores domeſtici, & cura rei familiaris magis eſt cordi, quàm auditus verbi & regnum DEI. Hi neceſſitate ſe urgeri dicunt, quò minus invitati compareant, excuſationem negotia ſua domeſtica mereri præſumentes.

2. Secundum eſt *mercatorum* ſive negotiatorum, h. e. eorum, qui rebus terrenis inhiantes, divitias mundi & negotiationes ſuas majoris æſtimant, quàm DEI cœnam, ideoq; uſurarii, avari, inſtitores & impoſtores iſtiusmodi honoris ergò ſeſe excuſari petunt.

3. Tertium genus eſt *voluptuariorum*, h. e. eorum, qui hujus mundi carnisq; voluptatibus immerſi Evangelium CHRISTI non curant. Hi ſine omni veniæ deprecatione, ſimpliciter ſe venire poſſe negant. Tanta vis eſt conſuetudinis habitusq; peccandi. Nam *conſuetudinem vincere dura eſt pugna*, quod B. olim in Pſal. 36. dixit Auguſtinus.

Ita quidem plerîq; interpretum in genere ad tria principalia ſive cardinalia obſtacula accommodant hanc parabolæ particulam, eò quòd plurimum hominibus in ſalutis negotio detrimenti adferre, & non paucos de ponte dejicere ſoleant. Congruit ad illam Salvatoris parabolam, Matth. 13, 22. & Luc. 8, 11. ſeqq. Interim non deſunt, qui ſpeciatim ad Judæos hæc omnia referunt, quibus inter vocatos præ gentibus aliquid prærogativæ divinâ conceſſum fuit indulgentiâ. Cupiunt quidem illi ſalvari, ſed non eô modô, quem per verbum Evangelii CHRISTUS revelat. Ideò alii boves emunt, h. e. offerunt ſua ſacrificia, & aliquam Legis particulam imperfectè obſervant: ita ſe ſalvari poſſe ſperant. Alii emunt agros, h. e. habent politicum regimen, & verentur, ne regnum JESUS hic Nazarenus ipſis perdat,

Judæi contemtores cœnæ.

ſi illi

ſi illi adhæreant. Alii uxorem ſe duxiſſe ajunt, h.e. ſibi non vacare, ut inter doctrinam JESU & Phariſæorum dijudicent. Verùm prior interpretatio ſcopum parabolæ propiùs attingit, & notetur, quòd excuſationes eorum, qui emanent, ex uno fonte omnes fluant, nimirùm rem familiarem homines magis curant, quàm cœleſtis convivii lautitias. In ſpecie is, qui villam emit, exemplar eſt eorum, quos avocat poſſeſſio divitiarum & faſtus vitæ. Qui emit juga boum, laborat ſolicitudine ſeculi, & curis parandi victum. Tertius autem, qui uxorem duxit, habet animum occupatum concupiſcentiâ carnis. 1. Joh. 2, 16. Et hæc ſunt, quæ hominibus obſtaculo ſunt, quò minùs ad ſalutem perveniant. Quanquam enim conjugium, poſſeſſio aut acquiſitio facultatum per ſe contaminat neminem; ſed ſunt res à DEO ordinatæ & in ſuo genere bonæ ac licitæ: tamen quatenus homo illis implicatur, & curæ cœleſtium præponuntur, per accidens fiunt ſalutis impedimenta, quod hac parabolâ docere Dominus voluit. En tibi egregias invitatorum excuſationes! Quô verò locô apud Dominum convivii habitæ illæ fuerint, poſtremâ parte mox evadet manifeſtum. Salutis impedimenta.

Villa, boves, uxor, cœnam clauſére vocatis;
Mundus, cura, caro, cœlum clauſére renatis.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Monemur de ſumma mundi erga DEI verbum ingratitudine. Eſa. 65, 2. Joh. 1, 11. 1. Cor. 2, 8.

II. Eadem hodieq; impedimenta à diabolo plerisq; objiciuntur, quæ æternam ipſis ſalutem intervertunt. 1. Joh. 2, 16. Salutis impedimenta.

III. Agricultura per ſe neminem damnat, ſi intra metras verbi ſe contineat. Gen. 3, 19. Job. 5, 7. Pſal. 128, 2. Prov. 28, 19. Sir. 7, 16. & 20, 30. Exempla habentur Gen. 23. 16. 1. Par. 21, 12. Jer. 32, 9. Gen. 9, 20. Idem ſtatuendum de pecuaria: Gen. 4, 20. & 13, 2. & 46, 34. Deut. 5, 14. & 11, 15. 2. Par. 26, 10. Pſal. 36, 7. & 147, 9. Prov. 12, 10. Sir. 7, 24. Eadem eſt ratio mercaturæ. Prov. 31, 18, 24. 1. Theſſ. 4, 6. Vide D. Theod. pag. 388. 389. Agricultura. Pecuaria.

IV. Conjugium non impedit ſalutem hominum: Illud enim DEUM auctorem habet: Nullum autem ſalutis impedimentum à DEO. Sir. 15, 20. Hebr. 13, 4. 1. Tim. 2, 15. Conjugium.

V. Doctrina itaq; dæmoniorum eſt, prohibere nuptias. 1. Tim. 4, 3.

4,3. Et à conſilio privato ad auctoritatem publicam & divinam, nulla ſequela valet. D.Finck.cent.4.can.46.

Anabaptiſmus de rerum proprietate. VI. Nihil ex hoc textu accedit patrocinii ad Anabaptiſtas, qui rerum dominia & poſſeſſiones bonorum propriorum tollunt. Non enim res ipſa, ſed abuſus rei, h. e. donorum divinitùs conceſſorum, ſaluti hominum officit. Maneat uſus, ſublatô abuſu. Pſal.62,11. 1. Cor.7,30.31.

Damnationis cauſa. VII. Cauſa damnationis multò maximæ hominum partis non in DEO, ſed in ipſis hominibus, vocationem excutientibus, unicè reſidet. Oſe.13,9. Matth.23,37. 2.Pet.3,9. D.Theod. p.387.

IIX. Ab oblatione gratiæ DEI, ad ejus collationem non valet conſequentia. D.Finck. cent.4.can.58.

IX. Danda nobis eſt opera, ne in contemtorum iſtorum numero inveniamur, neq; vocationem DEI temerè excutiamus, neq; mundô hoc immundô ad noſtram perniciem abutamur. Luc.12,47.

X. Noſtrum eſt venire, h. e. à peccatis ſurgere, iis valedicere, CHRISTUM fide amplecti, & novam vitam inchoare. Rom.13,12.13. Eph.5,11.14. Joh.3,16, & 6,40. 1.Tim.1,19. 2.Cor.5,17.

Eccleſiæ nota falſa multitudo. XI. Multitudo falſa eſt Eccleſiæ nota, quantumvis in ea ſeſe jactitent Romanenſes Lojolitæ; id quod vel inde ad oculum patet, quòd multi quidem vocentur ad cœnam magnam, pauli verò veniant, quin omnes ſeſe excuſare incipiant. Luc. 12, 32. Matth. 11, 25. & 22, 14.

Salutis impedimenta. XII. Potisſima ſalutis æternæ ἐμποδίσματα ſive obſtacula ſunt,

1. avaritia; divitiis peccatur quadrupliciter,

1. malè acquirendo;

2. malè utendo;

3. malè retinendo;

4. nimiùm diligendo.

2. Superbia:

3. luxuria.

PARS III.

Tertia pars oſtendit nobis, quô pactô frivolas haſce hominum invitatorum excuſationes Dominus, vel Convivator cœleſtis acceperit. Sanè iniquè illum tuliſſe hanc contumeliam, patet

1. ex Domini ad iram commotione: Iraſcitur nimirùm Judæis, tam opiparam cœnam altô ſuperciliô faſtidientibus. Occaſio vel cauſa impulſi-

pulſiva iræ eſt renunciatio & querimonia ſervorum, de hominum ingratitudine & contumacia.

2. *Ex aliorum ſurrogatione & invitatione.* Nam

1. jubet continuò in contemtorum locum accerſi alios. Impenſas enim non vult fruſtrà feciſſe; ſervo itaq; mandat, ut citò exeat in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, claudosq; & cœcos introducat. Intelliguntur abjectiſſimi inter Judæos, puta peccatores publicos, meretrices, publicanos, & alios, qui ex infima plebe CHRISTO adhærebant, ejusq; Evangelium amplectebantur; quin ipſos etiam Samaritanos, qui ſudes erant in oculis Judæorum.

Judæorum abjectiſſimi Chriſto adhærent.

2. Quia verò adhuc locus eſt, ideò bonus Paterfamiliàs extra mœnia etiam, ad vias & ſepes ablegat famulum, eô fine, ut ibi deprehenſos intrare compellat. Hoc eſt mandatum de vocandis gentibus, extra pomœria Reipub. Judaicæ conſtitutis. Illæ enim verè in vias & poſt ſepes jacuerunt, quia caruerunt legibus, tàm divinis, quàm humanis. Obſervetur h. l.

1. modus vocationis iſtius, qui eſt βιαςικὸς, dicente Dominô ad ſervum; *compelle eos intrare;* nimirùm ſi qui illorum vel ob pudorem venire nollent; vel aliàs comparere gravarentur. Compulſio autem iſta non fiat gladiô, vel vi corporali aliâ; ſed verbô, prædicatione Legis, quâ conſcientiæ ſunt terrendæ, ut denunciatâ irâ DEI, cogantur quærere Medicum. Dn. D. Chemnitius in hunc locum ita notat: *Homines ad fidem cogendi non ſunt: Fides enim non eſt omnium, ſed eſt donum DEI. Et niſi DEUS hanc ex gratia alicui donat, nemo alius ipſum vi ad fidem adiget. Dat autem DEUS fidem per medium predicati verbi. Rom. 10, 18. Ad auditum ergò verbi cogi homines poſſunt, ut ſæpiùs illud audientes virtute Spiritûs ſancti, ex reluctantibus conſentientes, & ex nolentibus volentes efficiantur.* Et poſt pauca: *Ad compulſionem etiam illam quidam referunt miraculorum operationem, & vitæ in Doctoribus integritatem.* Et iterum poſt aliqua: *Hoc compelle intrare ſi quis nolit admittere, habet DEUS graviores compulſoriales, nimirùm crucem & adverſitatem, tanquam hamum & frenum, quibus conſtringit maxillas eorum, quibus non eſt intellectus, & qui ad Dominum adproximare nolunt. Non præcipit ergò coactionem, quaſi quis ad fidem cogendus ſit; ſed inſtantiam & diligentem perſuaſionem, quæ fit, quando ex doctrina Legis ob oculos ponuntur, atrocitas peccati, ira DEI & ſeverum judicium adverſus eos, qui ad DEUM ſe non convertunt:*

Compulſio ad cœnam.

Viciſſim autem amplitudo gratiæ D E I, benignè invitantis ad converſionem, & promiſſio Evangelica de CHRISTO, quò pacto gentes ad ſocietatem Eccleſiæ per Apoſtolos vocatæ, & ut intrarent, compulſæ ſunt.

2. Finis compulſionis hujus eſt, ut impleatur domus Domini: vult enim ex barbaris etiam gentibus numerum electorum augeri ac compleri.

3. ***Ex contemtorum excluſione***, vel finali patrisfamiliâs deciſione, quâ æternas denunciat pœnas impiis iſtiusmodi & pertinacibus vocationis ſuæ contemtoribus, cumprimis verò Judæis, quos

1. teſtatur fuiſſe vocatos; ad eos enim primariò pertinebat vitæ æternæ hereditas.
2. Non defuiſſe illis media ſalutis.
3. Quia ſpontè ſuâ ſe excludant, omninò etiam tantô beneficiô eſſe indignos, & à gaudiis regni cœleſtis penitùs excludendos.

Et hæc eſt ſententia juſtè-irati DEI, quòd velit verbum gratiæ à contemtoribus auferre, id quod Judæis ita contigit, & hodiè etiam ſæpè evenit, ut qui miniſterii operarios parvi pendunt, aut miniſtros verbi contemtim habent, tandem in agone digni non judicentur à DEO, quibus conſolatio Evangelica impertiatur; aut qui miniſtri Evangeli-
Cœnam nõ guſtare. ci copiam habere poſſint. Non guſtare autem cœnam DEI, eſt famem æternam perpeti, & torqueri ſiti inexſtingvibili, ad exemplum epulonis. Luc. 16, 24.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Voluntas DEI antecedens & cõſequens. I. Stabilitur in hôc Evangeliô utiliſſima juxtà & uſitatiſſima noſtris Eccleſiis diſtinctio, inter voluntatem DEI antecedentem & conſequentem. Antecedente voluntate, ſub parabola hujus hominis divitis DEUS parat magnam cœnam; ſervum aliquoties emittit, vocatum convivas; jubet urgeri & compelli etiam eos, qui venturi non erant; vult deniq; domum ſuam convivis impleri: At voluntate conſequente iraſcitur venire renuentibus; excuſationes putidas rejicit, minatur pœnam, quam ſuô tempore irrogavit.

Gratia DEI univerſalis. II. Univerſalem quoq; eſſe DEI gratiam, eumq; ſeriò expetere omnium hominum ſalutem, ſimiliter ex hac parabola ad oculum cuivis patet; quia ſine προσωποληψία ſervum, ad cœnam abs ſe paratam convivas vocatum, in vias & ſepes exire jubet; immò vult adigi,

& pro

& pro viriſi modis licitis cogi invitatos, venireq; recuſantibus iraſcitur &c. quin igitur ſeriò & cum beneplacito in oblatione ſuæ gratiæ & liberalitatis agat, dubium poteſt eſſe nemini. Jer. 31, 20. Oſe. 11, 8. Eſa. 55, 1. & 65, 2. Marc. 1, 15. Matth. 11, 28. & 23, 37. Pſal. 103, 13. Eph. 3, 15.

III. Vocatio ad ſalutem ob iram divinam negligenda non eſt. Deut. 32, 22. Pſal. 2, 12. & 21, 10. Soph. 3, 8. Heb. 10, 31. Itaq; *iratum gravis eſt res habuiſſe* DEUM. **Vocatio ad ſalutem non negligenda.**

IV. DEUS cum Eccleſia & verbo ſuo non patitur ſeſe alligari certo loco, nationi, tempori. Eſa. 65, 1. & 66, 19. Matth. 10, 14. & 21, 43. Rom. 9, 30. ſeqq.

V. Apud DEUM non eſt προσωποληψία. Act. 10, 34. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6.

VI. Virium naturalium in ſpiritualibus ἀδυναμία ſignificatur per pauperes, debiles, claudos & cœcos: & tales ſumus ante converſionem. Eph. 4, 18. & 5, 8. 1. Cor. 2, 14. Rom. 8, 7. Phil. 2, 13. Vide D. Theod. pag. 392. **Virium ἀδυναμία in ſpiritualibus.**

VII. Inepti ſunt Romanenſes, qui ex eo, quòd ſervus dicit; Domine factum eſt quod imperâſti; colligere volunt, poſſibilem eſſe homini Legis in hac vita impletionem. Ab indeterminato enim ad determinatum non valet conſequentia. Lex perfectam requirit obedientiam; renati aliqualem & planè imperfectam præſtant. Prov. 20, 6. 9. Luc. 17, 10. **Papiſmus de Legis impletione.**

IIX. De gentium ad regnum CHRISTI vocatione. Vide D. Theodoric. pag. 392.

IX. Vocatos ex gentibus decet vel maximè gratitudo. Eph. 2, 12. Rom. 11, 21. & 15, 9.

X. Sed & nos exemplô Judæorum rejectorum commoniti, diſcamus cautiùs mercari. Rom. 11, 20. 21. 1. Cor. 10, 12. 2. Tim. 1, 9. **Vocatio non negligenda & cur.**

XI. Moveat nos, tùm (1) *ira Domini vehementiſſima*; Pſal. 2, 12. & 7, 12. 13. Hebr. 10, 30. (2) tùm *conſuetudo* DEI *juſtiſſima*; Amos. 8, 11. Act. 13, 46. (3) tùm *comminatio ejusdem ſeveriſſima*, quæ in fine Evangelii habetur.

XII. Contemtus enim verbi punitur privatione & in ſenſum reprobum traditione. Matth. 11, 25. Rom. 1, 24. Eph. 6, 10. Theodor. pag. 391. **Verbi contemtus punitur.**

XIII. Scriptura ſæpè loquitur more humanô & noſtris verbis. D. Finck. cent. 1. can. 3.

Judæorum abjectio duplex.

XIV. In Scriptura ſacra duplex eſt Judæorum abjectio, una temporalis; 2.Par.15,3. altera finalis. Oſe.3,4. Luc.19,41. & ſeqq. Rom.11,25. D.Finck. cent.2.can.81.

XV. Prædicatio verbi nunquam planè eſt ἄκαρπος & otioſa. Eſa.55,10. Luc.8,8. 1.Cor.15,58.

Crucis uſus.

XVI. Uſus crucis præcipuus eſt, compellere ad DEUM. Mala enim, quæ nos hic premunt, ad CHRISTUM ire compellunt, ut ait Gregorius. Act.9,3. Eſa.26,19.

Eccleſia militans.

XVII. Eccleſia in his terris militans eſt grex vel cœtus hominum abjectisſimorum; 1.Cor.1,16. Matth.11,25. cui admixti ſunt hypocritæ. Matth.13,27. & 22,11.

XIIX. Gentium vocatio in Scriptura ſacra eſt perverſitatis Judæorum indicatio. Vide D.Finck.cent.4.can.2.

Concionatorum eſt ἀναγκάζειν & quomodo.

XIX. Concionatores tenentur ἀναγκάζειν auditores, eô modô, qui in textûs explicatione eſt expoſitus. Act.20,31. 2.Tim.4,2. Eſa.58,1. Magiſtratus quoq; ſuum faciat officium.

Religio nõ cogit.

XX. Non gladiô & vi externâ cogendi ſunt homines ad religionem, quod Papam ſtrenuè facere hodieq; videmus. Auguſtinus nunquam probavit, ſi in hæreticos ad mortem uſq; ſæviatur. Vide Vindic.D.Meelführ.theſ.102. D.Theodor.pag.394.395.

XXI. Contemtum cœnæ ſequitur, in regno gratiæ privatio verbi & Sacramentorum; in regno gloriæ fames & ſitis ſempiterna. Eſa.66,24. Luc.16,24.

Veniendi modus.

XXII. Ergô quisq; caveat contemtum; ſed vocatus veniat: in veniendo enim omne rei momentum eſt ſitum. Venimus

1. *peccatis renunciando;*
2. *fide CHRISTUM amplexando;*
3. *vitam novam inchoando.* Moveat nos ad obſequendum,
   1. *ſumma DEI benevolentia;*
   2. *iræ divinæ vehementia;*
   3. *moris divini frequentia:* aufert regnum. Matth.21,43.

Coactionis modus.

XXIII, Coactio divina fit 1. *prædicatione;*
2. *crucis impoſitione;*
3. *diſciplinæ honeſtæ conſervatione.*

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Enarrationem parabolæ de cœna magna ſuſcepturi, διὰ βραχέων contemplabimur,

I. In-

I. Invitatorum malignitatem;
II. Pœnarum atrocitatem vel acerbitatem.

PARS II.

Quoad priorem contemplationis partem, duo potiſſimùm in illius διεξόδῳ conſiderationem accuratam merentur:

1. hoſpes activus, &
2. hoſpites paſſivi.

1. In hoſpite activo, qui DEUS eſt, ſumma ejusdem ob oculos ponitur φιλανθρωπία; quam dupliciter declarat: **φιλανθρωπία DEI.**

1. ***Convivium ſplendidum in noſtri gratiam adornando***, h. e. ex intima ſapientiæ ſuæ abyſſo doctrinam Evangelii de ſalvandis hominibus producendo & revelando. Evangelium verò cœna vocatur magna, ob **Evangelium cœna magna.**

1. hoſpitis celebritatem;
2. ferculorum pretioſitatem;
3. convivarum pluralitatem;
4. convivii durabilitatem. Vide plura in præced. diſpoſ. & confer Pſal. 23, 1. & ſeqq. Eſa. 25, 6. Matth. 8, 21. Luc. 22, 30. Pſal. 36, 9. 10.

2. ***Omnes ſeriò invitando.*** Ceterùm rem ſeriam agere hoſpitem liberaliſſimum, patet itidem dupliciter, **DEUS ſeriò vocat.**

1. ex ſervi emiſſione. Horâ enim cœnæ, h. e. Theophylactô interprete, definitô & opportunô tempore dicitur miſiſſe ſervum ſuum. Nonnulli Meſſiam intelligunt: ſic enim iterum Theophylactus: *Quis eſt ſervus ille? Is, qui formâ ſervi adſumtâ, Filius DEI Homo factus, & ut homo miſſus eſſe dicitur. Attende quomodo non dixerit ſervum, ſed cùm articulo, ſervum illum ſuum. Illum propriè dixit, qui juxta formam humanam ei placuit & ſervivit.* Alii communiter intelligunt, de quibusvis Eccleſiæ Doctoribus ſinceris, quales in V. olim T. fuerunt Patriarchæ & Prophetæ, in N. T. Apoſtoli & Evangeliſtæ, eorundemq; fideles ſucceſſores. Unus autem dicitur ſervus, quia una omnium ſuit doctrina & fides.

2. Ex toties repetita vocatione. Vocavit enim

1. Judæos in genere omnes, qui dicuntur κεκλημένοι, invitati, nimirùm per vaticinia Prophetarum, per conciones Johannis Baptiſtæ, CHRISTI & Apoſtolorum. *Fortaſſis*, inquit iterum Theophylactus, *magis proprie (vocavit) Iſraëlitas, qui per Legem & Prophetas vocati fuerunt. Ad illos igitur miſſus eſt primùm Dominus, uti ad oves domus Iſraël.* **Judæi κεκλημένοι.**

2. In

2. In ſpecie peccatores & publicanos, intra mœnia, de vicis & plateis civitatis in domum Domini congregatos. Hi dicuntur debiles, pauperes, claudi & cœci, h. e. extremi & abjectisſimi Judæorum. DEI enim miſericordia aliis peccatoribus hoc largitur, qui cœci mentalibus oculis ſunt, & non intelligunt, quæ ſit voluntas DEI; vel intelligunt quidem, ſed claudi ſunt, & ad operandum tardi ac immobiles, & omninò debiles ac pauperes, eò quòd ſupernâ gloriâ exciderint, neq; immaculatâ vitâ conſpicui fuerint. Illis igitur peccatoribus, in latis & ſpacioſis peccatorum viis errantibus, mittit Pater Filium ſuum, ad cœnam invitantem.

Peccatum ſepes.

3. Promiſcuè omnes gentes, quæ ſignificantur per eos, qui extra mœnia ad bivia & ſepes inveniuntur: Per ſepes Theophylactus intelligit peccata: Peccatum enim magna ſepes eſt & interſtitium, nos dividens à DEO. Et addit: *Per vias, pecuinam gentilium vitam, & in multas diſſectam opiniones: per ſepes verò intelligit vitam illorum in peccatis. De Judæis dixerat, introduc huc; debuerunt enim illi vocantem DEUM ſpontè ſequi. De gentibus inquit: Compelle intrare; ut ſciamus, magna virtutis DEI eſſe, crediditſſe gentes, in tanta verſantes ignorantia. Niſi enim magna prædicaretur virtus, & magna eſſet verbi veritas, quomodo perſuaſi eſſent homines, in idolorum cultu inſanientes, & fœda operantes, ut repentè agnoſcerent verum DEUM, & ſpiritualem diligerent vitam.* Idem.

II. In hoſpitibus porrò paſſivis conſpicitur ex adverſo

1. *deteſtanda quorundam* ἀχαριστία *& malitia.* Κεκλημένοι enim, ſive invitati Judæi cœperunt ſeſe ſimul omnes excuſare, detractantes & rejicientes benevolam hoſpitis tàm liberalis invitationem: Unus enim venire renuit (1) ob emtum agrum; (2) alter ob emtos boves; (3) tertius ob ductam uxorem. Notantur autem hac diſtributione in claſſes,

1. *Opum fluxarum domini*, ob emtum agrum & rem familiarem excuſari volentes:

2. *Boum ſervi*, ob emtos boves & negotiationem ſuam excuſari ſeſe petentes:

3. *Voluptatum carnalium famuli*, ob rem matrimonialem ductamq; uxorem, vel potiùs ob carnis delicatæ illecebras venire renuentes, quin nec ullam excuſationem cupientes.

2. *Laudanda quorundam in veniendo* προθυμία, qui vocati ſervum ſequuntur, & cœnâ paratâ μετ' εὐδοκίας fruuntur, quemadmodum de iis, qui de plateis & vicis, intra & extra mœnia conquiruntur,

tur, legitur. Poſtquam enim intraverunt Iſraëlitæ, quos in gloriam ſuam prædeſtinarat Dominus, benignitas DEI etiam in gentes diffuſa eſt. Per eos enim, qui in via & apud ſepes, gentes intelligendas eſſe, cenſet cum aliis Theophylactus.

Uſus I. Informatorius.

1. De gratuita hominum ad vitam æternam vocatione, & electione. Cœna vel convivium nullô proximi meritô, ſed ex mera liberalitate Convivatoris inſtituitur. Nihil itaq; loci in ſalutis noſtræ negotio humani arbitrii viribus relictum. Eph. 2, 6. Rom. 6, 23. & 9, 16. & 11, 6. 2. Tim. 1, 9. 10. Vide Monr. pag. 68. **Vocatio & electio gratuita.**

2. Quòd ſolâ fide, gratis, per gratuitam DEI miſericordiam, propter CHRISTUM juſtificemur. Ib. p. 69.

II. Conſolatorius.

Conſolatio efficacisſima fluit

1. *ex cœnæ præparatione;* unde liquet, nolle DEUM mortem morientis peccatoris: Ezech. 18, 23. 32. Pſal. 23, 5. & 30, 6. & 50, 1. 1. Tim. 2, 4. Monr. pag. 66. 67. 74. 75.

2. *Ex miniſtrorum ad nos ablegatione.* Jer. 3, 15. Joël. 2, 23. Oſe. 12, 11. Pſal. 68, 12. Act. 16, 18. 2. Cor. 5, 20. 1. Cor. 4, 1. Eph. 4, 11. Matth. 23, 34.

III. Monitorius.

1. Monemur, ut invitati per miniſtros, non negligamus vocationem noſtram, ſed ſeduló advolemus, dum ſtrata eſt menſa Evangelii, verbumq; nobis offertur & Sacramenta. Monr. p. 70.

2. De modo perveniendi ad cœnæ inſtitutæ perfruitionem. Conſiſtit autem totum negotium *1. in vocando,* ex parte DEI;
2. in veniendo, ex parte noſtri.

Vocat DEUS, vel αὐτοφώνως, ore propriô loquendo: Matth. 3, 17. & 17, 5. vel per crucem, nos quodammodo cogendo: Eſa. 65, 2. Oſe. 6, 1. vel per Scripturam, blandè nos invitando. Joh. 5, 39. Matth. 24, 16. Quid eſt enim Scriptura ſacra, niſi epiſtola quædam omnipotentis DEI ad creaturam ſuam, ut ait Gregorius. Noſtrum eſt venire. Pſal. 95, 1. Eſa. 2, 3. Hebr. 13, 17. **Vocat DEUS tripliciter.**

3. Ut mundô rebusq; mundanis utamur, non abutamur. Vide Monr. pag. 71. 72.

4. De vitando cœnæ magnæ contemtu, propter pœnas, de quibus mox parte ſecundâ dicetur.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de ſtatu Monachorum.

Pontificiorum, qui per cœnam magnam ſtatum Monachorum intelligi volunt, ſic interpretante Jebuſita Grodiciô, conc. 4. quadrip. Fecit cœnam, ſtatum nimirùm inſtituit religioſum, in tribus illis votis, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ fundatum. Qui id pertinaciter negat, non ſolùm cœcus in Scriptura, ſed etiam hæreticus eſt. Miſer homo, dicit, non probat, ipſius verò narratis adſurgere prohibemur per eum, qui eſt via, veritas & vita. Joh. 14, 6. Fabulas & tricas iſtas enumeraſſe, eſt refutaſſe.

PARS II.

Hic teſtatur parabola præſens,

1. *de ſumma hoſpitis vel convivatoris indignatione*, orta ex turpi invitatorum recuſatione.
2. *De aliorum*, & quidem abjectisſimorum hominum, in contemtorum locum, *ſurrogatione*; qui bis invitantur, tandem etiam intrare compelluntur.
3. *De juſta contemtorum reprobatione*, quam exprimit Epiphonema, concionem parabolicam concludens.

Uſus I. Informatorius.

Cœnæ ſacræ conſideratio in cœna magna.

I. Nihil prohibet, in parabola de cœna magna, etiam cogitare de Sacramento cœnæ εὐχαριστικῶ, atq; ita in ejusdem meditatione ponderare,

1. Cauſam Euchariſtiæ efficientem, ſive auctorem: Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 23.
2. Cœnæ hujus myſticæ materiam, quæ eſt res terreſtris, & cœleſtis. Terreſtris eſt panis & vinum; cœleſtis, corpus & ſangvis JESU CHRISTI, cujus vera ac realis præſentia probatur
   1. *ex Dominica inſtitutione;*
   2. *ex Paulina concluſione;* 1. Cor. 10, 15. 16.
   3. *ex Johannea adſertione;* 1. Joh. 5, 6. 7. 8.
3. Euchariſtiæ finem & effectum; qui effectûs ſunt
   1. *principales;*

1. præ-

1. *promiſſionis Evangelicæ de remiſſione peccatorum obſignatio*, ac fidei noſtræ confirmatio;
2. *Noſtra in CHRISTUM implantatio*, & ſpiritualis ad vitam æternam nutritio. Joh.6,56.

2. *Minus principales;*
1. *noſtra ad gratiarum actionem*, pro opere redemtionis, *exſuſcitatio*. 1.Cor.11,26.
2. *obedientiæ noſtræ conteſtatio*; Luc.22,19. 1Cor.11,24.
3. *noſtra in cruce ferendâ imitatio*; Luc.14,27.
4. *congregationis Eccleſiaſticæ conſervatio*; 11,20.
5. *pœnitentiæ & pietatis noſtra demonſtratio*; 1.Cor.11,28.
6. *publica confeſſionis & Chriſtianiſmi declaratio*; 1.Cor.10,17.
7. *debita cum proximo reconciliatio* &c.

4. Adjunctum accidentarium, ſive indignæ manducationis periculum. 1.Cor.11,27.29.30. Vide D.Gerh.lib.1. Schol.piet. cap.10.fol.88.& ſeqq.& lib.2.cap.3.fol.29.

II. De officio Doctorum Eccleſiæ omniumq; verbi miniſtrorum ſedulorum, cujus legitima adminiſtratio requirit *Officium doctorum Eccleſiæ.*
1. *ſinceram verbi prædicationem*;
2. *fidelem Sacramentorum diſpenſationem*;
3. *pro commiſſo grege deprecationem*;
4. *honeſtam vitæ ac morum gubernationem*;
5. *diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervationem*; jubentur enim ἀναγκάζειν;
6. *rituum Eccleſiaſticorum obſervationem*;
7. *pauperum ægrorumq; curam & viſitationem*. Vide D.Gerh.lib.3. Schol. piet. cap.29. f. 487. ſeqq.

II. Conſolatorius.

1. Quòd etiam gentibus ſalus ſit oblata hodieq; offeratur. Pſal. 117,1. Matth.28,19. Act.13,46. Rom.15,9.

2. Quòd excluſis contemtoribus guſtabimus cœnam DEI in vita æterna. Vide Monr. pag.75.

III. Monitorius.

1. Monemur de iræ divinæ atrocitate, piis omnibus meritò declinanda. Deut.32,22. Pſal.2,12.& 21,9.

2. De diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſitate. CHRISTUS enim jubet *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſitas.*

jubet reluctantes ἀναγκάζειν; & multùm facit ad dignitatem atq; auctoritatem miniſterii adſerendam, quâ collapſâ omnia ſurſum deorſum ferri mirum non eſt. 2.Tim.4,2.ſeqq.

Verbi contemtus punitur.

3. De cavendo verbi divini contemtu. Nullum enim peccatum graviori DEUS pœnâ adficere ſolet. Matth.21,43. Amos.8,11. 2.Par.15,2. 2.Theſſ.2,10.11. Matth.11,10.& 25,11. Prov.1,28.

IV. Refutatorius.

Calviniſmus de cauſa damnationis.

1. Calvinianorum, qui cauſam damnationis multò maximæ hominum partis, in DEO & abſoluta ejusdem voluntate quærunt, cùm homines ipſi potiùs ſint in culpa, qui varia impedimenta & prætextûs quærentes, ſeipſos cœnâ magnâ, h. e. fruitione regni cœleſtis indignos efficiunt. Eſa.65,2. Joh.1,11.

Papiſmus de coactione ad religionem.

2. Pontificiorum, qui ad religionem homines cogendos eſſe docent, hac uſi diſtinctione; latiſſimam eſſe differentiam inter Samaritas & hæreticos: illi nunquam promiſerunt, ſe CHRISTI religionem ſervaturos, compellendi itaq; non ſunt; hæretici autem promiſerunt, profesſiq; ſunt ſe fidem CHRISTI ſervaturos, ideò meritò compelluntur. Schererus fol.454. b. ita: Darbey iſt dieſer Unterſcheid zu mercken / daß man ein andern procoſs pflegt zu halten mit denen / die den Chriſtlichen Glauben niemals angenommen / auch durch die Tauff niemals der Kirchen Gottes einverleibet worden: Ein andern mit den Ketzern/ vnd abgefallenen von der Kirchen: gegen dieſen kan vnd ſoll man ein Ernſt brauchen/ vnd mit Straffen verfahren / gegen den andern aber iſt man deſſen nicht alſo befugt. Reſp. Inanis eſt hæc diſtinctio: Nam (1) & Samaritani in circumciſione (quam ipſos retinuiſſe veriſimile eſt) promiſerunt, ſe in fide Meſſiæ conſtanter perſeveraturos. Ergò ipſi quoq; erant compellendi, h. e. gladiô trucidandi. 2. Quid reſpondebunt Hiſpanicæ inquiſitionis exſecutores, qui diſtinctionem hanc Jeſuiticam, veluti nodum Gordium, enſe reſecuerunt hodieq; reſecant. Legantur hiſtoriæ Indicæ. 3. Parabola hæc noſtra penitùs evertit hanc Jeſuitarum diſtinctionem, quod ad oculum ipſis demonſtrat Cl. Dn.D.Gerh. Tom.6.L.C. pag.1065. ubi tandem ita concludit: *Quodſi juxta Bellarmini (ac Schereri) nomenclaturam, per τò compellere intelligitur gladiò occidere, conſequens fuerit, illos potiùs interficiendos, qui ex gentiliſmo ad Eccleſiæ conſortium vocantur, quàm qui ſunt Eccleſiæ filii, & per Baptiſmum in eandem priùs recepti. Nos & eos, qui primùm ad Eccleſiam ex paganiſmo vocantur, & eos, qui per hæreſin ab Eccleſiæ fide defecerunt,*

fecerunt, compellendos eſſe concedimus, non ſupplicio capitali, nec coactione ad fidem, ſed concionibus legalibus, comminationibus pœnarum, & coactione ad auditum verbi, quibus mediis converſio refractariorum peragenda, iidemq; Eccleſiæ lucrifaciendi; ſed per gladium & ignem Magiſtratûs homines non lucrifiunt Eccleſiæ, verùm potiùs ex vita communi exterminantur, ut non ſuperſint, quos erraſſe pœniteat, quive compellere poſſint, ut intrent. Vide integram quæſtionem d. l. pag. 1043. & ſeqq. D. Meelf. theſ. 99. & ſeqq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Beatus prædicatur is, qui manducabit panem in regno DEI. Luc. 14, 15. Sic enim vox Apocalyptica: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Apoc. 19, 9. Eadem certè felicitas patet omnibus, quotquot am[...]è invitati comparent. Nos itaq; *cauſas indicabimus, quibus impulſi promtò animò venire debeamus.*

Ἐξήγησις.

In cenſu cauſarum impellentium, quas quidem præſentis Evangel[ii] lectio ſuppeditat, eſt — *Venire ad cœnam magnam cur debeamus.*

I. *Orationis ſuavitas.* Initiò enim gaudium futuræ vitæ CHRISTUS ſub imagine convivii opipari nobis proponit. Gratia diffuſa eſt in [la]biis ejus. Pſal. 34, 9. & 36, 8. 9. & 45, 3. Deinde neminem hominum aditu convivii hujus prohibet: Act. 10, 34. quod Calvinianorum invidia poteſt opponi. 1. Sam. 15, 29. Matth. 11, 28. Joh. 6, 37. 1. Tim. 2, 4. Act. 17, 30. 31. 2. Cor. 5, 20. Theophylactus per cœnam intelligit diſpenſationem Incarnationis. Verba ejus hæc ſunt: *Miſericordiſſimam ejus diſpenſationem intelligit, quam operatur in nobis, cùm nos facit participes carnis Filii ſui, hominem eum nominans. Cœnam enim magnam vocavit diſpenſationem hanc. Cœnam quidem eò, quòd in noviſſimis temporibus. Magna autem cœna hæc, quoniam ex confeſſo magnum eſt ſalutis noſtræ myſterium.*

II. *Mundi cæcitas, vel rerum mundanarum vanitas*, adumbrata ſub imagine vel figura filiorum ſeculi hujus, rerum terrenarum curâ a cœleſtibus ſeſe avocari permittentium. Cæcitatis, immò extremæ dementiæ eſt, aurô DEUM, glebâ terræ Paradiſum permutare. Pſal. 4, 3. Eccl. 1, 2. Peccant verò homines divitiis quadrupliciter: — *Mundi cæcitas.* — *Divitiis peccatur quadrupliciter.*

1. *malè eas acquirendo*, ut villicus ille Luc. 16, 1. ſeqq. Jer. 9, 5.
2. *malè utendo*, quod patet exemplô prodigi & epulonis; Luc. 15, 13. & 16, 19.

3. malè retinendo;

4. nimiùm diligendo. Eccl. 5, 9. Pſal. 62, 11.

Pii, quæ DEI & ſalutis ſuæ ſunt, ſtudioſè quærunt, Pſal. 27, 4. & 38, 19. Matth. 6, 33. & 16, 28. Luc. 12, 15. Joël. 2, 31. Vide ergò, ne, dum quæris lucrum in arca, damnum ſentias in conſcientia. Auguſt. Benè Gregor. Nazianz.

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ' ἐπιλήθεο πάντων.

Reſpice mens ſurſum, terreſtres abjice curas.

Theophylactus quærit: *Qui ſunt hi, qui vocati ſunt? Et reſpondet: fortaſſis omnes homines. Omnes enim vocavit DEUS, ad ſui agnitionem; partim per ordinatam inviſibilium conſtitutionem, partim per naturalem legem.*

III. *Excuſationum nullitas.* Cœperunt quidem invitati ad unum omnes ſeſe excuſare: ſed mox ſequitur: Iratus Dominus. Patet inde, nihil apud DEUM in hoc negotio loci excuſationibus calvis. Adam excuſat ſe; Gen. 3, 13. Aaron excuſat ſe; Exod. 32, 23. Saul excuſat ſe; 1. Sam. 15, 15. ſed fruſtrà omnes. Matth. 7, 22. & 25, 44. Theoph. ita: *Omnes Judæorum principes detrectabant JESUM habere Regem, & cœnam non meruerunt; & alius quidem propter divitiarum cupiditatem, alius autem propter voluptatem.*

IV. Coactionis neceſſitas. Non vult mortem peccatoris: Ezech. 33, 11. ideoq; ſuos deſtinavit compulſores, verbi nimirùm concionatores. Eſa. 58, 1. 2. Tim. 4, 2. 3. 4. 5. Compulſio iſta abſq; fervore & zelo fieri nequit; inſtandum itaq;. Act. 20, 31.

V. Pœnæ gravitas. Contemtum ſequitur

1. DEI ira; &

2. infernalis flamma. Pſal. 95, 10. 11. Oremus cum Eccleſia: *Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tuâ gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA III. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 15. à verſ. 1. uſq. ad 11.

1. Ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἀκούειν αὐτοῦ.

1. Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut audirent illum.

2. Καὶ

2. Καὶ διεγόγγυζον οἱ Φαρισαῖοι, καὶ οἱ γραμματεῖς, λέγοντες, ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται καὶ συνεσθίει αὐτοῖς.

3. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην, λέγων·

4. Τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐ καταλείπει τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρῃ αὐτό;

5. Καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἑαυτοῦ χαίρων·

6. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς· συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός.

7. Λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας.

8. Ἢ τίς γυνὴ, δραχμὰς ἔχουσα δέκα, ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, οὐχὶ ἅπτει λύχνον, καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, καὶ ζητεῖ ἐπιμελῶς, ἕως ὅτου εὕρῃ;

9. Καὶ εὑροῦσα συγκαλεῖται τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας λέγουσα· συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν, ἣν ἀπώλεσα.

10. Οὕτω λέγω ὑμῖν, χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ, ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

2. Et murmurabant Phariſæi ac Scribæ, dicentes: hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis.

3. Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens:

4. Quis ex vobis eſt homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne relinquit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam. Matth. 18. 12.

5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens:

6. Veniensq́; domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inveni ovem meam, quæ perierat.

7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore reſipiſcente, magis quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, quærítq́; diligenterq́; donec inveniat?

9. Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inveni drachmam, quam perdideram.

10. Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI ſuper uno peccatore reſipiſcente.

DI

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Geminam lucidiſſimam vocat Dn. D. Chemnitius præſentis Evangelii περικοπὴν. Neq; id immeritò. Eminet enim inter reliquas profectionis poſtremæ CHRISTI conciones, veluti Jaſpis pulcerrima in auro puriſſimo. Tractat articulum fidei noſtræ præcipuum, qui eſt de gratuita hominis peccatoris coram DEO juſtificatione. Nullibi ſanè Salvator φιλανθρωπότατος in univerſa Scriptura, tantâ ſimplicitate, tantâ perſpicuitate, tantâ conſolationis vivificæ efficaciâ, de hac materia, atq; hoc in loco diſſeruit,

Verſatur autem Evangelium prælectum in genere cauſarum Didaſcalico, ſi parabolarum recitationem attendas: ſin verò ſcopum primarium cauſamq; impellentem ſpectes, eſt in genere Judiciali, ejusq; ſtatu conjecturali. Diſputatur enim, an CHRISTUS rectè faciat, peccatores publicos ſuſcipiendo, eosq; in ſui familiaritatem admittendo? Ubi negativam tuentur Phariſæi, affirmativam defendit CHRISTUS.

Ceterùm pro meliori Evangelii intelligentia, tria potiſſimùm nobis enarranda proponimus κεφάλαια, dicturi

I. de CHRISTO peccatores benignè ſuſcipiente;
II. de Paſtore amiſſam oviculam ſolicitè quærente;
III. de muliercula drachmam perditam anxiè requirente.

PARS I.

In primæ partis διεξόδῳ duo obſervanda veniunt membra:

I. Concionis parabolicæ occaſio, quæ eſt inſtar cauſæ impulſivæ προκαταρκτικῆς; hanc præbuit CHRISTO Phariſæorum & Scribarum erga ſectatores ejus inhumanitas & invidentia. Notetur autem

1. perſonarum CHRISTO adhærentium deſcriptio. Sunt verò illi

Publicani qui.

1. τελῶναι, publicani. Hi etſi apud Romanos ex ditioribus & honeſtô locô, magniq; apud ipſos nominis eſſent; apud Judæos tamen habebantur omnium hominum nequiſſimi & publicè infames; Phariſæis cumprimis, ut hoſtes libertatis patriæ, ſummè exoſi. Vectigalia enim, à populo Romano Judæis invitis, jure belli impoſita, certô preciô conduxerant, pro lubitu ſuô eadem poſtmodum augentes. Ob quæ

bant

immoderatas exactiones paſſim apud omnes malè audiebant publicani, nec quiſquam familiaritate eorum utebatur.

2. *ἁμαρτωλοὶ*, omnes h. e. omnis generis peccatores, qui publicis ſceleribus erant noti & infames, ac præter peccatum nihil ferme aliud noverant; in quorum numero erant ſcortatores, ſcorta publica, avari, lurcones, otioſi errones & ſimiles. Peccatores

2. *Ipſorum ad propinquatio vel actio;* non perſeverant in peccatis, ſed redeunt, ideoq; dicitur de ipſis, *ἦσαν ἐγγίζοντες*, adpropinquabant illi, ſc. CHRISTO, propiùs ad eum accedebant, lateri ipſius adhærebant, familiariùs cum eo converſabantur & colloquebantur, commune quaſi quoddam cum ipſo contubernium habentes. Reſipiſcentibus enim veniam pollicebatur, & conſcientias ſauciatas ſanabat, quibus Phariſæi & Scribæ omnem ſalutis ſpem adimebant.

3. *Finis adſignatio:* venerunt ad CHRISTUM, non ut in peccatis ſuis perſeverarent, ſed *τὸ ἀκούειν*, ut audirent eum, h. e. ſalutarem inſtitutionem conſolationem & conſcientiæ tranquillationem apud ipſum invenirent, voluntatem DEI ex verbo prædicato cognoſcentes, & de ſeria vitæ emendatione curam cogitationemq; ſuſcipientes. Hoc unum membrum.

II. Alterum eſt *Phariſæorum objurgatio & refutatio.* Habemus hoc loco itidem tria:

1. *Τὰ πρόσωπα*, perſonas CHRISTUM reprehendentes: fuerunt Phariſæi & Scribæ, abjuratiſſimi & capitales CHRISTI hoſtes, quibus cum indeſinenter ipſi erat confligendum.

2. *Τὰ πραχθέντα*, hoſtium facta: *διεγόγγυζον*, murmurabant, h. e. non audebant palam CHRISTO objicere, ſed tacitè ſecum obſtrepebant, & factum iſtud Salvatoris, peccatores in conſortium ſuum admittentis, indignè ferebant. Quia enim invidia cor illorum occupaverat, omnia CHRISTI facta carpere, & dente quaſi Theoninô arrodere ſolebant. διαγογγύζειν.

3. *Τὰ λεχθέντα*, dicta eorum. Duo in ipſo vituperant:

1. *Τὸ προσδέχεσθαι*, peccatorum in familiaria colloquia admiſſionem, quòd amicè cum illis ageret, non aliter ac ſi domeſtici forent.

Digitized by Google

2. Τὸ συνεσθίειν, quòd cibum cum illis caperet, menſâ & cibô ſuô eos dignatus. Latet verò ἔμφασις in pronomine demonſtrativo οὗτος; q. d. magnificus ille vir, tantus Doctor, qui ſingularem præ ſe fert ſanctimoniam, Meſſias publicè proclamatus, peccatores recipit, epulatur & convivatur cum eis: en, ut graculus graculo adſidet! ut ſimile ſimili gaudet!

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Pœnitentia.

I. Locus principalis eſt de pœnitentia, ſeu converſione hominis peccatoris ad DEUM, quam ſuadet univerſa Scriptura, V. & N. T. Ezech. 33, 11. Joël. 2, 12, 13. Jon. 3, 12. Oſe. 6, 1. Jer. 3, 22. & 4, 1. & 18, 7. 8. Zach. 1, 3. Luc. 22, 23. Act. 26, 20.

Pœnitentia DEI opus.

II. Eſt autem pœnitentia non humanarum virium, ſed ſolius DEI opus. Joh. 15, 6. Jer. 31, 18. 19. Vide libellos methodicos.

III. Ingens, immò ſummum DEI beneficium eſt, miſeros peccatores in gratiam recipere. Eſa. 59, 2. Matth. 11, 28. Joh. 6, 37.

IV. Audiamus CHRISTUM ſedulò nobis loquentem in miniſterio verbi. Matth. 9, 9. & 11, 28. Pſal. 95, 8. Sir. 17, 12, Eſa. 55, 6. Ezech. 33, 14. Amos. 5, 2. Zach. 1, 3. Jac. 4, 1. Matth. 3, 2.

V. Ad CHRISTUM adpropinquandum: modum monſtrat D. Theod. Anal. Evang. pag. 401.

Phariſæorum invidia.

VI. De ſumma Phariſæorum invidia erga CHRISTUM, diſſeritur ibid.

Eccleſia militans.

VII. Eccleſia militans plerunq; colligitur ex vilioribus contemtis & abjectis hominibus. Joh. 7, 40. Matth. 11, 25.

IIX. Hinc Eccleſiæ auctoritas coram mundo eſt vilis, ſpreta & abjecta. Eſa. 54, 11. Sap. 3, 12. Matth. 11, 25. Luc. 17, 20. Actor. 10, 35. 1. Cor. 1, 26. 27.

Peccatores triplices.

IX. Peccatores ſunt triplices: (1) Alii ſunt ἐμπαῖκται, illuſores, ſecuri, ἄθεοι, manifeſtè impii, in peccatis ſuis ridentes, monitoribusq; ſuis illudentes: Eſa. 3, 9. & 28, 10. Jer. 5, 12. & 6, 10. & 9, 5. 2. Pet. 3, 3. (2) Alii ſunt ὑποκριταὶ, peccata ſua non agnoſcentes: Prov. 20, 9. Eſa. 29, 13. Matth. 15, 8. (3) Alii ſunt verè & ſincerè reſipiſcentes, qui agnitis peccatis ad CHRISTUM confugiunt. Jer. 3, 13. & 7, 3. & 18, 7. 8.

X. Omnes peccatores reſipiſcentes poſſunt ſalvari. Eſa. 1, 18.

Sap.

Sap. 12, 15. & 15, 5. Ezech. 33, 12. Sir. 17, 20. Oſe.14,3. Jon.3,10. Act.3,19. Mal.3,8. Zach.1,2. Amos. 5,5. Eſa.55,6. Apoc.20,6.

XI. CHRISTUS peccatorum gratia in hunc mundum venit, Eſa.61,1. Luc.4,18. Matth.9,13. 1.Tim.1,15.

XII. A CHRISTO ergò non eſt fugiendum, ſed ad eum adpropinquandum, properandum. Jac.4,8. Joh.6,37. Mich.7,18. Matth. 11,28. Luc.8,4.

XIII. Falſum eſt, quòd Calviniani docent, CHRISTUM eſſe Salvatorem ſolorum Electorum; ſuſcipit enim peccatores quosvis, ad ſe confugientes. 1.Tim.1,15. Matth.9,14. 1.Tim.4,10. Act.17. 30. Rom.2,4. 1.Tim.2,4. Calviniſmus, de Chriſto Salvatore electorum: & de abſoluto decreto.

XIV. Falſum itidem eſt, DEUM abſolutô quodam beneplacitô maximam hominum partem æterno exitio deſtinaſſe, ad id præordinaſſe, creaſſe. Sap.11,24. Joh.3,16.

XV. Exemplum habemus diabolicæ in Phariſæis invidiæ. Gen. 4,5. 1.Sam.18,8. Matth.20,15. Luc.6,2. & 19,7.

XVI. Vitium verò iſthoc, diaboli proprium, piis omnibus eſt fugiendum. Job.5,2. Pſal.37,1. & 73,3. Prov.14,30. Rom.1,29. 1. Cor.13,4. 2.Cor.12,20. Gal.5,21. Tit.3,3. Invidia fugienda.

XVII. Calumniis expoſiti & petiti ſolemur nos exemplô CHRISTI. Matth.10,25. & 11,19. Luc.7,34. Matth.26,61. Joh.8, 51. Exod.20,16. Levit.19,16. Deut.5,20. Pſal.15,3. & 101,7. Prov. 20,19. Vide D.Theod. pag.402.

XIIX. Non omnis cum malis & impiis converſatio eſt prohibita: ſunt enim alii ſanabiles, alii inſanabiles. 2.Cor.6,14. Tit.3,10. 2.Theſſ.3,6. D.Theodor. pag.404.405. Converſatio cum malis.

XIX. Colligitur Eccleſia per prædicationem verbi. Rom.10, 15.18.

XX. Miniſtri verbi in id elaborent, ut peccatores ad pœnitentiam revocentur. Eſa.58,1. Ezech.3,17.18. Jer.35,15. Matth.3,2. Act.2,38. & 20,21.

XXI. Quomodo autem peccatores ſint tractandi, exemplô CHRISTI monemur; reſipiſcentes recipiendi; contritas ob peccata conſcientias habentes, conſolationib9 Evangelicis ſunt erigendi. Eſa. 35,3. & 61,2. & 40,1.ſeqq. Matth.11,28. Rom.14,1. 2.Cor.6,8. 1. Cor.9,8. Gal.6,1. Jac.5,14. Apoc.12,5. Confer D.Theodor. pag.403. Peccatores ut tractandi.

XXII. Ab auditu verbi nemo prorſus eſt excludendus. Ezech, 2,4.7. & 3,27. 1.Cor.5,10.

Digitized by Google

Optimi peſſimi. XXIII. Peſſimi ſunt interdum, qui optimi videri volunt. Ezech. 33, 31. Mich. 6, 6. 7. & 7, 2. 3. 4.

XXIV. Mundus ea, quæ optimè facta ſunt, peſſimè ſolet calumniari & interpretari. Vide Domin. Oculi. D. Theod. p. 402.

XXV. Propter calumnias autem officium non intermittamus.

Calumniis obviandū. XXVI. Licitum verò eſt Chriſtianis contra manifeſtas ſeſe calumnias defendere. Luc. 11, 7. Joh. 8, 49. & 18, 23. 1. Sam. 24, 11. Act. 23, 1. Gal. 2, 5. Prov. 26, 5. D. Theod. pag. 405.

Papiſtæ phariſaizant. XXVII. Murmurantibus Phariſæis ſimiles ſunt Pontificii, hoſtes & ipſi gratiæ divinæ infenſiſſimi.

XXIIX. Fugienda eſt nobis ejusmodi invidia & inhumanitas Phariſaica. Matth. 23, 13. Luc. 22, 32.

XXIX. Non temerè judicandum de aliis. Sir. 8, 6. Luc. 6, 37. Gal. 6, 1. Rom. 14, 4.

XXX. Christus peccatoribus reſipiſcentibus magis, quàm juſtitiariis & hypocritis delectatur. Pſal. 51, 19. Eſa. 66, 2.

XXXI. Totum ergò hoc Evangelium eſt conſolatorium, pro peccatoribus reſipiſcentibus, oſtendens, (1) quòd pœnitentia eorum DEO placeat; (2) & quòd recipiantur in gratiam; (3) & quâ ratione cum iis ſit agendum, ut ab errore & via peccati revocati ad gratiam DEI redeant. Hoc enim ſuô Christus exemplô monſtrat, qui publicanos & peccatores ad ſe venientes non averſatur, quòd faciebant Phariſæi, ſed admittit, & familiariter cum iis converſatur, impertiens illis doctrinam ſalutis, ad quam audiendam adcurrebant.

DEUS vult ſalutem. XXXII. Hinc igitur intelligimus, & plus quàm certi ſumus, DEUM omnimodè velle, peccatores ſalvos fieri: 1. Tim. 2. Ezech. 33, 11. Matth. 11, 28. ita ut de regno cœlorum præclariùs mereri nemo poſſit, quàm qui multorum converſionem juvat, & quas poteſt animas ſtudiô & officiô ſuô à morte ſalvas facit. Jac. 5, 20.

PARS II.

Secundâ igitur Evangelii parte φιλανθρωπίαν ſuam erga miſeros peccatores & demonſtrat Christus, & defendit parabolâ geminâ, rectè ſeſe facere oſtendens, publicanos & peccatores, doctrinæ ſuæ cupidos, admittendo ac ſuſcipiendo, familiariter eos habendo, humaniter cum ipſis converſando, immò cibum quoq; cum illis capiendo, verbô demum ſuô ad ſalutem eos inſtruendo, quippè qui propterea in mundum venerat, ut ſalvos faceret peccatores: Matth.

Digitized by Google

Matth. 9, 14. & 18, 11. Luc. 9, 56. Injuſtè ex adverſo Phariſæos obmurmurare, dum peragentem quod ſui eſt officii reprehendunt ac traducunt, tanquam ſocium publicanorum & peccatorum. Matth. 11, 19. Non enim horum ſocietatem & converſationem, ſed ſalutem & converſionem quærit, non aliter ac Medicus ægroti reſtitutionem, & paſtor perditæ oviculæ reductionem, & mulier drachmæ amiſſæ repertionem.

Ceterùm parabola Evangelii utraq; ad eundem tendit ſcopum, quanquam unaquæq; peculiare quid contineat ac moneat; ſeorſim itaq; ſingulæ exponendæ. In parabola itaq;, ab ingenio boni paſtoris deſumta, notetur

I. *parabola πρότασις*, in qua ſunt

1. ovis perdita & amiſſa;
2. ſtudium paſtoris, amiſſam oviculam quærentis;
3. aliæ oves nonaginta novem nondum perditæ;
4. ovis reperta;
5. gaudium poſt oviculam recuperatam.

II. *Ἀπόδοσις vel adplicatio*, gaudium indicans ſimile in cœlo, ſuper uno peccatore reſipiſcente. Expoſitio itaq; parabolæ eſt talis:

1. Ovis aberrans eſt homo peccator, à ſcopo ſalutis multoties aberrans & declinans. D. Chemn. harm. cap. 121. pag. 69. cenſet non errare illum, qui per errantem oviculam intelligit quemvis electum, qui à via ſalutis per peccata & ſcelera aberravit, (ut David, Petrus) & quem cœleſtis Paſtor ſingulari curâ & diligentiâ quærit.
2. Paſtor vel homo quærens oviculam perditam, eſt JESUS CHRISTUS DEI & Mariæ Filius, qui inde uſq; ab initio mundi ſemper quæſivit oviculas perditas.
3. Nonaginta novem juſti ſunt illi, qui ſibi converſione non indigere videntur, in quorum numero erant Phariſæi & Scribæ, qui opinabantur eam eſſe juſtificationis rationem, ut homo non egeat pœnitentiâ. Quanquam etiam accipi poſſit de verè ſanctis, qui tàm enormiter non ceciderunt, quàm ſententiam etiam D. Chemnitius amplectitur, d. l. hunc in modum ſcribens: *per 99. relictas oves intelligimus fideles & electos, qui magnô numerô in Eccleſia conjunctim vivunt, & DEO in ſanctitate & juſtitia ſerviunt.* Huc facit etiam Canon Theol. quem Centur. 1. can. 4. habet D. Finckius: *In Scriptura S. ſæpè res deſcribi-*

tur, ut eſt φαινομένως, & κατὰ δόξαν, non *κατὰ τὸ εἶναι*: ſic 99. juſti vocantur, non quia Phariſæi hoc erant, ſed quia ſe hoc eſſe arbitrabantur, ait Auguſtinus.

Juſtificationis modus.

4. Modus vocationis ſeu juſtificationis noſtræ eſt iſte:
   1. Paſtor quærit oviculam per concionem Legis:
   2. invenit eam voce Evangelii:
   3. imponit humeris: CHRISTUS enim omnem peccatorum molem in ſe tranſtulit, & fovet oves, geſtat eas, & ad caulam, h.e. Eccleſiam vitæq; novitatem reducit.

Angelorũ lætitia.

5. Tripudium cœleſte oritur ſuper peccatore converſo inter Angelos DEI. Hi dicuntur amici & vicini, quia perfruuntur viſione DEI, & voluntatem ejus ſemper faciunt. Lætantur autẽ

1. Angeli pacis, Eſa. 33, 7. h. e. verbi miniſtri ſeduli, quòd videant, laborem ſuum in Domino non fuiſſe irritum.

2. Angeli cœleſtes, quibus de deſperatis peccatoribus vix ſpes eſſe ſalutis poterat; hi gaudiò iterum adficiuntur admirabili, quòd videant,
   1. cuſtodiam ſuam non malè fuiſſe collocatam; Hebr. 1, 14.
   2. miſerum peccatorem è gravi corporis animæq; periculo eſſe ereptum;
   3. ſatanam eſſe devictum, hominemq; ex miſera ejusdem ſervitute liberatum;
   4. DEI miſericordiam in homines longè lateq; eſſe extenſam;
   5. ſodalitium ſuum ex cõverſis hominibus augmentum capere.

3. Angelus demum magni conſilii lætatur, eò quòd videat, pretium redemtionis ſuæ in ejusmodi hominibus non periiſſe. Quod enim additur de quibusdam, pœnitentiâ non indigentibus, id ex prædictis eſt manifeſtum, & intelligendum eſt, vel de Phariſæis, qui ita juſtos & perfectos ſeſe eſſe opinabantur, ut pœnitentiâ nulla opus haberent; vel humanò more, ubi ſæpiùs homines plùs lætantur de re illa, quam amiſſam putabant, denuò autem reperiunt, quam ſi centum ſimiles alias domi reſervatas habeant,

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Calumnia patientiam requirit.

I. Calumnias patientiâ vincere ſuô nos docet exemplô Salvator. Matth. 5, 11. 12. 2. Cor. 6, 8.

II. Tem-

II. Tempus eſt tacendi, tempus eſt loquendi. Prov. 26, 4. 5. Luc. 11, 17. Joh. 8, 50. 1. Sam. 24, 11. Act. 23, 5.

III. Scriptura, quando interdicit conſortio malorum & impiorum, ac præcipit, ne quis ambulet in eorum conſilio, aut ſtet in via peccatorum, nec currat cum fure; Pſal. 1, 1. & 15, 4. & 50, 18. non hoc vult, quaſi opera danda non ſit, ut tales revocentur à via peccati, & redeant ad pœnitentiam; ſed quòd ipſorum peccatis communicandum non ſit, & exemplum eorum minimè ſequendum; id quod de CHRISTO metuendum haut erat, à quo hoc unum agebatur, ut peccatorum converſio & à malis averſio promoveretur. *Converſatio malorum.*

IV. Comparatio Paſtoris & ovium in Scriptura ſacra ſatis frequens eſt. D. Finck. centur. 2. can. 80.

V. Officium miniſtrorum Eccleſiæ in eo conſiſtit, ut oviculas curæ fideiq; ſuæ commiſſas diligenter quærant. Joh. 21, 16. Rom. 14, 1. 1. Theſſ. 5, 14. 1. Pet. 5, 2. 3. Προβάτων ἢ οὐδὲν ὄφελος, ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ, quod Suidas dicebat. *Officium Doctorum Eccleſiæ.*

VI. Non repudiandi ſunt ab Eccleſia peccatores reſipiſcentes, quod fecerunt olim Cathari & Novatiani, ſed omni ſtudio invitandi, ut ad Eccleſiam redeant, & quando in errores & devia ſunt abrepti, quærendi ſunt, tanquam ovis errans, & ad gregem reportandi. Confer D. Theod. pag. 407. *Novatiani.*

VII. Nos omnes velut oviculæ quotidiè multifariam à DEO deviamus, modò ex ſimplicitate, modò ex ignorantia, modò ex petulantia. Eſa. 53, 6. Sap. 5, 6. 7.

IIX. Unusquisq; igitur cogitet, ſuam miſeriam in ove perdita eſſe depictam & adumbratam. Pſal. 119, 176. Vide D. Theodor. pag. 405. 406. *Ovis perdita.*

IX. Ovium nomen in Scriptura ſacra non de ſolis fidelibus, ſed de infidelibus etiam uſurpatum legitur. Pſal. 100, 4. Ezech. 34, 17. & ſeqq. Joh. 10, 21. Pſal. 49, 15. Sic h. l. CHRISTUS Phariſæos juſtos, puta opinione ſua, oves nominat. Confer Pſal. 51, 15. Joh. 21, 16. Eſa. 53, 6. D. Finck. cent. 4. can. 2. *Oves etiam infideles.*

X. Monemur de communi hominum miſeria & infirmitate. Eſa. 53, 6. Vide Domin. Miſeric. Dom.

XI. Officium CHRISTI conſiſtit in vocatione peccatorum ad reſipiſcentiam. Matth. 9, 14. & 11, 28. & 18, 11. 1. Tim. 1, 15. *Officium Chriſti.*

XII. Commendatione & prædicatione vel maximè dignum eſt, ſtudium Filii DEI inſigne, quod in ſalute noſtra promovenda adhibuit; *Chriſtus ſalutem noſtram ut operetur.*

1. pro

1. *pro nobis intercedendo*; Rom. 8, 34.
2. *iram Patris mitigando*; Rom. 5, 9.
3. *pœnam nobis debitam in ſe recipiendo*; Pſal. 69, 6.
4. *oviculam deperditam magno cum labore requirendo*; Eſa. 43, 24.
5. *ſangvinem ſuum fundando*; 1. Pet. 1, 18.
6. *humeris impoſitas oviculas ad ovile portando.* Eſa. 40, 11. & 26, 11.

Liberum arbitrium nullum. XIII. Homines non habent liberum ad converſionem arbitrium; quia oves amiſſæ paſtori non occurrunt; ſic noſtris in converſione viribus nihil eſt transſcribendum. 1. Cor. 2, 14.

Paſtor Chriſtus. XIV. Gratâ autem mente agnoſcamus Patris cœleſtis bonitatem, quam in eo declaravit, quod Paſtorem adeò fidelem & φιλόστοργον nobis fuerit elargitus. 1. Pet. 2, 25. Pſal. 23, 1. & 80, 2. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Zach. 13, 7.

XV. Quodlibet dogma, quod non ad DEI gloriam, & ſalutem hominum dirigitur, Antichriſtianum eſt. D. Finck. cent. 3. can. 89.

Novatianiſmus. XVI. Tale cùm ſit extremè impium Novati βδέλυγμα, quo poſt Baptiſmum in peccata prolapſis omnem remiſſionis veniam denegavit; meritò ut Antichriſtianum illud repudiamus. Chryſoſt. dicebat: χιλιάκις μετανοήσας, χιλιάκις εἴσελθε, millies reſipiſcens, millies ingredere. Athanaſ. quæſt. 93. ad popul. Antioch. *Si millies homo lapſus ſit, & millies reſipuerit, nequaquam DEUS eum abjicit.*

Calvinianiſmus, renatos non poſſe gratiâ DEI excidere. XVII. Faceſſat quoq; hinc non minùs falſum & impium Calvinianorum dogma, ſtatuentium, ſemel renatos non poſſe excidere gratia DEI. Ovis facilè à grege deviat.

XIIX. DEUS converſis ob priſtina peccata non iraſcitur, ſed de converſis plurimùm lætatur. Ezech. 18, 21. 22.

XIX. Vocati itaq; à CHRISTO non fugiamus; Gen. 3, 8. ſed exemplô publicanorum adpropinquemus. Eſa. 55, 6. & 2, 3. Pſ. 95, 8.

Pœnitentia agenda. XX. Lapſi in peccata maturè agamus pœnitentiam.

XXI. DEUS enim nullâ re adeò delectatur, quemadmodum hominis emendatione & ſalute. Nazianz. D. Theod. pag. 407.

XXII. Gaudeamus cum peccatoribus ad DEUM converſis. Luc. 15, 23. Deut. 30, 8. Rom. 12, 15. 1. Cor. 1, 36.

Papiſmus, homines non omnes egere pœnitentiâ. XXIII. Falſum etiam eſt Papiſtarum quorundam figmentum, non omnes homines egére pœnitentiâ: comparatè enim loquitur Salvator. Sap. 12, 19. Matth. 9, 13. Luc. 24, 47. Act. 2, 38. & 17, 30. Rom. 3, 23. 2. Pet. 3, 9. Apoc. 2, 5. 21.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Meminerimus etiam gaudere cum gaudentibus. Rom. 12, 15. Vide D. Theod. pag. 407.

PARS III.

Reſtat altera parabola, de muliere paupercula, quæ drachmam amiſſam anxiè requirit. Tractatur eodem modô, quô ſuperior, per πρότασιν & ἀπόδοσιν.

1. Πρότασις parabolæ præcedit, in qua occurrit
   1. drachma amiſſa;
   2. mulieris diligentia, in requirenda drachma perdita adhibita;
   3. eventus ſive effectus iſtius diligentiæ, quòd
      1. drachmam reperit; &
      2. de reperta gaudet, aliasq; vicinas ſimul vult gaudere.
2. Ἀπόδοσις eadem, quæ in præcedente parabola. Expoſitio parabolæ ad eundem ſcopum collineat.
   1. Drachma amiſſa ſunt homines, quibus DEUS initiô imaginem ſuam impreſſerat.
   2. Mulier requirens drachmam amiſſam eſt Eccleſia, habens miniſterium; ejus caput eſt CHRISTUS: Vel, Spiritus ſanctus, qui in converſione hominis peccatoris primum ultimumq; ponit lapidem.
   3. Modus converſionis talis eſt;
      1. Spiritus ſanctus quærit amiſſam drachmam ſcopis Legis & crucis, hominem increpando, arguendo, conterendo, minis terrendo, caſtigando; Rom. 3, 20. 2. Cor. 7, 10.
      2. lucernâ Evangelii accenſâ invenit: Pſal. 119, 105. 2. Petr. 1, 19.
      3. inventam drachmam cum reliquis conjungit.
   4. Gaudium eſt, non de peccatore pergente petulanter vivere, ſed per gratiam DEI converſo.

Hoc igitur ſimilitudine docet Filius DEI; ſe habere nos pro ſuo peculio, quod acquiſivit ſibi propriô ſangvine. Non vult itaq; hinc aliquid amiſſum, ſed quærit & colligit, quod perierat omni curâ & ſedulitate, & gaudet de ſalute converſorum magis, quàm nos gaudere poſſumus ſuper aurum & obrizum. Murmurantes itaq; adverſarios CHRISTUS conatur vincere tali argumentô, à minori ad majus petitô:

Si Paſtor oviculam amiſſam, & mulier drachmam deperditam tàm ſtudioſè & curioſè

curioſè requirit; multò magis homo à tramite ſalutis aberrans requirendus, & ad gremium Eccleſiæ reducendus eſt:

Atqui verum eſt prius: Ergò & poſterius.

Vel ita:

Si is, qui ovem amiſſam requirit, rectè facit, etiam ego rectè feciſſe videbor, ſi peccatores errantes in viam reducam:

Sed verum illud: Ergò & hoc.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Pœnitentia nō procraſtinanda. Drachmæ homo ſimilis.

I. Pœnitentia hominis non eſt procraſtinanda. Sir. 5, 8. & 18, 22. 1. Pet. 4, 3.

II. Homo drachmæ comparatur quadruplici potiſſimùm de cauſa:

1. *Ratione originis.* Moneta non eſt à ſeipſa; ſic nec homo, ſed à DEO; moneta ex auro, argento vel alia materia; homo ex luto formatus. Job. 10, 8. Pſal. 100, 3. Eſa. 64, 8. Gen. 2, 7.
2. *Ratione imaginis.* Monetæ imago imprimitur: Matth. 22, 20. ſic homini imago DEI. Gen. 1, 26. Eph. 4, 24.
3. *Ratione perditionis,* quam mulier introduxit: Gen. 3, 12. Sir. 25, 33. 1. Tim. 2, 14.
4. *Ratione reparationis,* quam CHRISTO debemus.

III. Teſtimonium habemus amiſſæ imaginis divinæ in homine. Vide locos & libellos methodicos; & D. Chemn. p. 74.

Lapſus hominis.

IV. Monemur de lapſu generis noſtri triſtiſſimo. Mulier quæ drachmam deperdidit eſt Eva, communis & prima omnium hominum mater. Gen. 3, 12. 1. Tim. 2, 14. Sir. 25, 33.

V. Homo per lapſum amiſit omnia divinitùs conceſſa dona Eſa. 1, 22. 1. Cor. 15, 49. Pſal. 51, 7. Gen. 6, 5. & 8, 21. Rom. 3, 23. Deut. 13, 13. Eſa. 1, 4. Eph. 2, 3. Vide allegoriam apud D. Theod. p. 410.

VI. Quando peccatores ſeſe abſcondunt, veluti drachma perdita, & metuunt lucem, tunc etiam lucernâ accenſâ quærendi ſunt, & è latibulis vel inviti protrahendi, tanquam ſcopis, ut è peccati ſordibus ad veram munditiem reducantur.

Peccatores reſipiſcentes recipiendi.

VII. Ultrò autem ſeſe offerentes, quando ſcil. DEUS tetigit eorum corda malleô Legis, aut immiſſis calamitatibus, ad frugem redire coëgit, tunc etiam obviis ulnis excipiendi ſunt, præſertim quando fatentur palam ſua delicta, (aliàs notoria) & de iis ſeriò dolent, ac ſemetipſos accuſant.

IIX.

IIX. Non enim debet Eccleſia durior eſſe aut difficilior, quàm ipſe Pater cœleſtis; qui animum ſuum, erga peccatores pœnitentes, in imagine patris terreni evidenter depinxit. Luc. 15, 11. 12. & ſeqq.

IX. Commendatur ſumma CHRISTI in nos φιλανθρωπία, quam in noſtri generis reſtitutione egregiis ille documentis declaravit; φιλανθρωπία Chriſti.

1. *de cœlo nos quæſitum deſcendendo;* Matth. 18, 11.
2. *victimam pro nobis ſeſe ſiſtendo;* Eph. 5, 2.
3. *hodieq; per verbi & Sacramentorum miniſterium nos quærendo;* tùm ſcopis concionum legalium verrendo; tùm facem Evangelii præferendo. Matth. 5, 13. Mal. 3, 3.

X. Boni congaudere debent iis, quibus commodi aliquid accedit. Rom. 12, 15.

XI. Angeli de noſtra ſalute gaudent in cœlo.

XII. Demus operam ut per pœnitentiam ſubinde eos exhilaremus: adorare autem illos nuſpiam jubemur. Confer D. Theodor. pag. 410. Angeli exhilarandi, non adorandi.

XIII. Si cœlum gaudet de reſipiſcentia hominis peccatoris, quis dubitet, DEO gratam rem fieri, quando homo à peccatis convertitur ad juſtitiam, & veniam petit? Et quis auſit repudiare ejusmodi pœnitentem peccatorem, cujus converſio toti cœtui Chriſtiano in unaquavis Eccleſia gaudium debet parere?

XIV. Reſipiſcentes recipere, & omnibus humanitatis ac benevolentiæ officiis complecti, pium eſt & Chriſtianum. Rom. 14, 1. 2. 2. Cor. 2, 6. ſeqq. Reſipiſcentes recipiendi.

XV. Locus principalis eſt de pœnitentia, cujus συνόψιν vide in D. Theod. pag. 411. 412. 413. 414. pleniorem autem tractationem Tom. 3. L.C.D.Gerh.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Concurſum peccatorum ad CHRISTUM ab initio cap. 15. Lucas Evangeliſta deſcribit; is malè habebat Phariſæos, Scribas & alios in populo Judaico ſanctulos, beneficia Meſſiæ invidentes iis, quorum gratia is potisſimùm in mundum venerat. Sic enim ipſe Salvator per Prophetam, Eſa. 61, 1. ad medendum miſit me confractos corde, ut prædicem captivis liberationem, & vinctis apertionem carceris. Hinc JESUS dicitur, quia ſalvum faciet populum ſuum à peccatis

ejus; Matth. 1, 21. venit enim Filius hominis quærere & ſervare quod perierat. Luc. 19, 10. Ut itaq; nos quoq; ſolatii hujus participes evadamus, lubet pro præſentis Evangelii explicatione duo contemplari:

I. peccatorum ad CHRISTUM concurſum vel adpropinquationem:

II. CHRISTI erga miſeros peccatores adfectum vel propenſionem.

PARS I.

In prioris partis enarratione obſervamus

1. Cauſam concursûs vel acceſsûs liberioris impellentem, quam ſubminiſtravit dulcisſima CHRISTI invitatio, animiq; erga reſipiſcentes peccatores benevoli declaratio. De utroq; vide Matth. 9, 14. & 11, 28.

2. Turbam hominum CHRISTO adpropinquantem. Herodes, Hannas, Caiphas, Phariſæi, Scribæ, Pontifices, & reliqui in populo primores CHRISTUM mundi Servatorem averſabantur, execrabantur, vitæq; ipſius nequiter inſidiabantur: At propiùs ad eum accedebant omnes publicani & peccatores. Non quòd omnes ſimpliciter ex tota Judæa ad ipſum convenerint, ſed quia magna hominum caterva aderat. Ceterùm quid per publicanos, quid per peccatores h. l. intellectum velit Lucas, præcedente diſpoſitione indicavimus.

Cauſam acceſsûs finalem, quæ exprimitur verbis, τ͂ ἀκέειν αὐτ͂. Cupiunt nimirùm publicani & peccatores

1. DEI voluntatem ex ore CHRISTI agnoſcere:

2. veram ſalutis viam addiſcere;

3. efficax ſolatium, peccatis ſuis opponendum, percipere;

4. rectam pœnas infernales evadendi rationem audire.

4. Phariſæos & Scribas, rectè-factum CHRISTI arrodentes & reprehendentes. Explicatur duplici circumſtantiâ: oſtendit enim Lucas reprehenſionis iſtius

1. modum, factum eſt murmurando;

2. cauſam, quid nimirùm in CHRISTO naſutuli & ſcioli iſti reprehenderint; nihil utiq;, niſi nimiam cum peccatoribus & publicanis familiaritatem. Sed quid hoc ad te, invide Phariſæe? Tuâ ſane quod nihil refert, criminari deſine.

Uſus I. Informatorius.

Peccatores omnis generis inter nos. 1. Docemur hoc locô, eſſe hodieq; in terris, adeoq; in medio etiam noſtri omnis generis peccatores. Percurre omnes vitæ humanæ or-

næ ordines, dicti veritatem illicò deprehendes. Comprobatur veritas,

1. *ex verbi divini teſtimonio:* Gen.6,5.& 8,21. Pſal.14,4. Rom. 3,23.
2. *ex conſcientiæ propriæ ſuffragio:* Prov. 20, 9. Pſal. 130, 3. & 143,2. Dan.9,7. 1.Cor.4,4. 1.Joh.1,8.
3. *ex pœnarum indicio.* Exod.20,5. Dan.5,9. & 9,14. Jer.2,19. Thren.3,42.

2. Quid peccatoribus in omni vitæ genere ſit faciundum? CHRISTUS omnibus eſt accedendus: Act.4,12. Pſal.130,7. Rom. 3,25. 1.Joh.2,1. quod fit, Peccatoribus quid faciendũ.

1. *verè pœnitendo:* per peccatum ſeparamur à DEO. Nullâ autem re aliâ adeò delectatur DEUS, quàm ſeriâ hominis peccatoris converſione. Eſa.59.2. & 45,22. & 55, 6. 7. Jer.3, 12. Ezech.33,19. Amos.5,6. Zach.1,3. Matth.3,2.& 9,14. & 18,3. Jac.4,8. Sir.5,8.& 18,22. Eph.5,14.
2. *Verbum audiendo.* Amos.3,8. Luc.11,28.

3. Quod DEUS non delectetur morte peccatorum; & hæc eſt vera facies inviſibilis DEI, quòd ſit DEUS vitæ. Monrad. p.97.98.

II. Conſolatorius.

1. *Ex CHRISTI φιλανθρωπίᾳ*, quam demonſtrat & manifeſtat φιλανθρωπία Chriſti.
   1. *peccatores gratiâ ſuâ præveniendo;* Rom.9,16.& 10,3. Eph.2,8. Eſa.43,22.
   2. *peccatores recipiendo;* Joh.6,37. Rom.5,20. Matth.11,28.
   3. *peccatores defendendo.* Rom.8,34. 1.Joh.2,1.2.
2. *Ex pœnitentiæ καρποφορίᾳ;* quisquis enim corde fideli CHRISTO adpropinquat, is veniet à tenebris ad lucem; a morbo ad Medicum & ſanitatem; a ſervitute ad libertatem; CHRISTUS ipſi tandem erit omnia in omnibus: quia non tantùm in hoc ſeculo per veram converſionem, ſed etiam in morte per beatam emigrationem, & in extremo die per lætam reſurrectionem peccatores, jam non ampliùs peccatò polluti; CHRISTO adpropinquabunt, in æternum cum ipſo manſuri; Matth.25,34. rumpantur ut ilia ſatanæ ac membris ipſius.

III. Monitorius.

1. Ne in peccatis deſperemus; fores enim gratiæ etiamdum patent: CHRISTUS quosvis peccatores ad ſe venientes admittit. Deſperatio abſit.

Eſa.42,3. Judith.8,15. Rom.5,21. Ezech.18,24. & 33,11. 1.Tim. 2, 4. 1.Joh.2,2. Eſa.1,18.

2. Ut cum publicanis & peccatoribus confugiamus ad thronum gratiæ. Hebr.4,16. Matth.11,28.29. Ambroſ. *Omnis anima accedat ad CHRISTUM, quia omnia ipſe nobis eſt. Si vulnus deſideras curare, Medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi iniquitate gravaris, juſtitia eſt; ſi auxiliô indiges, victus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Apud ipſum eſt fons vitæ.* Agamus pœnitentiam dolendo, credendo & reſipiſcendo, quod iter omnibus terendum eſt. Monr. p.102.

III. Refutatorius.

Papiſmus de ſanctis. Pontificiorum, qui Mariæ & ſanctis nos adpropinquare, & in ſalutis negotiô corundem interpellatione uti præcipiunt; ſed ἄτερ γραφῶν; eâdem ergò à nobis facilitate dogma iſthoc idololatricum rejicitur, quâ adſtruitur & jubetur.

PARS II.

Monſtratur hîc nobis, qualis ſit CHRISTI Salvatoris erga peccatores ipſi adpropinquantes adfectus, & quam propensô in reſipiſcentes omnes ſit animô. Dupliciter verò adfectum hunc ſuum declarat Salvator εὐσπλαγχνος:

Chriſti adfectus erga peccatores.

1. *promtè peccatores ſuſcipiendo,* quanquam vitio à Phariſæis invidis hoc miſericordiæ opus ipſi vertatur.

2. *Maſculè contra hoſtes gratiæ eos defendendo*, idq; triplici effectum dat parabolâ, quarum

1. à boni paſtoris ingenio & natura;
2. à drachma perdita;
3. à filio prodigo deſumitur: Priorum duarum ἐξήγησιν require præced. diſpoſ. in poſtremæ διασκέψει attende ad
   1. *filium ἄσωτον, ἀκόλαστον vel prodigum;*
   2. *patrem φιλόστοργον;*
   3. *fratrem φθονερὸν vel invidum.*

Filius prodigus.

I. Filius prodigus in duplici ſive ſtatu ſive conditione conſideratur:

1. *in domo paterna*, ut
   1. *tenerè* à parentibus (natu quippè minimus) *adamatus;*
   2. *honeſtè* ab iisdem & liberaliter *educatus;*
   3. *miſerè* ab aliis *corruptus*, cujus rei ſignum eſt, quòd viventis paren-

parentis hereditatem expetat, peregrè abiturus, fruſtrà patre hoc inſtitutum diſſuadente. Vocatur hic ἀκόλαςος inter duos fratres adoleſcentior ſive junior, quòd alter frater, adultior, prudentiùs egerit; hic autem ex œſtro judicii, uti fieri ſolet, in fervore juvenili ferociorem ſe exhibuerit. Auſus enim eſt à patre portionem ſubſtantiæ ſibi contingentem, h. e. eam partem bonorum paternorum, quam daturus eſſet pater, ſi eum emanciparet, aut ſi filius uxorem duceret, poſtulare: putat enim, ſe ad juſtam ætatem jam perveniſſe, & eam acquiſiviſſe prudentiam, ut ſuis ipſe rebus deinceps præeſſe poſſit, nec opus habeat pendere à patris ſui gubernatione. Partem iſtam Græcus textus vocat τὸ ἐπιβάλλον μέρος, quam Jureconſulti dicunt legitimam, quæ liberis ita competit, ut eam pater ne exheredato quidem filio ſubtrahere poſſit. Ac pater dicitur diviſiſſe filiis τὸν βίον, h. e. bona ad ipſos pertinentia. βίος enim & vitam ſignificat, & id, quô vita ſuſtinetur, h. e. victum, pecunias, opes, facultates &c. Legitima. βίος.

2. *Extra domum paternam*, ubi comites habet

1. *luxuriam;* vivit enim ἀσώτως. Poterat filius, ſi voluiſſet, honeſtè collocare ſuam ſubſtantiam, negotiationem aliquam ſuſcipere, & iſtô mediô plura acquirere, idq; filium facturum pater ſine dubio ſperavit: ſed ipſe ſuo indulſit genio, & aliter rem adgreſſus eſt, vivens luxurioſè, h. e. luxu diſſipans ſubſtantiam.

2. *Miſeriam*, &

3. *inopiam;* Excuſsô enim diſciplinæ paternæ frenô incidit in malos magiſtros, meretrices & decoctores, cum quibꝰ cùm omnem abſumſiſſet ſubſtantiã, tandem egere cogitur. Hic

nullus ad amiſſas ibat amicus opes.

Succedit fames & egeſtas, eaq; tanta, ut præ inopia cogatur paſcere ſues, & cupiat implere ventrem de ſiliquis, quibus porci veſcebantur, nec habet qui det ipſi

4. *Pœnitentiam*, quam operatur immiſſa calamitas; ea enim cogit Acolaſtum ad ſe redire, & de amiſſa felicitate cogitare. Deſcribitur verò pœnitentia illa

1. λόγῳ ἢ λογισμῷ; ex miſeria enim, quâ premebatur, agnoſcit

gnoſcit ſuum erratum, & pœnitet eum, quòd à patre diſceſſerit, apud quem etiam vilisſimis mercenariis melius ſit, quàm ipſi, in tanta famis neceſſitate jam conſtituto. Conſilium itaq; init, ſecumq; de reditu ad patrem deliberat. Argumenta reditum, tùm in patriam, tùm in gratiam ipſi ſuadent

1. στοργὴ, ſive adfectio Patris benevola;
2. τύχη, ſervorum domeſticorum felicitas; proponitur per comparationem minorum:
3. mediorum, quibus gratiam patris ſibi pollicetur, adprehenſio. Ea verò ſunt,
   1. *vera animi humiliatio;*
   2. *peccati agnitio & confeſſio*, quâ non dolet tantùm offenſum patrem, ſed inprimis DEUM, inquiens: Pater peccavi in cœlum & coram te; in Scriptura autem nonnunquam cœli nomine DEUS intelligitur, uti habet D. Finck. centur. 3. can. 23.

Cœlum pro DEO.

   3. *Seria, non fucata deprecatio;* quâ indignum ſe agnoſcit paternâ gratiâ & condonatione; quin eò uſq; ſe abjicit, ut ultrò fateatur, jus filiationis amiſſum; optet autem admitti in numerum viliſſimorum famulorum. Spem tamen interim concipit indubiam, fore, ut recipiatur in gratiam; atq; hac fiduciâ ac confeſſione patrem accedit, & ultrò fatetur, ſe peſſimè egiſſe.
   4. *Vitæ melioris pollicitatio.*

2. ἔργῳ, factô, quod in conſilii, apud animum excogitati, exſecutione totum eſt poſitum. Hæc de filio prodigo.

II. In patre porrò φιλοστόργῳ notanter exprimitur,

1. *Patris erga filium revertentem adfectio*, exhibens & ob oculos nobis ponens acolaſti noſtri in gratiam receptionem, longè certè liberaliorem ac pleniorem, quam ipſe ſperare aut polliceri ſibi poterat, nedum exſpectaverat. Ceterùm paternam erga filium adfectionem declarat parens φιλόστοργος,
   1. *de longè filium proſpiciendo*, quod curæ eſt paternæ;
   2. *miſerendo;* viſô enim filiô ſtatim movetur ad miſericordiam erga agnitum famelicum filium;
   3. *occurrendo*, ſuoq; occurſu ad ſeſe filium invitando;

4. in

4. *in collum filii adpropinquantis irruendo ;*
5. *ipſum exoſculando,* longè majori perfuſus gaudiô, quòd filium habeat reſtitutum, quàm filius ipſe, qui ſe recipi petit.

2. *Humilis filii prodigi confeſſio*, cum peccati admiſſi deprecatione conjuncta, quam ita admittit, ut ne minimum quidem indicium ullius indignationis de ſeſe edat, ſed plùs etiam faciat, quàm filius audebat petere: ſequitur ergò

3. *Benigna converſi exceptio & ſplendida tractatio.* Hic deſcribitur ipſa filii in integrum reſtitutio, certis facta & peracta ſive ceremoniis, ſive ſolemnitatibus. Obſervationem meretur vèl maximè mandatum Patris

1. de recognoſcendo filio; ſervi enim jubentur adeſſe, & denuò agnoſcere hunc filiumfamiliâs, eiq; miniſtrare;
2. de ſpendida veſte induenda; vult enim adportari ſtolam novam, in Græco dicitur πρώτη; cumq; duo additi ſint articuli, (τὴν στολὴν τὴν πρώτην, ſtolam illam primam) ſunt aliqui, D. Chemnitiô teſte, pag. 81. in eâ opinione, filium degenerum, cùm peregrè abire vellet, ſtolam illam domi reliquiſſe, & aliô veſtimenti genere uſum fuiſſe, patrem verò ſtolam iſtam hucuſq; adſervâſſe, eamq; nunc proferre juſſiſſe, ut illa indueretur, quod & factum eſt.
3. De annulo, ſigno gratiæ & honoris, libertatis & ingenuitatis adplicando.
4. De calceis novis induendis, ut cum auctoritate verſetur in domo paterna.
5. De vitulo ſaginato (μόσχῳ τῷ σιτευτῷ) mactando:
6. De convivio adornando, ut omnes in univerſa domo lætentur. Additur amplificandi gratia αἰτιολογία facti, ne quidquam ex levitate feciſſe videatur.
   1. ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ab honeſto; Filius eſt:
   2. ἀπὸ τοῦ χρησίμου, ab utili; mortuus revixit, amiſſus repertus eſt; hinc tota domus gaudiô perſtrepit.

III. Frater natu major vel ſenior, introducitur, ut fraternæ felicitatis oſor maximè invidus, cujus invidiæ adſignatur,

1. *occaſio*, deſumta è convivio, muſica & lætitia:
2. *de rei inſolentia percontatio*; ex agro enim ille reverſus, audiensq; concentum & choros, in cauſam rei inquirit;

3. *Fratris reverſi contemtus & neglectio:*

4. *Iracunda cum patre expoſtulatio*, in qua admodum acerbè,
   1. merita laboresq; ſuos immane quantum exaggerat;
   2. ſeipſum juſtificat;
   3. parentem injuſtitiæ accuſat;
   4. fratri errata exprobrat.

5. *Acris invidiæ fraternæ objurgatio:* Reſpondetur enim ei, frui ipſum paternis bonis quotidiè: nunc autem lætandum eſſe ſuper fratre, qui mortuus fuerit & revixerit, perditusq; & inventus fuerit. Atq; hæc clauſula habet reſpectum ad capitis initium, ubi de Phariſæis & Scribis dicebatur, quod murmuraverint, quando CHRISTUS recepit peccatores. Hi enim depinguntur in filio iſto ſeniore, qui ſua jactat merita, & iniquè fert, fratrem natu minorem tali cum gaudio a patre eſſe receptum. Verùm ut huic reſpondet pater, lætandum eſſe de vita & reditu perditi fratris: Ita Phariſæi monentur, lætandum eſſe de converſione peccatorum. Quanquam enim ipſi non ſunt tales, qui dicere poſſint cum ſeniore filio; ecce, tot annos tibi ſervio, & præceptum tuum nunquam ſum transgreſſus: tamen ſi maximè res ita ſe haberent, ſicut ipſi videri volebant; nihilominùs gratiam DEI aliis non debebant invidere, ſed de eorum converſione & ſalute cum ipſo DEO, & toto Angelorum cœtu gaudere.

Uſus I. Informatorius.

Miſeria hominis inconverſi.

I. Generalis, parabolarum in genere omnium. Docemur
1. de miſera hominis ante converſionem conditione, ſub imagine ovis errantis adumbrata. Pſal. 100, 2. Eſa. 53, 6. Sap. 5, 7. Pſal. 14, 4. Rom. 3, 23.
2. De præſtita homini opitulatione, quæ facta eſt, boni Paſtoris JESU CHRISTI miniſterio & officio, de quo vide Domin. Miſeric. Dom.
3. De pœnitentiæ, omnibus ſalvandis neceſſariæ commendatione, deſumta ex Angelorum inde reſultante lætitia: Lætantur autem Angeli,

Angelorũ lætitia.

   1. *ob mandati divini impletionem;* Act. 17, 30. Matth. 3, 2. & 11, 28. Eſa. 1, 16. & 45, 22.
   2. *ob ſui in nos amoris declarationem;* Hebr. 1, 14.
   3. *ob certam meriti CHRISTI in converſis fructificationem.* Conſule

ſule locum de pœnitentia. Horum omnium conſideratio piis omnibus meritò eſſe debet

1. pietatis incitamentum;

2. ſuperbiæ medicamentum; Sir. 10, 9.

3. peccati avocamentum; Rom. 8, 13. 2. Cor. 6, 14.

4. gratitudinis fomentum; Oſe. 11, 8.

5. pœnitentiæ hortamentum, ſumtô argumentô à natura Angelorum, qui ſunt — **Angelorũ natura.**

1. ad DEI obſequium promti; Dan. 7, 10.

2. ad cuſtodiam nobis dati; Pſal. 34, 8. & 91, 11.

3. de converſione noſtra læti. Gen. 16, 9.

II. Specialis uſus poſtremam de filio prodigo parabolam concernit. Ille verò potisſimùm tripliciter conſpicitur,

1. in informatione: Docemur enim in hac parabola,

1. Probos etiam parentes malos ſæpenumerò alere & educare liberos: quod patet exemplô Adami, Nohæ, Jacobi, Davidis & aliorum; id quod parentibus calcar adjiciat ad majorem in educandis liberis operam adhibendam. Epheſ. 6, 4. Prov. 20, 30. & 22, 6. & 23, 13. Sir. 7, 25. — **Parentes boni malos educantes liberos.**

2. Severè puniri liberorum erga parentes contumaciam atq; inobedientiam. Prov. 30, 17. Exod. 20, 12. 1. Sam. 4, 11. Monendi ergò ſunt juniores utriusq; ſexûs, — **Juniorum officium.**

1. ut diligenter orent; Pſal. 119, 29. 35. 66.

2. ut virtutem ament & colant; Sir. 18, 32.

3. ut prava conſortia vitent; Sir. 13, 1. 1. Cor. 15, 33.

4. ut in peregrinationibus cautè agant.

3. Peccata prodigorum puniri fame & annonæ caritate. Pſal. 105, 16. Eſa. 3, 1. Jer. 15, 2. Ezech. 4, 16. & 5, 16. & 14, 13. Amos. 4, 6.

4. Speculum pœnitentiæ in filio prodigo admodum dilucidum nobis exhiberi. Illa autem rectisſimè inſtituitur, — **Pœnitentiæ ſpeculum.**

1. culpam agnoſcendo;

2. confitendo;

3. confidendo;

4. ex ſordibus porcinis ſurgendo;

5. non procraſtinando. Pœnitentiæ agendæ & maturandæ ὁρμητήρια ſunt, — **Pœnitentiæ cauſæ moventes.**

1. DEI præcipientis Majeſtas; Jer. 3, 12. 14. Joël. 2, 12. Act. 17, 30. 31. Ezech. 33, 11.

2. *DEI promittentis benignitas*; Mal. 3, 7. Matth. 11, 28.

3. *Angelorum delectatio & hilaritas*;

4. *Vitæ noſtræ fragilitas ac fugacitas*; Pſal. 39, 6. 7. & 90, 11. Jac. 4, 14.

5. *Vitæ impœnitentis noxa ac deformitas*; Rom. 2, 4. 5. Eſa. 59, 2.

5. Veram pœnitentiam etiam externis, & in oculos incurrentibus ſignis ſeſe manifeſtare. Luc. 18, 13.

DEI erga peccatores adfectus.

2. *In conſolatione.* Depingitur cor Patris cœleſtis erga converſos peccatores. Is enim manifeſtat ſuam erga filios prodigos

1. *miſericordiam*; Pſal. 25, 6. & 103, 8. Eſa. 49, 15. & 66, 13. Thren. 3, 22.

2. *Clementiam* vel beneficentiam; liberaliter enim excipit reſipiſcentes & ad ſe converſos peccatores,

1. *novâ ſtolâ*, quæ eſt CHRISTUS, *amictos*: Eſa. 61, 10. Gal. 3, 27. Joh. 1, 12: Eph. 2, 18.

2. *annulô h. e. Spiritu S. donatos*, qui eſt Spiritus τῆς υἱοθεσίας; Rom. 8, 15. arrha ſalutis: 2. Cor. 1, 22. Eph. 4, 30. Oſe. 2, 19.

3. *calceis novæ obedientiæ indutos*: Gal. 5, 22. 1. Tim. 1, 19. Matth. 5, 16.

4. *Agnô DEI ad vitam æternam paſtos.* Joh. 1, 29. & 6, 54. Hos omnes Pater cœleſtis gratiosè reſpicit, quamprimùm attollunt oculos in cœlum, & de peccatis ſuis dolent. Iisdem ſeſe fert obviam, amplexatur, oſculatur pœnitentes, exaudit deprecantes, tegit & condonat omnem culpam, injectâ ſtolâ ſalutis, & veſtimentô juſtitiæ Filii ſui; donat Spiritum S. ornat eos honeſtâ vocatione, & acceptos habet novæ obedientiæ fructûs. Deniq; benè facit eis, inq; miniſterium eorum conſtituit ſanctos Angelos.

3. *Lætitiam*, quam percipit cum Patre cœleſti, Filio & Spiritu ſancto totus cœli exercitus, ut univerſa Eccleſia de ipſorum converſione lætetur.

3. *In admonitione*;

1. *ad parſimoniam*: Nam etiam magnæ divitiæ poſſunt faciliùs abſumi, quàm colligi: *ſtultitiam patiuntur opes.* Sir. 11, 20. & 18, 25.

2. *Ad vitandam invidiam*, quæ inter fratres quoq; non rarò, ſorores & conſangvineos conſpicitur.

3. *Ad maturandam pœnitentiam*, exemplô filii prodigi. Eph. 5, 14.

Papiſmus; initium.

4. *In refutatione*, Pontificiorum 1, ex his verbis Acolaſti, dicentis:

centis: ſurgam & ibo ad Patrem meum, ita concludentium: Ergò initium converſionis eſt ex nobis. Reſpondet Auguſt. epiſt. 106. ad Paul. *Ille qui putavit ſine DEI adjutorio ſe poſſe cuſtodire quod dedit, profectus in regionem longinquam, & vivens prodigè cuncta conſumſit, & miſeriâ duræ ſervitutis attritus, reverſusq; in ſemetipſum dixit: ſurgam & ibo ad patrem meum. Quam cogitationem bonam quomodo haberet, niſi & ipſam illi in occultò miſericordiſſimus Pater inſpiràſſet?* Confer D.Gerh. Tom. 2. L.C. p.887. D.Meelf. in Vindic. th.17. & ſeqq.

conversionis homini adſcribens.

2. Temerè ſtatuentium ſanctos in cœlis res noſtras in particulari cognoſcere: adorandos itaq; à nobis & invocandos. Modum quod ſpectat, Angelorum ſcientiæ eum æquiparant, ita ſcribente Scherero in poſt.pag.464. Die Engel ſehen entweder ſolches in der Gottheit/ als in einem klaren vnd hellen Spiegel/ oder haben es aus ſonderlicher Göttlicher Offenbarung/ damit ſie ſich vber der Buß erfrewen mögen, Denn was nicht wiſſentlich vnd kunt iſt/ (ſubſume de vita æterna, 1. Cor. 2,9. Eſa. 64,4.) das erfrewet einen nicht. Eben auff itzt ermelte zwo Weis (Bellarminus habet quatuor modos; lib. 1. de ſanct. beatit. c.2.) können auch die Heiligen vnd Auserwehlten im Himmel wiſſen/ was hie bey vns auff Erden geſchicht. Reſp. 1. A præſuppoſita ſanctorum cura ad eorundem invocationem concluditur per quatuor terminos. 2. Speculum Trinitatis Papiſticum eſt figmentum humanâ autoritate innixum & inventum, omni vero ſacræ Scripturæ teſtimonio deſtitutum. 3. Modi Eſavvitici ſe mutuò evertunt. Si enim vel Angeli vel ſancti omnia vident in ſpeculo Deitatis, quorſum opus peculiari revelatione? Quorſum opus, ſanctos & ſanctas preces invocantium ad DEUM, tanquam Referendarios & interpretes, deferre, ſi DEUS priùs cognitas easdem preces ſanctis revelat? 4. Modus viſionis omnium in ſpeculo Deitatis, ab adverſariis conſtituitur infinitus, quo omniſcientiam DEO propriam creaturæ adſcribunt. Vide plura de hac materia in Vindic. D. Meelf. à theſ. 81. uſq; ad th. 112. Stramine ſtramen firmant Pontificii, ita colligentes: Angeli (ſancti in cœlis) vident faciem DEI: Ergò in illo vident omnia, quia omnia videntem vident, & per conſequens non ignorant hominum ſtatum & calamitates in ſpecie. Fallacia παρὰ τὸ πῇ καὶ ἁπλῶς: vident, ſcil. pro modo gratioſæ communicationis, non autem integram majeſtatem DEI infinitam, ipſi (finitæ creaturæ) capere valent. Sic enim non ſolum omniſcii, ſed etiam omnipotentes, infiniti & æterni fierent: quia faciem omnipotentis, infiniti & æterni DEI intuentur.

Sanctos in cœlis, rerum noſtrarum gnaros, eſſe adorandos.

Speculum Trinitatis Papiſticū.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Converſionis modus.

Dicturi ſumus *de modo & mediis, quibus uſus homo peccator, cum DEO reconciliari, inq; gratiam redire queat, ſubjuncturi cauſas converſionis impellentes.*

Ἐξήγησις.

Duo potiſſimùm inculcat prælectum Evangelium; (1) *inviſam Phariſæis peccatorum ad CHRISTUM acceſſionem*, ejusq; tùm cauſam impellentem; tùm cauſam materialem; tùm finalem; (2) *apologeticam peccatorum converſorum defenſionem*, petitam, partim a boni paſtoris ingenio; partim a mulieris ſedulæ ſcrutinio. Patet inde, quòd magna quidem ubiq;, proh dolor, ſit ſeges ovicularum perditarum, h. e. hominum, per avia peccatorum in mundo, per omnes vitæ humanæ ordines, diſcurrentium: Horum verò omnium ſalutem, mediante converſione ſeriò expetit DEUS ſummè miſericors & φιλάνθρωπος. Ne autem hypocritica ſit converſio, ſed vera ac ſincera, h. e. ejusmodi, quæ hominem in peccata prolapſum DEO reconciliet, quatuor potiſſimùm attendat is, qui cum DEO in gratiam redire, tandemq; ſalutem animæ reportare ſeriò exoptat, quorum

D. Geſnerus p. m. pro conc. publ. anno 1602.

1. *Erroris ſive miſeriæ agnitio & deploratio* dicitur. Phariſæi ſemet juſtificabant coram hominibus; Luc. 10, 29. & 16, 15. publicani & peccatores palam profitebantur culpam, Hoc enim facit ad gratiam apud DEUM impetrandam: 1. Joh. 1, 8. Prov. 28, 13. 2. Sam. 12, 13. Pſal. 51, 3. Rom. 7, 7. Luc. 15, 21. Fruſtra conſuuntur folia ficulnea: Gen. 3, 7. Jer. 2, 33. & 3, 13. omnes enim ſumus oves errantes: Eſa. 53, 6. Pſal. 119, 176. drachmæ amiſſæ; imago concreata rubigine peccati conſumta; Gen. 5, 5. Pſal. 14, 4. Eſa. 1, 6, 23. argentum noſtrum verſum eſt in ſcoriam: filii filiæq; perditæ ſumus: cerusſa nihil proficitur; ingenuâ opus eſt confeſſione. Jer. 3, 13. Abeant Pontificio-Jeſuitici adulatores, quò digni ſunt, naturalia in homine adhuc integra eſſe, ore impudenti clamitantes. Auguſtinus: *Clementiſſime Pater cœleſtis. ſine Te poſſum me avertere à Te. ſine Te autem convertere me ad Te non poſſum.* Joh. 6, 44. & 14, 6. Jer. 31, 18.

Papiſmus de naturalibus integris.

Medicus Chriſtus.

2. *Medici inquiſitio.* Is verò idem eſt, ad quem publicani & peccatores congregantur; bonus ille ac fidelis ovicularum errantium Paſtor, earundem ſimul Medicus longè probatiſſimus: (neq; enim oviculæ alium habent præter Paſtorem ſuum Medicum:) *Dominus illud*

facie-

faciebat, ait Theophylactus, *cujus gratiâ incarnatus eſt, accedens publicanos & peccatores, tanquam Medicus infirmos.* Pſal. 130, 7. Exod. 15, 26. Non eſt in ullo alio ſalus: Act. 4, 12. & 10, 43. 1. Cor. 3, 11. 1. Tim. 2, 5. Eſa. 63, 1. Pſal. 68, 21. Matth. 11, 28. Pſal. 42, 3. Quærendus eſt ille. 2. Par. 15, 2. Eſa. 55, 6. Ubi habet? In verbo; hinc peccatores veniunt auditum verbum vitæ. Joh. 6, 68. Rom. 1, 16. Sap. 16, 12. Audiamus & nos Medicum Θεάνθρωπον: Matth. 3, 17. & 17, 5. Deut. 18, 19. DEO enim nunquam reconciliantur

1. *manifeſti verbi contemtores*; Luc. 10, 16. Eſa. 8, 10.
2. *concionum legalium oſores*; Pſal. 58, 5. Jer. 44, 16.
3. *miniſtrorum verbi illuſores.* Eſa. 28, 10. Ezech. 33, 32. 2. Par. 25, 16. & 36, 16. Ambroſius rectè: *drachma ſumus, valorem habeamus; oves ſumus, paſcua quæramus; filii ſumus, ad Patrem properemus.*

Ceterùm Paſtoris CHRISTI fidelitatem ſummam cognoſcimus, — *Paſtoris Chriſti fidelitas manifeſta.*

1. *ex ſpontanea ejus in mundum adventatione*;
2. *ex benevola ipſius adfectione*; peccatores non averſatur, ſed converſos amat, curat, fovet, defendit:
3. *ex paſtione* h. e. gratuita Eccleſiæ collectione, facta per verbum, tùm Legis, tum Evangelii:
4. *ex paterna ovicularum procuratione*; condolendo; quærendo; revocando; verrendo per ſcopas tùm concionum legalium; tum tribulationum:
5. *ex mediorum ad noſtram ſalutem propoſitione*:
6. *ex pœnitentiæ condelectatione*, quæ omnia ex prædictis ſunt manifeſtiora.

3. *Scandalorum averſatio & remotio.* Multa enim ad DEUM per pœnitentiam reverti properanti objiciuntur ἐμποδίσματα, quod patet exemplô Phariſæorum murmurantium, de quibus Theophyl. ait: *Qui reverâ peccatores erant, ob murmurationem tantæ humanitati rependebant. Abominabiles enim cenſebant publicanos; ipſi autem domos viduarum & orphanorum comedebant.* Hos imitari ſolent Papicolæ, qui itidem nobis objiciunt; nimis facilem ſalvandi rationem in noſtris Eccleſiis proponi, docentibus, ex ſola DEI gratia, per meritum CHRISTI, fide adprehenſum, absq; operibus Legis hominem juſtificari. Calumniantur iidem, nos prohibere bona opera, qua tamen criminatione falſiſſimâ notoriam noſtris Eccleſiis fieri injuriam, toti orbi Chriſtiano pridem innotuit. — *Scandala & impedimenta cõverſionis removenda.*

4. *Mediorum adplicatio vel uſurpatio.* Media verò iſta in parabolica nobis Salvatoris apologia monſtrantur; horum — *Media* 1. eſt *converſionis.*

1. eſt medium *inſpectionis*, ſub imagine Paſtoris oviculam, & mulieris drachmam amiſſam ſtudiosè quærentis propoſitum. *Ἀρχιποιμὴν* gregis ſui eſt ipſe Salvator JESUS CHRISTUS; 1.Pet.2,25. & 5,4. Joh.10,12. Matth.15,24. Habet verò ſuos *ὑποποιμένας*, tùm Eccleſiaſticos, quibus hominum animas, verbô & Sacramentis paſcendas; Ezech.3,17. Luc.10,16. tùm politicos, quibus ſubditos regendos; Eſa.44,28. & 49,23. Sap.6,4.5. tùm domeſticos, quibus liberos educandos commiſit. Epheſ.6,4. Prov.22,15. Ab omnibus requiritur fidelitas, cum induſtria & labore indefeſſo conjuncta. 1.Corinth.4,2.

2. Medium *caſtigationis*, eò unicè collineans, ut ovis reducatur in viam. Pſal.119,71. Oſe.6,1.2. 1.Pet.4,12.

3. Medium *illuminationis*. Mulier accendit lychnum; nos habemus lucernam verbi. Pſal.119,105. 2.Pet.1,19.

4. Medium *fraternæ exhortationis*. Pſal.95,6. Eſa.2,3. Quisquis igitur mediis hiſce ſalutaribus uſus fuerit, is DEUM ſibi habebit faventem ac propitium, & gratiæ per peccatum amiſſæ poſtliminiò reſtituetur. At ſegnes admodum ſunt homines; moveat igitur tardiores,

Converſionis cauſæ moventes.

1. *familiaris CHRISTI cum peccatoribus converſatio*; non quòd peccatis eorum delectetur; ſed in viam illos revocare deſiderat. Pſal. 5, 5. Medicus cum ægro converſatur, non ut ipſe æger ſit vel fiat, vel morbò delectetur; ſed ut eundem ſanet. Matth. 9, 12. 13. Exod. 15, 16. Pſal.145,14. 1.Tim.1,15.

2. *Eccleſiæ militantis cohortatio*, in qua vel maximè voces clamantes attendendæ. Eſa.40,3. & 58,1. Vox amici, vox DEI.

3. *Propriæ ſalutis conſideratio.*

4. *Angelorum exſultatio.* Bernhard. *Lacrymæ peccatorum, ſunt vinum Angelorum.* Auguſt. *Si à bono deviamus, diabolos lætificamus.* Oremus cum Eccleſia: *Protector noſter in te ſperantium DEUS, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna: per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, Filium tuum dilectum. Amen.*

DOMI-

DOMINICA IV. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 6. à verſ. 36. uſq; ad 43.

36. Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ Πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί.

37. Καὶ μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε· μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε· ἀπολύετε καὶ ἀπολυθήσεσθε.

38. Δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· μέτρον καλὸν πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν· τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ, ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.

39. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς· μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται;

40. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ· κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται, ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.

41. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος, τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου· τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;

42. Ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου· ἀδελφὲ ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος, τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; Ὑποκριτὰ, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος, τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

36. Eſtote ergò miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

37. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini; remittite & remittetur vobis. Matth. 7, 1.

38. Date & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam & concuſſam atq; exundantem dabunt in ſinum veſtrum: eâdem quippè menſurâ, quâ metimini, metientur aliis vobis. Matth. 7, 2. Marc. 4, 24.

39. Dicebat autem illis ſimilitudinem: nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Matth. 14, 24.

40. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum ſuum: perfectus autem omnis erit, ſicut magiſter ipſius. Matth. 10, 24. Joh. 13, 16. & 15, 20.

41. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo proprio eſt, non animadvertis? Matth. 7, 3.

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine ejiciam feſtucam, quæ in oculo tuo eſt, ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies, ut ejicias feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui. Matth. 7, 5.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Περικοπὴ hodierni Evangelii pertinet ad genus cauſarum Deliberativum; tota enim occupata eſt, tùm in προτροπῇ ſive adhortatione ad officia dilectionis Chriſtianæ, erga proximum exercendæ; tùm in ἀποτροπῇ ſive dehortatione, de Phariſæis, Scribis atq; adeò omnibus in univerſum hypocritis fugiendis. Nos pro meliori Evangelii prælecti intelligentia tria delibabimus capita, dicturi.

I. de certis quibusdam vitæ Chriſtianæ regulis;

II. de regularum, miſericordiæ potiſſimùm exercendæ, cauſis:

III. de vanis mundi effugiis.

PARS I.

Adſimilatur Salvator noſter θυμηρέστατος in præſentis Evangelii lectione patrifamilias, qui liberis & familiæ ſuæ certas vivendi regulas præſcribit, quibus omne cujusq; pii hominis officium breviter includere voluit. Officia autem iſta, quæ nobis demandat, ſunt partim *generalia,* partim *ſpecialia.*

Miſericordia erga proximū. *Generale* omnium Chriſtianorum officium eſt, dulcis illa Chriſtianæ dilectionis nutricula, quin ipſa quodammodo mater, *miſericordia;* quô nomine non tantùm alienæ miſeriæ in corde noſtro, ex ſerio caritatis ſenſu profecta, compaſſio, cum ſtudio ſuccurrendi conjuncta, ſignificatur: ſed ſi præcedentia CHRISTI præcepta reſpiciamus, Miſericordia pro ſecundâ Decalogi tabulâ. ſummatim denotatur ſecunda Decalogi tabula, cum omnibus in ea comprehenſis virtutibus, officiis atq; præceptis; qua ratione æquipollet miſericordia caritati & benignitati, æquè erga amicos & inimicos exercenda. Ad hanc igitur miſericordiam CHRISTUS diſcipulos ſuos, atq; adeò nos omnes, exhortatur, argumentô graviſſimô, deſumtô ab exemplo Patris ſui cœleſtis, quod verè eſt exemplum exemplorum. Illatio eſt firma, ex natura relatorum, quæ requiritur, ut filii parentum virtutes æmulentur. Senſus argumenti eſt iſte:

Quodcunq; filii non degeneres vident Patrem ſuum cœleſtem facere, illud vi præcepti divini imitari eos convenit.

Jam verò Pater veſter cœleſtis eſt ſummè miſericors; idq; vos filii non degeneres (tales enim omnes & dici & eſſe vultis) *Patrem veſtrum cœleſtem facere videtis;*

Ergò

Ergo vos decet, ut tanquam γνήσιοι Patris cœleſtis filii, parenti veſtro quàm ſimillimi evadatis.

Urget verò CHRISTUS præ ceteris miſericordiam, quia ea

1. eſt *principalis caritatis effectus;*
2. *gratiſſimus DEO cultus;*
3. *magnus ſemper ſequitur fructus;*
4. *requirebat hoc malus Phariſæorum adfectus,* quô illi invitati traditiones patrum præferebant, his caritatis operibus, ut lotiones manuum & poculorum, jejunia, & alia opera electitia. Oſe. 6,11. Mich.6,8. Matth.9,13.

Miſericordia requiritur & cur.

Quanquam autem homines non ita poſſunt eſſe miſericordes, ſicut DEUS, cujus miſericordia & benignitas eſt infinita & eſſentiale ejus attributum, neminem excludens, neminem præteriens: Exod. 34,6. Pſal.103,9. 2.Par.5,13. Sir.2,23: ſciendum tamen, requiri generali hoc CHRISTI præceptô, non eandem, ſed ſimilem miſericordiam, ſecundum canonem Theologicum: *Quæ de DEO prædicantur eſſentialiter, de creaturis dicuntur accidentaliter.* Similitudo itaq; illa eſt in veritate & ſinceritate dilectionis, ne ſit falſa & hypocritica.

Specialia caritatis Chriſtianæ, exercendæ erga proximum, officia, ex uno miſericordiæ fonte promanantia ſunt quatuor: priora duo ἀποφατικῶς, *negativè;* poſteriora duo καταφατικῶς *affirmativè* proponuntur & exprimuntur: ſingula conſtant προτάσει καὶ αἰτίᾳ.

Πρότασις primi officii vel virtutis primæ eſt: *nolite judicare.* Non prohibetur autem hoc interdicto omne indiſcriminatim judicium: non enim eripitur concionatoribus poteſtas Eccleſiaſtica, vel judicandi de dogmatibus, hæreſibus & erroribꝰ in doctrina; vel animadvertendi in vitam & mores auditorum ſuorum. Sed neq; tollitur ordinarium Magiſtratûs politici judicium, adverſus crimina, ſcelera & flagitia, ut Anabaptiſtæ inſulsè non minùs, quàm impiè ſtatuunt. Tandem neq; parentibus ac Præceptoribus virga excutitur: hæc enim omnia in ſacris fundamentum habent judicia: Tit.1,9. Matth.7,15. Phil.3,2. 2.Tim.2,25. Matt.18,18. Joh.20,23. Deut.17,18.&19,18. Pſal.78,2. Rom.13,2. Sir.30. per tot. Eph.6,4. Sed prohibetur judicium temerarium, privatum, ex propria vindicta profectum. Κρίνειν enim h. l. eſt, curioſiùs inquirere in aliena peccata, vitam & mores; dicta & facta alterius conferre & ventilare: ſic κρίσις eſt curioſitas inquirendi in alterius privati vitam, mores, dicta & facta. Unde ad

Judicium non omne prohibitum.

 ocu-

oculum patet, prohiberi hoc præceptô, temerariam illam libidinem judicandi alios, quâ nonnulli ex adfectu privato, malè ſentiunt & loquuntur de aliorum perſonis, dictis & factis, & vel excogitatis mendaciis famam alterius arrodere geſtiunt, ob cauſas leves, vel ſolam ſuſpicionem, aut opinionem falſam. Unô verbô dicitur calumnia & πρόληψις.

Damnatur etiam falſum teſtimonium adverſus innocentes: item ἐπιχαιρεκακία, quæ de lapſu vel infortunio proximi tacitè in ſinu quodammodò gaudet. Rejicitur deniq; omne judicium privatum & corruptum, quod ex curioſitate præpoſtera naſcitur, nec pars eſt miniſterii aut officii publici.

Αἴτιον hujus præcepti eſt ab utili: *& non judicabimini*. Qui enim candidè de aliis ſentiunt, & omnia proximi dicta & facta in optimam partem interpretantur, ii quoq; ſentient idem præſtari ſibi ab aliis.

Secundi officii vel virtutis ſpecialis *πρόταγσις* iterum negativa eſt: Cõdēmnare. *nolite condemnare.* Nimirùm prohibetur hoc aphoriſmô illa hominum perverſitas, quâ ex adverſa fortuna impius quiſpiam non rarò pronunciatur, qui tamen innocentiſſimus coram DEO, id quod Jobo contigit cap. 22,6. & Paulo Act. 28,4. Reprehenditur etiam illa hominum temeritas, quâ proximum, per infirmitatem lapſum, ſtatim ita condemnant, quaſi vel planè deſperatæ ſanitatis, vel deploratæ prorſus ſalutis ſit, ideoq; vel agentem etiam pœnitentiam tanquam damnatum averſantur: vel deniq; more Phariſæis uſitatô alios homines orco præ ſeſe deſtinant, dicentes: non ſum ſicut ceteri hominum. Luc. 18, 11.

Αἴτιον congruit cum præcedentis præcepti præmio, ab utili petito, jure nimirùm talionis; futurum, ut nec nos ab aliis condemnemur. Hæc præcepta negativa, de non judicando, de non condemnando temerè; & reſpicit ſaltem Salvator ad nævos proximi, & graviores etiam lapſûs, in quibus, niſi cogente vocatione, adeò oculati eſſe non debemus, ut eos exaggeremus, aut propter eos proximum in totum averſemur, & denegemus ei caritatis officia; ſed debemus eſſe memores humanæ imbecillitatis, erranti proximo condolere, nævos tegere, & de noſtra erga illum benevolentia, præſertim ſi ſanabilis ſit, nihil remittere. Jac. 3, 2. Gal. 6, 1. 2.

Tertii officii *πρόταγσις* adfirmativa eſt, *remittite*, in Græco ἀπολύετε, abſolvite. Præcipitur Chriſtiana illa ἐπιείκεια vel manſuetudo, quæ:

quæ in ferendis, ignoſcendis & condonandis proximo injuriis ſeſe exerit; à qua pietate neq; hoſtes & inimici ſunt excludendi.

Αἴτιον ab utili eſt deſumtum; *& remittetur vobis:* fiet enim ſingulari DEI gubernatione, ut alii ſimilem vobis præbeant in remittendis veſtris offenſis atq; injuriis æquitatem & facilitatem. Per præceptum itaq; hoc de remittendo intelligit condonationem injuriarum & offenſarum, ne occupet animum eorum memoria, & a neceſſario beneficentiæ officio avocet. Hoc mandatum ſeriò inculcatur alibi. Matth. 6, 14. 15. & 18, 21. ſeqq. Eph. 4, 2. 26. 33. Col. 3, 13. **Remittendum.**

Quarti officii vel virtutis *πρόζασις* eſt; *date:* quô unicô vocabulô admonemur de liberalitate, quâ pecunias noſtras ex obligatione divina damus, quibus oportet, & quando oportet, & quomodo oportet, non ſpe recipiendi totidem, aut alterius mercedis; ſed ſolius præcepti & gloriæ DEI reſpectu, & adfectu ſublevandi proximum. *Αἴτιον* ab utilitate benedictionis divinæ; quia *dabitur* etiam *vobis*, à DEO nimirum & hominibus. Commendat igitur nobis præceptum de dando beneficentiam erga pauperes, quibus gratis largimur, quod ad ſublevandum illorum inopiam ſpectat: & referendæ huc ſunt omnes eleemoſynæ, & præcepta de iiſdem. **Dandum.**

Ceterùm quatuor iſtorum præceptorum ſpecialium præmia illuſtrantur *γνώμῃ* proverbiali duplici, quarum

1. *una* eſt: *menſuram bonam, & confertam, & concuſſam atq; exundantem dabunt in ſinum veſtrum.* Ubi menſura bona veluti genus eſt juſtæ menſuræ, cui nihil deſit. Menſura conferta eſt rerum, quæ comprimuntur, ut tantò liberaliùs eas aliis admetiamur: menſura concuſſa eſt, quæ concutitur inter metiendum, ut tantò plùs capiat: exundans autem eſt liquidorum, quando ita largè adfunduntur, ut ſuperfluant. Facta eſt translatio ab eorum conſuetudine, qui res aridas, utpote frumentum, legumina & ejuſmodi alia liberaliter emetiuntur: ſolent enim id, quod admetiuntur comprimere, deinde modium ſuccutere, tandem etiam cumulum addere, adeò ut ſupra menſuram aliquid redundet.

2. *Altera* iis continetur verbis: *eadem menſurâ, quâ metimini, metientur alii vobis:* ab alio nimirum expectes, alteri quod feceris. Promittit igitur Salvator omnino largiſſimam retributionem, qua DEUS beneficentiam erga proximum indigentem ſit remuneraturus, cùm per ſe, tum per alios, qui in ſimili caſu pari adfectu nobis ſint ſuccur- **Beneficentiæ retributio.**

 ſuri.

ſuri. Cupit igitur nos eſſe liberales in dando, & liberali manu viciſſim nobis retribuetur. Ideò addit, eadem menſurâ, qua metimini, metientur alii vobis: quæ ſententia idem vult, quod Paulus dicit; 2. Cor. 9, 6. qui parcè ſeminat &c. Eſt igitur verbum promiſſionis, & loquitur de retributione boni; non autem docet retribuere mala, quò perversô ſenſu ſæpè per petulantiam ſententia illa CHRISTI à profanis hominibus uſurpatur. Quod etiam dicitur, non judicatum & condemnatum iri eos, qui ipſi non judicant & condemnant, ſi de DEI judicio accipias, interpretandum eſt ſecundum doctrinam Evangelii, ſi ſcil. credant in Filium DEI. De hominum autem judicio hoc promittit futurum, ut & alii erga nos æquiores ſint, in condonandis nævis, quemadmodum id Chriſtiana dilectio & ſtudium alendæ pacis, ac fovendæ concordiæ omninò requirit.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Stoica auſteritas. I. Stoica erga proximum auſteritas, tanquam Chriſtianô homine indigna, eſt piis omnibus exuenda. Prov. 12, 10. & 11, 17. Sir. 28, 4. & 35, 22. Rom. 1, 31. Jac. 2, 13. Exod. 1, 14.

Miſericordia erga proximū. II. Miſericordia proximo eſt declaranda. Job. 6, 14. Pſal. 41, 1. & 112, 5. Prov. 11, 17. & 21, 21. Eſa. 58, 7. Pſal. 37, 21. 26. Oſe. 6, 6. Mich. 6, 8. Zach. 7, 8. Sir. 4, 2. & 29, 1. & 35, 4, 6. Matth. 5, 7. & 9, 13. & 23, 23. Luc. 6, 35. Rom. 12, 13. Col. 3, 12. 1. Pet. 3, 8. Jac. 2, 13. Vide D. Theod. pag. 421.

Miſericordia DEI. III. De miſericordia DEI, quæ hoc loco piis omnibus ad imitationem proponitur. Exod. 34, 6. Num. 14, 18. Deut. 4, 31. & 5, 10. 2. Sam. 24, 14. 2. Par. 30, 9. Neh. 9, 17. Pſal. 25, 6. & 78, 38. & 86, 15. & 103, 8. & 136, 5. & 145, 8. Jer. 3, 12. Thr. 3, 22. Oſe. 11, 8. Sap. 15, 1. Sir. 2, 21. & 18, 12. Luc. 1, 50. 54. 2. Cor. 1, 3. Eph. 2, 4. Sap. 11, 24. Eſt autem DEUS, uti veteres loquuntur, miſericors *intenſive*, *& extenſivè & durative*. Quomodo nos miſericordes eſſe poſſimus ſicut DEUS; & quouſq; miſericordia ſe extendat, explicat D. Theodor. pag. 42[illegible].

DEUS Pater noſter. IV. DEUS Pater noſter eſt, ratione

1. *creationis*; Deut. 32, 6. Pſal. 100, 2. Mal. 1, 6. & 2, 10.
2. *filiationis* vel adoptionis; Rom. 8, 15. Gal. 3, 26.
3. *regenerationis*; Joh. 1, 13. Jac. 1, 18. 1. Pet. 1, 23. Joh. 3, 5. Eph. 5, 27. Tit. 3, 5.
4. *adfectionis*. Pſal. 103, 13. Eſa. 49, 15. Jer. 31, 20. Oſe. 14, 8. 9.

V. Quia

V. Quia DEUS Pater, nos filii; quæ correlati natura ſolatii eſt pleniſſima. Deut.14,1. Pſal.82,6. Eſa.1,2. & 45,11. & 63,8. Jer.31, 20. Oſe.1,10. Matth.5,45. Luc.20,36. Joh.1,12. & 20,17. Rom.8, 16.17. Gal.3,28. & 4,6.7. 1.Joh.3,1.2.

VI. Pravæ hominum cupiditates hoc locô taxantur, ſunt itaq; peccata Matth.9,4. & 15,19.20. Rom.7,8.

Cupiditates peccata.

VII. Judicium Eccleſiaſticum hoc CHRISTI præceptô non tollitur: eſt enim pars miniſterii vel officii Eccleſiaſtici; & ſpectat ad officium Spiritûs ſancti ἐλεγκτικόν. Matth.7,15. & 23,13. Joh.8,44. & 16,8. & 20,23. Matth.16,19. & 18,18. 1.Cor.5,3. Eſa.5,20. Jer.15, 19. Ezech.13,18. & 33,7. Rom.1,18. Gal.1,9. & 5,20. 1.Theſſ.5,21. 1.Tim.1,20. 2.Tim.4,2. Tit.1,9. & 2,15. 1.Joh.4,1.

Judicium Eccleſiaſticum maneat.

IIX. Neq; tollitur judicium ordinarii Magiſtratûs, cujus proprium eſt judicare & dirimere cauſas forenſes. 2.Par.19,6. Pſal.58,2. Deut.1,16. & 25,1. Rom.13,14.

Judicium politicum non prohibetur.

IX. Nec deniq; diſciplina domeſtica, his ultimis ſeneſcentis mundi fæcibus, vel maximè neceſſaria prohibetur, quin potiùs expreſſo DEI verbô mandata eſt. Prov.13,24. & 22,15. & 23,13.14. & 29,15. Sir.33,25. 1.Sam.4,18. Vide D.Theod.pag.421. & 422.

Diſciplina domeſtica.

X. Prohibetur autem vulgare illud vitium, naturaq; humanæ uſitatum cacoëthes, quô aliorum judices ſumus inclementiſſimi & cenſores rigidiſſimi. Temeraria enim, curioſa, maledica, calumnioſa, cum præcipitantia & vindictæ ſtudio conjuncta, nec non ex malo adfectu profecta judicia, á Chriſtianis ſuis Salvator vult eſſe alieniſſima. Prov.4,24. Sir.28,16. & ſeqq. Gal.6,1. Pſal.15,3. Sir.19,6.

Judicia quæ prohibita.

XI. Committitur autē temerarium iſtiusmodi judicium variè:

Judicium temerariū varium.

1. proximi rectè facta vel extenuando, vel calumniando;
2. ambigua & dubia ſiniſtrè interpretando;
3. ſimplici & apertô animô prolata in deteriorem partem rapiendo;
4. leviora proximi errata nimiùm exaggerando & acerbè inſectando;
5. ex incertis rumuſculis atq; indiciis malè ſuſpicandi & obtrectandi anſam arripiendo;
6. peccata proximi adhuc occulta in vulgus, ſtudio calumniandi, ſpargendo;
7. notoria & enormia vitia non animô corrigendi, ſed detrahendi, taxando;

8. ex

8. ex odio vel invidia de lapſu alterius gaudendo;
9. famæ proximi maculam ſtudioſè adfricando;
10. proximum etiam converſum exagitando & criminando;
11. curioſè in aliorum facta inquirendo, contra vulgatum illud; *in aliena domo ne ſis curioſus:*
12. malum de proximo referentes cum tacita quadam animi voluptate & titillatione audiendo. Vide D. Theodoric. pag. 423. 424.

XII. Poteſt etiam præceptum de non judicando & condemnando latiùs extendi, ad vitandum omne mendacium, ſuſpicionem, conjecturam, calumniam & detractiones, quibus proximus gravari poteſt. Sed ſcopus CHRISTI primarius eſt, ne ullô prætextu officia caritatis proximo denegentur.

Judicia Theologica.

XIII. Inſcitè etiam mandatum illud CHRISTI à quibusdam opponitur judiciis Theologorum, de falſa doctrina & condemnatione errorum ac hæreſium, quaſi talem judicationem & condemnationem CHRISTUS h. l. prohibuerit. Non enim agitur de falſis dogmatibus, ſed de nævis & lapſibus proximi; falſos autem Prophetas ipſe jubet declinare: Matth. 7, 15. propterea judicium quoq; de iis ferri oportet. 1. Joh. 4, 1. Gal. 1, 7. 8. & 5, 12. Phil. 3, 2. 18. 19. Pſal. 1, 1. & 26, 4. 6. & 139, 21. Jer. 15, 19.

Polemica ſcripta nō tolluntur.

XIV. Scripta igitur Theologorum polemica nihil habent cum hoc præcepto commune, in quibus interdum pro re nata falſæ doctrinæ, ejusdemq; auctoribus & pertinacibus propugnatoribus anathema dicere ſolent. Vide præfat. form. Concord. & D. Hütteri Irenicum.

Condonatio offenſarum.

XV. Chriſtiani ad condonationem, remiſſionem & reconciliationem fraternam ſint faciles; Matth. 5, 24. Eph. 4, 26. 1. Tim. 2, 8. Act. 7, 60. 1. Cor. 4, 12. idq; faciant, tùm exemplo CHRISTI incitati; Col. 3, 13. tùm propriæ infirmitatis intuitu compulſi. Vide D. Theodor. pag. 424.

Remiſſio noſtra non eſt meritoria.

XVI. Condonatio interim noſtra nullô pactô ſtatuenda eſt meritoria. Plus infertur in conſequente, quam antecedens permittit. (1) Copula ET non idem valet quod cauſalis UT. (2) Contrarium patet ex parabola Matth. 18. Confer Sir. 28, 1. (3) Eſt etiam fallacia cauſæ. Noſtra enim remiſſio non eſt cauſa, per & propter quam DEUS peccata nobis remittit, & in gratiam nos recipit; (ea namq; in ſolo ſolius CHRISTI merito, per fidem adplicato, conſiſtit) ſed eſt condi-

conditio tantùm, quam DEUS a nobis requirit, quæ ejusmodi eſt, ut veræ fidei ſemper adſit. Vide D. Theod. p. 425.

XVII. Non omnia ſummô jure perſequamur: notum eſt tritum illud, ſummum jus, ſumma injuria. *ἐπιείκεια.*

XIIX. Liberalitas erga proximum, pauperes cumprimis atq; indigos eſt exercenda. Pſal. 112, 5. Gal. 6, 10. Dandum autem animô promtô; 2. Cor. 9, 7. & de noſtra abundantia; ſic DEUS retribuet. 2. Cor. 8, 14. D. Theodor. pag. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. &c. per novem quæſtiones tractat copioſè hunc locũ communem, oſtendens, quod dandum; a quibus; quibus; unde; quantum, quomodo, quando, quô fine & quousq; dandum, ubi vide plura. *Liberalitas erga egenos.*

XIX. Notentur cauſæ, ad liberalitatem impellentes; nimirùm *Liberalitatis cauſæ.*

1. DEI mandatum; Eſa. 58, 7. Rom. 12, 13. Hebr. 13, 16.
2. DEI aliorumq; piorum exemplum; Pſ. 145, 16. Sir. 50, 25.
3. Lex naturæ; quod tibi vis fieri, alteri feceris. Matth. 7, 12. Luc. 6, 31. Mich. 6, 8.
4. Liberalitatis præmium: date & dabitur vobis. Pſal. 41, 1. & ſeqq. & 112, 5. 6. Matth. 10, 42. & 25. 40. Prov. 19, 17.

XX. De lege & jure talionis licito commode h. l. diſſeritur; Græcis dicitur ἀντιπεπονθὸς, Sap. 11, 17. Rom. 1, 23. Gen. 9, 6. Eſa. 33, 1. Deut. 32, 21. Jud. 1, 7. 2. Maccab. 15, 33. Ex privata autem vindicta malum malô compenſare, verbum DEI non permittit. Matth. 5, 43. Rom. 12, 19. 20. 21. *Jus talionis.*

XXI. Nulla à CHRISTO proponuntur conſilia, ſed mera præcepta, quæ omnes fideles obligant, vel ad obedientiam, vel ad pœnam.

XXII. Injuriam noſtris Eccleſiis faciunt Papicolæ, prohiberi ab iisdem bona opera mentientes. Contrarium vel ex hoc Evangelio, quod quotannis inculcatur, Sole meridianô clarius elucet. Cur autem facienda ſint bona opera, require in libellis methodicis. *Papiſmus, de prohibitione bonorum operum.*

PARS II.

Audivimus præcepta, quibus Salvator ad ſtudium miſericordiæ ſeriò hortatus eſt: audiamus etiam rationes præceptorum, quæ promtum obediendi animum in nobis exſuſcitare debent. Ceterum quam potisſimùm ob cauſam miſericordiæ urgeat exercitium Salvator, parte prima ſuperiùs expoſuimus: Jam quæritur de cauſis, ad miſericordiæ iſthoc exercitium impellentibus. Cauſas textus Evangelicus monſtrat quinq; potisſimùm. Harum *Miſericordiæ exercendæ cauſæ.*

V 1. eſt

Digitized by Google

1. eſt *divina Salvatoris juſſio:* Ipſius eſt imperare; noſtrum obtemperare. Joh. 14, 23. & 18, 14. 1. Sam. 15, 22. Sir. 39, 17.
2. *Exempli paterni imitatio.* Matth. 5, 48. Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. 1. Johan. 4, 10. Matth. 18, 32.
3. *Spiritualis cognatio;* omnes enim ſumus membra unius corporis myſtici. 1. Cor. 12, 12. 25. Col. 3, 12.
4. *Boni maliq; compenſatio.* Matth. 10, 42. Pſal. 41, 1. & ſeqq, Prov. 19, 17. & 21, 13. 21. Matth. 25, 40. Prov. 11, 24. 25.
5. *Exempli* CHRISTI *conformatio*, cujus veſtigia ſtudioſè nos ſectari fas eſt: Luc. 6, 40.
   1. in *ἀγαθοποιΐᾳ*; Act. 10, 38. Marc. 7, 37. Gal. 6, 10.
   2. in *κακοπαθίᾳ*. Matth. 11, 29. 1. Pet. 2, 12.

PARS III.

Verè-pii faciles ſunt ad obſequium: At hypocritæ ſemper quod inobedientiæ, h. e. immiſericordiæ ſuæ aliisq; inde reſultantibus vitiis in ſpeciem prætexant, habent: *κρησφύγετα* itaq; ſive effugia iſtiusmodi tertiâ quoq; Evangelii parte ipſis adimuntur,

Ac *initio* quidem prætendit caro *aliorum exemplum.* Magna enim eſt vis exemplorum in utramq: partem: fecêre idem alii. Reſpondet huic *ἀντιπίπτοντι* Salvator, per ſimilitudinem à duobus cæcis deſumtam, hoc ſenſu: Qui exempla vitioſa aliorum ſequitur, cæcum ſequitur. Quemadmodum autem ſi cæcus cæcum ducat, uterq; in foveam cadit: Ita ſi cæcos hoſce ductores ſequaris, fiet ut unà cum ipſis in foveam infernalem præcipiteris. Multitudo errantium non paric errori patrocinium.

Ab hoc κρησφυγέτῳ caro dejecta, objicit *mundi ludibrium*, cui expoſiti plerumq; ſunt ii, qui ad normam ſtatutorum divinorum vitam dirigere animum induxerunt ſuum; quibus opponit ſuum Salvator exemplum, per comparationem relati & correlati, diſcipuli & Præceptoris. Qualis enim præceptor, talis diſcipulus: Atqui Præceptor idem fatum eſt expertus: mirum itaq; non eſt, ſi diſcipulis idem eveniat.

Tandem *proximi delictum* urget vetus Adam, hoc ſenſu: Talis & talis eſt proximus; hoc & illud peccatum admiſit: quod dum exprobro, veritatem dico, nullam ei facio injuriam. Opponit huic reprehendendi & carpendi libidini CHRISTUS ſimilitudinem feſtucæ

ſtucæ & trabis. Quemadmodum enim is, qui trabem in oculo ſuo habet, priùs ex oculo ſuo extrahere eam tenetur, quàm de feſtuca ex oculi proximi ejicienda ſolicitè laboret: Sic iſtiuſmodi καρφοκρίτης, qui aliorum dicta & facta ſub cenſuram revocare voluerit, prior ſit ſui ſuorumq; morum cenſor; poſtmodum poteſt diſpicere (in Græco eſt διαβλέπειν, quod accuratam ſignificare circumſpectionem, ex διαβλέπω vi præpoſitionis διὰ obſervavit Dn. D. Chemn. harm. Evang. pag. 850.) quomodo proximi quoq; ſui nævos corrigere queat, ut & ipſa à peccatis propriis ad frugem meliorem ſe recipiat. Quod enim in aliis videmus, hoc in nobis ipſis non conſideramus. Ita ergò inſtituant & moderentur correptionem, ut non ſolùm vitia proximi taxent, ſed & correptio vernaculum ſuum & maximè proprium finem, emendationem, adſequatur.

Ceterùm proverbiales hæ fuerunt temporibus CHRISTI locutiones ac ſententiæ, quæ etiam habentur Matth. 10, 24. & 15, 14. admittuntq; triplicem h. l. accommodationem. Nam

1. *doctrinam* de dilectione proximi aliter tractabant Phariſæi; adplicantes præceptum iſthoc tantùm ad amicos & familiares, nullô autem modô ad inimicos atq; extraneos. Matth. 5, 49. Hos tanquam erroneos ac cæcos duces monet Dominus non eſſe ſequendos. Ab his enim magiſtris parùm commodi & perfecti addiſci poſſe.

2. *Oppoſita* eſt eadem ſententia & admonitio exemplis vulgi, ne ſequamur multitudinem. Communiter enim fieri non ſolet, ut diligantur inimici, aut ut extendatur caritas ad illos etiam, à quibus non ſperes æqualia: ſed vulgus cæcum eſt, & qui pendet ab exemplis mundanorum hominum, & non ab ore CHRISTI, & ductu Spiritûs ſancti, is cum promiſcua multitudine ruit in foveam perditionis.

3. *Quia* monuerat de non judicando, vult ut ii, qui aliis volunt eſſe correctores ac magiſtri ad perfectionem, à ſe ipſis incipiant: niſi enim ipſi perfecti ſint, impoſſibile eſſe, ut diſcipulos perfectos reddant. Atq; huc pertinet ſpecialis ille de fraterna correctione admonitio, quomodo ſit inſtituenda; ita nimirùm, ut qui alterum vult corrigere, videat priùs, ut ipſe ſit ἄμωμος, aut certè non laboret vitiô etiam deteriori, quàm is, cujus magiſter & monitor eſſe cupit. Neq; enim conveniens eſſe, ut qui trabem geſtat in oculo, laboret de extrahenda feſtuca ex oculo alterius. Hypocritarum hoc eſſe, qui in alienis vitiis ſint lynces, in propriis cæci. Ita feſtucam per metapho-

Feſtuca & trabs quid. ram vocat erratum non ita magnum; trabem autem delicta grandia, aut immenſam vitiorum congeriem, qua qui onuſtus eſt, & ea non animadverſa libenter carpit alios, minutioribus erratis obnoxios, idem facit, ac qui juxta Senecam, *maculas obſervat alienas, ipſis ulceribus obſitus.*

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Aliena vitia non judicanda. I. Non ſumamus nobis virgulam cenſoriam in alios, cùm ipſi ſimus cæci, infirmi & ad lapſus varios propenſi. Levit. 19, 16. Rom. 14, 4. Prov. 4, 24. Eccl. 10, 3. Gal. 6, 1. Jac. 3, 2. D. Theod. p. 439.

II. Qui majoribus laborat criminibꝯ, non temerè judicet eum, qui minoribus tenetur.

Regula correptionis fraternæ. III. Regula correctionis fraternæ hæc eſſe debet, ut qui in aliis animadvertit, quæ culpanda ſunt, eosq́; vult monere, nihil faciat animó obtrectandi, ſed hunc ſibi finem habeat propoſitum, ut proximum ſanet & emendet.

IV. Hoc autem ut feliciter adſequatur, ante omnia cogitet, annon vel ſimili, vel majori etiam vitiô laboret, & ſui ipſius emendationem inprimis inſtituat, poſteà poterit utiliter ad fraternam correctionem accedere, & finem ſuum faciliùs adſequi. Cato dicebat:

Quæ culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe;
Turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum.

V. Arguit autem & CHRISTUS hac concione ſuâ, internam ſimul & omnibus innatam corruptionem, ſive ipſum peccatum originis, quam teterrimam trabem Phariſæi nec intelligentes, nec curantes, tumebant interim perſuaſione perfectionis falsa.

Religionis duces. VI. Quos & quales in religionis ac fidei negotio eligamus duces, accuratè eſt diſpiciendum. D. Theod. pag. 439.

Magiſterium in alios. VII. Cavendum, ne vel in alios magiſterium temerè uſurpemus, vel in aliorum erratis vitiisq́; taxandis nimis ſimus rigidi, vel curioſi in aliis dijudicandis inveniamur. Vide de his omnibus D. Theodor. pag. 440. 441.

Hypocritæ. IIX. Ingenium hypocritarum eſt, quòd valdè oculati ſint in alienis peccatis animadvertendis, in ſuis talpis cæciores. Rom. 2, 17. & ſeqq. Luc. 18, 11. Sir. 8, 6. 1. Cor. 10, 12.

Hypocriſis fugienda. IX. Hypocriſis itaq;, quam tantoperè CHRISTUS exagitat, cane & angue pejus eſt vitanda. Vide D. Theod. pag. 441.

X. Ju-

X. Juſtus in principio eſt accuſator ſui, poſtea explorat proximum. Prov. 18,17. Sir. 18,20. Rom. 12,16. & 15, 1. 2.Tim.3,2.

XI. Scholæ Jeſuitarum fugiendæ; habent enim cæcos ductores.

XII. Non prohibetur hac ſimilitudine auditoribus verbi examen doctrinæ, quam Paſtores eorum publicè proponunt. Frivolum enim eſt, quòd Papiſtici Doctores ajunt; homines laicos vel ſeculares, in ſpiritualibus & rebus fidem concernentibus, non propriis, ſed alienis Epiſcoporum ac Prælatorum ſuorum oculis videre debere. 2.Tim.2,17. & 3, 13. 1.Theſſ.5,20. Auditorũ judicium.

XIII. Qui docendi munere in Eccleſiis & Scholis funguntur; dent operam, ut & ipſi vitam agant inculpatam; ne cùm vitia reprehendunt & corigunt, iisdem ſint obnoxii, audiant illud: ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων; Medice cura teipſum. Luc.4,23. Carere enim omni vitiô debet, in alium qui paratus eſt dicere. Doctores ſint ἄμωμοι

XIV. Caveat itaq; piorum quivis, ne in numero ac cenſu τῶν χαρφοκριτῶν deprehendatur. Ejusmodi enim χαρφοκρίτης eſt. χαρφοκριταί

1 *Curioſus* in re aliena: proximus eſt conſervus: tu verô quis es, qui judicas ſervum alienam? Rom.14,4.
2. *Superbus*, ſuperbiam verô DEUS exſecratur: Sir. 10, 16.
3. *Impurus*, carens Spiritu; Gal. 6, 1.
4. *Cæcus*, in ſuis ſc. dignoſcendis & judicandis vitiis:
5. *Ambitioſus*, quod DEI eſt ſibi arrogans: Deut.32, 35. Pſal.7, 9. & 50, 6. & 58, 12. & 94, 2. Eſa.33,22.
6. *Obliviosus*. Matth.7,12. Prov.10,12. 1.Pet.4,9.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Hodiernum Evangelium merè eſt παραινετικὸν, continens ſuaſionem virtutum, Chriſtianô homine dignarum, & vitiorum oppoſitorum diſſuaſionem. Hine duæ emergunt tractationis partes; quarum

I. Generalis;

II. Specialis; illa generalem, hæc ſpecialem Salvatoris admonitionem complectitur.

PARS I.

Generale admonitionis caput primô Evangelii verſiculô continetur,

tur, iſtis verbis: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Verba habes mandati, ad quod alligati ſumus omnes, quotquot fidem in Baptiſmo monitori CHRISTO dedimus. Notetur autem

I. *Præcepti materia*; miſericordia, quæ generis quodammodo locum obtinet. In Græco eſt, γίνεσθε οἰκτίρμονες: natura enim ſumus ἀνελεήμονες ἄνδρες. Quod itaq; naturâ duce averſamur; CHRISTÔ auctore & facere & fieri debemus. Exercetur autem miſericordia,

Miſericordiæ exercendæ ra.

1. *Compatiendo*; Rom. 12, 13. Col. 3, 12.
2. *Succurrendo*; eſt enim miſericordia, definitore B. Auguſtinô, alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, qua utique, cùm poſſumus, ſubvenire compellimur: Exod. 23, 4. Matth. 5, 43. Rom. 12, 20. Exod. 32, 32. Num. 14, 10. 13. 1. Sam. 12, 23. & 24, 11. & 26, 9.
3. *Condonando*, de quo præcepto in ſecunda parte copioſiùs.

II. *Præcepti cauſa* petita ab exemplo Patris cœleſtis, quod verè eſt exemplum exemplorum: ubi particula ſimilitudinis ſicut, non æqualitatem ſignificat, ſed adſimilationem ſecundum poſſibile, quam ſemper ſignificat, ubi res, quæ inter ſe conferuntur, ejusdem naturæ non ſunt: contra verò ubi ſunt ejusdem naturæ. Joh. 5, 21. 26. & 11, 22. Vult ergò nos imitari miſericordiam, longanimitatem, beneficentiam, quæ in DEO ſunt eminenter, noſtrô modô, & exercere erga omnes, etiam inimicos maximè verò erga fidei domeſticos: Gal. 6, 10. h. e. vult nos noſtram voluntatem conformare ad Patris cœleſtis voluntatem, cujus indicium in Lege fecit, atq; ita totis viribus adniti, ut renovemur ſecundum imaginem ejus, qui creavit nos. Col. 3, 10. Cæterùm miſericordiam Pater cœleſtis erga nos ſuam abundè ſatis declaravit, hodieq; declarat in operibus ad extra; nimirùm

Sicut non notat æqualitatē.

Miſericordiam ut DEUS exerceat.

1. *in hominis ad imaginem ſuam creatione*; Gen. 1, 26. 27. & 5, 1. & 9, 6. 1. Cor. 11, 7. Eph. 4, 24. Col. 3, 10.
2. *in benigna lapſi hominis ad gratiam receptione & reſtitutione*; Gen. 3, 15. Pſal. 33, 5. & 100, 2. & 145, 14. & 146, 8. Eph. 2, 4.
3. *in Filii proprii donatione ſeu miſſione*; Matth. 20, 28. Luc. 19, 10. Joh. 1, 14. & 3, 16. Rom. 5, 10. & 8, 3. 32. Gal. 4, 4. 1. Joh. 4, 9. 10.
4. *in Eccleſiæ collectione*; Deut. 7, 6. 7. & 32, 9. 10. 11. Pſal. 33, 12. & 47, 5. & 80, 16. 18. Eſa. 43, 22. Zach. 3, 2. Matth. 16, 18. Joh. 15, 16.
5. *in gratuita peccatorum remiſſione*; Exod. 34, 7. Num. 14, 28.

Pſal.

Pſal. 32, 5. & 85, 3. & 103, 3. Jer. 33, 8. Mich. 7, 18. Sir. 2, 13. Rom. 3, 24. Eph. 4, 32. Col. 3, 13. 1. Joh. 1, 9.

6. *in pœnarum mitigatione*; Pſal. 30, 6. & 103. 10. Thr. 3, 22. 31.

7. *in finali liberatione.* Eſa. 25, 18. & 35, 10. Apoc. 7, 16. & 21, 4. Luc. 21, 28. Pſal. 130, 7. Eſa. 45, 17. 1. Theſſ. 1, 10. Rom. 8, 23. Eph. 1, 7. 14. & 4, 30. Tit. 2, 14. Hebr. 9, 12.

Uſus I. Informatorius.

1. Quòd paterna DEI miſericordia ſit immenſa & infinita, non deficiens à ſeculo in ſeculum ſuper timentes eum. Vide Dn. Monrad, theſ. pag. 107. 108.

2. De cauſis, quibus motus Salvator Patris potiſſimùm ſui exemplum ob oculos ſtatuere nobis voluit. Factum nimirùm illud, ut nobis omnibus ſit, Exemplũ Patris cur Chriſtus proponat.

1. *miſericordiæ erga proximum exercendæ incitamentum*; Sirach. 2, 21. Matth. 18, 33. *Sola miſericordia adducit DEUM ad hominem, & hominem ad DEUM.* Auguſt.

2. *Veræ miſericordiæ argumentum* ſive documentum: Sicut enim miſericordia DEI erga homines eſt

   1. *indebita*, ad malos æquè atq; ad bonos ſeſe extendens Matth. 5, 44.
   2. *ſincera* & planè ἀνυπόκριτ☉; Deut. 32, 4.
   3. *realis*, nudô verborum ſtrepitu non contenta:
   4. *conſtans*, unô & eodem modô ſemper ſeſe habens: Conſimilem in modum noſtram quoq; miſericordiam divinæ conformare & adſimilare par erat: Luc. 6, 24. Act. 10, 34. Gal. 6, 9. 1. Joh. 3, 18.

3. *Noſtræ miſericordiæ complementum:*

4. *Noſtrum contra carnis objectiones munimentum.* Vide plura præced. diſpoſ.

II. Conſolatorius.

Scimus in noſtri conſolationem

1. DEUM noſtrum eſſe longè miſericordiſſimum Patrem, quod patet, DEUS miſericors Pater.

   1. *ex CHRISTI veriloquio*; Joh. 1, 18.
   2. *ex Scripturæ teſtimonio*; Deut. 4, 31. Pſal. 33, 5. & 103, 8. Thr. 3, 22. Luc. 1, 50. 2. Cor. 1, 3. Eph. 2, 4.
   3. *ex experientiæ ſuffragio.* Sir. 17, 28. & 18, 12.

2. Agre-

2. A gremio miſericordiæ divinæ hominum neminem eſſe abſolutè excluſum. Sir. 18, 12. Matth. 5, 45. Luc. 6, 32. Vide Monrad. theſ. pag. 108.

III. Monitorius.

1. Ut gratias agamus Deo, pro inexhauſta bonitate ac miſericordia ampliſſima, ſub cujus alis defendimur; nec propter ſcelerum multitudinem deſperemus. Monrad. p. 110.

2. Ut fiamus miſericordes, quia mundus in maligno eſt poſitus, & homines ſunt [illegible]. ib. p. 112.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de jejunio quadrageſimali.

Pontificiorum, qui inſtantiâ ex h. l. petitâ argumentum de jejunii quadrageſimalis impoſſibilitate, ita evertere laborant. Nobis enim ita colligentibus: Impoſſibile eſt miraculoſum jejunium Christi, qui inediam 40. dierum ac noctium ſuſtinuit: Ergò perperam ad imitationem proponitur: Illi ita excipiunt: Propter impoſſibilitatem plenæ perfectionis non intercluditur omnis imitatio, quæ qualiscunq; ſufficit. Eſt enim impoſſibile miſericordiam & humilitatem atque perfectionem Dei imitari, nihilominùs tamen ejus à nobis requiritur imitatio. Matth. 5. & 11. Luc. 6. Verùm magnum eſſe in exemplis diverſitatem, vel ſeptem annorum puer videt. Imitatio miſericordiæ, humilitatis, dilectionis Dei, expreſſum habet mandatum; jejunii verò imitatio omni deſtituitur & præceptò & exemplò. Et præterea jejunium quadrageſimale Romano-Papiſticum, ludicra potiùs eſt illuſio, quàm jejunii iſtius Christi miraculoſi imitatio. Confer Vindic. D. Meelf. th. 55.

PARS II.

Fuit generalis ad miſericordiam exhortatio; ſequitur jam *ſpecialis Christi admonitio*, in eradicandis vitiis, miſericordiæ oppoſitis, & plantandis virtutibus, ex uberrimo miſericordiæ fonte promanantibus, occupata. Oſtendit autem Salvator, quales Chriſtiani miſericordiæ ſtudioſi eſſe debeant,

1. *Ore*, ne temerè alios judicare & condemnare præſumant. Senſum hujus præcepti, vel interdicti potiùs, pete ex diſp. præced. D. Calixtus pag. 174. ita: *Principiò prohibet judicium temerarium & malignum: Nolite, inquit, judicare, non quidem eos, quorum peccata ſunt manifeſta, præcedentia ad judicium.* 1. Tim. 5. 24. *Sed eos, quorum facta in ſe indifferentia*

tis in utramq; partem interpretari poſſumus. Vide Rom. cap. 14. Caritas enim non cogitat malum. 1. Cor. 13,5. Ea facta, ait Auguſt. quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; non prohibuit judicare, ſed docuit. Hieronymus ita loquitur; *nempe non vult nos eſſe curioſos aut quaſi ambitioſos, in examinandis aliorum factis, quæ licet excuſari & in bonam partem trahi poſſent, damnari tamen ſolent ab iis, qui rigidi aliorum cenſores ſibiipſis nihil non indulgent.* Prohibet itaq; Servator judicium de rebus dubiis, quod itidem prohibet Paulus. 1. Cor. 4, 5. Item judicium, quod a malevolis fertur, non ut emendent, ſed ut calumnientur, & alterius famæ detrahant, ſibiq; interea m opinionem quandam virtutis & probitatis concilient. Jacob. 4, 11. Neq; laudabile eſt judicium, quo alterius ſalus deſperata judicatur, nam etſi de peccatis conſtet, de ſubſecutura tamen aliquando pœnitentia nobis conſtare non poteſt. Judicium prohibitũ.

2. *Corde*; remittite, quæ ſcilicet alii in vos peccârunt.

3. *Manu*; dandum nimirum, ſed cui?

1. DEO, quæ DEI ſunt: Matth. 22,21 Prov. 3,9. Gal. 6,6.
2. Ἄρχοντι, ſive Magiſtratui: Matth. 22,21. Rom. 13,7.
3. *Tibi & tuis*: Sir. 14, 11. 1. Tim. 5, 8.
4. *Egenis* Pſal. 41, 1. Eſa. 58, 7. Hebr. 13, 16.

Singularibus hiſce admonitionibus ſpecialibus additur,

1. *Ratio*, a jure & pœna talionis: Matth. 7,12. Obad. verſ. 15. Jer. 50, 29. Ezech. 35, 7. Jud. 1, 7. Sir. 28, 30. Namq;

In te talis erit, qualem te ſenſerit, alter.

2. *Amplificatio* præceptorum ſpecialium, deſumta
   1. *ab utili*, DEI retributione, quam proponit locutione proverbiali, temporibus CHRISTI valdè uſitata: eadem enim menſura, qua menſi fueritis, remetientur vobis alii, D. Calixtus dicit ita: *ſenſus eſt, nolite modo jam dictis judicare alios; ſic fiet, ut aliorum iniquum judicium effugiatis, aut ſaltem, ut DEI ſeverum judicium non experiamini.*
   2. *Ab inutili* per ἀντίθετον malorum ductorum in perniciem præcipitatione, cæcus enim cæcum quandoq; ducit, & ambo in foveam cadunt.
   3. *A pari*; diſcipulus non eſt ſupra Magiſtrum. Magiſter noſter JESUS CHRISTUS remiſit, benefecit omnibus; æquum itaq; ac par fuerit, nos diſcipulos eandem proximo facilitatem exhibere.

4. *A turpi:* turpe ſiquidem eſt, in aliorum erratis carpendis lynceis intueri oculis; in propriis verò examinandis & redarguendis talpâ quovis eſſe cæciorem.

Uſus I Informatorius.

ἐπιείκεια cõmendatur.

1. Quòd ἐπιείκειαν interdictò, de non temerè judicando & condemnando, nobis præceptam eſſe meminerimus; virtutem verò iſtam nobis ſuadeat & perſuadeat

1. *divinæ juſſionis auctoritas:* Levit. 19, 16. Sir. 5, 16. & 6, 2. & 18, 20. & 19, 13. 14. Joh. 7, 24. Rom. 14, 13. 1. Cor. 4, 5. Phil. 4, 5.

Calumniæ pediſſequę

2. *Detractionis deformitas:* Prov. 16, 27. 28. Sir. 5, 17. habet enim in comitatu ſuo pediſſequas admodum odioſas;
   1. *ſuperbiam;*
   2. *malevolentiam:*
   3. *invidiam;*
   4. *ſtultitiam;* Sir. 18. 21. Prov. 10, 18. & 11, 12.
   5. *injuſtitiam.* Sir. 11, 33. Matth. 7, 12.
3. *DEI proprietas:* Gen. 18, 25. 1. Par. 17, 14. Pſal. 105, 7. Eſa. 33, 22. Deut. 32, 25. Rom. 12, 9.
4. *Judicii extremi æquitas:* Act. 17, 31. Rom. 14, 10. 12. 13. 1. Cor. 4, 5. Gal. 6, 4. 5.
5. *Noſtra infirmitas:* Sir. 18, 19. 20. 21. Matth. 7, 5. Rom. 14. 4.
6. *Proximi qualitas;* eſt ille
   1. DEI ſervus; Rom. 14, 4. 5.
   2. noſter conſervus;
   3. alienus; 1. Cor. 5, 12. 13.
   4. CHRISTI amicus.
7. *Eventûs inæqualitas:* Rom. 14, 4. Gal. 6, 1. 2.
8. *Promiſſionis divinæ largitas:* Luc. 6, 37. Matth. 6, 14.
9. *Commodi ubertas:* Pſal. 15, 3. Sir. 6, 5. & 18, 21.
10. *Comminationis ſeveritas:* Pſal. 50, 16. 19. 20. 21.
11. *Damni gravitas:* Pſal. 15, 3. Sir. 6, 1. 2. 3. 4. & 13, 20. Rom. 2, 1. Matth. 7, 11.
12. *Exemplorum claritas.* 2. Sam. 16, 10. 11. 1. Cor. 5, 12. Vide de his & aliis huc ſpectantibus D. Gerhard. Schol. piet. part. 5. fol 387. & ſeqq. quid verò ſit ἐπιείκεια, & quâ ratione illa ſit exercenda explicat ibid. cap. 28 fol. 400. & ſeq. ubi ſimul προσχέματα ſive requiſita tùm virtutis exercendæ, tùm vitii contrarii h. e. temerarii judicii explicantur, cujusmodi ſunt,

1. *bene-*

1. *benevola animi erga proximum adfectio*; 1. Cor. 13, 57.
2. *detractionis averſatio*; Prov. 17, 4. & 25, 22.
3. *fidei denegatio*; Sir. 19, 4. 13.
4. *curioſitatis caſtigatio*; Gal. 6, 2.
5. *commoda interpretatio*;
6. *redargutionis moderatio*; Pſal. 141, 5. Sir. 10, 6. & 20, 1.
7. *infirmitatum proximi occultatio*; Prov. 11, 13. Sir. 19, 6. ſeq.
8. *quotidiana & ſeria oratio.*

2. Quòd πάντα Θεοῦ ὀφθαλμὸς ἴδει, καὶ πάντα νοήσει; quia ipſe habet ἔκδικον ὄμμα, quo etiam feſtucam perſpicit in oculis noſtris. Monr. theſ. pag. 109. 110.

II. Conſolatorius.

1. Quòd remittentur nobis delicta noſtra, gratis, ſine ullis noſtris meritis. Pſal. 130, 3. & 143, 2. Joh. 3, 18. Vide Monr. theſ. pag. 115. 116. 117.

2. Quòd præmium noſtræ miſericordiæ & beneficentiæ erit abundantiſſimum pro potu etiam aquæ frigidæ: Matth. 5, 7. Marc. 9, 41. Luc. 14, 14. Tob. 4, 8. Ib. p. 118. 119.

3. Quòd in vita æterna neq; trabs, neq; feſtuca in oculis noſtris ſit futura. Ib. p. 119. 120.

III. Monitorius.

1. De cavenda prava alios criminandi, judicandi & condemnandi libidine. Hoc ipſum enim cacoethes
   1. quod DEI eſt, ſibi arrogat; 1. Cor. 4, 4.
   2. adverſus dilectionem Chriſtianam pugnat;
   3. homicidii eos coram DEO agit. Confer præced. diſp.

2. Ad condonandum proximo ſimus faciles. Moveat nos — Condonationis facilitas.
   1. *propria imbecillitas*: homines ſumus, humani itaq; nihil à nobis ut alienum putabimus: Sir. 28, 2. ſeqq.
   2. *DEI in nos benignitas*; Matth. 18, 35.
   3. *officii noſtri dignitas*; Chriſtiani ſum9; DEI filii ſum9: Eph. 4, 32.
   4. *pœnæ atrocitas*; non remittetur; ſed vindicabitur. Sir. 28, 1. Matth. 5, 26.

3. *De liberaliter dando.* Cauſæ impellentes ſunto,
   1. *DEI mandatum*; Eſa. 58, 7. Prov. 5, 16. 1. Cor. 4, 7.
   2. *DEI exemplum*; nihil divinius eſt, quàm dare & docere: Pſal. 104, 28. & 145, 16. 1. Tim 6, 17. Jac. 1, 16.

3. *promiſſum præmium.* Pſal. 41, 1. & ſeqq Prov. 19, 17. Tob. 3, 7. 11. Matth. 10, 42. & 25, 35. 2 Cor. 9, 6. Gal. 6, 7.

4. Monemur, ne ſummum jus erga proximum urgeamus; ſed ἐπιείκειαν, lenitatem ac miſericordiā rigori anteferamus. Eccl. 7, 17.

Refutatorius.

Pontificiorum & Eſavvitarum maximè, qui magni ſunt in judicando & condemnando καρφολογίᾳ, & inanes in accommodando textu Evangelico ἀπερμολόγοι. Exemplum tibi cape unicum. Schererus ita nugatur pag 466 b. Mit dieſen Worten wird weder das Geiſtlich/ noch das Weltlich Gericht in der Kirchen Gottes verboten oder auffgehebt: Sihe/ hier ſeind zwey Schwerter/ ſagen die Apoſtel/ darauff Chriſtus antwortet: es iſt gnug. Admiſſi lectum riſum teneatis amici. Mirum ſubtilitatis magiſtros Jeſuitas iſtas veterum Papiſtarum ineptias adprobare! Eſt argumentum a baculo ad angulum, cujus refutationem vide apud D. Gerhard. part 3. harmon. Chemnitio-Lyſerian. pag. 306. 307.

Idem pag. 469. b. ita blaterat: Die Gleichnis trifft die Sectiſchen Predicanten vnd jhren Anhang: Was ſein ſie anders/ als cæci, vnd duces cæcorum, blind vnd führer der Blinden/ ſtürtzen ſie nicht ſich ſelber ſampt jhren Zuhörern/ in abgrund der Hellen? Non ita mi Domine Tonſor; ſi iniquus in Evangelicos concionatores fueris judex, eodem te crimine condemnabimus, cum univerſo gregalium Jeſuiticorum grege, Phariſæorum nova ſobole, quibus CHRISTUS hæc occinebat. Nam ſunt Jeſuitarum ſcommata & dicteria Apollinis Delphici, multò minùs Salvatoris noſtri oracula; & quia quod dicunt non probant, atq; ita principium turpiter petunt, ἀδολεσχίας notam effugere nequeunt. Abeant cæci cæcorum ductores ad tenebrarum patrem ſuum, nos ad tertiam acceſſum faciemus diſpoſitionem:

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Agit præſentis Evāgelii περικοπὴ de certis quibusdā & infallibilibus charitatis Chriſtianæ effectis, notis ſive characteribus. Ne igitur nos ipſos alioſq; fallamus, prælectū Evangelii textū accuratè perluſtremus, in quo cōtinentur mēbra quinq; (1) generalis, de miſericordia, exemplō Patris cœleſtis, dirigenda & exercenda propoſitio: (2) ſpecialis præcepti explicatio, facta tùm negativè, tùm affirmativè; (3) exhortationis ratio-

r-c o, ab util. promiſſionis, & à jure talionis petita: (4) prætextuum imp[...]tio; (5) & naſutulorum confuſio ſive increpatio. Nos ſuccum exprimentes dicturi jam ſumus, *de præcipuis dilectionis Chriſtianæ operibus.* Dilectionis Chriſtianæ opera.

Ἐξήγησις.

Verà proinde & ἀνυπέκριτος proximi dilectio conſiſtit,

I. in commiſerando. Stoicis olim miſericordia ſive commiſeratio, alienæq; miſeriæ cum ſenſu τῆς συμπαθείας perceptio, erat in vitio: CHRISTO verò Magiſtro noſtro eſt corona omnium virtutum, & *regina regni cœlorum.* Auguſt. Ad hanc exemplò Patris cœleſtis nos omnes ſeriò invitat Salvator. Is enim ſecundum magnam miſericordiam ſuam Dilectionis requiſita. Stoici. Miſericordiæ DEI τεκμήρια.

1. *ex nihilo nos creavit:* Eph. 2, 10.
2. *in peccatis mortuos cum CHRISTO vivificavit:* Eph. 2, 5.
3. *Filium Redemtorem nobis deſtinavit & donavit.* Matth. 20, 28.
4. *voluntatem ſuam in verbo nobis revelavit:* Jer. 31, 10. Ezech. 33, 11. Oſe. 11, 8. 1. Tim. 2, 4.
5. *ad vitam æternam in CHRISTO nos prædeſtinavit.* Epheſ. 1, 4. 2. Theſſ. 2, 13. 2. Tim. 1, 9.

II. In non temerè judicando. Non omne autem judicium indiſcriminatim eſt a CHRISTO prohibitum. Duplex enim nobis monſtrant ſacræ literæ judicium: Judicium duplex

1. *Judicium rectum*, bonum & à DEO ipſo inſtitutum: Joh. 7, 24. Exercetur illud mediatè;
   1. *in Eccleſia*, per ſinceros verbi præcones, quorum eſt διακρίνειν, judicare, diſcernere verum a falſo, bonum à malo: Gal. 1, 8. 1. Cor. 16, 21. Eſa. 58, 1. Tit. 1, 9. & 2, 15.
   2. *In politia*, per bonos ac fideles imperiorum Gubernatores. Rom. 13, 4. 2. Par. 19, 6. 7.
   3. *In Oeconomia*, per ſedulos rei familiaris directores; quorum eſt, liberos & familiam in timore Domini educare. Neutrum horum absq; κρίσεως, ἐλέγχου καὶ ἐπανορθώσεως commodè fieri & adminiſtrari poteſt. Eph. 6, 4. Prov. 22, 6. 15. Sed de tali judicio hic loci non agitur: eſt enim
2. *Judicium etiam pravum*, perverſum, malum, à diabolo inventum: ortum ex præpoſtera quidvis arguendi, in dictis & factis proximi, libidine; quale judicium eſt 1. Sam. 1, 14. & 25, 10. 2. Sam. 16, 7. Jer. 37, 13. Act. 24, 4. Theophylactus ita: *Omnem* Judicium privatum.

morbum difficilem ab animabus noſtris amovet Dominus: Radicem dico ſuſpicionis. Nam qui ſeipſum non conſiderat, & ſolùm attendit res proximi, illasq; taxare vult, certum quòd ſuſpicione capitur, & obliviſcitur ſui. Omninò enim de ſe quòd non peccet ſentit, & propterea alios peccantes reprehendit. Igitur ſi vis incondemnatus eſſe, ne condemnes alios. Dic enim quæſo, quare condemnas alium, ut prævaricantem divinas leges, annon & tu prævaricaris legem divinam? Ut taceam aliis peccatis, certè in in illo ipſo, quòd alios judicas, peccas. Etenim divina lex præcipit tibi ne judices fratrem. Et ita & tu prævaricaris legem. Et cùm prævaricator es, non debes judicare alium ut prævaricantem. Judicem enim ſuperiorem eſſe oportet naturâ peccante.

III. *In non præcipitanter ac protervè damnando* Tria potiſſimùm hoc caritatis Chriſtianæ exercitió rejiciuntur, quæ a ſuis fidelibus Salvator vult eſſe quam alieniſſima.

Odium perſonæ.

1. *Hoſtile perſonarum odium.* Amici enim vitia nôſſe, non odiſſe decet. Auguſt. *Vitium oderis, non vitioſum; peccatum, non peccatorem; morbum non morboſum.* Danda nimirùm opera, ut peccator corrigatur, & ad frugem meliorem reducatur. Gal. 5, 13. & 6,1. 1.Pet.4,9.

ἐπιχαιρεκακία.

2. *Vulgare diabolo gaudium*, quod Græcis ἐπιχαιρεκακία dicitur. Job.31,29. Pſal.35,21 & 70,5. & 137,3. Prov.17,5. & 24, 18. Jer.50,10. Ezech.25,3. & ſeqq. & 26, 2. Mich.7,8. Sir. 8,8. & 28,32.
3. *Horribile calumniandi ſtudium.* Levit.19,16. Pſal. 15, 3. & 34, 14. & 39,2. & 50,20. Jer.9,8. & 18,18. Hab.3,15. Sir.5,16. & 22,33. & 28,14.ſeqq. Prov.18,8. 1.Pet.2,1. 1.Sam.22,9.

IV. *In condonando & remittendo.* Matt.18,23.ſeqq. Sir 28,2.ſeqq. Eph.4,26. Moveat nos ad hanc ignoſcendi facilitatem,

Condonationis cauſæ impellentes.

1. exemplum Patris cœleſtis; qui quotidie nobis omnia peccata benignè remittit. Pſal.103,3. Mich.7,18.
2. exemplum CHRISTI: Luc.23,34. Col.3.13.
3. precandi neceſſitas: dignè orare non poteſt, qui proximo abſq; amica reconciliatione iraſcitur. 1.Pet.3,7.
4. exempla aliorum. Gen. 50, 19. 1.Sam. 24,11. Act. 7,60 1 Cor. 4,12.13. Regium eſt, benè facere & malè audire, Magnus ille quondam Alexander dicere ſolebat.

Liberalitas.

V. *Liberaliter dando.* Habes mandatum & promiſſum: date, & dabitur vobis. Act.20,35. Prov.28,27. Dandum autem

1. ad

1. *ad miniſterii conſervationem:* Prov.3,9. Sir.7,33. Deut.12,19. Gal.6,6. Ezech.44,30. Lutherus: *Jure divinô debetur miniſtris verbi victus & amictus.* Auguſt. *Quod non vis dare Sacerdoti, dabis impio militi.*

2. *Ad pauperum ſuſtentationem:* Prov. 19, 17. Deut. 15, 8. ſeqq. Tob.4,7. Sir.4,1. ſeqq. & 12,2. & 14,13. & 29,1. & 35,4. Prov.3,27. Rom.12,12. Col.3,12. Matth.25,36. Hieronymus ſcribit: *Non memini me legere, infelici ac malâ morte diſceſſiſſe eum, qui libenter officia caritatis exercuit, animoq́ʒ praeſtitit promtô ac benevolô.*

VI. *In informando:* qui enim alios informat, bonum opus exercet. Diſcipulus verò non ſit ſupra magiſtrum; nec cæcus cæcum ducat. Sir.18.

VII. *In corrigendo* vel emendando. Rectà autem procedendum eſt methodò. Juſtus enim eſt ſui primùm accuſator. Sir.18,21. Prov. [illegible] Vide præced. diſpoſ. Theophylactus: *Quid autem vides,* inquit, *feſtucam, h. e. parvum peccatum fratris tui: trabem autem, magnum peccatum tuum non advertis? Hoc autem omnibus dici poteſt, & maximè doctoribus & principibus, qui ſubditorum peccata, quamvis parva, non puniunt: ſua autem crimina maxima impunita ſinunt. Idcircò illos & hypocritas vocat Dominus.* Concludimus orantes cum Eccleſia: *Da nobis quæſumus, ut & mundi curſus pacificè nobis tuô ordine dirigatur: & Eccleſia tua tranquilla devotione lætetur: per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA V. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 5. à verſ. 1. usq; ad 12.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην Γεννησαρέθ.

2. Καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ᾽ αὐτῶν, ἀπέπλυναν τὰ δίκτυα.

1. *Factum eſt autem, cum turba immineret ei, ut audiret verbum DEI, & ipſe ſtabat juxta ſtagnum Geneſareth.*

2. *Et vidit duas naves ſtantes ad ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant ex illis, & abluebant retia.* Matt.4,18. Marc.1,16.

3. Em-

3. Ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τοῦ Σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον· καὶ καθίσας ἐδίδασκεν ἐκ τοῦ πλοίου τοὺς ὄχλους.

4. Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα· ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν.

5. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων εἶπεν αὐτῷ· ἐπιστάτα, δι᾽ ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες, οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον.

6. Καὶ τοῦτο ποιήσαντες, συνέκλεισαν ἰχθύων πλῆθος πολὺ, διερρήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν.

7. Καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς· καὶ ἦλθον, καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά.

8. Ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ, λέγων· ἔξελθε ἀπ᾽ ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, κύριε.

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων, ᾗ συνέλαβον.

Matt.4,21. 10. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην, υἱοὺς Ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι· καὶ εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ
Matt.4,19. Ἰησοῦς· μὴ φοβοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν.

11. Καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες ἅπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

3. Ingreſſus autem in unam navium, quæ erat Simonis, rogavit eum, ut à terra abduceret puſillum: & ſedens docebat de navi turbas.

4. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

5. Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: tamen tuô juſſu laxabo rete.

6. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.

6. Et annuerunt ſociis, qui erant in altera navi, ut venirent, & adjuvarent ipſos. Et venerunt, atq; impleverunt ambas naves, ita ut mergerentur.

8. Quod cùm vidiſſet Simon Petrus, accidit ad genua JESU, dicens: diſcede à me Domine, quia homo peccator ſum.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo fuerant, ſuper captu piſcium, quem ceperant.

10 Similiter autem Jacobum, & Johannem, filios Zebedæi, qui erant ſocii Simoni. Et ait ad Simonem JESUS: Ne metuas, poſthac homines capies.

11. Et ſubductis in terram navibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum. DI-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRæſentis Evangelii lectio eſt generis Demonſtrativi, continens θαυματεργίαν CHRISTI, in miraculoſa piſcium captura demonſtratam. Dividitur in tres partes; quarum

I. nauticam CHRISTI concionem;

II. miraculoſam piſcium captionem;

III. novam Petri vocationem explanat.

PARS I.

Circa deſcriptionem concionis Dominicæ, habitæ ex navicula Petri, ſequentes circumſtantiæ ſunt obſervandæ:

1. *Cauſa concionis impulſiva*, quam præbuit CHRISTO magnus hominum ad ipſum concurſus. Habita eſt enim hæc concio, ἐν τῷ ἐπικεῖσθαι τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, cùm turba irrueret in illum, & quaſi incumberet ipſi, ita ut dum quisq; voluit ei eſſe proximus, metus eſſe poſſet, ne ſtantem juxta ſtagnum in aquas propellerent. Cœperat enim CHRISTUS jam docere, & miracula edere, unde toti populo innotuerat. Et quia ſequebantur eum, non ex inani quadam videndi curioſitate, ſed ex ardenti verbum DEI audiendi deſiderio, quisq; domino proximus adſtare volebat, atq; ita alter alterum propellebat & urgebat, ut periculum eſſet; ne vel Doctor, vel auditorum aliqui è littore in ſtagnum proturbarentur. Matthæus, & hujus adbreviator Marcus, annotant, quòd eô tempore ad mare ambulaverit CHRISTUS, vel orandi causa, vel ſui reficiendi ergò; vel ut docendi occaſionem novam captaret.

2. *Objectum*, vel auditores concionis. Non adparent Pontifices vel Sacerdotes, nec alii Judæorum primores: ſed ὄχλος, turba promiſcua irruit in eum; nec ſinguli accedunt, ſed turmatim & catervatim ipſi adſunt.

3. Τὸ διὰ τί, *vel cauſa finalis*, cur turba tanta confluxerit, nimirum illud τὸ ἀκούειν, ſive audiendi verbum CHRISTI. O ſanctum & æterna commemoratione dignum populi hujus ſtudium! Alii aliis tenentur ſtudiis ac deſideriis; hic populus ſtudiò audiendi & diſcendi verbum DEI eſt accenſus.

4. *Locus*, ubi hæc, quæ narrantur, facta fuerint. Locus autem iſte

iſte eſt duplex, communis & propriùs. *Communis* eſt locus vel ſtagnum Genezareth, ad radices Carmeli montis ſitum, effectum a Jordane, qui per ſtagnum hoc medius dilabitur. Matthæo cap. 4, 18. & Marco c. 1, 16. dicitur mare Galilææ; inferior enim Galilæa, quæ ſimpliciter talis vocatur, circa ſtagnum iſthoc ſita eſt. Johanni cap. 6, 1. mare Tiberiadis vocatur, more Hebræis uſitatô, qui omnes aquarum collectiones, aliquantò majores, maria nuncupare conſueverunt. Civitas autem Tiberias ad littus ſtagni ſita, quam Herodes Tetrarcha inſtauravit, ampliavit & in honorem Tiberii Cæſaris ſic adpellavit. Vide deſcriptionem integram apud Joſephum lib. 3. cap. 18. de bell. Jud. & D. Chemnir. harm. cap. 36. *Proprius* locus, vel ſubjectum in quo, eſt navigium ſive navicula Simonis Petri, quæ ipſi præbet ἀφορμὴν ſive occaſionem commodiùs docendi. In continente enim vel in littore concionis habendæ ſuggeſtum erigere haut poterat, propter populi irruentis & prementis intemperiem vel impetum. Stabant autem duæ in littore naviculæ otioſæ, quarum alteram Petri & Andreæ fuiſſe certum eſt; alteram ſociorum, Jacobi & Johannis fuiſſe vero conſentaneum eſt. Piſcatores enim, qui per totam noctem laboraverant, navibus egreſſi, retia abluebant, ad auram ea ſuſpenſuri. Unde colligitur, manè hoc factum eſſe. Unam igitur navicularum conſcendit Salvator; erat illa Simonis Petri, cujus converſatione ante annum & ampliùs uti cœperat. Johan. 1, 42. Noluit autem Petri naviculâ pro arbitrio uti; nec imperavit ipſi; ſed impetratô priùs legitimi domini vel poſſeſſoris conſenſu, rogavit, ut à continente eam paulìſper deduceret.

Genezareth lacus. Mare Hebræis. Tyberias.

5. *Situs* CHRISTI docentis, docet ſedens, quod ad commoditatem & animi tranquillitatem conteſtandum facit.

6. *Effectus* vel obſequium Petri, qui CHRISTO evangeliſanti regnum DEI, naviculam ſuam libenter commodavit.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Conciones andiendæ.

I. Exemplô populi incitati, pari pietatis fervore, ſtudiô & affectu ad ſacras conciones conveniamus, non feſtis tantùm, ſed & profeſtis diebus. Verbum enim DEI poteſt ſalvare animas noſtras. Jac. 1, 21. Rom. 1, 16. & 10, 17. 2. Petr. 1, 19. Pſal. 27, 4. & 84, 1. & 122, 1. Eſa. 2, 3. Confer D. Theodor. pag. 447.

II. Ta-

II. Tædium verò & faſtidium verbi punit Dominus, ejusdem famem, ſitim & detractionem permittens. Amos.8,11.12. Et populus hic adverſus nos ſtabit. Matth.11,21. ſeqq. & 12,42. Verbi tædium punitur.

III. Nulla docendi, diſcendi & propagandi Evangelii occaſio vel Eccleſiæ doctoribus, vel verbi auditoribus eſt negligenda. Phil.1, 18. Vide D.Theodor.pag.448.

IV. Turba imminet CHRISTO,. h. e. non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, non multi potentes & divites; ſed quæ ſtulta ſunt coram mundo, verbi divini deſideriò tenentur. 1.Cor.1,26. Matth.11,25. Turba audit Chriſtum.

V. Miniſtri Eccleſiæ doceant verbum DEI, non humanas traditiones, & alia inania commenta. Matth.15,9. 1.Pet,4,11. Act.10, 36. & 12,17. & 15,18. & 17,11. 1.Theſſ.2,13. D.Theod.p.449. Verbum DEI docendum.

VI. Inter docendum vel ſtare, vel ſedere licet; eſt enim ἀδιάφορον, utrumq; à CHRISTO uſurpatum. Ibid. pag.448. Concionandi licet ſedere.

VII. Eccleſia eſt inſtar naviculæ, quæ vi ventorum & fluctuum in vaſto hujus mundi mari hinc inde jactatur & agitatur. Luc.12, 32. Eſa.54,11. Vide Domin.4.Epiphan.

VIII. Licet homini pio ac fideli proprias tenere facultates. Prov. 10,22. Pſal.112,2.3. Multi verè-pii fuerunt divites. Gen.13,2. 1.Par. 29,12. 1.Reg.10,14. 2.Par.17,5. Bernhardus: Diviti non obſunt opes, ſi benè eis utatur, nec pauperem egeſtas facit commendabiliorem. Auri & argenti uſus bonus, abuſus malus, ſolicitudo pejor, quæſtus turpior. Rerum dominia.

IX. Diſcamus nemini eſſe graves, præter ſuam voluntatem: qui cùm omnium rerum eſt Dominus rogavit Petrum, ut hoc officii præſtaret, & naviculam in uſum ſuum concederet.

X. Petrus naviculam ſuam utendam permittens Domino, imaginem gerit magiſtratuum illorum, qui in ſuis ditionibus Evangelium CHRISTI libenter admittunt, Eccleſiæ præbent hoſpitium, ejusq; propagationi facultatibus ſuis inſerviunt. Magiſtratus pius.

XI. Magnates, Reges & Principes non debent pauperibus ſua per vim eripere. Pſal.14,5. Sir.27,1. Prov.11,24. Mich.2,2.

XII. Errant Anabaptiſtæ, id quòd modò exemplò Petri & aliorum adſeruimus, negantes, facultatum omnium communitatem, con- [illegible] & extra DEI verbum ac mandatum, ſtabilire præſumentes. Quod enim quidam, ſub initium primitivæ Eccleſiæ, periculis imminentibus, ſibi mutuò conſuluri, fecerunt; Act.4, & 5. illud perperam Anabaptiſmus de facultatibus.

ad univerſalem & perpetuò neceſſariam Chriſtianiſmi regulam trahitur. Nam & Apoſtoli, non ut abſolutè neceſſarium, ſed ut rem per ſe liberam, liberè quoq; uſurparunt & ipſi. Act. 5,4. Hinc Paulus ſtudioſisſimè informavit divites, 1. Tim. 6, 17. ementes & vendentes 1.Cor.7,31. 1.Theſſ.4.6. Eph.4,27. quod nunquam fuiſſet facturus, ſi facultatum proprietatem pietati & profeſſioni Chriſtianæ judicaſſet contrariam. D.Theod.pag.450.

Chriſtus Juvandus. XIII. Noſtra interim navicula ſubſerviat CHRISTO docenti, juvando miniſterium, & hoſpitium in corde noſtro CHRISTO concedendo. Gal.6,6. Joh.14,23. D.Theod.p.451.

Mutuum. XIV. De mutuo libenter aliis,pauperibus maximè dando. Sir. 29, 12. Prov. 5, 16. Neh. 5, 10. Tob. 1, 17. Matth. 5, 42. Luc. 6, 35. 1.Tim.6,18. ob ſpem retributionis divinæ. Prov.19,17. Pſal.37,21. Sir.12,1. & 29,1. Confer D.Theod.pag.450.

XV. Concionatores ſint methodici, ſtudeantq; brevitati, ut poſſint etiam ceſſare loqui. Concionator ſurgat, dicat, ceſſet. Luth.

XVI. CHRISTUS concionem habuit in navicula Petri! Ergò & nobis conceſſum eſt, etiam extra templum, in caſu neceſſitatis ſacra tractare, quod contra Calvinianos hypocritas eſt obſervandum, qui S.S. Cœnam Domini non niſi in publico loco porrigendam ſtatuunt, inſigni agonizantes ſolatiô privantes, parumq; attendentes, primò omnium eum in diverſorio ædibusq; privatis eſſe inſtitutam ac celebratam.

PARS II.

Finitâ concione, jam porrò miraculô verbum prædicatum confirmat Salvator, ne dubitarent ipſum a DEO veniſſe Doctorem. Joh. 3,2. Ceterùm in miraculi iſtius deſcriptione duo potisſimùm in conſiderationem veniunt.

I. *Amicum CHRISTI cum Petro colloquium*, quod continet

1. *Dominicam juſſionem*, tanquam ἀφορμὴν & occaſionem edendi miraculi quæſitam. Jubet enim Petrum in altum ducere vel cogere navim, & laxare retia, in futuram piſcium capturam. In Græco eſt, ἐπανάγαγε εἰς βάθος; infra utetur vocabulô κατάγειν, quod ſignificat navim ex alto ad littus ſubducere; hic ἀνάγειν, quod denotat ſolvere, & naves ex littore in altum deducere. Quia verò paulò antè ad littus venerant, additur, ſignificationis augendæ cauſa, præpoſitio ἐπὶ, ut ſit

κατάγειν & ἀνάγειν

ἐπανά-

ἐπανάγειν, rurſus in altum ducere. βάθος verò eſt maris profunditas, unde Poëtis dicitur altum mare.

2. *Petri reſponſionem*, in qua

1. benevolentiam captat, nominando CHRISTUM ἐπιστάτην. ἐπιστάτης autem ſignificat eum, qui jus & poteſtatem ha- ἐπιστάτης. bet imperandi, qui cum imperio præeſt: q. d. tu es ἐπιστάτης, habes jus mandandi, & adminiſtratio Eccleſiæ tibi, ut Meſſiæ, eſt commiſſa.

2. Conſilium ſuum exponit, partim ἀποφατικῶς negativè, partim καταφατικῶς adfirmativè. *Negativè* ab anteactis vel antecedentibus ſignis ad futurum concludit, per collationem majorum & minorum, hoc modô: Totam noctem, quod tempus ob tranquillitatem & obſcuritatem piſcationi magis eſt idoneum, ad defatigationem uſq; laborantes (hoc enim vult verbum κοπιάζειν) nihil cepimus. κοπιάζειν Ergò multô minùs ſub meridiem, quod tempus piſcationi eſt inidoneum, aliquid capiemus. *Adfirmativè* ab honeſto; mandatô CHRISTI animatus Petrus, meliorem ſibi pollicetur piſcationem, ſi vel maximè omnibus regulis piſcatoriis repugnet. Juſſu tuô, in verbo tuo, ex mandati obedientia, & fiduciâ verbi tui laxabo rete, nihil vel nocte, vel labore, vel profunditate aquarum obſtante. Hactenus colloquium, quod ideò præmittitur, ut ſpectatorum animi erigantur in exſpectationem futuri, & captura piſcium cauſis phyſicis non tribuatur.

II. *Ipſum CHRISTI miraculum*, cujus inſolentia conſpicitur ex copia piſcium, contra artem piſcatoriam, omnesq; cauſas phyſicas concluſa. Piſcatio enim hæc pugnabat cum conſueta piſcandi ratione, tùm temporis, tùm loci, tùm laboris intuitu. Amplificatur autem miraculoſa illa piſcium captura, facta à Petro ac ſociis, virtute verbi CHRISTI, à ſignis.

1. Primò enim ſubitò, piſcium πλῆθος πολὺ, multitudinem copioſam concludunt, cùm anteà integram noctem fruſtra laborando inſumſiſſent.

2. Rumpitur rete, neq; tamen piſces elabuntur. Lucas annotante D. Chemnitiô cap. 36. harm. eleganti verbô συλλάβεσθαι deſcripſit, quô artificiô rete, quod cœperat rumpi, ita extraxerint, ne

vel rete perderetur, vel piſces elaberentur. Funibus enim, quibus retia adnexa ſunt, plures ſocii manûs ita admoverunt, ut ſenſim & ſimul trahendo, & captos piſces, & retia ſervarent; ita tamen, ut agnoſcerent, non ſuô artificiô, ſed miraculô & potentiâ CHRISTI hoc factum eſſe, quòd in reti rupto tanta piſcium copia retenta manſerit.

3. Ipſi piſcatores non ſunt pares prædæ; convocant igitur alios piſcatores.

4. Navis utraq; impletur, & ita quidem, ut ambæ mergerentur, nec tamen ſubmergerentur, quæ omnia miraculi hujus tùm majeſtatem, tùm perſpicuitatem & evidentiam arguunt; dum

1. *Dominus* JESUS, etiam non rogatus, primus eſt, qui jubet Petrum & ſocios in altum ducere & laxare retia in capturam: Eſt enim ipſe fons beneficentiæ, qui ſuorum perpetuò curam habet.
2. *Petrus* fatetur ipſe, ſe cum ſociis laborando nihil cepiſſe, ita ut de ſua ſive arte, ſive induſtria nihil nunc quidem polliceri ſibi poſſint. Ita enim miraculum fit illuſtrius, quando cauſæ ſecundæ parùm ſpei faciunt.
3. *Verbum* CHRISTI tantum habet honoris & fidei, ut dicat Petrus: in tuo juſſu laxabo rete. Ita enim decet verbo DEI reverenter obſequi, & fide indubiâ illud amplecti.
4. *Effectus* verbi ſequitur exoptatus, in copioſa piſcium captura: Non enim poteſt verbum DEI fallere; & fides ac verbum conjuncta virtutis ſunt omnipotentis.
5. *Socii* in auxilium evocati mox præſtò ſunt. Socii vocantur *μέτοχοι*, h.e. comparticipes: ea enim fuit inter ipſos ſocietas, ut præda eſſet communis, etiamſi naves duæ eſſent. Fuerunt autem illi filii Zebedæi, Jacobus & Johannes.
6. *Ambæ* naves ita fuerunt impletæ, ut mergerentur, h. e. mergi inciperent. Ponitur enim verbum completæ actionis pro inchoata. Fuit itaq; ſtupendum quid, & anteà nec viſum, nec auditum miraculum, quod & Petrum & ſocios in non exiguum conjecit pavorem.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Vocatio DEO grata. I. Omnis vocatio, modò divinitùs ordinata, DEO probatur; nam & piſcatio Petri CHRISTO non adverſatur. Sir. 11, 21. 23. 1. Cor. 7, 17. 20. 21. 22. 24.

II. Ma-

II. Manuaria itaq; opificia non dedecent vocationem Chriſtianorum. Exod. 31, 2. 3. & 36, 1. Pro. 6, 6. & 24, 31. & 31, 13. 14. Sir. 38, 28. & ſeqq. Act. 19, 39. 43 & 18, 3. & 10, 34. 35. Pſal. 128, 2. 2. Theſſ. 3, 6. ſeqq. D. Theod. pag. 449.

Manuaria officia Deo placent.

III. Interim exemplò Petri quisq; ſit contentus ſuâ ſorte ac conditione: quod ſis eſſe velis, nihilq; malis. Martialis. Sir. 3, 19. & 10, 30. & 11, 9. ſeqq. Pro. 12, 9. & 13, 25. & 15, 16. & 16, 8. & 17, 1. & 30, 8. Eccl. 4, 6 & 6, 9.

αὐτάρκεια

IV. Prudens Eccleſiæ Doctor ſciat juſtò temporeà concionando ceſſare. Eccl. 3, 1. & 12, 12. Concionandum eſt ad horam, dicebat olim Chryſoſtomus. Vide D. Theod. pag. 452.

Concionandum ad horam.

V. Omnis labor, ſine juſſu ſeu benedictione DEI ſuſceptus, vanus eſt, quod vel maximè de laboribus ſpiritualibus verum eſt. Joh. 6, 44. 15, 5. 2. Cor. 3, 5. 1. Cor. 3, 6. Pſal. 127, 2. Eccl. 8, 16. V. 9, 11. Sir. 11, 12. Pro. 10, 22. Zach. 10, 1. D. Theod. pag. 453.

Labor ſine Deo vanus

VI. A precibus ergò omnis noſter labor eſt inchoandus. Pſal. 37, 4. & 67, 1. & 68, 29. Jer. 10, 23. 1. Cor. 3, 7. & 15, 58.

VII. Sæpè etiam piis ſucceſſus in laboribus vocationis denegatur, certó, non tamen malò DEI conſiliô. Pro. 16, 9. & 20, 24. Eccl. 2, 14. 15. Vide cauſas apud D. Theod. pag. 453. 454.

Pii etiam interdum fuſtrà laborant.

IIX. Difficultatibus autem & impedimentis vocationis opponatur,

1. verbum DEI, de noſtra vocatione;
2. mandatum DEI, de laboribus vocationis;
3. promiſſio de benedictione & auxilio DEI;
4. Ita præmiſsâ oratione pergendum in vocatione.

IX. Domino enim mandanti eſt obtemperandum, eventus ipſi committendus. Pſal. 37, 5. Pro. 16, 1. & 20, 23. Jer. 10, 23.

X. Laborandum & orandum. Fides enim non excludit induſtriam & diligentiam laboris. Gen. 3, 19. Job. 5, 7. Eccl. 6, 7. Pro. 10, 4. & 12, 11. & 14. 4. 23. & 24, 28. & 28, 19. Col. 3, 17. 2. Theſſ 3, 10. Confer D. Theod. pag. 454. Melanchthon:

Laborandum & orandum.

Nullius eſt felix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non detq́; juvetq́; DEUS.
Tunc juvat ille autem, cùm mens ſibi conſcia recti,
Mandati officii munera juſta facit:
Et ſimul auxilium præſente à Numine CHRISTI
Poſcit & expectat non dubitante fide,

Sic

Sic procedet opus fauſtum populoq; tibiq;,
Dirigit & curſus aura ſecunda tuos.

XI. Incrementum enim laboris noſtri, non niſi ex benedictione divina. Pſal. 127,1. & ſeq. Pro. 10. 22. Sir. 11, 14. & ſeqq. 1 Cor. 3,7.

Benedictio à Deo. XII. Laborandum itaq; , & benedictio DEI exſpectanda. Vide D. Theod. pag. 454. Sir. 7, 16. Pro. 6, 6. 11. & 20, 4.

Ditefcendi modus. XIII. Diteſcere poſſumus ac debemus, non impoſturis, fraudibus ac rapinis, aliisq; filiorum ſeculi hujus artibus peſſimis; ſed CHRISTI receptione, & retis in nomine ejus laxatione. Omnia itaq; cum verbo DEI inchoanda. Matth. 6, 33. 34. Sir 11, 23. 24.

Verbi praxis. XIV. Non ſufficit audire verbum DEI, niſi ſimul ad uſum transferatur: Jac. 1, 22. Joh. 13, 17. Matth. 7, 24. quod ubi fecerimus, percipiemus

1. *in viis vocationis illuminationem*; Pſal. 119, 105.
2. *laborum benedictionem*; Pro. 10, 22. Eccl. 8, 17. & 9, 11.
3. *in paupertate conſolationem*; Matth. 4, 4. Pſal 37, 16.
4. *indignitatis agnitionem*; Gen 32 10.
5. *in viribus propriis deſperationem.* Hab. 1, 16.

Collegæ. XV. Æquum eſt, ut collegæ, ſocii & vicini fideliter ſe invicem adjuvent, & operas in commune conferant; idq; fieri oportet in omni vitæ ſtatu, maximè autem in miniſterio.

XVI. DEO nobis aliquid mandanti ſimpliciter & promtè obediendum. D Theodor pag 455.

Majeſtas Chriſti. XVII. Specimen habemus Majeſtatis CHRISTI-Hominis, cui omnia parent. Pſal. 8, 7. & ſeqq. D. Theod. p. 455.

XIIX. Miraculoſa hæc piſcium captura eſt,

1. *locuples officii à Petro præſtiti recompenſatio*; navim enim ſuam CHRISTO commodaverat. Ita enim ſolet Filius DEI benefacere tùm privatis domibus, tùm magiſtratibus & regnis, quæ Evangelio ipſius ſubſerviunt. 2. Sam. 6, 11. Matth. 10, 13.
2. *Potentiæ CHRISTI demonſtratio*; eſt enim Dominus omnium creaturarum, qui imperium habet etiam in maria & piſces: Pſal. 8, 9. in conſolationem Eccleſiæ ſuæ, quod velit et etiam de victu proſpicere.
3. *Succeſsûs præfiguratio*, quem habituri ſint Apoſtoli, in futuro Apoſtolatûs ſui officio, ad quod mox voce CHRISTI vocabantur. Act. 2, 41.

PARS

PARS III.

Reſtat nova Petri ad ſpiritualem piſcaturam, h. e. diſcipulatum vocatio, quæ reliquos etiam ſocios ſpectat, quâ juſſi ſunt ſequi CHRISTUM, ut eſt Matth. 4, 18. & ſeqq. Nam iſta hiſtoria eadem eſt cum præſenti; & deſcriptio unius Evangeliſtæ ex altero eſt complenda: Quanquam enim & anteà fuerant CHRISTI adſeclæ, ſecuti eum ad vocem Johannis Baptiſtæ: Joh. 1, 36. 37. 38. nunc tamen mandatum accipiunt ad individuum comitatum, & recipiuntur in ſcholam CHRISTI, donec poſteà etiam ſeligantur in Apoſtolos, & confirmantur Doctores Evangelii, de qua vocatione hic dicitur: faciam te piſcatores hominum: poſthac homines capies. Ceterùm pro meliori textûs enarratione notetur

I. *Occaſio*, quam præbuiſſe videtur vocationem antegreſſa nimia Petri ſociorumq; conſternatio, orta, non ex legali quadam concione; ſed ex beneficii magnitudine, quô ſe videbant adfici immeritos. Petrus enim deprehensâ ſtupendâ miraculi majeſtate; contrà verò ſua conſiderata impuritate & indignitate, rogat CHRISTUM, ut abs ſe diſcedat; non quidem Gergeſenorum more; Matth. 8, 34. aut ut Capernaitæ factitabant; Joh. 6, 66. ſed (1) *ex indignitatis ſuæ ſenſu ac ſcrutinio*, quæ tantum ipſi incuſſit metum, ut optet procul eſſe potiùs à Domino, quam cum ipſo in eadem verſari navi: (2) *ex profundo humilitatis ſtudio*; illam verò teſtatam facit, tùm geſtibus, ad genua CHRISTI cum tremore procidendo; tùm verbis, miſerum ſeſe peccatorem agnoſcendo: quô factô

1. indicat, ſe indignum conſortiô & præſentiâ CHRISTI;

2. metuit, ne vindicta de peccatis ſuis ſumatur. 1. Reg. 17, 18. q. d. indignus ego ſum, ô Domine, cum quo tua converſetur ſanctitas, quiq; navi mea te veham; & cogor metuere, ne tuæ perſonæ excellentia ac dignitas cedat mihi miſero in peccatorum meorum recordationem & ultionem.

Similis θάμβος reliquos etiam ſocios ac diſcipulos CHRISTI omnes undiq; occupatos circumdederat & tenebat: hæc enim vis eſt vocabuli περιέχειν. Majeſtatem ergò ex tam miraculoſa piſcium captura ſuſtinere non poterant.

II. *Dulciſſima CHRISTI conſolatio*, dicentis Petro in ſpecie; μὴ φοβοῦ, *ne timeas*, ſed eſto bonô animô: Veni enim, non ut judex, ſed ut ſalvator, tractum homines peccatores ad me reti Evangelii, & ad hoc tuô quoq; uſurus ſum miniſteriô. *Conſcientia enim perterre*

ſacta (ait Chemnitius) *oblita Mediatoris, exiſtimat DEUM ut Judicem adeſſe*: ac cogitat Petrus, juſtis tantùm locum eſſe apud CHRISTUM, qui ratione divinitatis peccatoribus ſit ignis conſumens. Verum erigitur hâc CHRISTI voce, ne metuas; veni enim non ad judicandum, ſed ſalvandum, non ad perdendum, ſed ad vivificandum. Ita magnitudo ſucceſsûs, qui alios elatiores reddidiſſet, Petrum humiliorem & modeſtiorem effecit, & didicit ipſe, quomodo cum tempore in miniſterio cum perterrefactis conſcientiis eſſet agendum.

III. *Ipſa Petri vocatio*, quæ illuſtratur

1. ab adjuncto vocationis tempore, ἀπὸ τοῦ νῦν, ex hoc ipſo momento eris diſcipulus & poſthac Apoſtolus meus.
2. A forma vel officio ipſo, quod conſiſtit in hominum captura ad vitam, ut è morte & damnatione æterna erepti lucrifiant CHRISTO, & ad æternam vitam conſerventur, quæ propriè eſt ἔμφασις verbi ζωγρεῖν, quod ſignificat, non ſimpliciter capere, ſed captum ſive captivum à cæde conſervare, ut perſolutione τοῦ λύτρου liberari & in vita conſervari queat. Innuit itaq; Petrum capturum piſces rationales, ut à morte illi æterna liberati, ad vitam æternam ſerventur. Pertinet ergô hæc particula ad locum de miniſterio Eccleſiaſtico, cujus auctor, & qui perſonas ad illud ſeligit ac vocat, CHRISTUS eſt; qui & vocatos facit idoneos ad munus tàm arduum gerendum, ſicuti hîc ex piſcatoribus idiotis ſumit, quos poſtmodum Doctores Eccleſiæ primarios conſtituit.

   ζωγρεῖν.

   Miniſterii autor Chriſtus.
3. A medio vel cauſa organica, quæ eſt prædicatio verbi; & quæ voce Legis omnes co cludit ſub peccatum; Rom. 11, 32. voce autem Evangelii deducit ad CHRISTUM auctorem vitæ & ſalutis. Ita eripiuntur animæ poteſtati ſatanæ, qui in hoc mundi pelago, veluti Leviathan quidam dominatur, & implicatos homines luto mundanarum cupiditatum ac peccati in perditionem abripit, niſi beneficiô miniſterii extrahantur & ſalvi fiant.

IV. *Petri ſociorumq; obſecundatio.* Rectè faciunt hi diſcipuli, quòd ſanctam iſtam vocationem ſecuti, ſubductis ad terram navibus, relictisq; rebus mox omnibus, fiant individui CHRISTI comites. Et ſic efficacia pariter vocationis CHRISTI, & promtitudo obedientiæ in diſcipulis commendatur, inq; exemplum imitationis nobis proponitur.

Pori-

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Finis miraculi hujus eſt attendendus: Ita enim CHRISTUS
1. Meſſiam ſeſe declaravit;
2. labores noſtros ſe perſpectos habere ac cognitos ſignificavit;
3. pietati & beneficentiæ noſtræ non defore remunerationem oſtendit; pro eo enim, quòd Petrus CHRISTO naviculam ſuam commodàrat, accipit illuſtre præmium, capturam illam piſcium miraculoſam. Pſal. 8, 7. Matth. 11, 26. & 28, 18. Joh. 13, 3.

II. De infirmitate humana in perferenda majeſtate divina. Confer D. Theodor. pag. 455.

III. Pii terrentur quandoq; indignitate ſuà, veriti, ne inclementiùs DEUS ſecum agat. Exod. 19, 19. Jud. 13, 22.

Pii terrentur ſuâ indignitate.

IV. Indignitatem verò iſtam nos omnes agnoſcere par eſt. Gen. 32, 10. Pſal. 130, 3. & 143, 2. Dan. 9, 18. Luc. 17, 10.

V. A timore πίστεως, ad timorem ἀπιστίας non valet conſequentia. D. Finck. Centur. 4. Can. 90.

Timor fidei & incredulitatis.

VI. Monemur de hominis fragilitate & ἀδυναμίᾳ, quâ ſancti etiam & renati in hac vita laborant. Petrus in genua quidem provolvitur, ſed graviter halucinatur, CHRISTUM à ſe exire jubens. Sir. 17, 30. & 27, 5. Jac. 3, 2. Rom. 7, 24.

Fragilitas humana.

VII. Peccatum nos facit ita tumere & expaveſcere in conſpectu DEI. Gen. 3, 8. & 4, 7. Eſa. 59, 2. Sap. 17, 11.

IIX. In peccatis autem non deſperandum, nec de gratia DEI dubitandum, ſed peccatum agnoſcendū, ſerioq; deplorandum. 1. Joh. 2, 1. 2. Cor. 7, 10. Cave itaq; dixeris CHRISTO: exi a me: ſed potiùs, veni ad me Domine, quia homo peccator ſum. Matth. 8, 8. & 9, 14. & 20, 28. Luc. 19, 10. Joh. 3, 16. Rom. 3, 23. & 5, 8. 1. Tim. 1, 15.

Deſperatio & dubitatio.

IX. Imbecillitas noſtra DEI majeſtatem citra Mediatorem ferre nequit. Gen. 3, 8. Exod. 20, 19. Jud. 13, 22 D. Theod. p. 456.

Infirmitas humana.

X. DEUS autem in infirmitate potentiam ſuam perficit. 1. Cor. 1, 27. 2. Cor. 4, 7. & 12, 9.

XI. Exemplum humilitatis habemus in Petro. D. Theod p. 457.

XII. Monemur allegoriâ piſcationis de S. S. miniſterii laboribus & difficultatibus. 2 Cor. 2, 16. Act. 20, 31. 2. Cor. 6, 5. ſeqq.

Miniſterii labores.

XIII. Principalis locus eſt, de miniſterio verbi, cui deſtinatur Petrus.

Piſcatio ſpiritualis.

Digitized by Google

Petrus. Rete eſt verbum DEI, quò capiuntur homines, profundo peccatorum luto immerſi; Matth.13,47. piſcatores ſunt Apoſtoli, & fideles eorundem ſucceſſores. Jer.16,16. Noti ſunt verſiculi:

Piſces ſunt homines; mundus mare; reteq; verbum;
Captores, qui te cœlica verba docent.

Concionatoris requiſita.

IV. In piſcatione Petrina notantur conditiones, προσκήμενα ſive requiſita boni concionatoris:

1. ſit prope CHRISTUM, ſc. educatus & enutritus;
2. ſit ſcientificus, quod indicatur in Simone, qui ſtudioſum auditorem ſignificat;
3. comitem habeat Johannem, h. e. DEI gratiam;
4. evertat carnis vitia: Jacob enim eſt ſupplantator;
5. deſcendat in terram, per agnitionem ſui;
6. lavet retia à peccatis;
7. regrediatur à terrenis;
8. ſurgat in altum;
9. laxet rete, non convolvat, h. e. clarè exponat verbum DEI;
10. credat CHRISTO eiq; obtemperet;
11. ad pedes CHRISTI procidat;
12. ſequatur, quocunq; CHRISTUS duxerit. Ita fiet, ut quandoquidem bonum certamen certaverit, coronam vitæ immarceſſibilem conſequatur, & audiat vocem Matth.25,21. Euge ſerve bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.

Oeconomicæ regulæ.

XV. Doctrinæ generales ſive regulæ oeconomicæ ex hac hiſtoria ſunt;

1. unumquemq; in ſua vocatione debere eſſe ſedulum, etiamſi ſucceſſum interdum non ſtatim ſentiat:
2. laborem feliciter inchoari ab auditu verbi & cultu divino;
3. à benedictione Domini omnem noſtrum proventum dependere;
4. benedictionem temporalem ſemper ſuas ſecum habere difficultates, & curas injicere poſſeſſori non exiguas, ſicut Petro circa hanc capturam rumpitur rete, & mox naves volunt mergi, ſed quæ tamen divinâ providentiâ conſervatæ in terram ſubducuntur;
5. oportere circa temporalia ſemper eſſe paratum ad relinquen-

Digitized by Google

linquendum illa, & parere Domino ad meliora & cœleſtia evocanti. Matth. 10, 37. & 19, 29. Luc. 14, 26.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Pericopen præſentis Evangelii διὰ βραχέων enarraturi, duo nobis κεφάλαια proponemus, dicturi

I. de CHRISTI *prædicatione ;* &

II. de Petri piſcatione.

PARS I.

Quoad primum caput, certis Evangeliſta Lucas circumſtantiis CHRISTI nobis prædicationem deſcriptam ob oculos ſtatuit. Commemorat enim

1. *quando* CHRISTUS *docuerit ;* factum nimirùm hoc, non die feſtô, vel Sabbathô, verùm die profeſtô, id quod ex laboribus piſcatorum conſuetis colligere promtum eſt. Diebus namq; feriatis ab omni planè labore, more Judæis uſitatô, abſtinere cogebantur.

2. *Cui* verbum DEI propoſuerit ; non Pontificibus, non Phariſæis ; hi adſpernabantur DEI adverſus ſemetipſum conſilium ; Luc. 7, 30. ſed turbæ, parti hominum viliori & ignobiliori. Soph. 3, 12. Luc. 12, 32. 1. Cor. 1, 26. & 2, 8.

3. *Cur* tum temporis, & tali modô concionem habere inſtituerit :

Excitat auditor ſtudium ; laudataq; virtus
creſcit in immenſum, & gloria calcar habet.

Turbæ enim magnô cumulô, ſtudioq; ferventiori, quàm antehac unquam adcurrentes irruebant in eum. Cui zelo omninò ſatis faciendum Salvator exiſtimavit.

4. *Ubi ;* ſtabat initiô ad ripam maris vel ſtagni Genezareth : ſed populus irruebat in eum, adeò ut periculum eſſet, ne CHRISTUS proturbaretur in lacum illum. Quisq; enim prope adſtare illi cupiebat, ut docentem videre & audire poſſet commodiùs. Preſſus itaq; à turba in naviculam concedit.

5. *Quibus auxiliis :* Simonem enim Petrum, legitimum naviculæ poſſeſſorem rogavit, ut navi à littore vel terra paululum reductâ, pro ſuggeſtu uti liceret. CHRISTI *manſuetudinem vide*, ait Theophy-

 lactus,

Digitized by Google

lactus, *quomodo obſecret Petrum, ut à terra abducat. Rogavit enim idem eſt quod obſecravit.*

Sedendo licet concionari. 6. *Quomodo* concionem habuerit: non ſtans, ſed ſedens; hoc ipsô ſuô factô retundens Papæ, Antichriſti Romani canonem prætorium, quô præpoſterâ dominandi in clerum libidine ſancivit; ne quis ſedens concionetur.

7. *Quid:* Docuit de navicula turbam, non more Scribarum & Phariſæorum, qui ſuis παραδόσεσι omnia complebant; Legem interim pervertentes, Evangelium planè vel ignorantes, vel occultantes. Ipſe verò expoſuit Legem, & Evangelium de gratuita peccatorum remiſſione annunciavit. Talia namq; docuiſſe CHRISTUM, ex iis patet concionibus, quæ ab Evangeliſtis conſignatæ ad nos pervenerunt.

Uſus I. Informatorius.

Regnum DEI ante omnia quærendū. I. De quærendo ante omnia regno DEI, exemplô auditorum CHRISTI, quorum zelus in audiendo verbo, non ſine aliquâ rei familiaris jactura, laudem & imitationem vel maximè meretur. Noſtri auditores hodiè neminem propter audiendas conciones ſacras facilè premunt; unde pœna ipſis tantò gravior exſpectanda. Pſal. 95, 1. ſeqq. & 100, 3. Eſa. 2, 3. Pſal. 26, 9. & 27, 4. & 122, 1. Zach. 8, 21. 1. Cor. 14, 31. Luc. 8, 15. & 11, 28. Jac. 1, 21. Joh. 10, 27. 1. Theſſ. 4, 8. Jer. 6, 19. & 9, 13. & 26, 4. Amos. 8, 11. Oſe. 4, 6. 2. Macc 4, 17.

Verbum ad pietatem inſtiget. 2. De præſtantiſſimo verbi cœleſtis theſauro, cujus conſideratio devota ad pietatem veram nos omnes inſtigare meritò debet; cui rei inſerviunt verbi divini adpellationes. quæ ſunt vel conſolatoriæ; 2. Cor. 5, 18. Eph. 6, 11. Act. 20, 24. Rom. 10, 8. 1. Tim. 4, 6. Gal. 3, 2. Rom. 3, 27. Jac. 2, 12. 2. Cor. 3, 8. 9. Rom. 8, 2. & 4, 13. Actor. 5, 19. Phil. 2, 16. Joh. 6, 68. 2. Cor. 2, 15. Joh. 4, 14. 1. Joh. 2, 25. Act. 13, 27. Eph. 1, 13. Rom. 1, 16. Marc. 1, 14. 1. Tim. 1, 11. Epheſ. 6, 17. Joh. 6, 27. Vel exhortatoriæ. Pſal. 119, 105. Prov. 6, 23. Pſal. 19, 9. 1. Johan. 3, 23. Matth. 13, 24. Luc. 8, 14. Matth. 9, 17. 2. Cor. 10, 4. Epheſ. 6, 10. ſeq. 1. Theſſ. 5, 8. Vide D. Gerh. Schol. piet. lib. 1. cap. 8. fol. 64. b.

Timor Domini. 3. De timore Domini ſtudioſè ſectando: incitet nos

1. *divinum mandatum;* Deut. 13, 4. Joſ. 24, 14. Pſal. 2, 11. Prov. 3, 7. Eccl. 12, 13. Eſa. 8, 13. Soph. 3, 7. Matth. 10, 28. Luc. 12, 5. 2. Cor. 7, 1. Phil. 2, 12. Heb. 12, 28.
2. *Divinum beneplacitum:* Pſal. 147, 10. 11. Judith. 16, 19. Actor. 10, 35.

3. Timo-

Digitized by Google

3. *Timoris Domini encomium*; habet enim ille laudem
   1. *divinæ benevolentiæ*;
   2. *ſingularis excellentiæ*; Sir.25,14.15.
   3. *ſapientiæ & potentiæ*; Pſal.112,1.
   4. *felicitatis*;
   5. *gloriæ & immortalitatis.* Sir.15,6. Gen.31,42.54. Sir.1,17.
4. *Multiplex commodum*:
5. *DEI majeſtas*, omnipotentia, omniſcientia, juſtitia & ἀπρο-σωποληψία, judicium & ira, beneficia, miracula, promisſiones, comminationes; pœnæ & ſupplicia:
6. *Piorum & præmiorum piis retributorum exempla.* De quibus omnibus vide D.Gerh.Schol.piet. lib.3. cap.5, f.58.

4. Timori autem Domini filiali ſatisfacimus — Timor filialis exerceatur.
   1. *mandata divina cuſtodiendo*; Deut.6,2.24. Act.10,35.
   2. *Hypocriſin expellendo*: Sir.1,34.37.38. & 15,20.
   3. *Timorem humanum excutiendo*: Exod.1,17. Prov.29,25. Eſa. 8,12.13. Matth.10,28.
   4. *Actiones & conſilia juxta verbum DEI inſtituendo*: Gen. 22, 12. Sir.2,18.19.
   5. *Peccatum fugiendo*: Exod.20,20. Nehem.5,15. Job. 28, 28. Prov.8,13. & 16,6. & 23,17. Tob.4,6. Sir.1,26.
   6. *Pœnitentiam agendo*: Prov.3,7.
   7. *Crucem cum patientia ſuſcipiendo*: Job.9,28. Soh.5,7. Tob.2, 13.14. Sir.2,20.21.
   8. *Proximo benefaciendo*: Levit.19, 14. & 25, 17. Job. 6, 14. 1.Reg.18,3.4.
   9. *Superiores honorando*: Sir. 3, 8. & 7, 31. & 10, 24. & 32, 18. Eph.5,21. Col.3,12.
   10. *Lætitiam mundanam temperando.* Sir. 9, 23. Tob. 9, 12. Exercitium iſthoc pietatis promovet & adjuvat,
       1. *verbi divini meditatio*; Deut.4, 10. & 17, 18. 19. & 31,11. 12. Sir.2,18.
       2. *ſecuritatis evitatio*; Pſal.10,4.5.11.13. & 119,155.
       3. *ardens oratio.* Prov.2,3.5. Vide D.Gerh.d.l. cap.6.

II. Conſolatorius.

Conſolatio efficacisſima profluit

1. ex CHRISTI φιλανθρωπίᾳ & modeſtia, qui diſcipulum rogat.

rogat, cui imperare ſimpliciter poterat. Eſa.42,1.2. Prov.8, 32. Matth.11,29.

2. Ex CHRISTI erga manuarios etiam opifices εὐνοίᾳ. Sir.39, 36. Eſa.54,16. Marc.6,3. Act,18,3. 1.Theſſ. 4, 11. 2.Theſſ. 3, 10.11. plura pete ex diſpoſ. præced.

III. Monitorius.

Miniſteriũ periculoſum.

1. De functione concionatorum præ ceteris periculoſa. Verſantur enim in navi, h. e. periculis mille ſunt expoſiti, auditoribus in littore ſtantibus, h. e. propter religionem minùs periclitantibus, Gen. 19,9. Amos. 5,10. Gen.6,3. Jer.11,21. & 15,10. & 18,18. & 20,2.8. & 26,23. Ezech. 3,25. 2.Par.36,16. Cant.1,6. 1.Cor.4,12. Matth.10,25. Joh.15,18. & 16,2.33.

2. De verbo DEI diligenter, ardenter & frequenter audiendo, ut cum populo hoc irruamus ad CHRISTUM. Monr.pag.124.

IV. Refutatorius.

Papiſmus Monachatũ reliquis ordinibus falsò præferens.

Pontificiorum, qui. 1. ſanctis DEI ordinibus ac ſtatibus ſpretis, abjectis & damnatis, perverſum, DEO & naturæ adverſum Monachatum, & nusquam præcepta ejusdem ſtudia immane quantum extollunt aliisq; præferunt. Actor.10,34.35. 1.Cor.7,20. Pſal.128,7. Piſcatoria aliæq; artes manuariæ ſuum h. l. habent fundamentum: Monachi autem ſui ordinis inſtitutionem, quòd à DEO vel divina ſit, nondum probare potuerunt, neq; in æternum probabunt: ſpontanea potiùs vel temeraria mutatio vocationis eſt votum religionis, & vel ſolô hoc nomine fugienda, quia audet adſequi, quod univerſa Scriptura denegat, propriam ſcil. perfectionem, ſibi & aliis cœleſtem gloriam promerituram.

Papiſmus de Romana Eccleſia.

2. Ex navi & nomine Petri piraticam ſuam Romanocatholicam Eccleſiam exſtruere allaborant. Sic enim glorioſè magis & pompoſè, quàm verè & religioſè ſcribit intonſus ille Tonſor Eſauviticus pag. 477. Im Schiff Simonis Petri / das iſt / in der Catholiſchen Römiſchen Kirchen / findet man die reine Lehr / vnd das rein Wort Gottes / da hat Chriſtus ſein Cathedram vnd Predigſtuel hingeſetzt &c. Reſpond. Gloriatio non eſt probatio; & Scriptura allegorica non eſt argumentativa: A Petro verò ad Papam & Eccleſiam Romanam nulla ſequela valet. Contrarium ad oculum Pontificiis à noſtratibus eſt demonſtratum. Conſulatur D. Heilbrunneri Papatus Acatholicus.

Digitized by Google

PARS II.

Diximus de prædicatione CHRISTI Servatoris; ſequitur labor Petri piſcatoris; cujus piſcatio in duplici eſt differentia:

I. Una eſt *nocturna infructuoſa*, de qua ipſe Petrus palàm conqueritur, quòd totam noctem ad defatigationem uſq; laborando & piſcando nihil ceperit.

II. Altera eſt *diurna fructuoſa*, quæ itidem duplex; corporalis & ſpiritualis.

In *corporali piſcatione* occurrit

1. *CHRISTI præceptum*, de navi in altum ducenda, retibusq; in capturam piſcium laxandis

2. *Petri propoſitum*, figuratum προκατάληψιν, quâ removentur ea, quæ obedientiæ obſtare videbantur, hoc ſenſu: Etſi tempus locusq; piſcationi repugnet; etſi omnem ſuperiori nocte fruſtrà inſumſerim operam: his tamen haut obſtantibus, rete laxabo.

3. *Propoſiti argumentum*, ab honeſto deſumtum: in verbo tuo, h. e. ad mandatum tuum, manum operi admovebo, eâ ſpe fretus, conatum hunc, juſſu tuô factum, nequaquam fore irritum.

4. *Legitimum perveniendi ad finem optatum medium:* Cùm hoc feciſſent, h. e. ſuam quoq; adhiberent in laborando induſtriam. Vetus eſt adagium,

dat DEUS omne bonum, ſed non per cornua taurum.

5. *Effectum*, ſive pietatis juxtà ac laboris præmium: concluſerunt multitudinem piſcium copioſam. Captura autem iſthæc omnes tùm naturæ, tùm artis piſcatoriæ leges tranſcendit: Miraculi itaq; divini locum meritò obtinet. Colligitur hoc

1. *ex retis ſciſione;*
2. *ex ſociorum in auxilium evocatione.* Nutu autem (Petrus) eos vocabat, quia propter ſtuporem magnum loqui nequibat, Theophylactus ait.
3. *Ex naviculæ merſione;* periculum enim erat, ne multitudine piſcium naviculæ prægravatæ ſubmergerentur.
4. *Ex nimia Petri ſociorumq; conſternatione;* ubi humani aliquid patitur Petrus; diſcedere abs ſe jubens eum, qui eô fine hunc in mundum venerat, ut peccatores ſalvos faceret: nempè indignum ſeſe judicans ejus conſortiô, ſicut & Centurio Matth. 8, 8. putabat. Aut quia ſtupor eum tenuit, veritus eſt, ne ſiniſtri quidpiam ſibi accideret. Antiqua enim videtur

A a vulgi

Digitized by Google

vulgi Judaici opinio, ſanctiſſimorum hominum conſuetudinem non ſatis eſſe tutam. 1.Reg.17,18.

Sic fuit corporalis piſcatio. Hinc ſumtâ occaſione *ad ſpiritualem* progreditur CHRISTUS Servator, ubi notetur

1. *conſolatio dulciſſima*; ne metuas:

2. *Vocatio honorificentiſſima*; &

3. *promiſſio largiſſima*; poſthac homines capies. Bifariam nimirùm ei benefecit; quia & multitudinem piſcium ei donavit, & diſcipulum ſuum fecit. Etſi enim Joh.1,40.41.42. vocaverat Simonem & Andream: tamen vocavit eos tantùm ut crederent in CHRISTUM; non ut relictis omnibus ſequerentur, & apud eum adſiduè manerent, quod hic demum factum eſt. Initiò itaq; facti ſunt CHRISTI amici; deinde ex amicis familiares ac diſcipuli; tandem ex diſcipulis Apoſtoli. Quanquam antehac etiam CHRISTO cum Petro interceſſiſſe notitiam ac familiaritatem ex hac Lucæ narratione haut difficulter colligitur.

4. *Morigeratio Petri & ſociorum promtiſſima.*

Uſus I. Informatorius.

Victûs legitimè acquirendi ratio.

1. De modo ac ratione legitimè & honeſtè abſq; læſione conſcientiæ acquirendi victum, qua de re pleriq; quidem maximopere ſunt ſoliciti, pauciſſimi verò rectò tramite incedunt. Contingit autem id quod diximus,

1. *CHRISTO imminendo.* Hic eſt ordo divinitùs nobis, & regulis & exemplis, monſtratus. Matth.6,33. Pſal.112,1.2.3. Eſa.1,20. Deut.7,12.13. Prov.24,4.
2. *CHRISTUM in naviculam recipiendo.* Exod. 20, 24. Habes CHRISTI locô miniſteriũ, ad cujus conſervationem conferre omnes debebant. Prov.3,9. Deut.12,19. Gal.6,6. 1.Theſſ.5,13. 1.Tim.5,17. Sir.7,31. & 35,10.11. Petrus ſentit inde lucrum.
3. *Proprium tenendo*: vide præced. diſpoſ. Prov.6,6. Pſal. 37, 3. Eph.4,18.
4. *Pauperibus ſuccurrendo.* Petrus naviculæ ſuæ uſum CHRISTO concedit; non fruſtrà. Matth.5,42. Luc.6,38. Pſal.112,5. Sir.29,1.12. Prov.5,16. & 19,17.
5. *Fideliter laborando*: Gen.3,19. 2.Theſſ.3,10. Prov.12,24.27. & 14,23. Eccl.6,7. Sir.7,6. 1.Theſſ.4,11.

6. De-

6. *Defectum patienter ferendo*. Pſal. 27,24. & 55,23. Nam & piis interdum rete ſcinditur.

7. *Ad CHRISTUM deferendo:* Joh. 15,5. Pſal. 9,11. & 37,5. & 50,15. & 77,3. & 86,8. & 116,4. & 118,5. & 142,3. Eſa. 26,16. & 54,7. Sap. 3,9.

8. *Rete in nomine JESU ejiciendo:* Col. 3,17. Qui in ſuo nomine laxat rete, capiet lapides, rumpentes rete: qui in nomine amicorum, capiet ranas, quarum eſt tantùm coaxare: qui in nomine diaboli, capiet bufones & gehennam infernalem. Prov. 10,22. Pſal. 127,3. Levit. 26,20. Hagg. 1,6. Jer. 12,13. 1. Cor. 3,6.

9. *Nihil procraſtinando:* Prov. 10,4. & 26,13.14.15. Rom. 12, 11. Luther. in Pſal. 119. Procraſtinatio clancularium & horribile noxium malum eſt: itaq; vitanda eſt.

10. *Πολυπραγμοσύνην vitando:* Cùm hoc feciſſent, ſcilicet, quod mandatum erat, concluſerunt &c. Sir. 3,22. ſeqq. & 10,9.10. 1. Cor. 7,24. 1. Theſſ. 4,11. Veteres rectè: Ubiq; qui habitat, nuſpiam habitat. Item: pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Item: in omnibus aliquid, in toto nihil. Et: Impoſſibile eſt, multa ſimul facere & eadem omnia benè facere. Hinc gentes olim legem tulerunt: Singuli cives unam tantummodò artem diſcant & exerceant, ex qua ſibi victum parent.

11. *DEI potentiæ confidendo:* Gen. 22,14. Pſal. 127,3. & 37,25. & 115,3. Eph. 3,20.

12. *Aliis libenter communicando.* Prov. 19,17. Deut. 15,8. Tob. 4,7. Sir. 4,1. & 12,2. & 14,13. & 29,1. & 35,4. Eſa. 58,7. Rom. 12,12. Col. 3,12. Hebr. 13,16.

13. *Vicinitatem colendo;* Sir. 25,1.2. Prov. 27,10. Tob. 8,22. Luc. 1,58. & 15,6.

14. *Parſimoniæ ſtudendo:* implebant enim ambas naves; non in mare projiciebant ſuperfluos piſces. Prov. 13,11. & 21,20. & 6,6. & 10,5. Gen. 41,49. 1. Tim. 5,8. Joh. 6,12. Sir. 25,5. *Colligamus in abundantia, ut habeamus in penuria.* Auguſt.

15. *Gratias agendo.* Petrus, quàm primùm DEI benedictionem ſentit, continuò pronus CHRISTUM adorat. Deut. 8,10. Pſal. 50,14. & 103,1.2. & 118,1. & 136,1. 1. Theſſ. 5,17. Sir, 32,17. & 35,3. & 47,9. & 50,1. Luc. 17,16. Col. 2,7. Deut.

Digitized by Google

32,6. Oſe.7,15. Prov.17,13. Sir.12,3. Gregor. *Non dignus eſt dandũ, qui non eſt gratus pro datũ.*

16. *Pauca boni conſulendo:* Gen.32,10. Prov.13, 25. & 18, 16. & 17,1. 1.Tim.6,6, Sir.29,28. & ſeqq. Hebr.13,5. Phil.4,11. Sir.40,18.

17. *Vitæ emendationem non negligendo,* cui Petrum ſtuduiſſe legimus.

18. *Cor divitiis non adponendo.* Vocati enim Petrus & ſocii, relictis omnibus, CHRISTUM ſequebantur. Pſal.62,11. 1.Corinth.7,31.

Miniſterii cum piſcatione comparatio.

2. Habetur etiam hoc locô doctrina de ſacroſancto miniſterio, quod ſub typo piſcationis nobis adumbratur. In utriusq; collatione obſervabis,

1. *Auctoris dignitatem.* Miniſterii auctor eſt, non Papa Romanus, qui falsò caput ſeſe Eccleſiæ jactat; ſed Dominus noſter JESUS CHRISTUS. 1.Petr.2, 25. Pſal. 110, 4. Eſa.41, 27. & 48,17. & 49,7. Jer.3,15. Eph.4,11.

2. *Piſcatorum vilitatem:* Eſa. 55, 8. Simplicitate gaudet CHRISTUS piſcatoriâ,

   1. *in regni ſui demonſtrationem;* Pſal. 8, 3. Matth. 11, 25. Luc. 22,26.
   2. *in omnipotentiæ ſuæ teſtificationem:* Pſal.118,23. Act.5,38.
   3. *in ſapientiæ humanæ confuſionem.* 1.Cor.1.26.

3. *Vocationis formam ſeu qualitatem;* capies homines; ſequere me: Matth.4,19. non cæcos duces, non mundum. Joh.8,12. 1.Joh.5,19.

4. *Finis ſingularitatem,* qui in hominum captura, h.e. ſalute poſitus eſt unicè.

II Monitorius.

Vocatio ſedulò facienda.

1. In genere, de ſedulitate in faciendis vocationis legitimæ laboribus, quam excitet in nobis

   1. *divina ordinatio:* Gen.2,15. Job.5,7. Pſal.104,23. Eccl.6,7. Sir.7,16. 2.Theſſ.3,11.
   2. *divina juſſio:* Gen. 3, 17. Exod. 20, 8. Pſal. 128, 2. Prov. 24, 28. Sir.31,27. Matth.20,1.ſeqq. Rom.12,10. 1.Theſſ.4,11.
   3. *divina promiſſio:* Pſal.128,2.3. Matth.20,7. 1.Cor.3,8.
   4. *ignaviæ dedecus & confuſio:* Prov. 10, 26. & 19, 24. & 26, 15. & 22, 13.

5. divi-

Digitized by Google

5. *divina comminatio:* Jer. 48, 10. Matth. 25, 26. 28. 1. Tim. 5, 12. 13.

6. *Sedulitatis fructificatio*, tàm in genere; Pſal. 128, 2, quàm in ſpecie: fructûs ejuſmodi diligentiæ ſunt,
 1. honeſta ſuſtentatio; Prov. 12, 9. 11. & 13, 4. 23. & 20, 13. 1. Theſſ. 4, 11.
 2. copia & abundantia; Prov. 10, 4. & 12, 24. & 14, 4. & 22, 27. Sir. 20, 30. Eph. 4, 27.
 3. ſomnus placidus; Eccl. 5, 11.
 4. bona valetudo; Sir. 31, 27.
 5. animi lætitia; Eccl. 2, 24. 25. & 3, 13. 22. & 5, 17.
 6. hominum gratia; Prov. 22, 29.
 7. totius naturæ ſpeculum. Sir. 16, 25. Pſal. 103, 20,

7. *Exemplorum productio*: Gen. 31, 40. Sap. 10, 10. Exod. 18, 13. Hebr. 3, 2. Neh. 4, 17. Tob 2, 19. Prov. 31, 26. Act. 20, 31. Rom. 15, 19. 2. Cor. 11, 27. 1. Theſſ. 2, 9. 2. Theſſ. 3, 7. 8.

8. *Ignaviæ mala diſpoſitio*, illa enim generat
 1. indigentiam; Prov. 6, 10. & 10, 4. 5. & 12, 24. & 18, 9. Eccl. 10, 18.
 2. deſideriorum carentiam; Prov. 12, 27. & 13, 4. & 21, 25.
 3. tentationum diabolicarum abundantiam. Matth. 12, 44. Vide D. Gerh. Schol. piet. lib. 5. cap. 13. f. 177. ſeqq.

2. In Specie operam dent 1. Eccleſiarum miniſtri fideles, ut bene præſint officio ſuo, ob oculos ſibi ſtatuentes — Miniſtri verbi officium ſedulò faciant & cur.
 1. *Apoſtolica præcepta*; 1. Tim. 1, 18. & 3, 2. ſeq. & 4, 8. 12. & 6, 11. 2. Tim. 2, 15. 22. Tit. 1, 7. 8. & 2, 7.
 2. *Multiplicia commoda*; 1. Tim. 4, 12.
 3. *Incommoda & ſcandala*; Rom. 2, 21. 22. 24. Tit. 2, 7.
 4. *divinarum comminationum pondera*; Pſal. 50, 16. 17. 18. 19. 20. Matth. 5, 13. 19. Luc. 14, 34.
 5. *Piorum Eccleſiæ Doctorum exempla*: 1. Petr. 5, 4. Luc. 24, 19. 1. Cor. 9, 27. & 11, 1.
 6. *Abſurda* vitæ & loquelæ diſcrepantia: Luc. 4, 23.

2. Rerumpublicarum gubernatores attendant — Magiſtratus ſit in officio diligens & cur.
 1. *DEI præcipientis majeſtatem*: Deut. 17, 17. 19. 20. Joſ. 1, 8. Pſal. 2, 10. Exod. 18, 21. 2. Par. 19, 7.
 2. *rationis reddendæ neceſſitatem*: Sap. 6, 2. 3. 4. 5.
 3. *Statûs ſui dignitatem*: Exod. 22, 8. Pſal. 82, 7. Joh. 10, 34.

Digitized by Google

4. *ſummam pietatis utilitatem:* Sir. 10, 2.

5. *extremam impietatis damnoſitatem:*

Oeconomi 3. Rei familiaris adminiſtratores ſua habent hinc inde in ſacris ἑρμηνήεια. 1. Tim. 5, 4. Deut. 6, 6. 7. Gen. 18, 19. Pſal. 112, 2. Vide plura apud D. Gerh. in Schol. piet. lib. 1. cap. 12. f. 275. & ſeqq. Cum quibus confer quæ de officio Doctorum & auditorum in Eccleſia idē auctor habet, lib. 3. Schol. piet. cap. 29. f. 487. ſeqq.

Auditorū requiſita. 3. Auditorum verbi eſt, bonos eſſe piſces; idq; requirit

1. *DEUM ante omnia quærere;* Eſa. 55, 6. Luc. 10, 16. Oſe. 4, 6. 1. Theſſ. 4, 8. Jac. 1, 21.
2. *Cultum DEI fideliter promovere.* Tob. 4, 9. Sir. 4, 36. Prov. 3, 9.
3. *Laborem præ otio eligere;* vide præced.
4. *Crucem non faſtidire:*
5. *Pietati & humilitati in proſpero rerum ſtatu vel maximè operam dare:*
6. *De fine vitæ indeſinenter cogitare;* omnia enim tandem deſerenda. Pſal. 49, 18. 1. Tim. 6, 7.
7. *In omni fortuna CHRISTUM ſectari.* Volunt omnes, dicebat olim Bernhardus, CHRISTŌ frui, at non & imitari. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non ſequi. Matth. 19, 21. Joh. 6. 65. 66. Sequelam verò CHRISTI in nobis excitet

Sequendus Chriſtus.

1. *ipſius mandatum:* Levit. 11, 44 & 19, 2. Matth. 11, 29. Joh. 13, 15. Matth. 4, 19. & 5, 19. Act. 1, 1.
2. *CHRISTI nomen & officium:* Joh. 14, 6. & 8, 12. & 13, 13. 14. 15. & 10, 27. Apoc. 14, 4. 1. Petr. 2, 21.
3. *Divinum decretum:* Rom. 8, 29. Act 14, 22. 1. Cor. 15, 49.
4. *Veri Chriſtiani proprium:* Matth. 16, 24 Luc. 9, 23. Joh. 12, 26. 1. Joh. 2, 6. Phil. 2, 5. Joh. 14, 15. & 15, 14. Matth. 11, 29.
5. *Neceſſarium:* Luc. 14, 27.
6. *Paſſionis Dominicæ ſpeculum:* 1. Petr. 2, 21. 2. Cor. 3, 18.
7. *Sanctorum exemplum:* 1. Cor. 11, 1. Apoc. 14, 4.
8. *Multiplex commodum:* Joh. 8, 12.
9. *Conſequens damnum:* Luc 1, 23. 1. Joh 3, 7. D Gerh. lib. 2. Schol. piet. cap. 15. f. 253. ſeqq.

Benedictionis divinæ media. 4. Monemur inſuper, (1) ut requiſita acquirendæ benedictionis divinæ, pro depellenda inopia, cum Petro ſtudioſè obſervemus,

1. CHRI-

Digitized by Google

1. *CHRISTUM in naviculam adſumendo*; Pſal. 73, 26. Rom. 8, 31.
2. *ferias docente CHRISTO agendo;*
3. *ardenter orando;*
4. *in laboribus vocationis vires intendendo;*
5. *certâ fiduciâ ab auxilio divino in nomine JESU pendendo;*
6. *indignitatem noſtram confitendo*. Vide Dn. Monr. p. 126. 127.

(2.) Ut fugiamus invidiam, auxilium aliis denegantes. Ib. p. 128.

III. Conſolatorius.

1. Quòd quærentibus regnum DEI adjiciatur panis quotidianus & copioſa benedictio. Levit. 26, 3. Matth. 6, 33. Dn. Monr. p. 122.

2. Quòd licet in hac vita non rarò rumpantur retia, & fruſtrà laboremus, poſt reſurrectionem, in futura vita omnia futura ſint integra, nec ulli mutationi obnoxia. Ib. pag. 128.

3. Quòd per beatum obitum & glorioſam reſurrectionem, relictis omnibus caducis, cum gaudio CHRISTUM ſequemur. Sap. 5, 16. Matth. 19, 29. Ib. p. 129.

4. Solatium ingens fluit ex paterna DEI providentis cura, qui ſuis de omnibus, tam corporis, quam animæ bonis proſpiciet. Pſal. 37, 4.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, ex captura Petri Pontificis Rom. primatum exſtruere, magnô quidem, ſed planè irritô conatu, adlaborantium. Scriptura enim allegorica non eſt argumentativa. Et vocatio non ſolum Petrum, ſed reliquos etiam Apoſtolos, uti ex Matth. 4, 19 patet, concernit. Primatum verò ejusmodi Petrus ipſe ferre noluit; 1. Pet. 5, 3. CHRISTUS omninò prohibuit: Luc. 22, 25. Quem ſibi dum Papa Rom. inſolenter arrogat, ipſiſſimum ſeſe Antichriſtum conſtituit, quem Filius tandem DEI Spiritu oris ſui conficiat, & claritate adventûs ſui aboleat! 2. Theſſ. 2, 8. Amen.

Papiſtæ à Petro ad Papæ primatum malè concludunt.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Agit hoc Evangelium de miraculoſa Petri piſcatione. Nos uſum ejusdem potiſſimum reſpicientes, diſpiciemus, *quò quisq; pactò*

rectè

Digitized by Google

rete vocationis ſuæ cum fructu laxare queat, ut inde captura bona, h.e. multiplex utilitas ad DEI gloriam & proximi ſalutem ſubſequatur.

Ἐξήγησις.

Rete ergò vocationis ſuæ cùm fructu multo laxaturus, attendat diligenter,

I. *Populum ad CHRISTUM adcurrentem.* Is enim tantâ ardet cupiditate ac deſideriô audiendi CHRISTUM, ut ipſum premat & locô moveat. Græcus textus habet, ἐν τῷ ἐπικεῖσθαι, Theophylactus ait: *Fugit Dominus gloriam, quæ eum ob hoc magis ſequebatur. Igitur urgente turbâ in navim ingreditur, ut vel à nave doceat in littore ſtantes, omnibus è regione comparentibus, & nullô à tergo veniente.* Omnia verbô ſanctificantur: Ergò labor etiam vocationis noſtræ. 1.Tim.4,5.Matth.6,33.

Quærite mortales primùm cæleſtia regna;
Sic reliquæ vobis adjicientur opes.

Pſal.34,11. Nos omnia inversô ordine agimus, ſecundum illud,

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Templum poſt nummos!

Quid igitur mirum, benedictionem multis verti in maledictionem? Eſa.19,5.& ſeqq. Jer.16,16. Hagg.1,6.ſeqq. Pſal 127,12. In Papatu majori diligentia & frequentiâ acceditur ad Miſſæ idololatricæ auſcultationem, horas canonicas, & alia hujusmodi ἀνθρώπων ἐντάλματα; Matth 15,9 quæ nihil niſi inanes ἐθελοθρησκείαι. Col.2,23. Imitemur Pſalmiſtam: Pſal 26,9.& 27,4.& 73,28.& 84,1.& 122,1. Sic vives benè; ſic eris beatus, ſic proſperè ſuccedet piſcatio. Theophylactus: *poſtquam turbam è navi docuit, Dominum navis non reliquit irremuneratum.*

II. *CHRISTUM concionantem.* Λόγος erat Patris: itaq; nil niſi λόγον Θεοῦ prædicat, cujus audiendi gratiâ populus tantô numerô convenerat. Nobis prælucent verbum hoc in omni vitæ genere. Hac enim face præeunte, nulli errabimus, ſed proſperô rerum omnium ſucceſſu gaudebimus. Pſal.119,105. 2.Petr.1,19. Joh.5,39. Dirigit enim Verbum Chriſtianos

Verbum fax vitæ.

Verbi vis.

1. *in fidei confirmatione;* Jac.1,21. Rom.1,16. Gal.1,8. Etiamſi nos, aut Angelus è cœlo prædicaverit vobis Evangelium, præter id, quod prædicavimus vobis, anathema ſit. Anathema itaq; ſunt *Papiſtæ*, qui traditiones Papæ non ſcriptas, pari reverentiâ, pariq; pietatis affectu cùm Verbo DEI ſcripto acci-

Papiſtæ anathema. Calviniani & Photiniani.

accipiendas & obſervandas eſſe contendunt. Anathema ſunt *Calviniani*, qui rationem verbo præferentes, ad ejuſdem amuſſim articulos fidei ſtabiliunt & dijudicant. Anathema ſunt *Photiniani*, qui nihil credendum ſtatuunt, quod repugnat rationi. Sic enim Oſtorodus: Nemo tenetur, ut credat verum eſſe id, quod intellectus ſive ratio clarè teſtatur eſſe falſum.

2. *In boneſta cujusq; functione.* Verbi miniſtri dictum ſibi putent, quod legitur 1. Tim. 4, 13. 2. Tim. 4, 2. Magiſtratûs politici, quod exſtat Joſ. 1, 8. Eſa. 49, 23. Sap. 1, 1. & 6, 4. ſeqq. Deut. 17, 18. 19. & ita conſequenter. Confer tabellam oeconomicam Catechiſmi.

3. *In controverſiarum dijudicatione.* Eſa. 8, 20. Deut. 4, 1. & 5, 32. & 12, 31. Prov. 30, 6. Ezech. 20, 18. 2. Tim. 3, 16.

III. *Dominum mandantem* vel præcipientem. Finitâ concione jubet Petrum laborare, idq; requirit divina Labor.

1. *ordinatio*; Gen. 3, 19. Job. 5, 7. Eccl. 6, 7. Sir. 7, 6. 1. Theſſ. 4, 11.
2. *benedictio*; Pſal. 128, 2. Prov. 10, 22.
3. *maledictio.* Jer. 48, 10. Oſe. 8, 7.

IV. *Petrum querulantem*: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Similes querelæ paſſim audiuntur: cauſæ non ab omnibus uniusmodi allegantur. Alii cauſas quærunt,

1. *in temeraria fortunæ rotatione*; alii
2. *in ſtellarum conſtitutione & diſpoſitione*; alii
3. *in Evangelii prædicatione*, id quod à Pontificiis falsò noſtris Eccleſiis objici novimus. Jer. 44, 18.

Veræ cauſæ, ex Scripturis depromtæ, ſunt,

1. *fidelium probatio*, qui & ipſi interdum eſurire coguntur. Gen. 12, 10. & 26, 1. & 41, 1. & ſeqq. Matth. 4, 2. 1. Pet. 4, 17.
2. *Impiorum punitio.* Deut. 28, 15. & ſeqq. Eſa. 3, 2.

V. *Petrum rectè procedentem*: laxat enim ille poſt concionem auditam rete in verbo CHRISTI. Coloſſ. 3, 17. Nos rectè quoq; procedemus,

1. *orando*; 1. Tim. 4, 5. Pſal. 9, 11. & 50, 15. & 65, 3. Matth. 7, 7.
2. *πλουτεαγμοσύνῃ vitando*; vide diſp. præced.
3. *Verbum obſervando.* Joſ. 1, 8. Pſal. 127, 3. Joh. 15, 14.

VI. CHRISTUM *miracula edentem*. hodieq; ſimilia patrat. Pſal. 8, 7. 8. & 104, 27. 28. & 145, 15. 16. Jac. 1, 16.

VII. Petrum cum ſociis dividentem: Prov. 5,16. Pſal. 112, 5. Luc. 6, 38. 2. Cor. 9, 7. Divide cum ſociis, cum quibus eſſe cupis.

IIX. Petrum pœnitentem, ſeſeq; humiliantem. Gen. 18, 27. & 32, 10. Pſal. 115, 1. 2. Sam. 7, 18. 1. Cor. 4, 7. Theophylactus: *porrò multâ reverentiâ Petrus rogat JESUM, ut navi excedat, peccatorem ſeipſum dicens, & indignum illius converſatione.*

IX. CHRISTUM vocantem, quem promtô animô ſequi debemus,

1. *verbum ejus audientes;*
2. *piſces capientes*, h. e. officium gnaviter facientes;
3. *omnia propter ipſum deſerentes;* & deniq;
4. *libenter morientes.* Luc. 2, 29. Nam

ſi moriendum tandem aliquando eſt, cur hodie non!

Oremus cum Eccleſia: *DEUS, qui diligentibus te bona inviſibilia preparâſti: infunde cordibus noſtris amoris tui adfectum, ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium exſuperant, conſequamur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA VI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 5. à verſ. 20. ad 27.

20. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἐὰν μὴ πε-
Luc. 11, 19. ρισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν
πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρι-
σαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασι-
λείαν τῶν οὐρανῶν.

Exod. 20, 21. Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρ-
13. χαίοις, οὐ φονεύσεις· ὃς δ' ἂν φονεύσῃ,
Levit. 24, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει.
19.
Deut. 5, 17. 22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς
ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰ-
κῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. ὃς δ' ἂν εἴ-
πῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακὰ, ἔνοχος
ἔσται τῷ συνεδρίῳ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ, μω-

20. *DIco enim vobis; Niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs quàm Scribarum & Phariſæorum, non poſſitis ingredi in regnum cælorum.*

21. *Audiſtis, quòd dictum eſt veteribus, non occides: quisquis autem occiderit, obnoxius erit judicio.*

22. *At ego dico vobis, quòd quisquis iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius erit judicio: quicunq; verò dixerit fratri ſuo, racha, obnoxius erit concilio quisquis autem*

ρὲ,

ρὲ, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, κἀκεῖ μνησθῇς, ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατά σου.

24. Ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν, πρόσφερε τὸ δῶρόν σου.

25. Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ, μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.

26. Ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

dixerit, ſatue, obnoxius erit gehennæ incendio.

23. Itaq; ſi obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adverſum te;

24. Relinque illinc munus tuum coram altari, & abi priùs reconcilieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.

25. Habeto benevolentiam cum adverſario tuo citò, dum es in via cum illo; ne quando te tradat adverſarius judici, & judex te tradat miniſtro, & in carcerem conjiciaris. Luc. 12, 58.

26. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolveris extremum quadrantem.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PArs eſt Evangelium præſens concionis illius Catecheticæ, quam in monte quodam Galilææ Salvator CHRISTUS ad erudiendum diſcipulos, omnesq; adeò Chriſtianos, de præcipuis pietatis capitibus, prolixè habuit. Eſt autem generis partim didaſcalici, partim deliberativi: & didaſcalici quidem, in doctrina de juſtitia duplici, & quinti præcepti explicatione: deliberativi verò in loco de reconciliatione fraterna. Unde ſtatim emergit ipſa Evangelii οἰκονομία ſive diſtributio in tres partes, quarum

I. *juſtitiæ Phariſaicæ rejectionem;*
II. *quinti præcepti expoſitionem;*
III *fraternæ ac mutuæ reconciliationis ſuaſionem* continet.

PARS I.

Propoſitio partis primæ poteſt conſtitui iſtiusmodi: Juſtitia Scribarum & Phariſæorum vobis eſt ad ſalutem inutilis.

Ratio 1. *à minori*; quia minor; h. e. inſufficiens eſt, collata ad veram & abundantem juſtitiam.

2. *Ab effectu*, quia damnat; vel à privativè oppoſitis; quia non poteſtis per eam ingredi in regnum cœlorum. Unde talis fit collectio Syllogiſtica:

Quæcunq; juſtitia minor eſt, nec homines participes efficit regni cœlorum, illa eſt inutilis & rejicienda:

Talis verò eſt juſtitia Scribarum & Phariſæorum:

Ergò inutilis & rejicienda, & ἐπομένως quærenda alia, & quidem melior, abundantior, qua poſſimus ſalvi fieri.

Juſtitia Phariſæorum. Quæritur hoc locò, quænam fuerit illa, à CHRISTO reprobata Phariſæorum & Scribarum juſtitia: Reſp. Ea tota erat poſita in externo obſequio. Putabant enim cum Scribis Phariſæi, Legi DEI ſatisfactum eſſe, ſi quis factis & dictis exterioribus in illam non impingeret, ſed externas vitæ ſuæ actiones ita gubernaret, ut propter ſummam vitæ ſanctimoniam, virtutisq; atq; innocentiæ ſtudium, a nemine hominum juſtè ullius turpitudinis poſſet convinci. *Phariſæiſmus.* Quæ etiam cauſa fuit, quod in perfunctoria hac operum juſtitia ſummam ſalutis ſuæ collocarent miſeri. Interiorem verò cordis, mentis ac Spiritûs obedientiam in lege DEI requiri, vel ignorabant prorſus, vel de internis adfectibus, ἀταξίᾳ & immunditie virium humanarum ita ſentiebant, facilè ea omnia poſſe condonari, modò quis ab externis delictis ſibi caveat. Exempla habemus Luc. 18. & Matth. 19. Sed talem juſtitiam, tanquam inſufficientem, mancam, mutilam, CHRISTUS hac ſuâ cenſurâ ἀκριβεστέρῃ, & judiciô longè ſublimiori, ad Orcum uſq; damnat & detrudit, diſertis verbis adfirmans, niſi Chriſtiani meliorem habeant juſtitiam, quàm qualem ſibi imaginantur Scribæ & Phariſæi, non poſſe illos ingredi regnum cœlorum. Qui verò non ingreditur regnum cœlorum, illi ad infernum neceſſariò eſt commigrandum.

Phariſæorum & Scribarum differentia. Obiter & hoc notetur, fuiſſe aliquam inter Phariſæos & Scribas apud Judæos differentiam. Phariſæi erant principes, doctores, profeſſores & interpretes Legis; Scribæ erant in officio conſiſtoriali publico, Judices quaſi conſtituti, qui in cauſis graviſſimis ſententias ferebant.

Pori-

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Montibus Chriſtus delectatus fuit.

I. In Scriptura ſacra N. T. advertere eſt, CHRISTUM montibus delectatum, in montibus multa & magna operatum fuiſſe. D. Finck. Centur. 3. can. 62.

Juſtitia quadruplex.

II. Scriptura juſtitiam nobis monſtrat quadruplicem, quarum

1. eſt juſtitia naturæ integræ, vel juſtitia Legis perfecta, quæ oritur ex plenaria & perfecta Legis impletione, quam habebat Adamus ante lapſum; jam poſt lapſum in terris nuſpiam reperitur; requiritur illa quidem ab omnibus hominibus; reſtituetur autem in vita æterna. Deut. 6, 5. Levit. 19, 18. Luc. 10, 28. 2. Cor. 5, 2. 3. 2. Pet. 3, 13.
2. Juſtitia carnis ſive politica dicitur, quæ externam locomotivam regit, & in non renatis quandoq; reperitur. Huic potiſſimum operam dabant Phariſæi, quos CHRISTUS hoc locô perſtringit.
3. Juſtitia imputata, quæ conſiſtit in peccatorum remisſione, & meriti CHRISTI per fidem imputatione. Pſal. 32, 1. Rom. 3, 24. 25. & 4, 7. 1. Cor. 1, 30. Eph. 2, 8. 9. Tit. 3, 4. 5. 6.
4. Juſtitia novæ obedientiæ inchoata, quæ eſt in renatis Imperfecta quidem illa, placet tamen propter CHRISTUM fide adprehenſum.

Juſtitia Phariſaica.

III. Juſtitia Phariſaica quæ & qualis, quibusq; vitiis contaminata ſit, docet prolixè D. Theodor. pag. 464. 465. 466.

Lege non juſtificamur.

IV. Lege itaq; & externis Legis operibus nemo in conſpectu DEI juſtificabitur. Rom. 3, 20. & 4, 4. & 8, 3. Gal. 2, 16. & 3, 21. & 5, 2. 3. Phil. 3, 5. & ſeqq. Perfectè enim impleri nequit. Jac. 2, 10. & 3, 2. Eſa. 64, 6. Luc. 17, 10.

Juſtitia Papiſtarũ ad ſalutem inutilis.

V. Pontificiorum juſtitia eſt & ipſa ad ſalutem hominis planè inutilis; quia non tam ovum ovo ſimile, quam Phariſæorum doctrina & vita doctrinæ & vitæ Papiſtarum, Jeſuitarum maximè. Utriq; enim vel in ſolidum adſignant operibus & cultibus ſuis, propria intentione electis, juſtitiam; vel partem aliquam juſtitiæ illis adſuunt, facultatem Scripturas interpretandi pro lubitu ſibi rapientes; Matth. 23, 2. traditiones & ἐντάλματα ἀνθρώπων jactantes; Matth. 15, 6. concupiſcentiam interiorem cordis eſſe peccatum negantes; Matth. 15, 19. juſtitiæ propriæ fidentes; Rom. 10, 3. hypocriticam inprimis ſan-

ctitatis ſpeciem variis externis geſtibus & operibus venantes. Matth. 6. & 23.

Juſtitia opus eſt ad ſalutem.

VI. Sine juſtitia nemo ſalvatur; quia ad ingreſſum regni cœlorum juſtitiâ aliquâ, eaq; verâ, opus eſſe ſignificatur: Eph.4,24. Col. 3,8: quod contra Photinianorum deliria probè notandum.

Juſtitiâ propriâ homo non juſtificatur.

VII. Propriâ ſuâ juſtitiâ nullus hominum poteſt juſtificari. Phil.3,9. Act.15,20. Rom.3,9. & 7,4. & 8,37. Prov.20,9. Joh.5,45. Gal.4,21.

IIX. Perfectior igitur & melior juſtitia nobis quærenda. Vide D.Theodor.pag.467.

Juſtitia melior quærenda.

IX. Quæ verò ſit melior illa juſtitia, quâ ſolâ coram DEO juſtificamur, ex dictis facilè colligitur. Definitur illa perfectâ Legis impletione; quæ cùm in nobis inveniri nequeat, quærenda eſt in eo, qui eſt τὸ τέλος νόμου, perfectio Legis ad juſtificationem omni credenti. Rom.10,4.

Juſtitia Chriſti.

X. Juſtitia illa nulla eſt alia, quàm CHRISTI juſtitia, per fidem nobis imputata, de qua Jer.23,6. Eſa.53,11. Rom.4,11. Gen.15,6. 2.Cor.5,21. & alibi. Dicitur in N.T. juſtitia fidei, & juſtitia Evangelii. Rom.4,13. & 10,6.

Juſtificatio quid.

XI. Juſtitia vel juſtificatio illa hominis definitur actio DEI, quâ hominem peccatorem, credentem in CHRISTUM, gratuitâ ſua miſericordia, & propter meritum CHRISTI à peccatis, eorumq; æternis ſuppliciis abſolvit, & remiſſis peccatis, per fidem illi perfectam juſtitiam Salvatoris imputat. Rom.3,26. & 4,5.

Juſtificationis definitio Papiſtica.

XII. Pontificii ita definiunt: Eſt motus mentis, quô movetur à DEO, à ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ. Cenſur.col. p.140.141. Vide locos & libellos methodicos in articulo juſtificationis, præ ceteris D.Hafenreff.pag.m.378.& ſeqq. σύνοψιν hujus articuli habet Tholdius pag.680.681.682.

Juſtitia fidei non excludit opera.

XIII. Juſtitia illa fidei Evangelica non excludit opera, quæ fidem ſalvificam ſponte comitantur. Gal.5,6. Jac.2,18.

Puccianiſmus.

XIV. Non in quavis religione homo ſalvatur, qui ante annos aliquot Franciſci Puccii error fuit nocentiſſimus, multorumq; adhuc dum animos, inter politicos maximè, occupavit. Eph.4,5.

Turcæ quandoq; Chriſtianis meliores.

XV. Cavendum interea modis omnibus, ne juſtitia noſtra ſit deterior Turcarum, aliorumq; non renatorum extra Eccleſiam juſtitiâ, qui ſtudiô virtutis, & fuga vitiorum multos non rarò Chriſtianorum infinitis paraſangis poſt ſe relinquunt. Rom.2,24.

XVI.

XVI. Hæreticos nominatim perſtringere publicè, CHRISTI & Apoſtolorum exemplô licere, ad oculum patet; ſed & errores absq; concilio damnare, rejicere & reprobare conceſſum eſt: illud Calvinianis, hoc Pontificiis opponimus. *Hæreticos nominatim perſtringere licet.*

PARS II.

Audivimus CHRISTUM Phariſæorum juſtitiam improbantem & rejicientem; jam eundem ut Legis divinæ ἐξηγητὴν quoq; audiemus. Quia enim Phariſæi & Scribæ Legem DEI ſuis depravationibus corruperant; ideoq; CHRISTUS verum ejus ſenſum, veramq; interpretationem prodit, exemplô quinti præcepti commonſtrans, quàm longè Phariſæorum gloſſæ à vero & genuino Legis divinæ ſenſu diſtent. Non itaq; ſuam explicationem opponit CHRISTUS ipſi Legi DEI; ſed pravis Phariſæorum interpretationibus; ut ita hæc expoſitio ſit tantummodò quædam doctrinæ Legis à corruptelis Phariſæorum repurgatio. *Legem Chriſtus repurgat.*

Ceterùm in ἐξηγήσεως ſive ἐπανορθώσεως illa ſua procedit CHRISTUS à θέσεως ad ἀντίθεσιν. Θέσις habet Phariſæorum ψευδερμηνείαν ac doctrinam, quà quintum præceptum exponebant de externo ſolummodò & craſſo homicidio. Audiſtis, inquit CHRISTUS, quòd dictum ſit antiquis, (ἀρχαῖοι hoc locô dicuntur proximè ſuperiores & paulò vetuſtiores. Act. 6, 14. & 21, 16.) non occides: q. d. res vobis eſt nota, vel ex Phariſæorum & Scribarum doctrina, qui Moſen ſolent interpretari populo, non eſſe occidendum: quisquis autem occiderit, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, tenebitur pœnis Legis, dignus eſt qui judicio ſiſtatur, ad cenſuram de facti qualitate, an ſciens & volens fecerit, an verò per imprudentiam. Hæc ſunt verba veteris traditionis, quæ illud docent, quòd Phariſæi exiſtimaverint, ea tantùm peccata rea eſſe coram judicio DEI pœnæ æternæ, quæ juxta forenſes Moſis Leges civili judiciô morte puniebantur, ut homicidium. Exod. 21, 12. Facilem igitur putârunt quinti præcepti impletionem. Quia autem hæc interpretatio longè à ſcopo aberrat, (1) in eo, quòd legem homicidii de facto ſaltem interpretetur; (2) & pœnas homicidii enervet, ideoq; ſequitur. *ἀρχαῖοι*

Ἀντίθεσις CHRISTI, interpretationem iſtam Phariſæorum corrigens, & alios inſuper homicidii interni gradûs conſtituens. At ego dico vobis, pro illa nimirum auctoritate, quam ut Meſſias, Spiritu ſan- *Homicidii gradûs.*

tu ſanctô unctus, à Patre in miniſterio meo accepi, committi etiam homicidium

Ira homicidium. 1. *corde, per iræ virulentiam.* Quiſquis enim iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius erit judicio. Quis verò frater? In ſacris Scripturis quatuor modis homines fratres dicuntur: (1) *naturâ*, ſic Eſau & Jacob erant fratres: Gen. 27, 6. (2) *Gente*, ita Judæi omnes dicebantur fratres: Deut. 15, 7. & 17, 15. (3) *Cognatione*, qui de eadem ſunt familia, ut Loth & Abraham: Gen. 13, 8. (4) *Adfectu*, quô pactô omnes Chriſtiani paſſim fratres dicuntur. Atq; hoc ſignificatu hic accipimus. Nam *frater noſter nullus eſt, niſi qui eundem nobiſcũ habet Patrem.* Hieronymus. Porrò iræ nomine comprehenduntur omnes interiores motus, in mente, voluntate & corde, non congruentes cum norma quinti præcepti, ſeu pugnantes cum caritate proximi. Sic ira definitur, quòd ſit commotio animi, propter offenſionem aliquam malè cupientis proximo, & meditantis ultionem. Additur in quibusdam Græcis exemplaribus vocula εἰκῆ, temerè, ſine evidenti cauſa, ut diſtinguatur ira officii ab ira peccati; hæc prohibita, illa non item: quia *non iraſci, ubi iraſcendum eſt, eſt nolle peccatum emendare.* D. Chemnitius ex Auguſtino probat, non rectè addi particulam iſtam; quam & Hieronymus dicit eſſe ſuppoſititiam, & hoc locô planè eradendam. D. Gerhardus Tom. 6. L. C. pag. 1163. hinc refutat argumentum Anabaptiſtarum, ex hoc dicto ſic arguentium: Si non licet fratri iraſci, multò minùs licebit bellô ipſum petere. Reſp. (1) In quibusdam Græcis exemplaribus additur particula εἰκῆ temerè, ſine cauſa; in Syr. אִיקָא, ubi paraphraſtes Græcum εἰκῆ ſuæ linguæ accommodavit, quæ lectio probatur Chryſoſt. homil. 16. in Matth. & Laurent. Vallæ; Sic ergò ira temeraria & injuſta duntaxat intelligitur prohibita. (2) Quamvis verò Hieron. in comment. & Auguſt. l. 1. retract. cap. 19. negent, in vetuſtioribus codicib. particulam illam haberi, res ipſa tamen certa eſt, videl. à CHRISTO nequaquam omnem omninò iram prohiberi, cùm zelus quidam bonus & ſanctus à Spiritu S. commendetur; ſed eam duntaxat, quæ ex privatæ vindictæ cupiditate oritur, quæ ob leves offenſiones à privatis concipitur, quæ modum excedit, quæ non DEI gloriam, ſed privatæ vindictæ expletionem quærit. (3) Ergò ut quædam ira; ſic etiam bella quædam ſunt licita, in quibus non temeritas ac levitas, ſed æquitas & neceſſitas ſpectatur. Hactenus ille.

Margin notes: *Fratres quadruplices.* — *Iræ nomine quid veniat.* — *Ira quid.* — *εἰκῆ.* — *Anabaptiſmus de bello.*

Quiſquis verò temerè, ex privato adfectu, odio, invidia &c. iraſcitur proximo, is obnoxius erit judicio. In Græco eſt vocabulum

ἔνοχος,

ἔνοχος, quod Genitivo junctum, reatum criminis; cum Dativo rea- ἔνοχος.
tum pœnæ ſignificat. D. Chemnit. harm. Evang. cap. 51. Eſſe autem
obnoxium judicio DEI, non tantùm diſcuſſionem & examen, ſed & Judicio obnoxius.
damnationem ac pœnam innuit. Judicium, ut & hoc addamus,
apud Judæos in tres ordines erat diſtributum. (1) In primo ſedebant
triumviri, pronunciantes de cauſis manifeſti juris, ut de pœna homi- Judicium
cidii. (2) In ſecundo erant 23. Judices, judicantes de cauſis, quæ apud Judd.
aliquid habebant controverſiæ. Erat hoc parvum συνέδριον, in triplex.
qualibet civitate peculiare. (3) Tertium judicium erat Hieroſoly-
mis, 72. conſtans Judicibus, qui de ſummis cauſis cognoſcebant.
Dicebatur illud Sanhedrin, vel Synedrium majus. Patet inde, quid Sanhedrin.
ſit reum eſſe judicio; nimirùm obligatum ſeu obnoxium teneri ad
damnationem; judició ſcilicet non humanô, ſed divinô, ubi homo
temerè, injuſtè, immoderatè fratri ſuo iraſcens, ut homicida accu-
ſatur & damnatur. Frater per ſynecdochen ſpeciei dicitur, quivis
proximus, qui ratione creationis & redemtionis frater noſter eſt.

2. Fit etiam vel committitur homicidium *geſtu, & ſignificatio-ne indignationis externa*; quando ira animô concepta non jam intra præcordia ſeſe continet, ſed inimicô vultu geſtibusq; totius corporis in malas imprecationes ſeſe exonerat, diris omnibus proximum devovens. Quisquis enim dixerit fratri ſuo racha, (ab Hebræo רֵיק vel Racha. רֵק, quod vanum, inanem, nihili hominem, ſine cerebro Hieronymo ſignificat; quemadmodum Jud. 9, 4. 2. Par. 13, 7. 2. Reg. 6, 20. רֵקִים homines perditi, vagi & errones (loſe Leute) dicuntur. Sed melior eſt Auguſtini ſententia, qui dicit eſſe Interjectionem, animi commoti, indignantis, frementis, minantis, ſpernentis, exſpuentis, pfui dich an.) h. e. affectûs interiores eò progredi permittit, ut externis ſignis ſe prodant; reus erit Synedriô, vel judicio parvo, ex 23. Judicibus conſtante, ſiſti, & veluti membrum putidum reſecari.

3. Homicidium committitur *verbis apertis*: Quisquis enim dixerit fratri ſuo, fatue: (nominat autem id, quod in convitiis leviſ- Fatuus.
ſimum putatur, ut inde a minori reliqua majora convitia & maledicta
æſtimentur:) vel aliud quidvis convitium, calumniam aut contume-
liam, quâ fama alicujus læditur, dixerit; is reus erit majori Synedrio
ſiſti, & incendio gehennæ adjudicari. Gehenna ſignificat ſupplici- Gehenna.
um infernale, defluxitq; ex Hebræo Ge-Hinnom, h. e. vallis filii
Hinnom. Eſt locus prope Hieroſolymam verſus Orientem amœniſſi-

Digitized by Google

mus, arboribus conſitus & fontibus irriguus, in prædio viri cujusdam, Hinnom dicti, in quo Judæi ſacrificabant idolo Moloch humanas victimas, quod ſacrificium adeò diſplicebat Domino, ut minaretur, eos viciſſim mactandos eſſe in ea valle. Unde factum, ut gehennæ vox, pro loco ſuppliciorum, cruciandis in æternum impiis deſtinato, ſumeretur. Vide plura apud D.D.Chemnitium d.l.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Antiquitas. I. Non quicquid antiquitatis nomine nobis obtruditur, ſtatim eſt acceptandum. Antiquus eſt ſatanas, ſerpens antiquus; Apoc. 12, 9. antiquus error Baalitarum; antiquus Mahometiſmus. *Nobis antiquitas eſt* JESUS CHRISTUS, Ignatius. Dan. 7, 13. Et *Dominus noſter* JESUS CHRISTUS *veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit.* Tertullian.

Eccleſiæ nota non eſt antiquitas. II. Errant igitur Pontificii, antiquitatem veræ Eccleſiæ notam infallibilem conſtituentes; quia

1. CHRISTUS ipſe errores graviſſimos in antiquis Legis interpretibus notavit & deprehendit:
2. antiquitas veræ Eccleſiæ non eſt propria; nam & ſynagoga ſatanæ antiqua eſt, immò antiquior etiam Romanenſium Eccleſiâ:
3. antiquitas ſine vera doctrina eſt erroris vetuſtas:
4. poteſt eſſe Eccleſia vera, quæ non eſt antiquiſſima:
5. antiquum & novum non ſunt notæ Eccleſiæ intrinſecæ, ſed adfectiones accidentales, quæ ex temporis circumſtantia fluunt, rebus inhærentes. Taceo, quòd Romana Eccleſia nova dogmata, Prophetis & Apoſtolis incognita, defendit; quin igitur & ipſa nova ſit, & non antiqua Eccleſia, nemini cordato poteſt eſſe dubium.

Antiquiſſimum veriſſimum. III. Aliàs verus eſt canon Theologicus: antiquiſſimum quodq; veriſſimum, adulterinum verò quod poſterius. Intelligendus autem cum grano ſalis, quod monſtrat D.Finck.cent. 1. can. 91. ubi in hanc ſententiam invenies & plura, & pulcra.

Chriſtus non eſt legiſlator. IV. Sophiſtam & agyrtam agit Bellarminus, ex CHRISTO legiſlatorem vel Legis potius concionatorem efficere adlaborans, quia in Evangelio leges, comminationes & promiſſiones cum & ſub conditione

tione obedientiæ contineri ſtatuit. Quod attinet (inquit) leges propriè dictas, id probamus ex cap. 5. Matth. ubi Dominus confirmat, explicat & perficit legem Moſis de homicidio, adulterio, perjurio & ſimilibus rebus. Nam quod reverâ Dominus eam legem, ut à ſe explicatam, ſervari velit, perſpicuum eſt ex modo loquendi, Ego dico vobis, quæ verba legiſlatorem propriè decent.

V. Reſp. (1) fatemur ultrò, legem etiam moralem ad Chriſtianos pertinere. (2) CHRISTUS & Apoſtoli prædicarunt non ſolum Evangelium propriè ſic dictum, de gratuita peccatorum propter CHRISTUM Mediatorem condonatione, ac de publico exhibiti Meſſiæ præconio, quæ pars miniſterii ipſorum fuit præcipua; ſed & Legis miniſteriô uſi ſunt, variis omninò de cauſis, cumprimis ut Legis moralis doctrina, a corruptelis Phariſaicis vindicata, priſtino ſuo nitori reſtitueretur; ut ad peccati agnitionem & deſiderium gratiæ homines vel ſecuri, vel propriæ juſtitiæ perſuaſione turgidi, perducerentur; ut norma bonorum operum renatis proponeretur: Rom. 3, 20. ut à calumniis Phariſæorum ac Pſeudo Apoſtolorum ſe liberarent, ac ſi eſſent, adverſarii & deſtructores Legis; ut perverſæ Evangelii interpretationi iretur obviam, ac ſi carnalis vivendi licentia fuiſſet introducta.

VI. Pervertitur (3) ſtatus quæſtionis: non controvertitur de eo, an CHRISTUS unà cum Evangelii doctrina Legem etiam propoſuerit; ſed quæ ſit genuina ac propria Evangelii doctrina. (4) CHRISTUS ſuum illud, ego dico, ſæpiùs repetit, tùm quia erat verus Legis Dominus; tùm quia hanc authenticam ſuam Legis explicationem corruptelis Phariſaicis cum auctoritate opponere voluit. Vide plura apud D.Gerh.Tom.3,L.C.pag.448.& ſeqq.

VII. De comminationibus in Evangelio ſeu doctrina N. T. contentis quid ſtatuendum docet idem Gerh.p.452. & ſeq. de promiſſionibus conditionalibus Evangelio permiſtis p.456. Comminationes in Evangelio.

IIX. An CHRISTUS novus ſit Legiſlator explicat idem pag. 521. & ſeqq. eò Lectorem remitto. Integram quinti præcepti quinti explicationem, ratione virtutum & vitiorum invenies pag. 218. & ſeqq.

IX. CHRISTUS non diſputat h.l. contra Legem Moſis, ſed gloſſas & interpretationes Scribarum corrigit. Non ergò novus vel N. T. Legiſlator. Sed neq; conſilia Evangelica, qualia Papiſtæ fingunt, proponere voluit; quin potius obſequium præſcriptum ſtrictè requirit. Confer D.Gerh.Tom.3.L.C. pag. 521. Conſilia Evangelica ignorat Chriſtus.

Digitized by Google

Legis perfectio. X. Summa eſt Legis perfectio, exteriori hominis obedientiâ non contenta; ſed interiorem mentis & Spiritûs cum norma juſtitiæ divinæ convenientiam poſtulans. Matth. 22, 37. Deut. 6, 5. Rom. 7, 14. D. Theod. p. 469.

Antinomi. XI. Non audiendi itaq; ſunt Antinomi, qui nullum Legis uſum eſſe in Eccleſia, blaſphemè clamitant; ad patibulum ergò Moſen eſſe relegandum. CHRISTUS enim non venit ſolvere Legem. Matth. 5, 17. Vide locos Theol. de triplici Legis uſu.

ἀντιθετικ. etiam docenda. XII. Sinceram Eccleſiæ doctrinam non tantùm *θετικῶς*, ſed & *ἀντιθετικῶς* eſſe proponendam, ſuô nos exemplo docuit Salvator.

Lex impoſſibilis in hac vita. XIII. Patet ex ſublimi hac Legis expoſitione, impletionem ejusdem in hac vita nobis eſſe impoſſibilem. Act. 15, 10. Rom. 7, 21. & 8, 3. & 10, 4. Gal. 3, 21.

XIV. Probatur id, quod jam modò diximus, contra Pontificios,

1. *ex ſumma Legis divinæ perfectione*; Rom. 7, 14.
2. *ex totali*, per peccatum originis facta, *virium humanarum corruptione*; Gen. 6, 5. Job. 14, 4. Pſal. 51, 7. Joh. 3, 6. Rom. 3, 11. Eph. 2, 3.
3. *ex meriti CHRISTI latitudine vel intenſione*; Gal. 3, 21. Rom. 8, 3.
4. *ex ſanctorum confeſſione & deprecatione*. Pſal. 32, 6. & 130, 3. & 143, 2. Eſa. 64, 6. Dan. 9, 16. 1. Joh. 1, 8. 9.
5. *ex carnis & Spiritûs dimicatione*. Rom. 7, 24. Gal. 5, 17.

XV. Homo ab homine non eſt occidendus. Gen. 9, 6. Levit. 24, 17. Num. 35, 30. Deut. 19, 11. Vide D. Theod. p. 467.

Homicidium quotuplex. XVI. Homicidium aliud eſt neceſſarium, Magiſtratûs officium ſpectans; Gen. 9, 6. Rom. 13, 4. aliud voluntarium, ex malo propoſito ortum, quale Caini Gen. 4, 8; aliud defenſorium; aliud caſuale vel fortuitum.

Eccleſia errat. XVII. Eccleſia poteſt errare: Eccleſia enim Judaica erravit. Matth. 23, 2. & 16, 6. Pſal. 116, 11. 1. Reg. 19, 10.

Ira conceſſa. XIIX. Eſt ira quædam legitima, conceſſa & licita, eorum cumprimis, qui in publico officio ſunt, & dicitur propriè zelus: ſed certis ille eſt limitibus circumſcriptus, ut fiat

1. ex juſtâ occaſione;
2. deliberatô conſiliô;
3. amore DEI & juſtitiæ;
4. non adverſus hominem;

5. con-

5. contra offenſam DEI & proximi potiùs, quàm noſtram;
6. intra metas vocationis;
7. cum moderamine caritatis. Num. 25, 8. 1 Reg. 19, 14. Pſal. 139, 21. Gal. 6, 1. Jer. 1, 19.

XIX. Eſt & ira illicita, illegitima & damnabilis, quæ ad vindictam privatam ac prohibitam animum inſtigat, illa verò modis omnibus deteſtanda & fugienda; quia **Ira illicita**

1. hominem ratione quodammodo exuit: *Ira furor brevis eſt:* Prov. 12, 16. Eccl. 7, 10.
2. hominem facit beſtiam: Sir. 26, 23.
3. Spiritum ſanctum perturbat & ejicit: Gal. 5, 20.
4. Vitam ante tempus abrumpit. Sir. 30, 26. Audiamus Paulum Eph. 4, 20. ex Pſal. 4, 5. adde Jac. 1, 19. 20.

Tres hominem occulti multant crudeliter hoſtes;
Præcox lingua, ferox ira, libido protax.

Confer D. Theodor. pag. 470.

XX. Fruſtra laborant Eſavvitæ, dum quædam peccata ſuâ naturâ eſſe venialia ex Matth. 5, 22. probare conantur. Vide D. Gerhard. Tom. 2. L. C. pag. 751. 752. 753. 754. **Peccata venialia nulla.**

XXI. A conviciis, jurgiis, inſectationibus, odioſis adpellationibus, cognomentis & injuriis quibusvis nobis ſtudioſè temperemus. Sap. 5, 4. 5. Sir. 5, 18. & 28, 15. & ſeqq. Col. 3, 8. Gal. 5, 20. 1. Petr. 2, 23.

XXII. Sed non tàm cor ab iratis motibus, quàm corpus ab incompoſitis geſtibus moderandum cenſet D. Theod. p. 471. 472.

XXIII. Concupiſcentia cordis prava eſt peccatum. Rom 6, 12. & 7, 8. 1. Joh. 3, 4. Jac. 1, 14. 15. **Concupiſcentia.**

XXIV. Adparet ex hoc textu Evangelico, illud quoq; peccata non eſſe æqualia; quia inter pœnas quoque eſt inæqualitas. Luc. 12, 47. **Peccata inæqualia.**

XXV. Hinc Canon ille Theologicus: In Scriptura ſacra peccatum peccatô aliô eſt gravius. D. Finck cent. 3. can. 52.

XXVI. De magnitudine peccatorum & de ira DEI adverſus peccata, non eſt pronunciandum ex judicio humano, ſed divino. 1. Cor. 4, 3.

XXVII. Nullum peccatum ex ſe & per ſe eſt veniale, uſq; adeò ut ira etiam inter peccata damnantia numeretur. Gal. 5, 20. Col 3, 9. 1. Joh. 3, 15. Deut. 27, 26. Jac. 1, 10. Rom. 6, 23. **Ira peccatum damnans.**

Digitized by Google

XXIIX. Frivolum eſt, quòd Eſavvitæ ex hoc loco planè ἀλόγως καὶ ἀσυλλογίστως concludunt: CHRISTUS dicit; Audiſtis: Ergò non licet cuivis legere Scripturam. Legere enim & audire non ſunt ἀντιφατικῶς oppoſita, ſed ὑπαλλήλως ſubordinata. Et Matth. 24, 15. dicitur, qui legit attendat. Atq; huc uſq; ſecundæ partis ἐξήγησις; reſtat tertia.

PARS III.

Reconciliationis præceptum.

Explicationi igitur quinti præcepti jam in fine ſubjungit CHRISTUS Salvator, remedii quaſi locô contra iracundiam & odium, ſalutarem de mutua reconciliatione commonefactionem. Facilè enim in vita humana fieri poteſt, ut aliquis alterum vel dictô vel factô offendat. Tota autem προτροπὴ ſive exhortatio duabus includitur regulis.

Pars lædẽs deprecetur culpã.

I. Prima regula, *partem lædentem* concernens, de ſpontanea deprecatione monet; ubi notetur

1, *reconciliationis ineundæ tempus*; quando offers munus tuum ad altare, (in prima tabula) & recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid adverſus te, (in ſecunda tabula) non cogites, DEUM hoc non curare, modò offeras ſacrificia ſed relinquens munus tuum ad altare, abi priùs &c. Loquitur autem V.T. more ac ſtilô; & phraſis forenſis eſt de parte læſa, quæ cauſam habet conquerendi de aliquo, & litigandi in judicio. Similis phraſis habetur Act. 19, 33. & 24, 20. Apoc. 2. Act. 14.

2. *Reconciliationis modus*; abi & reconciliare fratri; q. d. ne pudeat te deprecari. Auguſt. *petat veniam, qui fecit injuriam, det veniam, qui accepit injuriam.* Chryſoſtomus attendit Græcum διαλλάγηθι, & putat, illud tàm offendenti, quàm offenſo convenire; quære reconciliationem, & patere te reconciliari: h. e. ſi tibi cum aliquo non benè convenit, ſed alius inimicitias tecum gerit, ſive meritas, ſive immeritas, da operam, ut fiat compoſitio, ſive petendo reconciliationem, ſi læſiſti; ſive dimittendo, ſi læſus es.

3. *Suaſionis rationes*; quarum deſumitur

1. *à relatis*, quia eſt frater tuus: Ergô non habes cauſam ipſi iraſcendi.

2. *A fruſtraneo* vel inutili; quia ſi offeres DEO, vel coles DEUM animô iracundiâ ebriô, fiet ut omni fructu careat cultus tuus. Sine mutua enim reconciliatione non potes eſſe gratus & acceptus DEI cultor,

Digitized by Google

cultor; ſi vel maximè precioſiſſima quæq; offeras. Cultus planè irritus eſt, & DEUM non placat, niſi placatus fueris cum proximo tuo. Et hoc lædentis eſt officium. M. Chriſtian. Thold. p. 677.

II. Secunda regula *parti læſæ* præſcripta, talis eſt: Si is, qui te læſit, vel verbis, vel factis, veniam petierit, tu, qui læſus es, ne ſis nimium moroſus & rigidus alteri parti, tolerabiles rationes ineundæ, reſtaurandæ ac firmandæ pacis & concordiæ offerenti; ne nega conditionem, ſed confeſtim absq; omni mora te illi benevolum & placabilem exhibe. ἴσθι εὐνοῶν, eſto benevolus, habeto vel exhibeto benevolentiam, de jure etiam tuo aliquid remittens.

Ratio vel cauſa impulſiva ſumitur *à periculoſo*; dum adhuc es in via, h. e. in hac vita, quæ quaſi via eſt ad judicium DEI: q. d. neſcis, quam diu ſis victurus: Ergò non alas odia, ſimultates iras & inimicitias erga proximum in pectore plumbeas, ne opinione citiùs moriaris & pereas in peccatis tuis. Vita via.

Illuſtratur ſimili à judicio humano, propoſitâ pœnâ, quæ parata ſit omnibus, qui ad reconciliationem fuerint difficiles: ne adverſarius te tradat judici, h. e. conqueratur de tua immiſericordia, rigiditate & implacabilitate, & Judex juſtè judicans DEus, te tradat miniſtro infernali, & conjiciaris in carcerem gehennæ, nullam concedens debiti relaxationem, ſed exigens extremam & ſtrictiſſimam debiti perſolutionem in carcere. Amen dico tibi, non exibis illinc &c. h. e. agetur tecum ſecundum ἀκριβοδίκαιον ſeu ſummum juſtitiæ rigorem. In ultimo enim judicio non erit locus tranſactioni ſeu reconciliationi, & ex inferno nulla eſt redemtio; ibi exigetur à te omne debitum tuum, uſq; ad extremum quadrantem: quam ſolutionem rigidam cùm præſtare ſit impoſſibile, æternis pœnis eam exſolvere neceſſum fuerit. Loquitur CHRISTUS allegoricè, ex conſuetudine civilis judicii, ubi debitor ſummô jure damnatus, ſi non habet in ære, luat in corpore, ut debitum reddat; Matth. 18, 34. vel ſi eam præſtare non poteſt, perpetua captivitate mulctetur. Ἀντίδικος eſt adverſarius cauſæ & litis, qui actor in foro vocatur; quanquam Luc. 18, 3. etiam de reo accipiatur; ſed circumſtantiæ textûs oſtendunt, de actore hoc locô dici, qui tradit reum judici ad incarcerandum. Κοδράντης vel quadrans ſignificat in ſacris literis monetam minutiſſimam. Luc. 12, 59. dicitur ἔσχατον λεπτὸν, ultimum minutum, eſtq; quarta pars aſſis, continens tres uncias, anderthalb Heller/ ein Scherff. ἀντίδικος. κοδράντης.

Pori-

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Petituri à DEO remiſſionem peccatorum, priùs reconciliationem cum proximo ineamus. Jer. 5, 7. Sir. 28, 2. & ſeqq. Matth. 6, 14. & 18, 35.

Reconciliatio cum proximo præcedat divinam.

II. Violatio ergò caritatis proximi intercludit aditum ad DEUM. Marc. 11, 25. 1. Cor. 13, 3.

III. Hinc principalis doctrina hujus partis eſt de reconciliatione mutua, de qua vide plura ſuprà Domin 4. Trinit. & infra Domin. 22. Trinit. Confer etiam D. Theod. p. 473. 474.

Reconciliatio mutua.

IV. Impœnitentes & inter hos ἀδιακατάλλακτοι ad S.S. Cœnæ uſum non ſunt admittendi. Matth. 7, 6.

Implacabiles ad cœnam non admittendi.

V. Pars lædens faciat initium reconciliationis: pars læſa non ſit difficilis ad condonationem, exemplò Joſephi, Gen. 50, 19. Davidis 2. Sam. 19, 23. CHRISTI. Luc. 23, 34. 1. Tim. 2, 8. Vide D. Theod. p. 475. 476.

VI. Cultus divinus nullus absq; animo reconciliato DEO gratus. D. Theod. p. 474.

Reconciliationis modus.

VII. Modus reconciliationis eſto talis: (1) auctor diſcordiæ ſit primus auctor concordiæ; (2) qua re læſiſti proximum, ea re eum placa: Exod. 21, 28. Levit. 6, 5. Num. 5, 7. Luc. 19, 8. (3) Lædens erratum fatere & deprecare: Luc. 17, 4. læſus ignoſce, & pacis amans ſis: Matth. 18, 35. Luc. 17, 3. Gen. 50, 18. 2. Sam. 18, 9. (4) Si lædenti paululum factum & injuria exprobretur, æquè ferat, nec hoc diſrumpat propoſitum: Gen. 31, 36. & 45, 4. Sir. 19, 13. & 22, 34. (5) Si offenſus implacabilis reſpuat vel impediat reconciliationem, offenſor (1) habeat animum placandi cupidum: (2) oret pro adverſario: (3) media omnia pacificationis tentet: (4) queratur DEO, & mentem illi ſuam exponat, & cum ipſo reconcilietur: (5) fruatur cum bona conſcientia, nec adverſarium denuò irritet, ſed vitet. Habet hanc σωώοψιν reconciliationis M. Thold. p. 685. 686.

Adverſarium vita.

IIX. Graviter halucinantur Calviniani, confeſſionem auricularem, qualis in noſtris Eccleſiis hodieq; viget, inde evertere præſumentes, quia CHRISTUS non ad Sacerdotem, ſed ad fratrem offenſum nos remiſerit: ſubordinata enim non pugnant, neq; ſe mutuò evertunt. De cauſis retentæ confeſſionis privatæ conſule locos & libellos methodicos.

Calvinianiſmus de confeſſione.

IX. In

Digitized by Google

IX. In hac vita pœnitentiæ ſolummodò eſt locus. Vide D. Theodor. pag. 478. Pœnitentia eſt hujus vitæ.

X. Clauſula Evangelii non patrocinatur purgatorio Pontificiorum Platonico & ementito. Vide D. Chemnit. harm. Evang. cap. 51. pag. m. 734. & Vindic. Evang. D. Meelführ. h.l. theſ. 150. & D. Theodor. p. 478. 479. Purgatorium.

XI. Laterem lavant, quando in vocula donec cauſæ ſuæ morbidæ patrocinium quærunt. Particulæ enim ejuſmodi, priusquam, donec, uſq; &c. terminum temporis aliquando ita ſignificant, ut illud, quod ante illum terminum temporis removetur, poſtea factum fuiſſe intelligatur, uti annotavit D. Chemnit. harmon. Evangel. cap. 7. pag. m. 86. Gen. 19, 22. Levit. 12, 4. Actor. 25, 16. Et addit: Aliquando verò particulæ illæ terminum temporis ita deſcribunt, ut de præcedente tempore, de quo vel dubium aliquod eſſe poterat, vel quod maximè ſcire intererat, expreſsè adfirment vel negent, unde quaſi ex contrario ſenſu de tempore ſequenti conſequentiæ texi nec poſſunt, nec debent, h. e. ita negat præteritum, ut non ponat futurum. Gen. 8, 7. 1. Reg. 15, 35. 2. Sam. 6. 23. Pſal. 110, 1. & 123, 4. Matth. 28, 20. Donec.

XII. In inferno pœnarum ſunt futuri gradûs. Matth. 5, 22. & 10, 15. & 11, 16. & 23, 13. Luc. 12, 13. 47. Apoc. 18, 6. Nam & in vita æterna gradûs futuri ſunt gloriæ. Matth. 22, 30. & 25, 20. Marc. 5, 10. & 19, 29. & 20, 9. Apoc. 4, 4. 6. & 6, 9. & 7, 4. Pœnarum gradus in inferno.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Agit Salvator ac Doctor noſter divinitùs miſſus JESUS CHRISTUS Legis interpretem, oſtendens, patere illam longè altiùs & latiùs, quam Phariſæi ac Scribæ ſibi imaginabantur, aliiſq; falsò perſuadere conabantur. Quantopere autem diſtet externa, ſimulata & imperfecta Phariſæorum juſtitia ab ea, quam Lex requirit, quinti & ſexti præcepti declaratione edocet; eum ſolummodò in finem, ut CHRISTI diſcipuli, omneſq; adeò fideles, intellecta mente Legis propria, de alia abundantiore & perfectiore juſtitia ſint ſoliciti. Nos audiamus

I. CHRISTI concionem; &

II. adnexam ejus admonitionem.

PARS I.

In concione hac ſua tria potiſſimùm tractat Salvator;

Digitized by Google

I. *Phariſæorum juſtitiam improbat* & reprobat, tanquam inutilem & planè inidoneam, ad regni cœleſtis participationem.

II. *Meliorem juſtitiam à ſuis diſcipulis poſtulat;* verbis: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra:* q. d. niſi meliorem habueritis juſtitiam, & perfectiorem Legi obedientiam præſtiteritis, quàm Phariſæi ac Scribæ, non poteſtis intrare in regnum cœlorum. Lex enim requirit perfectiſſimam omnibusq; ſuis numeris abſolutiſſimam impletionem, ùt non modò externis operibus, verùm etiam internis cogitationibus, & corde adeò totô ea præſtentur exactiſſimè, quæ à Lege requiruntur. Scribæ autem & Phariſæi (ut de ipſorum doctrina paucis aliquid moneamus) falsò opinabantur,

Legis perfectio.

Phariſaiſmus.

1. Legem DEI requirere externam tantummodò obedientiam;
2. prohiberi in eâ externa duntaxat malefacta & peccata crudiora;
3. Legi DEI ſe ſatisfeciſſe, ſi externa Legis opera utcunq; faciant;
4. hinc Legem ſervatu impoſſibilem non eſſe, Matth. 19, 20. juſtificabant itaq; ſeipſos; Luc. 10, 29. & 18, 9. bonaq; opera ſaltem faciebant, πρὸς τὸ θεαθῆναι. Matth 6, 1.
5. Majorum traditiones præter Legem eſſe obſervandas, & pari quidem, ſi non majori pietatis adfectu, quàm ipſam Legem. Matth. 12, 15. 23.
6. Sacrificia facta ex opere operato eſſe grata & ad ſalutem ſufficientia.

At contrà CHRISTUS longè perfectiorem & exquiſitiorem Legis obſervationem requirit, non certè ut doceat, nos Legis obſervatione illâ coram DEO juſtificari: (nemo enim hominum Legem DEI perfectè ſervat) ſed ut agnitâ noſtrâ miſeriâ, imperfectione & injuſtitiâ ad ipſum, Mediatorem & Salvatorem mundi, confugiamus, & per fidem in illum juſtificemur ac ſalvemur. Ceterùm CHRISTUM Legem, Moſaicam, lege perfectiore traditâ, non correxiſſe, veluti Jeſuitæ loquuntur, perfeciſſe; neq; conſilia pro perfectis & Monachis hic tradidiſſe, rationibus quibusdam in medium productis probat D. Pelarg. quæſt. in Matth. f. 72. 73.

Chriſtus legem non perfecit, nec conſilia tradidit.

III. *Quintum præceptum ſecundum interiorem ac ſpiritualem ejus intellectum explicat.* Conſtituit autē homicidiū geminū; unū externū alterū internum. Externū committitur manu, de quo ſonant verba: Audiſtis, quòd dictū ſit antiquis, nō occides Tria in his verbis ſūt memorabilia:

Homicidium quotuplex.

Antiqui.

1. quid per antiquos intelligat; nimirùm Judæorum majores, non eos, qui tempore Moſis, ſed poſt tempora Maccabæorum vixerant.

rant. Non enim ſimpliciter recitat verba Legis ex Decalogo, ſed eam doctrinam, quæ à temporibus Maccabæorum in Eccleſia DEI perverſè tradi cœperat.

2. Ipſa Legis ſententia, ex Decalogo deſumta.

3. Interpretatio Legis, ex Scholis Phariſæorum & Scribarum petita, & ad pœnam homicidii externi ſolummodò accommodata. Quia verò interpretatio iſthæc errabat multis modis,

   1. legem homicidii de facto duntaxat externo exponendo;
   2. pœnas ejuſdem enervando: (Lex enim non ita dicit, obnoxius erit judicio; ſed, fundetur ſanguis ejus; Gen. 9, 6. morte moriatur. Exod. 21, 12. Levit. 24, 17. Num. 35, 16. Deut. 19, 12.)

   ideoq; CHRISTUS verum Legis ſenſum aperiendo, de interno quoq; homicidio quintum præceptum interpretatur. Addit igitur tres interni etiam homicidii ſive ſpecies, ſive gradûs. Occiditur enim proximus quoq; Homicidii interni ſpecies.

1. *Corde per iracundiam.* Neq; enim is tantùm homicida eſt coram DEO, qui ſanguinis profuſione hominem interficit; ſed etiam is, qui virulentâ irâ contra proximum ſuum commovetur, ut ipſum odio habeat. DEUS enim non minùs pravos adfectûs cordis, quàm ſcelerata facta externorum membrorum videt, odio habet & punit. Inde & is qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicii, h. e. capitalis pœnæ, quæ in judicio decernitur. Agit autem de pœna æterna, quæ in judicio divino peccatis omnibus debetur: non quidem quòd omnia peccata paria ſint; ſed quòd nullum tàm leve ſit peccatum, quin DEUM offendat; & impingat in infinitam ejus juſtitiam. Strabus addit hoc locô: omnem animi motum ad nocendum in homicidium computari. Ira homicidium.

2. *Geſtibus per petulantiam.* Qui dixerit fratri ſuo *ῥακά* (quod indignantis animi nota, cum roncho, faſtu, contemtu & ſputo conjuncta) obnoxius erit *τῷ συνεδρίῳ.* Hieronymus particulam רֵקָא interpretatur vacuum cerebrô, à radice ריק, vanus aut vacuus fuit; aut enim hoc, aut aliud quoddam levius convitium ſignificatur. D. Oſiander ita: Qui iratus fratri, torvis oculis, voce durâ atq; aſperâ, & animō virulentô mala ipſi imprecatur, dignus eſſet coram DEO, qui tanquam homo blaſphemus & cœdem ſpirans, ſynedrio, h. e. judicio 23. virorum, ſiſteretur atq; ibi excommunicaretur. Racha.

3. *Verbis, per contumeliam,* animô nocendi, ſtudiô perdendi. Qui autem dixerit fratri ſuo, fatue, h. e, ex ira virulenta convitiis in eum graſſatus fuerit, ejusq; famam & exiſtimationem honeſtam læſerit, obno-

Digitized by Google

Gehenna. xius eſt coram DEO gehennæ ignis, i. e. æternæ damnationis. Gehenna enim ſignificat extremum & graviſſimum ſupplicium, ab immaniſſimo illo cruciatûs genere, quô infantes vivi idolo Ammonitarum Molech ſacrificabantur & comburebantur. *Multi*, ait Theophylactus, *grave hoc & durum eſſe putant, non eſt autem. Nam qui fratrem ſuum ratione & prudentiâ privat, facitq; ut à nulla differat beſtia, quomodo non dignus gehennâ? Etenim qui ſ[illegible] itiis & contumeliis perſequitur, caritatem deſtruit, quâ deſtructâ, ſimul omnes tolluntur virtutes, ſicut omnes conſervantur eâ ſalvâ. Diſſo[lvit] igitur omnes virtutes qui proximum contumeliâ adficit, dum caritatem dilacerat, & proinde ignis incendiô dignus fuerit.* Hæc ille. Jureconſulti dicunt, *famam & vitam æquiparari*: qui enim famam eripit, ipſam vitam eripuiſſe videtur.

Uſus I. Informatorius.

Juſtitia melior in Chriſto. 1. De meliori & abundantiori, h. e. vera & ſalvifica hominis peccatoris coram DEO juſtitia. Ea non quærenda in Lege, vel operibus ſecundum Legis præſcriptum imperfectè præſtitis. Non quòd Lex ſit imperfecta: eſt enim doctrina ſancta, & præceptum ſanctum, juſtum ac bonum: Rom. 7, 12. factores etiam Legis juſti reputantur: Rom. 2, 13. Sed culpa eſt penes homines, qui Legis juſtitiam implere perfectè non poſſunt. Rom. 7, 14. Prov. 20, 9. Lex requirit perfectam munditiem; nos ſumus immundi. Job. 14, 4. & 15, 16. Eſa. 64, 6. Lex requirit perfectam & ſanctam naturam; nos autem naturâ ſumus filii iræ. Eph. 2, 3. Lex requirit ſanctas cogitationes; jam verò ex corde noſtro multoties procedunt cogitationes pravæ. Matth. 15, 19. Gen. 6, 5. & 8, 21. Melior itaq; ac coram DEO valens juſtitia quærenda eſt in CHRISTO. Jer. 23, 6. 1. Cor. 1, 30. Rom. 10, 4. Definitionem hujus juſtitiæ pete ex libellis methodicis. Notetur hoc locô ejusdem

Juſtificationis per cauſas explicatio. 1. κύριον αἴτιον, cauſa efficiens; juſtificator hominis eſt DEUS. Rom. 3, 26. & 8, 33. Eſa. 43, 25.

2. αἴτιον κινητικὸν, cauſa impellens, reſpectu DEI, eſt gratia, favor, dilectio & miſericordia DEI, quâ ille motus gratis remittit homini peccatori peccata, & per fidem imputat ad ſalutem meritum Filii ſui. Joh. 3, 16. Rom. 3, 24. Eph. 2, 8. Tit. 3, 4. reſpectu noſtri, ingens noſtra miſeria.

3. αἴτιον ὀργανικὸν, cauſa inſtrumentalis, reſpectu DEI offeren-

cis

tis eſt verbum, Sacramenta habens conjuncta, quibus nobis offertur CHRISTUS, cùm univerſo ſuo merito, juſtitia & obedientia, tàm activa, quàm paſſiva. Matth.3,15. & 5,17. Gal.3,13 & 4,5. Rom.3,24. Joh.1,29. 1.Joh.2,2. Reſpectu noſtri eſt fides adprehendens & adplicans ſibi in verbo ac Sacramentis oblatam gratiam. Rom.3,25.28. & 4,5. & 10,4. Act.10,43. Gal.2,16.

4. Formale juſtificationis eſt, remiſſio peccatorum gratuita, & imputatio juſtitiæ CHRISTI per fidem facta. Pſal.32,2. Luc.1,77.

5. ἄιτιον τελικὸν, cauſa finalis, eſt gloria DEI & hominum ſalus. Joh.3,16. Tit.2,14. 1.Pet.1,9. Hæc eſt illa melior & abundantior juſtitia Chriſtianorum, quæ intelligenda eſt πρώτως, primariò & principaliter de juſtitia fidei, δευτέρως κἀὶ ἑπομένως, ſecundariò, conſequenter & minùs principaliter etiam de juſtitia operum inchoata, quæ ex fide profluit. Nam & iſta in Chriſtianis melior & præſtantior eſt juſtitia Phariſaicâ hypocritarum in Papatu, *Chriſtianorum juſtitia operũ inchoata melior Papiſtarum juſtitiâ.*

1. *ratione humilitatis* quâ internam, ſibi adhærentem, agnoſcunt infirmitatem & imperfectionem; Rom. 7, 24. Luc. 18, 13. Pſal.51, 2.
2. *ratione internæ qualitatis*, quâ magis de interiori cordis puritate, quàm externa qualicunq; obedientia ſunt ſoliciti:
3. *ratione promtæ voluntatis*. Pſal.110, 3. Vide de hac juſtitia etiam D.Monrad. theſ. p.132.133.134: Abraham

Credidit & nudæ fidei conſenſio ſola,
Plenam ad juſtitiã & vitæ reputata coronam eſt.

2. De vera Legis natura & intelligentia, quod illa non externam tantùm requirat obedientiam, ſed & internam, quod Phariſæi non attendebant, quorum vulgare erat proverbium, legem quidem manum, ſed non animum prohibere. Levit.19,18. Deut.9,5. Matth.22, 37. Luc.10,27. Matth.5,28. Confer Monrad.p.131.132. *Legis natura & intellectus.*

3. Homicidium grande eſt quinti præcepti peccatum, fugiendum *Homicidium fugiendum.*

1. *ob DEI præcipientis auctoritatem;* Exod. 20, 13. Deut. 5, 17. Matth.19,18. Rom.13,9. 1.Tim.1,9. Jac.2,11.
2. *ob peccati hujus atrocitatem;* ratione
   1. *prohibentis;* Jac.4,12. ubi nobis inſinuatur tùm prohibentis majeſtas; Matth. 10, 28. tùm præcepti perpetuitas; Matth.5,18. Luc.16,17. tùm mandati univerſalitas:
   2. *efficientis*, qui homo, ratione præditus, ad imaginem DEI conditus; Sap.2,23. Chriſtianus; 1.Joh.3,15. &c.

Digitized by Google

3. *impellentis*, diaboli; Joh.8,44. Gen.4,9. Sap.2,24.
4. *objecti recipientis*; Gen.9,6. Rom.14,4. 1.Cor.3,17.
5. *conſequentis*, h. e. pœnæ tàm generalis, Num.35,33.34. Deut.21,1. ſeqq. quàm propriæ & ſpecialis, & temporalis & æternæ. Gen.9,6. Exod.21,12. Levit.24,17. Pſal.55,23. Matth.26,52. Apoc.13,10. Gen.4,10. Gal.5,21.

3. *Ob comminationis ſeveritatem*; Gen.9,5. Exod.21,14.29. Num.35,31. Deut.19,13. 1.Reg.20,42.

4. *Ob pœnarum gravitatem*: Gen.4,11.&49,5. 1.Reg.2,5. Matth.23,35. Vide D.Gerhard.lib.4.Schol.piet. cap.11. fol.94. & ſeqq Ubi ſimul homicidium conſtituit quadruplex; Fit enim & committitur illud, vel opere & factô externô; vel ore; vel geſtibus; vel interioribus cordis motibus. Monſtrat etiã modum ac rationem, quâ peccatum iſthoc poſſit immò debeat evitari; nimirùm

Homicidium quotuplex.

1. *verbi divini meditatione*;
2. *iræ & odii mortificatione*;
3. *ebrietatis devitatione*;
4. *in via vocationis ambulatione*;
5. *diligenti precatione.* Ibid. cap.12. fol.114. & ſeqq.

II. Conſolatorius.

1. Quòd juſtificati fide & adoptati à DEO propter CHRISTUM in regnum DEI, à quo Phariſæi, ſibi ipſis confidentes ſunt excluſi, intremus. D.Monrad.theſ.pag.141.

2. Quòd per abſolutiſſimam CHRISTI ſatisfactionem redemti, non veniemus in judicium. Ib. pag.142.

III. Monitorius.

Caro & cupiditates ſubigẽdæ.

1. Ut corpus, carnem & cupiditates pravas ſubigamus ac compeſcamus, ne in enormia erumpant peccata, ſcelera aut flagitia. Media ſubigendi habet D.Gerh.Schol.piet. lib.2.c.12.

2. In ſpecie monemur de vitanda iracundia, odio proximi, imprecationibus & calũniis, aliiſq; iſtius generis peccatis, contra quinti præcepti normam pugnantibus, & unô homicidii nomine comprehenduntur. Vel, quod eodem recidit, de cavendo quadruplici homicidio, ſive committatur illud, uti diximus;

Homicidium quotuplex.

1. *opere vel factô*; Gen.9,6. Exod.20,13.

1. ma-

1. *manus violentas nobis immittendo;*
2. *ſanitati damnum & vim inferendo;*
3. *incantationibus proximo nocendo;*
4. *impudicè vivendo;*
5. *abortum faciendo;*
6. *victum detrahendo;*
7. *medicinam malè & incautè exercendo;*
8. *mortem proximi cauſando,* malô conſiliô, proditione, inobedientiâ, infectionis peſtilentialis propagatione προαιρετικῇ;
9. *bella non neceſſaria movendo* &c.

2. *Ore vel verbô:*
3. *Geſtu;*
4. *interiore cordis motu.* Vide plura in præced.

IV. Refutatorius.

Jeſuitarum 1. animarum homicidas per inſignem calumniam facientium Eccleſiarum noſtrarum Doctores, hunc in modum inſigniter mentiente Schererô, pag. 485. Hieraus erſcheinet klärlich/was für Seelenmörder die Sectiſchen Prædicanten ſeyn müſſen/ welche mit jhren predigen/lehren vnd ſchreiben/viel 1000. Seelen ermorden. Reſp. 1. Si ſufficit accuſare nemo futurus eſt innocens. 2. Committitur σόφισμα τοῦ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι; probet priùs Eſauvita, quod ex ore ſuo mendaci calumniator eructavit, antequam præjudicialiter damnat eos, qui verbum vitæ (non mortis) purè & ſincerè docent ac proponunt. 3. Utra pars animas falsâ doctrinâ, hominum adinventionibus, præceptis ac næniis occidat, in publica Solis menſa eſt poſitum, & revelabit dies Domini παντοκρατικός. Interim tu quis es, qui ſervum judicas alienum? Rom. 14,4. Papiſtæ homicidas animarum Prædicantes facientes; malè!

2. Juſtitiam coram DEO valentem quærentium non extra nos, ſed in nobis ipſis: Sie iſt/ ſpricht Scherer pag. 489. in vns/ als ein lauter geſchenckte Gabe vnd Gnade Gottes. Item: die Chriſtliche Gerechtigkeit iſt vnſer/vnd in vns. Item, von einer ſolchen Gerechtigkeit die in vns hafftet vnd vnſer eigen iſt/redet Chriſtus im heutigen Evangelio. Urget pronomen VESTRA, idq; ex tripode Cardinalis Bellarmini lib. 3. de Juſtif. c. 12. depromſit. Reſp. σόφισμα eſt παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. Noſtra enim dicitur CHRISTI juſtitia, non quod in nobis orta vel ſita, ſed quia per fidem noſtra facta nobisq; adplicata; unde tam verè dicimur ac ſumus juſti, verè etiam ab omni reatu Papiſmus, de juſtitia in nobis quærenda!

abſol-

abſolvimur, quàm verè CHRISTUS peccatum & peccator dictus eſt, poſtquam ipſi noſtra peccata imputata ſunt & impoſita. Eſa. 53, 5. 6. 2. Cor. 5, 21.

PARS II.

Homines verò cùm ſimus, facilè incidere poteſt ex infirmitate humana animarum diſſenſio & diſtractio, ut iras, adverſus ſe mutuò concipiant, qui amiciſſimè conjunctiſſimeq; vixerunt. Ne igitur immortales fiant iræ, ſimultates & diſſenſiones, jam ſecundò locò monet Servator JESUS CHRISTUS, ut quam celerrimè reconciliatio ſuſcipiatur. Utriq; autem diſſidentium parti, & lædenti & læſæ, peculiarem præſcribit normam, quæ facilem efficiet *καταλλαγήν*.

Propoſitio prioris eſt; *διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου.*

Ratio ab utili per *ἀνάθετον*; ut munus tuum (h. e. cultus tuus) reddatur DEO *εὐάρεστον*. Donum ſiquidem oblatum animô parùm mundô, iràq; ac ſimultatibus plenô, non eſt futurum DEO acceptum. Nam & *ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα*. Utitur autem CHRISTUS verbis ſui ſeculi, quò adhuc ſacrificia vigebant.

Propoſitio poſterioris eſt; *ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ*. *Ratio* 1. *à facili*; adhuc es in via, nondum ad Magiſtratum vel Judicium ventum eſt, ubi tranſactio & reconciliatio facilior. Loquitur enim parabolicè, ſermonem ad conſuetudinem forenſem accommodando.

2. *Ab inutili*; ne Judicis officium contra te imploret; Judex verò ſententiam in te ferat, factis tuis dignam, & per miniſtrum publicum in carcerem te conjiciat. Carcer autem alius intelligi haut poteſt, quam qui deſtinatus eſt homini, animum *δυσκατάλλακτον* ſive irreconciliabilem erga proximum foventi, & cum fratre ſuo in gratiam redire vel convenire iterum nolenti, h. e. infernus.

Uſus I. Informatorius.

Quòd verè ſit Judex, judicium, miniſter, carcer & gehennæ incendium, in quo perverſi Legis violatores, & in turpi odio vitam abſolventes, perpetuò torquebuntur. Monrad. p. 135.

II. Conſolatorius.

Quòd in futuro ſeculo à nobis, quos Filius DEI liberos fecit, ne minimus quidem quadrans poſtulabitur. Col. 2, 14.

III. Mo-

III. Monitorius.

1. Ut reconciliationem cum proximo maturè ineamus. Faciles ac promtos nos reddat, ad hoc caritatis pietatisq; Chriſtianæ officium, *Reconciliatio mutua cur facienda.*

1. *mandati divini auctoritas*, cui ἐξ ἀνάγκης obtemperandum: Deut. 18, 19. Levit. 19, 18. Pſal. 34, 15. Sir. 28, 2. Matth. 5, 44. Col. 3, 13.
2. *Chriſtianiſmi veritas*; aliàs vana eſt gloriatio, ſi cor irâ erga proximum æſtuat; Gal. 5, 14. 1. Cor. 13, 4.
3. *Chriſtianorum fraternitas*; Pſal. 133, 1. & ſeqq.
4. *Cultûs tui vanitas*; Gen. 4, 5. 1. Sam. 15, 22. Luc. 18, 11. Sir. 7, 9.
5. *Vitæ humanæ brevitas*; Eph. 4, 26.
6. *Judicii ſeveritas*; Jac. 2, 13.
7. *Patris cœleſtis lenitas*; ille eſt pars læſa, & tamen homini verè pœnitenti facilè placatur: Pſal. 103, 13. Mich. 7, 18. 19. 2. Cor. 5, 20. Matth. 18, 35.
8. *Pœnæ gravitas*, tortoribus traderis;
9. *Pœnæ æternitas*; Pſal. 49, 15. Eſa. 66, 24.
10. *exemplorum claritas*. Gen. 26, 31. & 50, 19. Num. 12, 12. 2. Sam. 16, 6. & 19, 22.

2. Ut ſi quem læſerimus humiliter culpam deprecemur, & fratri noſtro reconciliemur, non negantes aut excuſantes quod injuſtè admiſſum eſt.

3. Conſimili ratione, ſi à quo læſi ſumus habeamus benevolentiam cum adverſario noſtro. Vide de utroq; Monrad. theſ. pag. 139. 140.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum ex verſ. 25. purgatorium ſuum firmare & ſtabilire adnitentium, carcerem enim hic dici ſomniant. Ruinoſum verò hoc eſſe fundamentum oſtendit D. Gerhard. Tom. 8. L. C. pag. 489. & ſeqq. D. Meelführ. in Vindic. th. 150. 151. D. Echartus in Pandect. cap. 14. pag. 630. 631. eò Lectorem remitto. *Purgatorium.*

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Catecheticam hoc Evangelium complectitur concionem, quam

Via cœli. Διὰ βραχέων nos, ſecuti veſtigia CHRISTI, ſumus enarraturi, *viam monſtraturi, quæ in cœlum ad æternam beatitudinem hominem deducat.*

Ἐξήγησις.

Præſentis thematis διέξοδος ad duo potiſſimum capita redigitur; habentur enim in textu Evangelico,

1. Τὰ φευκτὰ, *fugienda*;
2. Τὰ πρακτὰ, *facienda*; de ſingulis ſeparatim.

I. Τὰ φευκτὰ ſive fugienda h. l. dantur duo:

Juſtitia Phariſæorum. 1. *Falſa Phariſæorum & Scribarum de juſtitia hominis peccatorũ coram* DEO *perſuaſio.* Plura de hoc figmento in præced. diſpoſ. reperies, quò te, amice Lector, brevitatis ſtudiô, remitto. Benè Gregorius: *Omnis humana juſtitia cognoſcitur eſſe injuſtitia, ſi ſtrictò judicatur.* Auguſtinus: *Væ hominum juſtitiæ, quantumvis laudabili, ſi abſq;* DEI *miſericordia judicetur.* Item: *qui ſuâ juſtitiâ vult eſſe juſtus,* CHRISTI *& fidelium juſtitiâ eſt injuſtus.* Subſumant Eſauvitæ de inhærente & propria ſua juſtitia.

Homicidium quotuplex. 2. *Quinti præcepti violatio*, cujus genus eſt homicidium. Illud verò ratione organorum principaliorum in tres ſpecies diſtinguitur. Committitur enim homicidium

1. manu, fuſo cruore. Externum hoc dicitur homicidium, divinitusq; eſt prohibitum. Gen. 9, 6. 1. Joh. 3, 13. Occiditur autem homo
   1. *vel violenter,* προαιρετικῶς, ut Abel Gen. 4, 8. & Amaſa; 2. Samuel. 20, 10.
   2. *vel fraudulenter,* ſub ſpecie amicitiæ, juſtitiæ, recti &c. quale homicidium meditabatur Saul, 1. Sam. 18, 25. quale perpetrabat David, 2. Sam. 11, 14. Abſolon, 2. Sam. 13, 28. Joab, 2. Sam. 3, 27. Ahab. 1. Reg. 21, 13.
   3. *vel negligenter,* ſecundum illud Baſilii: *tot homines occidiſti, quot neglexiſti, ſi juvare potuiſti.* Ita homicidæ ſunt,
      1. *pauperes non curantes;* Luc. 16, 20. 1. Sam. 25, 10.
      2. *liberos & pupillos non benè educantes;*
      3. *pauperum bona* per avaritiam, lucrum, rapinas & fraudes *ad ſe pertrahentes;* Matth. 23, 14. Sir. 34, 25. 26.
      4. *manus ſibi violentas inferentes,* aut alias vitam quacunq; ratione aliâ ſibi adbreviantes. 1. Sam. 31, 5. 6. 2. Sam. 17, 23. 2. Macc. 14, 43. Matth. 27, 5. Hieronymus: *Non recipio ta-*

les ani-

Digitized by Google

les animas, quæ me nolente ex corpore exierunt. Juſtinus: *Chriſtiani ſeipſos non interficiunt, ad ſupplicia autem rapti mortem non reformidant.* Sir.2,14. & 30,22. Rom.13,14.

2. *Corde, ſuffuſo furore:* Ira enim furor brevis eſt, cui qui laxat habenas, ſimultates contra proximum alendo, &c. is reus pronunciatur pœnæ homicidii. Non loquitur autem CHRISTUS Salvator de ira officii, ut in præced. dicebamus; ſed de ira privata, cum nocendi & vindictæ ſtudio conjuncta. Theophylactus attendens vocabulum Græcum εἰκῆ, temerè, (quod tamen in priſcis exemplaribus non legitur, ideoq; à D. Luca Oſiandro eſt expunctum;) ita ſcribit: *Qui iraſcitur fratri ſuo temerè, ille condemnatur. Si autem quis iraſcitur ratione juſta motus, & ut alium erudiat, & ſpirituali zelô, non condemnabitur. Tunc autem temerè iraſcimur, quando propter opes & gloriam.* Fugienda eſt ira propter

Ira cur fugienda.

1. *divinam prohibitionem;* Levit.19,17.18.
2. *ſtultitiæ manifeſtationem;* 1.Sam.25,25. Prov.12.16.
3. *incommodi devitationem;* Job.5,2. Sir.30,26. Prov.23,24. & 29,22. Sir.20,26. & 28,11.
4. *DEI abominationem.* Sir.27,33. Jac.1,19.20.

3. *Linguâ, ſparsô falsô rumore.* Linguam Jac. 1, 8. vocat κακὸν ἀκατάσχετον. Et rectè! Peccat enim & ipſa in proximum

Linguæ peccata.

1. *per detractionem,* ſive contemtum; 2.Sam.15,6. Luc. 18, 11. Rom.12,11.
2. *per obtrectationem;* Levit.19,16. Pſal.50,20. Hab. 3, 5. Sir. 5, 16. Deterreat nos omnes à diabolico hoc vitio
   1. *prohibitionis ſeveritas;* Num.24,9. vid.præced.
   2. *peccati fœditas;* Pſal.140,4. Joh.8,44.
   3. *pœnæ atrocitas.* Sir.28,3.
3. *Per imprecationem.* Qui dixerit ῥακὰ, quod eſt imprecantis & blaſphemantis. Levit.24,10. 2.Macc.15,33. Theophylactus: *Rhaca ſignificat idem quod TU, ut cùm ad aliquem contemtum à nobis dicimus: abi tu. Volens igitur nos & de parvis ſolicitos eſſe, & mutuum venerari, admonet horum.* Et hactenus quidem τὰ φευκτά.

II. Τὰ πρακτὰ, *facienda* concernunt homines inter ſe diſſidentes, partem lædentem & partem læſam.

Præceptum partis lædentis eſt: Deprecandum eſt. Jac.5,16.

Præceptum partis læſæ eſt: condonandum. Utramq; moveat,

1. *mutua propinquitas;* fratres eſtis: Gen. 13, 8. & 45, 24. Pſal. 133,1.

Digitized by Google

2. *Orandi neceſſitas*; loquitur more V. T. Salvator: per ſacrificia intelligit preces, labiorum ſacrificia: Pſal. 51, 17, & 69, 32. Oſe.14,3. 1.Tim.2,8.
3. *Vita inſtabilitas*; Pſal.39,7.
4. *Supplicii gravitas*. Gal.5,20. Apoc.22,15.

Concludimus orantes cum Eccleſia: *DEUS virtutem, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis: & praeſta nobis religionis augmentum, ut quae bona ſunt nutrias, ac pietatis ſtudio, quae nutrita ſunt cuſtodias, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA VII. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Marc. 8. à verſ. 1. ad 10.

Matth.15, 32. 1. ΕΝ ἐκείναις ταῖς ἡμέραις παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι, προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγει αὐτοῖς.

2. Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον· ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι, τί φάγωσι.

3. Καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν, ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ· τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι.

4. Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτων ἐπ᾽ ἐρημίας;

5. Καὶ ἐπηρώτα αὐτούς· πόσους ἔχετε ἄρτους; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.

6. Καὶ παρήγγειλε τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασε καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παραθῶσι· καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ.

1. IN diebus illis cùm turba admodum multa eſſet, nec haberent quod manducarent; accerſitis ad ſe JESUS diſcipulis ſuis, ait illis.

2. Miſericordiâ tangor erga turbam: quia jam triduò manent apud me, nec habent, quod edant.

3. Et ſi dimiſero eos jejunos, in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis è longinquo venerunt.

4. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: unde iſtos quis poterit hîc ſatiare panibus in ſolitudine?

5. Et interrogavit eos: quot panes habetis? Illi verò dixerunt, ſeptem.

6. Et praecepit turbae diſcumbere ſuper terram: & acceptis ſeptem panibus, cùm gratias egiſſet, fregit deditq; diſcipulis ſuis, ut adponerent: & adpoſuerunt turbae.

7. Καὶ

Digitized by Google

7. Καὶ εἶχον ἰχθύδια ὀλίγα. καὶ εὐλογήσας εἶπε, παραθεῖναι καὶ αὐτά.

8. Ἔφαγον δὲ καὶ ἐχορτάσθησαν. καὶ ἦραν περισσεύματα κλασμάτων ἑπτὰ σπυρίδας.

9. Ἦσαν δὲ οἱ φαγόντες ὡς τετρακισχίλιοι· καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς.

7. Et habebant piſciculos paucos: & cùm benedixiſſet, juſſit adponi & hos.

8. Comederunt autem & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant fragmentorum ſeptem ſportas.

9. Erant autem qui comederant fermè quater mille: & dimiſit illos.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PRoponitur in præſenti Evangelio conſolationis efficaciſſimæ plena hiſtoria, de providentia DEI ſpeciali, quam declarat in victu & amictu, Eccleſiæ ſuæ vel miraculosè, ſi aliter fieri nequeat, ſubminiſtrando. Et convenit hoc Evangelium in plerisq; , ſive doctrinam, ſive miraculum ſpectes, cum eô, quod ex Joh. 6. cap. Dominicâ Lætare explicuimus. Eſt autem generis Demonſtrativi: continet enim inſigne CHRISTI miraculum, de quater mille viris, ſeptem panibus & paucis piſciculis, divinâ benedictione accedente, ita ſaturatis, ut poſt cibationem plus fragmentorum relinqueretur, quam cibi initiò eſſet adpoſitum. Partes enarrationis noſtræ jam conſtituemus tres, contemplaturi

I. antecedentia,
II. concomitantia, } miraculi.
III. conſequentia.

PARS I.

Ad primæ partis dilucidationem duo potiſſimùm ſpectant;

I. *Miraculi occaſio*, cui inſerviunt tria;

1. *Temporis circumſtantia*; in diebus illis: quibus quidem verbis tempus ἀόριστον, indeterminatum Evangeliſta Marcus indicat: ſed hiſtoriæ Evangelicæ collatio evincit, factum fuiſſe hoc miraculum poſt ſanatam mulieris Chananææ (Marcus Syrophœniſſam vocat) filiam, , ſurdumq; ac mutum in integrum reſtitutum.

2. *Perſonarum præſentia*; adeſt παμπολὺς ὄχλος, turba ad-

admodum multa & copioſa. Matth. 15, 30. Habes cauſam *προκαταρκτικὴν* remotiorem, populi undequaq; concurrentis *frequentiam*, ejusdemq; in audiendis CHRISTI concionibus *diligentiam*.

3. *Adjuncti evidentia;* non habent neceſſaria ad victum & ſui ſuſtentationem: hæc cauſa *προκαταρκτικὴ* propinquior, *populi* nimirum *indigentia*. Nihil enim cibi ſecum ad iter ſumſerant, non rati, tam diu cum CHRISTO ſeſe manſuros. Eſt ergò argumentum neceſſitatis tale:

Cibò deſtituuntur auditores mei:

Ergò illis per me de victu eſt proſpiciendum. Jam verô non poſſunt ordine conſuetô cibari: miraculoſè igitur. Ubi enim natura deficit, ibi CHRISTI potentia incipit.

II. *Miraculi præparatio.* Continet autem ea, quæ ipſam *θαυματουργίαν* immediatè præceſſerunt; & commemorantur exornata *ἀνακοινώσει*, vel communicatione Rhetoricâ, cum diſcipulis videlicet ſuis, de cibatione futura a CHRISTO inſtituta. Quæritur hoc locô de cauſis, adhibitorum in conſilium diſcipulorum? Hieronymus

Diſcipulos in conſiliū cur adhibuerit Chriſtus.

1. unam ponit: ut magiſtris tribuat exemplum, non ſemper ſpernere cum minoribus conſiliari, & de agendis quandoq; conſulere. Noſtrates adjiciunt inſuper alias, ut
2. inde diſcipuli gloriam, ſublimitatem & majeſtatem miraculi æſtimare diſcant; &
3. ipſi miſericordiæ erga pauperes adſueſcant;
4. ipſe verò Salvator ſuæ *φιλανθρωπίας* ac miſericordiæ latentem adfectum omnibus conſpiciendum quodammodo præbeat.

Ceterùm miraculi hac *παρασκευῇ* tria comprehenduntur:

1. CHRISTI *oratio*, conſtans
   1. *προτάσει*, *propoſitione* inſtituti implicitâ, hoc ſenſu: cibandi ſunt hi auditores mei præſentes.
   2. *κατασκευῇ*, *confirmatione* quâ obliquè adfert argumenta, ad probandam propoſitionem idonea; horum deſumitur
      1. à cauſa *προηγουμένη* impulſiva interiori, vel natura CHRISTI, ipſa nimirùm commiſeratione. *σπλαγχνίζομαι*, inquit, *ἐπὶ τὸν ὄχλον*: quô verbô exprimitur intimæ commiſerationis & ex intimis cordis viſceribus profectæ adfectus: *σπλάγχνα* enim ſunt interna corporis viſcera, ut

σπλαγχνίζομαι

cor.

cor, pulmo, jecur; ut intelligantur per metonymiam cauſæ & metaphoram, omnes materni, ſinceri, intimi & ſerii adfectûs. Miſericordiâ ergò, inquit CHRISTUS Salvator, adficior erga turbam, ita ut ex iſto miſericordiæ ſingularis adfectu viſcera quodammodo commota videantur, ſuper miſeria ſc. turbæ famelicæ.

2. A cauſis tantæ commiſerationis procreantibus, quales ſunt,

1. *auditorum perſeverantia*; triduum manent mecum, ſtudiô nimirùm conciones audiendi, & miracula ſpectandi.

2. *Victûs carentia*; nihil habent, quod edant: quæ enim ſecum attulerunt βρώματα, jampridem abſumta fuerant.

3. *Populi deficientia*; verendum eſt, ſi impaſti abeant, ne in via deficiant. In Græco eſt verbum ἐκλύειν, quod ſignificat, non tantùm defatigari, debilitari; ſed ita diſſolvi manibus pedibusq́;, ut deliquium animi defatigationem nimiam ſubſequatur: q.d. metuendum omninò eſt, ne in via in λειποθυμίαν incidant; vires enim non ſunt pares ferundo tanto itineri; aut certè ſine moleſtia non conficient hoc iter, præſertim mulieres & parvuli, quorum numerus benè magnus. ἐκλύειν.

4. *Loci diſtantia*; quidam enim longiùs advenêre. Ergò ſunt cibandi. Hoc unum in hac miraculi παρασκευῇ.

2. Alterum eſt *diſcipulorum reſponſio*, continens quandam propoſiti, iuſtituti vel conſilii CHRISTI quaſi ἀνασκευὴν ſive refutationem. Opponunt enim illi tàm pio CHRISTI ſtudio tria ἐμποδίσματα, vel cauſas impedientes tres, ab impoſſibili & abſurdô petitas.

1. eſt *proportionis inæqualitas*, inter turbam nimirùm tàm copioſam, & commeatûs tenuitatem. Argumentum ita concludit: *Turba ingens eſt, cui plures etiam panes non ſufficerent:*

Ergò impoſſibilis eſt cibatio. Habemus ſeptem panes, (ita enim παραφράζει Dn. D. Chemnitius cap. 82. harm. Evang.) virorum autem ſunt 4000: Unus panis in quingentas & quinquaginta particulas diſſecandus eſſet: unde vix ad fabæ magnitudinem alicui portiuncula contingeret, ex qua ſatiari non poterit.

2. *Loci incommoditas.* Non ſumus Hieroſolymis, ubi panes magnô

Digitized by Google

magnô numerô venales habentur; ſed in ſolitudine, ubi nihil præter lapides, ligna & gramina.

3. *Alimenti tenuitas*, vel mediorum nullitas: Commeatum habemus exiguum: Ergò res impoſſibilis eſt, etiam in minori hominum turba.

4. *Inediæ diuturnitas*. Triduum apud te perſeveraverunt, unde fames in immenſum crevit, ut fortaſſis integer panis vix uni viro, ſi daretur, fami ſedandæ ſufficeret. Tria itaq; præcipuè opponunt CHRISTI inſtituto;

1. *ſolitudinem;*
2. *populi multitudinem;*
3. *ἐνδείας propriæ magnitudinem.*

3. Tertium eſt *reſponſionis explicatio*, quâ diſcipulorum rationes examinantur, & reipsâ demonſtratur, quantum hac reſponſione ſuâ à vero aberraverint; qua de re parte ſubſequente proximâ mox plura audiemus, ſi prius præcipuas hujus partis obſervationes adnotaverimus.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Ad miraculum præſens ex Decapoli, adeoq; ex finibus Tyri ac Sidonis homines convenerant. Dum itaq; idem miraculum ac beneficium exhibet gentibus, quod alibi Judæis, vel inde non Judæorum modò, ſed & gentium ſeſe Salvatorem comprobavit ſe Chriſtus. Rom. 3, 29.

Pietatis exemplum. II. Exemplum habemus veræ ac ſinceræ pietatis in turba, quæ præter audiendi aviditatem, laudem etiam multitudinis habet. & neglectis rebus omnibus CHRISTUM in deſertum uſque ſequitur, Matth. 10, 38. & 19, 28. 29.

Verbi ſtudium. III. Omne itaq; ſtudium noſtrum audiendo verbo DEI impendamus, non diebus ſaltem feriatis, ſed & profeſtis. Pſal. 99, 4. Eſa. 2, 3. EZech 33, 30. Confer D. Theodor. pag. 484 485.

IV. Crux comes eſt pietatis. 1. Cor. 4, 11. Deut. 8, 23. Pſal. 34, 20.

Eccleſia eget. V. Status Eccleſiæ eſt is, omnibus hujus vitæ præſidiis neceſſariis deſtitui. Hæc enim eſt ſors ſequentium CHRISTUM, quòd egeant & eſuriant. Nam paupertas & miſeria, ſunt teſſera Eccleſiæ; cùm ver-

verbum lucis etiam verbum crucis. Exempla habemus Gen. 12, 10. & 26, 1. & 42, 1. 1. Reg. 17, 18. 19. Act. 11, 28.

VI. Cauſæ cur DEUS fideles ſuos tàm ſtrenuè egere & eſurire ſinat, ſunt — *Cauſæ paupertatis & indigentiæ pioruꝫ.*

1. τιμωρία, pœna peccati, etiam in renatis reliqui;

2. δοκιμασία;

3. calcar deſiderii (ἐπιθυμία) ad vitam meliorem. Auguſtinus: Proſunt mala fidelibus, vel ad emendanda peccata; vel ad exercendam juſtitiam; vel ad cognoſcendam humani generis miſeriam, & quærendam vitam æternam. D. Theod. p. 486.

VII. Totò cœlô errāt, qui rerum penuriam ac famem religionis falſæ argumentum ſtatuunt. D. Theod. p. 486. 487. — *Penuria nō eſt religionis falſæ ſignum.*

IIX. CHRISTUS ſeriâ noſtri & calamitatum noſtrarum curâ ac commiſeratione adficitur, immò noſtros dolores noſtraſq; calamitates ſuas q. facit, & ſentit, quotieſcunq; iniquiori fortuna adfligimur. Hebr. 4, 15. Jer. 31, 20. Oſe. 11, 8. Luc. 1, 78. Mal. 3, 6. Pſal. 37, 25. & 55, 23. & 103, 8. 13. Job. 5, 19. Eſa. 49, 14. — *Chriſti συμπάθεια.*

IX. Conſequens ergò eſt, ſalutem etiam omnium hominum ſeriò ipſum velle. Matth. 11, 28. Joh. 3, 16. Ezech. 18, 23. & 33, 11. Pſal. 30, 4. Eſa. 55, 1. 1. Tim. 2, 4. 2. Petr. 3, 9.

X. Summè itaq; blaſphema eſt, & in miſericordiam DEI ſummè injurioſa vox Bezæ; dicentis: Nullum unquam fuit tempus, neq; futurum eſt unquam, in quo DEUS voluit, aut vult, aut voliturus eſt omnium miſereri. Reſp. ad coll. Mompelg. p. 194. — *Beza blaſphemus in miſericordiam DEI.*

XI. Verus homo eſt CHRISTUS, habens verum corpus, & veram animam rationalem, commiſerationis adfectu præditam. Heb. 4, 15. Hinc conſolatio in anguſtiis efficaciſſima ad pios redundat. Confer D. Theodor. pag. 487. — *Chriſtus homo verus.*

XII. CHRISTUS piis etiam de victu proſpicit neceſſario, ne in via vel vita hac deficiant: Prov. 10, 3. & 30, 8. Pſal. 34, 11. & 37, 25. ita tamen ut potiorem animæ rationem habeat. 1. Cor. 6, 20. 1. Petr. 1, 19. Pſal. 37, 24. & 146, 8. Eſa. 40, 29. — *Chriſtꝰ de victu proſpicit.*

XIII. DEUS itaq; fame ſuos confici & perire haut ſinit. Vide D. Theodor. pag. 488.

XIV. Populi hujus ſtudium & perſeverantia in auſcultatione verbi calcar nobis addat, ut tantò ferventiori zelô & nos verbum audiamus, legamus, diſcamus. Luc. 10, 42. Matth. 6, 33. Contrarium fit à multis. Pſal. 49, 19. & 144, 12. 13. & 17, 14. — *Verbi ſtudium.*

Digitized by Google

Job. 21, 24. Nazianz. *nos vix ingreſſi templum, mox de egreſſu cogitamus.*

Conſiliorũ communicatio. XV. Monemur de communicatione conſiliorum cum aliis, nobis licet inferioribus. Nam

quandoq; eſt olitor valdè opportuna locutus.

Prov. 11, 14. & 24, 6. Sir. 6, 6. & 37, 8. & ſeqq. Job. 12, 12.

Conſolationes auditoribus ſub miniſtrandæ. XVI. Verbi miniſtri auditores ſuos non modò doctrinâ ſanâ inſtruant, ſed firmis etiam conſolationibus adverſus futuras conſcientiæ tentationes præmuniant, ne fortè ignitis diaboli telis ſuccumbant. Gal. 6, 1. Eſa. 40, 1. Pſal. 94, 19. & 119, 92. Jer. 15, 16. 1. Theſſ. 2, 11. & 5, 14. Vide D. Theod. pag. 489.

Magiſtratûs officium. XVII. Magiſtratûs & qui ad gubernacula Reipub. ſedent, ſuos ſibi ſubditos ita commendatos eſſe patiantur, ne ipſorum culpâ deficiant. Gen. 41, 33. Idem quoq; patresfamiliàs faciant. 1. Tim. 5, 8.

Rationis cæcitas. XIIX. Ratio noſtra in judicandis & cognoſcendis operibus divinis cæca eſt. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 10, 5. Rom. 4, 18. & 8, 6. 1. Cor. 1, 19. Joh. 1, 5. & 3, 6. Eph. 5, 8. Matth. 16, 17. In articulis itaq; fidei ad cenſuram admittenda non eſt. Thold p. 701.

Naturæ corruptio. XIX. Diſcipuli obliti prioris miraculi, Joh. 6. monent nos de naturæ noſtræ infirmitate & corruptione, quòd in mundanis quidem, ſive quis nobis benefaciat, ſive nos offendat, tenacem ſatis habeamus memoriam; at in divinis, ſive benefaciat nobis DEUS, ſive nos puniat, facilimè obliviſcamur. Exod. 17, 6. Num. 20, 10. & 11, 22. & 14, 22.

Diffidentia. XX. Diffidentia victûsq; ſolicitudo hominibus omnibus eſt innata. Exod. 16, 3 & 17, 2. 3. Num. 11, 21. Pſal. 78, 20. 2. Reg. 7, 2. Sir. 31, 1. Nos oculos, cor, os & manus Salvatoris CHRISTI intueamur. Pſal. 33, 8. 19. & 34, 18. & 104, 28. & 123, 2. & 136, 25. & 145, 6. Matth. 4, 5. Eſa. 30, 20. & 49, 15. Deut. 8, 16. 2. Reg. 4, 5. 2. Cor. 1, 18. Cyrillus. *DEUS dat ſemper, ſi non ad voluntatem, certè ad neceſſitatem.* D. Theod. p. 489. 490.

Victum acquirendi ratio. XXI. Veram victûs acquirendi rationem monſtrat nobis præſentis Evangelii hiſtoria; ſi nimirùm

1. *DEUM ſincerè colimus*; Col. 3, 17. Matth. 6, 33. Deut. 28, 1. & ſeqq. Levit. 3, 3. & ſeqq. Pſal. 37, 34. & 127, 3. & 128. 1. 2. Jer. 12, 13. Sir. 1, 20. 1. Tim. 4, 8.
2. *Fiducialiter in CHRISTUM ſperemus*: Pſal. 4, 6. & 9, 11. & 25, 2.

25, 1. & 33, 18. & 37, 3. & 62, 9. Eſa. 49, 23. Sir. 2, 11. Prov. 22, 19. Rom. 5, 5.

3. *Ordine procedamus:* Prov. 24, 4. 1. Cor. 14, 33.

4. *Diligenter oremus.*

XXII. Frugalitatis maximè ſtudioſos fuiſſe veteres, vel inde pa-tet, quòd diſcipuli in comitatu univerſo plùs ſeptem panibus non inveniant. Gen. 18, 8. 2. Reg. 4, 20. Dan. 1, 16. Ruth. 2, 14. Hinc proverbium: *Bona diæta, mens quieta; ſimplex cibus & bonus potus.* Cornelius Tacitus de Germanis priſcis ita: quibus cibus ſimplex, poma agreſtia, lac concretum in deliciis. Ambroſius dicebat: *perpetuæ deliciæ, ſunt peccatorum janua.* Et Juvenalis: Frugalitas.

Non vivas, ut edas; ſed edas ut vivere poſſis.

PARS II.

Vidimus antecedentia (*προηγούμενα*) miraculi; jam ſecundô locô ſequitur ipſum miraculum, & quæ illud concomitantur.

(*τὰ συνοδεύοντα ἢ ἅμα ὄντα*) Obſervetur

1. *αἴτιον ποιητικὸν, cauſa efficiens*, Jesus Christus *θεάνθρωπος*, per totam paſſim hiſtoriam inſperſus; hoc verò locô de commeatu, quem diſcipuli habeant, inquirens. Non quærit quaſi ignorans, ſed ut omnibus præſens victualiorum defectus innoteſcat, & miraculum magis magisq; illuſtretur.

2. *αἴτιον ὑλικὸν, cauſa materialis*; ſeptem panes & piſciculi pauci. In Græco eſt diminutivum *ἰχθύδια*, per *μείωσιν*, eſtq; magna extenuatio.

3. *ὄργανα συνεργὰ, cauſæ adjuvantes* cibationem; diſcipuli.

4. *Modus agendi*, exprimens *τὰ πραχθέντα*. Christi. Nam

   1. jubet turbam diſcumbere in terra; hoc ipsò bonam ſpem ipſis faciens futuræ cibationis.
   2. Accipit ſeptem panes cum piſciculis in manus; tùm ut ſeparet panes à communi uſu ad inſtans miraculum; tùm ut omnes ſcirent, nihil præterea cômeatûs eſſe in promtu; tùm ut conſtaret, has eſſe illas ipſas manûs, ex quibus omnis ad nos benedictio profluit. Manûs autem apertio in Scriptura ſacra liberalitatis & munificentiæ ſignum eſt, uti habet D. Finck. centur. 2. can. 98. Manûs apertio.
   3. Gratias agit, ſuſpiciendo nimirùm in cœlum benedicens, & panem ſanctificans ſive conſecrans. 1. Tim. 4, 4.

4. Frangit, ſc. eô fine, ut diſtribuat; & ſic poſtulabat negotium, ut panes inter omnes dividi poſſent; & ſimul cibus in manibus frangentis multiplicaretur.

5. Dat diſcipulis, quos vult teſtes eſſe miraculi, & ita illorum ἀπιστίαν confundere: diſcipuli verô communicant, diſtribuunt & adponunt.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Mediis utendum. I. Mediis à DEO monſtratis eſt utendum. Potuiſſet CHRISTUS ſine panibus paſcere populum; ſed non vult temerè ordinem naturæ mutare. Matth. 4, 4. Deut. 6, 16. & 8, 7. Sir. 3, 28. Vide D. Theodor. pag. 491.

II. Diſcubitus monet de modeſtia & humilitate, quibus virtutibus præditos eſſe decet illos, qui CHRISTI convivæ eſſe volunt.

Sacramenta Papiſtarum ſeptẽ. III. Ridiculi ſunt Papiſtæ, qui à ſeptem panibus ad ſeptem Sacramenta concludunt. A baculo ad angulum.

IV. Cibus cum precatione & gratiarum actione eſt ſumendus Pſal. 145, 15, & 147, 9. Deut. 8, 10. Matth. 26, 30. Act. 2, 42. Col. 3, 17. 1. Tim. 4, 4. 5.

αὐτάρκεια. V. Diſcamus στέργειν τὰ παρόντα, præſentia conſulere. Prov. 12, 9. & 13, 25. & 15, 16. & 16, 8. & 17, 1. Eccl. 4, 6. & 6, 9. Sir. 14, 9. & 31, 3. 22. & 41, 18. 1. Tim. 6, 6. Hebr. 13, 5. D. Theod. p. 492.

Ciborum delectus. VI. Ciborum delectus inſulsè nimis ex hoc Evangelio probatur. D. Theodor. p. 492. 493.

VII. Perinde eſt DEO, ſive multis, ſive paucis nos alere & juvare. 1. Sam. 14, 6. Jud. 7, 2. & ſeqq. 2. Reg. 4, 43. Pſal. 37, 16. Eph. 3, 20. Luc. 12, 16.

IIX. DEUS in ſumma rerum indigentiâ ſuos poteſt alere. Pſal. 33, 19. & 34, 11. & 37, 19. 25.

IX. Frangamus & nos eſurienti panem Eſa. 58, 7.

Obedientia. X. Mandatis DEI ſimpliciter obediamus, quantumvis rationi videatur contrarium. D Theod. p. 493.

Gratiæ Deo agendæ. XI. Pro acceptis donis, cibo præſertim ac potu, DEO ſemper agendæ ſunt gratiæ. Matth. 26, 30. Act. 10, 27. & 21, 4. Deut. 8, 10. Oſe. 2, 8. 1. Cor. 10, 31. 1. Tim. 4, 3. & 6, 17. Idem p. 494.

XII. DEUS panem quotidianum per manus aliorum nobis communicat & diſtribuit. Ib. p. 495.

XIII. Te-

Digitized by Google

XIII. Teſtimonium habemus omnipotentiæ majeſtatis ac Divinitatis CHRISTI; declarat enim ſeſe Dominum naturæ, dum panes iſtos ita multiplicat, ut ſuper omnem naturæ legem liberaliter & ſufficienter alant. Chriſti majeſtas.

PARS III.

Quô eventu paratum ſit hoc miraculum, ſub finem Evangelii narrat Evangeliſta. Continet autem eventus iſte effecta & conſequentia (*τὰ ἑπόμενα*) quinq; ; quorum

1. eſt *populi manducatio;* omnes enim de ſeptem iſtis panibus comederunt. Crevit enim panis in manibus CHRISTI ac diſcipulorum, in manducantium oribus & ventriculis, ut non tantùm comederint, ſed & ſaturati fuerint. Hinc ſequitur
2. *populi exſaturatio;* manducant omnes ad ſaturitatem, quæ teſtimonium eſt, nullis CHRISTUM uſum eſſe fraudibus vel præſtigiis, more præſtigiatorum, ſed reverâ homines cibâſſe.
3. *Fragmentorum collectio;* ſeptem enim ſportas fragmentorum, mandante CHRISTÔ, colligunt diſcipuli. Atq; ita plùs relinquitur, quàm initiò eſſet adpoſitum. *σπυρίδας* exiſtimant quidam, ſportam fuiſſe menſuram duplô majorem cophinô
4. *Convivarum numeratio.* Eorum enim qui comederant, fuiſſe quater mille viros, hiſtoricus ſacer teſtatur; præter mulieres & pueros, quorum numerus hic non exprimitur. Vide D. Finck.centur.4.can.8.
5. *Populi dimiſſio;* remotis enim cibis ad vocationis munia quemvis redire permittit. Facit hoc
   1. ne gratiam aliquam a populo exſpectare videatur;
   2. ne populus ad priores cogitationes, de ipſo in Regem eligendo, relaberetur. Joh.6,15.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. CHRISTÔ benedicente pani quotidiano, ſaturamur *μετ' εὐδοξίας*. Prov.10,22. Eccl.9,11. Pſal.104,27.28. Benedictio Chriſti ſatiat.

II. Virtus DEI non eſt adligata ad cauſas ſecundas. 1.Sam.14,6. 2.Par.14,11.

III. Benedictio DEI externa non eſt ſemper & apud omnes æqualis.

Digitized by Google

IV. Piis ac fidelibus nihil rerum neceſſariarum deerit. Pſal. 23, 1.2. & 34, 10. & 37. 25. 1.Tim.4,8. & 6,6.

Pii quandoq; & ipſi egent.

V. Si contrarium, ab experientia verorum CHRISTI cultorum, qui ſæpenumerò cum inedia & fame conflictantur, opponatur; dicimus, ejusmodi crucem vel adflictionem eſſe *δοκιμασίαν*, quâ DEUS fidem, patientiam, invocationem & alias virtutes probat; vel *τιμωρίαν*, quâ ſuorum peccata paternè viſitat.

Cibi ſumendi ratio.

VI. Cibus ſumendus eſt cum lætitia. Eccl. 5, 18. & 9, 7. Vide D.Theodor.p.496.

Parſimonia.

VII. Dona DEI reverenter ſunt habenda, & fragmenta colligenda; magnum enim vectigal parſimonia. Sir. 10, 30. & 19, 1. Prov. 5. 16. & 6, 6. 8. & 13, 11. & 21, 20. & 27, 13. Gen. 41, 34. Lucretius lib. 5. de nat. rerum: *Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parcè*
Æquô animô, neq; enim eſt unquam penuria parca.

IIX. De prodigalitate fugienda. D.Theod.p.497.

IX. De *αὐταρκεία* diximus aliquoties.

X. Non eſt benefaciendum ſpe futuræ remunerationis.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO *διμερής*.

Habemus jam Evangelium de tempore, quod frugibus, divinâ benedictione ex proventibus agrorum conceſſis, demetendis & colligendis impenditur. Hoc ipsô enim admonere nos voluerunt priſcæ Eccleſiæ Doctores,

1. *de miranda DEI præpotentis cibatione;*
2. *de gratitudinis debitæ declaratione;* &
3. *de recta beneficiorum divinitùs conceſſorum uſurpatione.*

Nos ex prælecta *περικοπῇ* duo breviter delibabimus;

I. CHRISTUM *cum diſcipulis conſultantem;*
II. CHRISTUM *miraculosè populum famelicum cibantem* contemplaturi.

PARS I.

Diſtinctam eſſe præſentis Evangelii ſive *θαυματουργίαν*, ſive *θαυματοποιΐαν*, ab ea, quæ Johan. 6. & Matth. 14. deſcribitur, evincit

1. *cauſa extrinſecus impellentis diſsimilitudo.* Ibi accedunt diſcipuli ad CHRISTUM, de populi dimiſsione ipſum monentes; hic diſcipulis convocatis ipſe Dominus loquitur, & ait: miſereor ſuper turbam.

2. Nu-

2. *Numerus panum:* ibi quinq; panes erant & duo piſces; hic ſeptem panes & pauci piſciculi.

3. *Locus diſcubitûs:* ibi ſuper fœnum ſeu gramen; hic ſuper terram populus diſcumbit.

4. *Numerus convivarum:* ibi 5000, hic 4000. cibantur.

5. *Numerus cophinorum:* ibi duodecim, hic ſeptem ſportæ de reliquiis fragmentorum complentur. Adde, quòd CHRISTUS ipſe inter utramq; hiſtoriam diſcernat, inſignem diſcipulorum ruditatem & ſtupiditatemq; accuſans, quòd prioris miraculi immemores, de pane quotidiano tàm anxii eſſent atq; ſoliciti. His ita præmiſſis ad conſultationem accedimus, pro cujus meliori expoſitione & intellectu notamus

1. *conſultationis ineundæ occaſionem*, quam Domino præbuit
   1. *populi undequaq; adcurrentis confluentia:*
   2. *ejusdem in auſcultando verbo prædicato diligentia:*
   3. *panis indigentia:*
   4. CHRISTI σπλαγχνιζομένȣ *ſolicita cura & providentia.*
2. *Ipſam conſultationem.* Ea verò habet
   1. CHRISTI φάσιν ἢ βȣ́λευσιν; cujus
      1. *propoſitio*, tacitè ex viſceribus textûs, eruta eſt: Cibabo, vel cōviviô excipiam populum huncce tàm numeroſum.
      2. *Ratio*, 1. à cauſa intrinſecùs impellente: miſereor:
         2. à cauſa extrinſecùs movente triplici;
            1. *populi ſtudio;* concionibus enim & miraculis CHRISTI intentus, triduum integrum ἄπασι perduraverat:
            2. *commeatûs deliquio;*
            3. *imminente diſpendio;* verendum enim, ſi jejuni domum redeant, ne in via plurimi viribus exhauſti, concidant ac deficiant.
   2. Diſcipulorum ἀπόφασιν ἢ ἀποχείρησιν. Occurrit hic

1. *Propoſitio* diſſuaſoria, CHRISTI φάσει ἀντιφατικῶς oppoſita; habetur implicitè, hoc ſenſu: Impoſſibile eſt, tantum populum hac vice cibare.

2. *Ratio;*

1. *à loci ſterilitate* vel inhabilitate: in ſolitudine ſumus, ubi ſumma rerum omnium penùria. Placet Chryſoſtomi meditatio homil. 47. in Joh. διδάσκει ἡμᾶς, ὅτι τὸν μάλιστα Θεῷ προσιόντα, πάσης ἀπαλλάχθαι

hungers ſterben ſollet. Item, wir haben einen reichen Herrn / der ſich vnſer Noht annimmet/vnd zu dem wir vns alles gutes verſehen ſollen/ ob es wol ſcheinet / daß es Mangel haben werde / dennoch will er vns verſorgen/vnd vns nicht laſſen/ wenn wir nur (1) ſein Wort fleiſſig hören/ (2) au daſſelbe gläuben/vnd (3) from ſeyn. Taulerus: *promtior eſt ad dandum, quàm nos ad accipiendum.*

2. Ubi nihil eſt, rerum conditori nihil deeſt. *τοῦτο γὰρ ἴδιον Θεοῦ, ἐν ἀπόροις πόρων εὑρεῖν*, juxta Philonem. In hac inediæ Schola cupit tentari ſuos, nec fame tamen ſinit confici. Deut. 8,23. Prov. 10,3. & 30,8. Pſal. 33,19. Eſa. 30,20.

3. DEUS etiam de longè venientes recipit: Eſa. 60,4.5. Eph. 2,13. poſt triduum quoq; vitæ, mortis ac Sabbathi. Monr. p. 152.

III. Monitorius.

1. De vitanda & declinanda ingenii & judicii humani ſive imbecillitate, ſive perverſitate, quæ in diſcipulorum reſponſione, diffidentiæ pleniſſima, immane quantum ſeſe exerit. Num. 11,11. & 14, 11. & 20,12. Pſal. 78,22. Luc. 1,20. 2. Reg. 7,20.

2. De CHRISTO ſtudioſè ſequendo, etiam uſq; in ſolitudinem, ut verbum ejus audiamus ſine tædio & faſtidio. Monr. p. 147. Sequela Chriſti.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui ex ſeptem panibus ſeptem conficere & probare Sacramenta præſumunt: Vide præter alios Schererum fol. 459. ridiculum hunc probandi modum vehementer urgentem, uſq; adeò ut conſuetas etiam militum exſecrationes, per ſeptem Sacramenta factas, in cauſæ malæ patrocinium accerſat. Sic enim ille: Man pflegt zu ſchelten vnd zu fluchen (NB Jeſuita videtur canonizare ſanctos blaſphemos) bey dem / was an ihm ſelbs heilig vnd warhafft iſt / als bey vnſers HErrn Marter/ Wunden/ Creutz/ Leiden/ Angſt etc. Alſo pflegen auch die Teutſchen zu fluchen vnd zu ſchelten bey den Sacramenten / vnd nicht nur ſchlecht bey den Sacramenten/ (praxis malá teſtatur contrarium) ſondern bey ſieben Sacramenten / ja bey 7000. oder 700. tauſent Sacramenten. Bey wenigern als ſieben Sacramenten hat noch bishero keiner geflucht oder geſcholten. Warumb? Dann man niemals weniger Sacrament geglaubt hat / als ſieben. Da ein ander Zahl der Sacrament geweſen were / hette man ohn allen zweiffel darbey geflucht/vnd ſich an dieſelb Zahl gewehnet / Nu aber allweg Papiſmus de 7. Sacramentis.

Gg die

die Zahl (ſieben) ausgetruckt wird / oder doch ein Zahl / darinnen das ſieben offters begriffen wird / iſt es ein offentlich weltkündig Zeugnis vnd Anzeigung/daß wir Teutſchen vom Anfang vnſers Chriſtenthums keinmal weniger Sacrament als ſieben geglaubet haben / vnd daß die Zahl von zwey/drey oder 4. Sacramenten ein newe vnerhörte Lehr/ja ſo ſeltzam / vngebräuchig vnd vngewöhnlich / daß auch noch heutiges Tages mitten in Sachſen kein Landsknecht bey 2. oder 3. Sacramenten flucht / wie es dann viſierlich vnd lächerlich lautet / wann einer im Zorn ſeinen Nehеſten ſchänden vnd ſchmehen wolte/ vnd ſpreche: daß dich Gottes 2. Sacrament/ oder daß dich Gottes 3/4/oder 6/ Sacrament ſcheude etc. Hoc probationis genus tantopere placuit Tonſori huic, ut f.460. & ſeq. integram fermè concionem probandis ſeptem Sacramentis inſumat. Sed miſer Eſauvita fruſtrà laborat, funiculos ex arena contexendo. Reſponſi verò loco nihil à nobis feret aliud, niſi illud: Typi & allegoriæ propriâ devotione excogitati nihil probant, nihil etiam ad rem faciunt, donec res ipſa ſuis propriis fundamentis certè & ſolidè ſit demonſtrata: quali autem demonſtratione Rom. Eccleſia & traditio carebit *εἰς τοὺς αἰῶνας*. Inprimis autem numeri nihil operantur, nihil etiam probant. Quantitatum quoq; per ſe nulla eſt vis & efficacia. Hactenus conſultatio.

PARS II.

Sequitur *miraculoſa populi φιλοχρίστου cibatio*. Apoſtoli ſuo Magiſtro objiciebant rei *ἀδυναμίαν*: ipſe verò contrà illis teſtatam facit ſuam *παντοδυναμίαν* dupliciter.

I. *Turbæ præcipiendo*, ut nimirùm diſcumberet, licèt unde paſcenda ſit, videre ſatis haut poſſet. Ex ſeptem enim panibus tantam hominum multitudinem poſſe ſaturari nondum crediderat. Sed rectè Philo: *hoc eſt proprium* DEI, *in rebus dubiis & difficilibus facilem habere & invenire tranſitum*, h. e. rerum ſucceſſum.

II. *Septem panes cum piſciculis multiplicando*, ut tanto populo cibando ſufficerent. Amplificatur

1. *ἐκθέσει τρόπου*, expoſitione modi, quò facta fuerit multiplicatio; nimirùm 1. panibus in manum adſumtis; ea enim eſt

manus 1. *omnipotens*;
2. *benedicens*;
3. *largiens* cibum { corporalem; ſpiritualem; æternalem.

2. gra-

Digitized by Google

2. gratiis Patri cœleſti actis:
3. panibus fractis:
4. turbæ per diſcipulos adpoſitis.

2. ἐξηγήσει ἐκβάντος, explicatione eventûs, qui complectitur,
1. *populi ad ſatietatem uſq; expletionem;*
2. *reliquiarum adſervationem;*
3. *populi dimiſſionem.*

Uſus I. Informatorius.

Benedictio DEI ut impetranda & retinenda.

1. De modo impetrandi à DEO benedictionem, in victu quotidiano neceſſariam, eamq; retinendi. Fruemur autem in corporali etiam victu CHRISTI benedictione

1. *Regnum DEI ſolicitè quærendo:* Pſal.14,4.5. Matth.6,33. Luc.10,42. 1.Tim.4,8. Exemplô populi hujus, qui CHRISTUM ſequitur in deſertum, ſtudiô quærendi regnum DEI, & audiendi verbum ſalutis ex ore CHRISTI. 1.Reg.10,2. Matth.2,1. Act.8,27. Luc.1,53. Pſal.34,11. 1.Sam.2,30.
   Sit pius & victûs copia ſemper erit.
2. *CHRISTO ſtudiosè obſequendo:* jubenti diſcumbere lubenti animô paret turba. Joh.2,5. Eſa. 30,20. & 59,1. Luc.1,37. Pſal.37,25. & 135,6.
3. *Commeatum manibus CHRISTI promtè committendo*, quod fit
   1. *piâ precatione;* 1.Tim.4,5.
   2. *honeſtâ vocationis procuratione;* Pſal.37,3.& 112,5.1.Theſſ.4,6.
   3. *liberali communicatione* vel diſtributione; Tob. 4, 7. ſeqq. Prov.13,25. & 22,2. Luc.6,38. Rom.12,8. 2.Cor.9,6.7. Hebr.13,16. Matth.25,40.
4. *Gratias DEO agendo:* 1.Tim.4,5. 1.Theſſ. 5, 17. Fiat autem iſta gratiarum actio, vel gratitudo, DEO pro beneficiis præſtitis debita 1. *pectore;*
   Gratiarum actio.
   2. *Ore;*
   3. *Re.* Gen.32,10. Pſal. 34, 2. & 103,1.2. Non enim ceſſat laudare, qui non ceſſat benè agere.
5. *Præſentia boni conſulendo:* Prov. 17, 1. Sir. 29,28. & 31, 22. 1.Tim.6,6. Phil.4,11.
6. *Parſimoniæ ſtudendo.* Sir.18,25.32. & 19,1. Prov.13,11. & 17,1. 1.Tim. 5, 8. Quæ enim ſuperſunt nobis, non debemus profundere aut dilapidare. Qui verò luxu veſtium, convivio-

Digitized by Google

rum aut ædificiorum facultates ſuas abundantes abſumunt; hi fragmenta divinitùs data abjiciunt, vel pedib9 potiùs conculcant, Reſervanda ſunt ſuperflua, ut de iis proximo egenti benefacere poſſimus. D.Oſiand.

2. De CHRISTI perſona, quòd ſit DEUS omnipotens & liberrimè agens. Dn.Monrad.pag.145,146.

Chriſti cibatio. 3. De cibariis, quæ ſuis adponere CHRISTUS convivis ſolet; nimirùm adponere illis ſolet

1. *penuriam, & cum aceto miſeriam;* non eſt autem falſæ religionis argumentum penuria.
2. *Miſericordiam;* cujus uſus eſt tùm contra diffidentiam; tùm ad *συμπάθειαν.*
3. *Pro anima, verbi copiam;* pro corpore, panis alimoniam;
4. *Mortis ſententiam;* populus dimittitur; & nos aliquando omnes:
5. *æternam in cœlis lætitiam.*

Chriſti convivæ vel commenſales. 4. Noſtrum eſt adferre ad menſam CHRISTI

1. *animam eſurientem;*
2. *ſtomachum nihil faſtidientem;*
3. *animum patientem,* condolentem, fidentem vel credentem;
4. *hominem temperantem & obedientem.*
5. *animum gratias agentem.*

II. Conſolatorius.

Deſperare non decet pauperes. 1. Ne deſperemus in ſumma etiam rerum neceſſariarum penuria. DEUS enim vel miraculosè ſuos cibare poteſt. Etſi enim quotidie ejusmodi miracula non fiant: reverà tamen Dominus hodieq; frumenta, & alia *τὰ πρὸς ἄλφιτα* mirabiliter multiplicat, quæ aliàs *ἀνθρωπίνως* loquendo non ſufficerent.

2. CHRISTus intime adficitur noſtris calamitatibus: Ergò

Rebus in anguſtis firmum medicamen Ieſu
Cor patrium, os verax, omnipotensq; manus.

III. Monitorius.

Monemur de uſu Evangelii præſentis, in

1. *CHRISTI conſectatione;* per preces & pœnitentiam;
2. *Sedula verbi prædicati tractatione & amplexatione;*
3. *Cordis CHRISTI conſideratione;*
4. *Aliorum procuratione;*

5. me-

5. *mediorum uſurpatione*;
6. *dimiſsionis recordatione*.
7. *benedictionis divinæ communicatione*, quam ſuadeat nobis DEI mandatum, præmium & ſupplicium.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής*.

Mira in hoc Evangelii Domini JESU cibatio deſcribitur, quam ingrediuntur (1) *convivii præparatoria*, animadvertenda tùm in hoſpitum, modò per *crucem*, modò per verbi *lucem*, *invitatione*; tùm in Dominica *commiſeratione*, quam efficit partim naturæ *proprietas*: partim turbæ præſentis *numeroſitas*; partim laudanda ipſius *pietas*; partim *egeſtas*; tùm *in conſultatione*, quæ quærit de panibus; tùm in diſcubitûs *præceptione*. (2) *Convivii eſſentialia*, ex præced. diſpoſ. & textûs inſpectione manifeſta. Nos temporis jam inſervientes, Eph. 5, 16. habituri ſumus de meſſe concionem, quam hoc anni tempore oeconomos noſtros facere videmus. Monſtrabimus autem *rationem fruges rectè colligendi, & piè cum gratiarum actione accipiendi, uſurpandi.* Meſſis ratio, vel modus fruges rectè colligendi & uſurpandi.

Ἐξήγησις.

Expediemus autem propoſitum noſtrum ita, ut regulis certis, ſecuri filum ac contextum Evangelii totum negotium includamus. Regularum iſtarum eſt Meſſis bonæ regulæ ſive præcepta.

I. *benè inchoare:* dimidium facti, qui benè cœpit, habet. Ergò, *incipe perficies auxiliante DEO.* Turba hæc initium facit à pietate. Sir. 1, 20. 1. Tim. 4, 8. Pſal. 34, 11. Qualem ſementem, talem & meſſem facies. Gal. 6, 7. Prov. 22, 8. & 34, 4. Matth. 6, 33. Pſal. 127, 3. verùm

—— *non cœpiſſe ſat eſt, juvat uſq; morari.*

Matth. 10, 22. Apoc. 2, 10. Triduum perdurat populus. Ita nos habemus triduum pœnitentiæ: primus dies eſt contritionis; ſecundus fidei; tertius novæ obedientiæ.

II. *Adverſa non faſtidire:* turba eſurire cogitur, pietati vel maximè dedita. Vide præced. diſpoſ.

III. *JESUM rectis oculis intueri:* Is enim eſt piorum omnium promus-condus; in ipſo eſt

1. *cor commiſerans*; Pſal. 34, 9. & 132, 15. Jer. 31, 20. Matth. 6, 33. Eſa. 30, 20. Mal. 3, 9.

Digitized by Google

2. *manus omnipotens*; Pſal. 77, 10. & 102, 26. & 135, 6. Joh. 3, 35. Eph. 3, 20.

3. *manus benedicens*; Pſal. 10, 3. 1. Tim. 4, 5. Hebr. 1, 3. 1. Reg. 17, 13.

4. *manus largiens*, cibum corporalem; Pſal. 104, 27. & 145, 15. Spiritualem; Pſal. 23, 1. 2. & æternalem. Pſal. 17, 16. & 36, 9. & 129, 8.

IV. *Patientiam exercere.* Nihil hîc loci diffidentiæ, quâ CHRISTI adfligebantur diſcipuli: Num. 11, 21. 2. Reg. 7, 2. Joh. 6, 9. ſed patientiâ opus eſt. Pſal. 27, 14. & 55, 23. & 94, 13. Sir. 2, 14. Tob. 5, 13.

V. *Honeſtè victum quærere.* CHRISTUS palàm audientibus omnibus de pane quærit. Pſal. 37, 3. 128, 2. Mundus ait: ſive raptum, ſive captum, modò ſit aptum. Eſa. 5, 8. Matth. 19, 23. Luc. 6, 24. 1. Cor. 5, 11. & 6, 10. 1. Theſſ. 4, 6. Prov. 23, 4. Luc. 19, 8. Jer. 22, 16.

VI. *Præſentia boni conſulere.* Prov. 30, 7. 8. 1. Tim. 6, 9. Prov. 23, 5. & 13, 25. Job. 1, 21. Theophylactus inquit: *Diſce & hoc juxta hiſtoriam, quod debemus his, quibus indigemus, contenti eſſe, & nihil amplius quærere. Ecce enim turba, quæ comederunt & ſaturatæ fuerunt, non acceperunt ſecum reliquias panum, ſed diſcipuli has geſtârunt: ſic igitur & nos uſu nobis congruò contentos eſſe decet.*

VII. *In ſtatione manere*, & ordine procedere, qui in diſcubitu populi monſtratur. Sir. 3, 19. & 11, 23. 1. Cor. 7, 24. Pſal. 37, 3. Prov. 12, 9. 11. & 21, 8. Eccl. 6, 7. 1. Cor. 14, 40.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

IIX. *Menſam piè conſecrare*: 1. Tim. 4, 5. Deut. 8, 10. Exod. 32, 6. 1. Cor. 10, 7. Pſal. 50, 14 & 92, 1. In promtu ſunt cauſæ.

1. *DEI juſſio*; Deut. 8, 10 & 26, 3. Pſal. 147, 14.

2. *noſtra confeſſio*, quòd omnes divinâ benedictione indigeamus: Pſal. 104, 27. & 127, 3. & 145, 15. 16. Jac. 1, 16. 1. Tim. 6, 17.

3. *commodi noſtri ratio*;

   1. ut ſine offenſione DEI, & læſione conſcientiæ partis uti-frui liceat: omnia ſanctificantur verbô & precatione h. e. uſus eorum ſit licitus & conceſſus: 1. Tim. 4, 5.

   2. Ut cibus ſit ſalutaris. Marc. 16, 18.

4. *Exemplorum commendatio.* Pſ. 136, 1. & ſeqq. & 145, 1. & ſeq. Tob. 7, 15. & 9, 12 Act. 27, 35. *Ad menſam quaſi ad aram.*

IX. *Aliis libenter communicare*, quemadmodum videmus CHRISTI diſcipulos non eſſe invidos, privatiq; commodi ſtudioſos, ſed communicativos, Rom. 12, 13. Moveat nos

1. *man-*

Digitized by Google

1. *mandantis DEI auctoritas:* Prov.3,9.& 5,16. Sir.29, 12.Matth. 5, 42. 2.Cor.8, 14. 1.Tim.6,7. 1.Joh.3,17
2. *beneficentiæ utilitas;* Pſal. 41, 1. & ſeqq Prov.11, 24. & 14, 21. & 19,17, Ezech.18, 8. Matth 10,42. & 25,40. Luc.6, 38. & 16,9. 2.Cor.9,7.
3. *tenacitatis damnoſitas.* Prov.21, 13. & 28, 16. 27. Amos. 5, 11. Sir.31, 1. & ſeqq. & 34, 25. Hagg.1, 6. ſed, quod non capit CHRISTUS, rapit fiſcus, aut miles impius. *Religio peperit divitias, ſed filia devoravit matrem.*

X. *Dominum exſpectare,* exemplo turbæ, boni conſulentis omnia Pſal.27,14. & 55,23.

XI. *Providentiæ Domini confidere.* Pſal.136,25. & 145,15. & 147,9. Act. 14, 17. Oſe. 2, 8. Vide locos Theol. Theophylactus: *Vide autem,* inquit, *& diſcipulos, quàm inſipienter ſe habeant, nondum credentes, virtutes illius ex prioribus ſignis. Ipſe autem non reprehendit, docens & nos, ne moroſiores & auſteriores erga indociles ſimus, ſed ſunt quæ & illis oportet ignoſcere, ut inſipientibus. Conſidera autem & hoc, quòd CHRISTUS nullum vult dimittere jejunum. Omnes enim vult delitiis donorum ſuorum alere, & maximè eos, qui triduô apud ſe manent, h. e. baptizatos.*

XII. *Fragmenta colligere;* vide præced. diſpoſ.

XIII. *Partis uti-frui.* Eccleſ. 3, 12. & 5, 17. & 6, 2. 3. & 9,7. Rom. 13, 4.

XIV. *Fideliter laborare.* Vide Domin. 5. Trinit.

XV. *Nomen Domini celebrare:* & ſit benedictus Dominus in omnibus operibus ſuis. Oremus cum Eccleſiâ: *DEUS, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus, ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas, per JESUM CHRISTUM Filium tuum dilectum Dominum noſtrum. Amen.*

DOMINICA IIX. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 7. à verſ. 15. ad 24.

15. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες.

16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπι-

15. *Cavete verò vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, ſed intrinſecùs ſunt lupi rapaces.* Jer.23.16. 1.Joh.4.2. 1.Cor. 14, 29. 1.Theſſ. 5, 21.

16. *A fructibus eorum agnoſceti-*

γνώσεσθε αὐτούς· μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;

ſcetis eos; Numquid colligunt de ſpinis uvam, aut de tribulis ficûs?

Luc. 6, 43. 17. Οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρ-
ποὺς καλοὺς ποιεῖ. τὸ δὲ σαπρὸν δέν-
δρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ.

17. Sic omnis arbor bona fructûs bonos facit: putris autem arbor fructûs malos facit.

Matth. 12, 33. 18. Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν
καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, οὐδὲ δένδρον
σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν.

18. Non poteſt arbor bona fructûs malos facere: neq; arbor putris fructûs bonos facere.

19. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.

20. Ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

20. Igitur ex fructibus eorum agnoſcetis eos.

Rom. 2, 13. 21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε,
Jac. 1, 22. Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλεί-
αν τῶν οὐρανῶν· ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλη-
Joh. 6, 40. μα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

21. Non quisquis dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cælorum: ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt.

22. Πολλοὶ ἐροῦσί μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ
ἡμέρᾳ, Κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προ-
1. Cor. 14, 3. εφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι
δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνό-
ματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν;

22. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes præſtitimus?

Luc. 13, 26. 27. 23. Καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς,
2. Tim. 2, 19. ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. ἀποχωρεῖ-
Pſal. 6, 9. τε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνο-
μίαν.

23. Ac tum confitebor illis, nunquam novi vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

EVangelium præſens eſt generis Deliberativi. Continet enim παραίνεσιν Salvatoris planè paternam, de falſis doctoribus & hæreſeon variarum architectis, qui oſtenſis viis aliis, & adulterinis ad cœlum ſabrefactis portis, ſaluti hominum inſidiantur, ſeriò & ſedulò cavendis. Partes Evangelii ſunt tres: propoſitio, confirmatio & con-

confutatio; vel ut terminis magis realibus, quàm artificialibus utamur,

I. *CHRISTI de cavendis Pſeudoprophetis admonitio:*

II. *Admonitionis ratio*, ſeu, quod idem eſt, *falſorum doctorum deſcriptio:*

III. *Eorundem confuſio; vel hypocritarum punitio.*

PARS I.

Propoſitio ergò, vel ipſa Salvatoris admonitio, iſtis continetur verbis: *Cavete vobis à Pſeudopropbetis.* Quibus verbis quatuor potiſſimum membra ἀξιομνημονευτὰ nobis inſinuantur.

1. *ἀφορμὴ ſive occaſio*, quam ſubminiſtravit CHRISTO concio antegreſſa, de profectione ad vitam cœleſtem, in qua Chriſtianis viatoribus varia ἐμποδίσματα, cumprimis autem Pſeudodoctorum malignitas & perverſitas objicitur, quæ illos è ſtadio ſalutis evocare, & in latiſſimum exitii campum abripere poteſt.

2. *Τό τί, ipſa admonitio*, quæ eſt: cavete. In Græco eſt προσέχετε, quò Græci interpretes (uti Dn. D. Chemnitius loquitur) reddiderunt Hebraicùm הִשְׁתַּמֵּר, quod ſignificat attentum, providum, circumſpectum & cautum eſſe, ut à noxiis ſerveris: à R. שָׁמַר cuſtodivit, in Hithpael cuſtodivit ſe, cavit ſibi; q. d. attentione, ſtudiô, cautione, curis & vigiliis opus eſt, ne naufragium animæ patiamini. προσέχετε

3. *Τίς, objecti notatio*, ad quos directa ſit admonitio; ad omnes nimirùm Chriſtianos, cumprimis etiam auditores verbi, quorum permultùm intereſt, ut concionatores ſuos probent.

4. *Subjecti vel perſonarum deſignatio*, qui ſint illi, à quibus cavere nobis debeamus; unô verbô, Pſeudoprophetæ. Prophetæ, in Scripturis præſertim N. T. non tantùm notant eos, qui futura prænunciant; verùm eos etiam Eccleſiæ Doctores, qui ob interpretationem Scripturarum eximiis à DEO donis ſunt inſtructi, ceteris cognitione ſacrarum rerum ac prudentiâ excellentiores, loquentes ad conſolationem, exhortationem & ædificationem. Unde patet, Pſeudoprophetas h.l. dici, non eos ſaltem, qui futurorum prædictione fallunt; ſed etiam qui Scripturas depravant, & ad præconceptas ſuas opiniones malitioſè eas detorquent; nova inſuper cudunt dogmata, verbo patefacto contraria, iiſq; animos hominum imbuunt, à ſalutari DEI notitia ac CHRISTI avertunt, atq; ita in æterni exitii barathrum præcipites agunt. Prophetæ in N. T.

 Pori-

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Pſeudopro phetæ unde.

I. Pſeudoprophetæ in Eccleſia nullô tempore deſunt. Matth. 24, 5. 1. Cor. 11, 19. Matth 13, 25. & 18, 7. Act. 20, 29. 1. Joh. 2, 18. 19. & 4, 1. 2. Cor. 11, 3. Illud autem fit, non vitiô doctrinæ, ſed propter ingenii humani levitatem ac petulantiam, quæ à diabolo, propter odium ipſius adverſus Filium DEI & Eccleſiam ejus, impellitur & armatur, ad fingendas corruptelas ſanæ doctrinæ contrarias. Vide D. Theod. pag. 502. 503.

II. Ubi enim in hoc mundo ſunt credentes & Filii DEI, ibi invenientur Pſeudoprophetæ. Joh. 10, 12. 1. Cor. 11, 19.

Eccleſia ubi.

III. Certum τεκμήριον eſt, ibi eſſe veram Eccleſiam, ad quam oppugnandam, turbandam & infeſtandam catervatim lupi, fures, Pſeudoprophetæ prorumpunt.

Hæreticos cur toleret DEUS.

IV. Hæreticos & falſos doctores DEUS in Eccleſia oriri & graſſari permittit

1. *ad puniendam hominum ingratitudinem*; 2. Theſſ. 2, 10. 11. Amos. 8, 21. Matth. 21, 43. Apoc. 3, 15.
2. *ad veritatem eruendam*;
3. *ad electos probandos*; 1. Cor. 11, 19. Deut. 13, 3. Pſal. 12, 7.
4. *ad ſecuritatis veternum excutiendum.* Jud. 3, 4. Eph. 6, 11.

Miniſtri verbi officium faciant.

V. Monentur cordati Eccleſiarum Doctores, ut in timore Domini & ſeria Numinis divini invocatione officium ſuum diligenter faciant, ne vel ipſi fiant organa diaboli; vel auditorum ſuorum ſalutem negligant. Securitati ergò & negligentiæ vale extremum illis eſt dicendum. Act. 20, 30.

VI. Servi DEI in Scriptura ſacra non tàm ſuorum concreditorum, quàm aliorum, maximè viciniorum, licèt eorum paſtores non fuerint, curam habuerunt in docendo, monendo, redarguendo, minando, dehortando, accuſando. D. Finck. cent. 4. Can. 12.

Pſeudoprophetę ſunt redarguendi.

VII. Falſi Prophetæ ſunt redarguendi, & ita quidem, ut ſinceri Eccleſiæ Doctores non errores duntaxat & corruptelas doctrinæ refutent, ſed ipſos etiam Pſeudoprophetas nominent, & auditores ſuos, ut à talibus ſibi caveant, moneant. Matth. 7, 5. Jer. 15, 19. 1. Tim. 1, 3. Tit. 1, 9. Vide D. Theod. pag. 504.

Pſeudoprophetæ duplices, & triplices.

IIX. Pſeudoprophetæ in Scriptura ſunt duplices: quidam nocent falsâ & erroneâ doctrinâ; hi bis nocent, tùm falſa docendo, tùm bonis

Digitized by Google

bonis reſiſtendo: 2. Tim. 3, 8. & 4, 14. quidam nocent vita turpi & moribus vitioſis. Pſal. 50, 16. Rom. 2, 11. ſeqq.

IX. Dn. D. Chemnitius harm. Evang. cap. 51. tria conſtituit Pſeudoprophetarum genera. Primum eſt eorum, qui prorſus ſunt extra Eccleſiam viſibilem, qui verbum DEI non habent, nec Scripturam agnoſcunt, ut Turcæ & alii. Secundum eſt eorum, qui habent quidem Verbum DEI, & Scripturam agnoſcunt, ſed veræ Eccleſiæ hoſtes ſunt manifeſti, ut Scribæ & Phariſæi. Horum omnium cognitio eſt facilis: ἐξ ὀνύχων γὰρ τὸν λέοντα. Tertium demum eorum eſt, qui veniunt ad nos in veſtitu ovium, & in nomine CHRISTI prophetant; h. e. habent legitimam vocationem, profitentur, ſe eſſe cives & membra Eccleſiæ. Ad hoc tertium genus cavendum diligentiori opus eſt circumſpectione & ſolicitudine.

X. Omnes pii ac fideles ſibi hanc CHRISTI admonitionem dictam putent; omnibus enim Pſeudoprophetæ ſunt fugiendi. Matth. 16, 6. Gal. 1, 8. Vide D. Theod. pag. 504. 505.

XI. Cavebimus autem rectiſſimè Pſeudoprophetas, *(Pſeudoprophetas cavendi modus.)*

1. *verbum DEI amando*, ſcrutando, audiendo, diſcendo, meditando: Pſal. 1, 2. & 119. per tot. Jer. 15, 16. Joh. 5, 39.
2. *Verbo ſimplici fide adhærendo:* Deut. 4, 2. & 12, 32. Gal. 1, 8.
3. *DEUM ardenter invocando*, ut eos aut convertat, aut evertat:
4. *Cum ipſis non colludendo & converſando:* 1. Cor. 6, 14.
5. *Libros & ſcripta eorũ non niſi cum grano ſalis legendo:* Pſal. 15, 4.
6. *Omnia probando:* 1. Theſſ. 5, 20. 1. Joh. 4, 1. 5.
7. *aditum ipſis præcludendo.*

XII. Ad fidelitatem ac vigilantiam ſinceri Eccleſiæ Doctoris vel maximè ſpectat, non modò ſanam doctrinam ex verbo in θέσει proponere, explicare & confirmare; ſed etiam in ἀντιθέσει Pſeudodoctorum falſa dogmata oſtendere, refutare, & auditoribus modis omnibus exoſa reddere. Matth. 23, 13. & ſeqq. 1. Tim. 4, 19. & 6, 5. 2. Tim. 2, 17. 25. Tit. 1, 9. *(Antitheſis doctrinæ falſæ.)*

XIII. Non ſalvabitur unusquisq; in ſua religione; ideò enim monet CHRISTUS. Gal. 1, 9. Eph 4, 5. Act. 4, 12. Matth. 15, 13. Marc. 16, 16. Apoc. 18, 4. 5. D. Theod. p. 505. *(Religione non quisq; ſuâ ſalvatur.)*

XIV. Fugiendæ ſunt etiam Scholæ Pſeudodoctorum.

XV. Admonitio hæc CHRISTI attinet etiam laicos; nam & illis cautione opus eſt, ne a lupis circumveniantur. Cùm enim monet, cavendos eſſe Pſeudoprophetas illis, ad quos veniunt, ſine dubio totam intelligit Eccleſiam; ad illam enim veniunt. Magiſtratus *(Laici etiã caveant Pſeudoprophetas.)*

Digitized by Google

itaq; reſiſtat falſis doctoribus & eosdem probet, exemplô Davidis, Joſiæ, Ezechiæ, Joſaphati, Conſtantini, Theodoſii & aliorum. Deut. 17, 18. 19. Joſ. 1, 8. 9. Auditores etiam reliqui inquirant in conciones ſuorum Paſtorum. 1. Joh. 4, 1. 1. Theſſ. 5, 21. Eſa. 8, 16. 20. & 9, 16. Gal. 6, 5. Act. 17, 11.

Scriptura laicis legenda.

XVI. Conſectarium itaq; eſt, etiam laicis Scripturarum lectionem vel maximè eſſe concedendam. Joh. 5, 39.

XVII. Errârunt Jeſuvvitæ, in colloquio Ratisbonenſi adſerentes, ſubditos fore excuſatiſſimos, ſi ſequantur auctoritatem ſuperioris in negotio religionis. Seſſ. 9. pag. m. 249.

Renati gratiâ excidere poſſunt.

XIIX. Renati poſſunt excidere gratiâ DEI, aliàs enim hac Salvatoris admonitione nihil opus fuiſſet. Matth. 3, 8. 9.

Baptiſmũ ab hæretico petere, utrum liceat?

XIX. Quæritur hoc locô, an liceat Baptiſmum ab hæretico, tanquam Pſeudodoctore petere? Negatur à Theologis noſtratibus. Etſi enim interdum apud hæreticos eſſentialia ſive ſubſtantialia Sacramenti maneant integra: cavendum tamen, ne aut infirmiores offendiculum patiantur; aut hoſtes veritatis in pertinacia ſua & ψευδοδιδασκαλίᾳ confirmentur, vel infans baptizandus piis precibus defraudetur.

Hæretici capitis ſuppliciô utrum afficiendi?

XX. Quæritur ulteriùs: an hæretici capitis ſuppliciô ſint adficiendi? Papiſtæ cum Calvinianorum pleriſq; adfirmant, nos negamus. Cavere enim & fugere, non occidere jubet Salvator noſter Pſeudoprophetas. Matth. 16, 6. Tit. 3, 10. 2. Joh. verſ. 10. Rom. 16, 17. Phil. 3, 2. Luc. 9, 56. Alia in promtu ſunt media ac remedia coërcendi hæreticos. Imperator Theodoſius urbe eos ejecit. Juſtinianus caſtigavit ſeverè. Conſtantinus M. commiſeratione magis, quam ſuppliciô dignos cenſuit. Hieronymus ait: *Hæreticum hominem ex præſcripto Apoſtoli vitare didici, non igni tradere.* D. Finck. cent. 1. Can. 62. Auguſtin. lib. 3. contra Creſcen. c. 50. *Nullis bonis in Eccleſia Catholica hoc placet, ſi usq; ad mortem in quenquam, licet hæreticum, ſæviatur.* Prolixè tractat hoc argumentum D. Gerh. Tom. 6. L. C. â pag. 1043. uſq; ad 1123.

PARS II.

Quam verò ob cauſam cavendi & ſanguine viperinô cautiùs fugiendi ſunt Pſeudoprophetæ? Cauſa omnis conſiſtit in προσωπογραφίᾳ, vel deſcriptione falſorum doctorum. Ea verò certa eorundem continet ſive γνωρίσματα, ſive notas certas.

Pſeudoprophetarum deſcriptio.

1. *Ab adjuncta Scripturarum depravatione;* quia falſis interpretationi-

tionibus & gloſſis Scripturas corrumpunt. Sunt quidem Prophetæ, h. e. doctores, ſed cum hac adjectione, quòd falſa & mendacia doceant.

2. *A ſpontanea accurſione*, vel adventus qualitate, quatenus vocationem ordinariam & legitimam negligunt. Venire enim eos dicit Salvator, puta, priusquam legitimè vocentur; more diaboli, Gen. 3: Caini, Gen. 4. Core, Dathanis & Abirami. Num. 16.

3. *A ſanctimonia & pietatis ſimulatione*, veluti forma externa: Veniunt ἐν ἐνδύμασι προβάτων, in veſtimentis ovium, h.e. præ ſe ferunt inſigne pietatis, ſanctitatis & veritatis ſtudium, cum zelo ferventisſimo conjunctum, ut forinſecùs oves innocuæ, immò ovicularum paſtores adpareant fidelisſimi. Veſtitus verò ille ovilis complectitur; **Veſtitus ovium.**

1. *falſæ doctrinæ ſub vera occultationem;*
2. *verborum ſuaviſſimorum & eloquentiæ* (Paulus vocat χρηστολογίαν καὶ εὐλογίαν, Rom. 16, 18. πιθανολογίαν Col. 2, 4.) *oſtenſionem;* 1. Cor. 1, 17. & 2, 1. 2. 2. Cor. 2, 1.
3. *Crebram Scripturæ allegationem;* Gen. 3, 4. Matth. 4, 6.
4. *Scientiæ & veritatis certiſſimæ jactationem;*
5. *temerariam de doctrinæ certitudine infallibili dejerationem;*
6. *miraculorum & ſingularium donorum oſtentationem;* 1. Cor. 13, 2.
7. *inanem vitæ ſanctæ præſumtionem;* 2. Tim. 3, 5. Col. 2, 18.
8. *pacis & concordiæ oblationem;*
9. *earundem phraſium cum orthodoxis uſurpationem.*

4. *Ab interna diſpoſitione* vel forma, tanquam periculoſo. Intùs ſunt λύκοι ἅρπαγες, lupi rapaces; ἔσωθεν, intrinſecùs h. e. in corde & in rei veritate ſunt hypocritæ omnium peſſimi, ſimiles (per metaphoram) in rapacitate & occiſione lupis. Nota autem, quòd Salvator non ſimpliciter lupos, ſed cum adjuncta determinatione lupos nominet rapaces, quippè qui inſatiabili prorſus perdendi, vaſtandi, occidendi aviditate ac ſtudiò laborant, gregi Dominico minimè parcentes, ſed in animas hominum crudeliter & horribiliter graſſantes. Cur autem non leonibus, non urſis &c, ſed lupis comparet Pſeudodoctores Salvator, vide in hiſtoria ſacra animalium D. Frantzii pag. 219. 220. 221. Adde Evang. Dom. Miſeric. Domini. **Lupi rapaces.**

5. *A fructuum contemplatione*, veluti facili, effectu vel ſignis: *Ex fructibus eorum agnoſcetis eos.* Vult igitur CHRISTUS judicium fieri de ipſa arbore ex fructibus. Hic quæſtio incidit, quid adpellatione fructuum Dominus intelligat? Non certè vitam & mores, ſive do- **Fructûs quid ſint in Pſeudoprophetis.**

 ctorum,

Digitized by Google

ctorum, ſive auditorum; ſed partim ipſa falſa dogmata, ex ipſorum nata cerebro; partim falſæ doctrinæ effectûs & conſectaria. E. g. Si quid doceatur verbo ſcripto Prophetarum & Apoſtolorum contrarium, manifeſtam idololatriam & peccata ſtabiliens, ſpem & conſolationem conſcientiis præripiens &c. Intelligit itaq; fructûs non vitæ, ſed doctrinæ, cùm præſertim non obſcurè innuat Dominus, externum ſchema vitæ in doctoribus admodum fallax eſſe, quod ſæpè pro vera ſanctitate hypocriſin, & ſub ovilla pelle lupinam rapacitatem obtrudit, quæ verba ſunt D. Meelführeri, in Vindic. Evang. h. l. th. 127. ubi hanc in ſententiam vide plura: & confer Dn. D. Hunn. in Matth. h. l.

Dn. Chemnitii interpretatio, ut omnia, admodum eſt nervoſa; integram itaq; huc adſcribere placet. *Quidam*, inquit Theologus incomparabilis, *de vita ſeu operibus (fructûs) interpretantur. Et quidem ſi in genere de omnibus Chriſtianis hæc probatio intelligatur, vera eſt ſententia. Et in hanc ſententiam veteres interpretati ſunt fructûs, de vita & operibus. Sed quando de Prophetis ſeu doctoribus judicandis quæritur, licèt hypocriſis tandem etiam operibus ſe prodat; manifeſtum tamen eſt, vitam & opera numerari inter veſtimenta ovium, & diſtingui contra fructûs. Simpliciſſima igitur explicatio eſt: ſicut fructûs Chriſtiani, in quantum Chriſtiani, ſunt bona opera: ita Doctoris, in quantum Doctoris, fructus eſt forma ſeu qualitas doctrinæ. Et ſicut ex operibus, tanquam ex fructibus, cognoſcitur quis, an ſit verè Chriſtianus, vel hypocrita; ita ex fructibus, h. e. ex qualitate doctrinæ judicandum eſt de veris ac falſis Prophetis.*

Additur veluti amplificandi & illuſtrandi gratiâ ratio hujus notæ gemina:

1. *Ab impoſſibili*, hoc ſenſu: Quemadmodum impoſſibile eſt, è ſterili vepreto uvas ſuaves, aut à tribulis ficûs colligere: Pari ratione impoſſibile eſt à falſis illis doctoribus bonam & ſalutarem ſperare doctrinam; vel ex Pſeudoprophetarum falſa doctrina boni quidquam, quod ad vitam æternam conferat, addiſcere.
2. A ſimilitudine arboris per ἀντίθεσιν hoc modô: Sicut omnis arbor bona bonos, mala malos profert fructûs: ſic doctor ſincerus non niſi bona, falſus non niſi falſa, & ab analogia fidei diſcrepantia, atq; ita à ſanæ doctrinæ proprietatibus διὰ πασῶν diſſidentia docet. Matth. 12, 37. Luc. 19, 22. Rom. 10, 9. 10.

Subjun-

Subjungitur ἔκθεσις à contrario, vel pugnantibus, per ἀδύνατον, nimirùm non poſſe malam arborem fructûs ferre bonos, nec bonam arborem producere fructûs malos. Ergò à fructibus explorandi & cognoſcendi ſunt Pſeudoprophetæ. Maneat autem ſimilitudo intra terminos, nec latè nimis extendatur, ne cum Donatiſtis & Anabaptiſtis ſtatuamus, ac ſi miniſter vitæ culpatæ non poſſit cum fructu auditorum miniſteriô ſuô fungi. Diſtinguendum inter perſonam & doctrinam.

6. *A mercedis reportatione*, velut ab eventu, h.e. pœna pſeudodoctoribus irroganda, illuſtrata iterum ſimilitudine, ab arbore deſumtâ. Sicut arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem conjicitur: Ita falſi illi doctores tandem ſecuri iræ divinæ exciſi, unà cum adſeclis ſuis, tandem in barathrum æternæ damnationis præcipitabuntur. Comminationes ſimiles habemus Matth. 3, 10. & 13, 30. & 23,14. Joh.15,6. Phil.3,19. 2.Pet.2,3. Apoc.19,20.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Pſeudoprophetæ currunt non vocati. Jer.23,21. Hebr.5,4. 5. Jer.27,9.14. Rom.10,15. Matth.23,15.

II. Legitima enim ad miniſterium vocatio maximè eſt neceſſaria, ideoq; ſine ea ad verbi prædicationem Sacramentorumq; adminiſtrationem non eſt accedendum. Jer.23,21. Luc.10,2. Gal.1,1. Johan.10,8. Vocatio neceſſaria.

III. Errant cum Donatiſtis & Novatianis Anabaptiſtæ, talem quærentes Eccleſiam, quæ non niſi ſanctis conſtet hominibus; & tale etiam verbi miniſterium poſtulantes in Eccleſia, quod non à malis, h. e. in peccatis contra conſcientiam viventibus miniſtris vitietur: inde enim ſtatuunt, non licere Sacramenta à malo miniſtro petere. Sed Eccleſiam conſtare mixturâ bonorum & malorum; ordinationem verò DEI, propter vitia perſonalia organi, non labefactari, ſacræ nos abundè edocent paginæ. Matth. 3, 12. & 13,25. & 22,11. & 25,33. 1.Tim.1,15. & 4,16. Anabaptiſtæ.

IV. Errant iterum Anabaptiſtæ, dum nullam vocationem ordinariam curantes, raptûs ſuos præſtolantur & ſectantur: idq; ſibi etiam proprium fecerunt Eſauvitæ, omnia mundi loca pudendâ ſuâ πολυπραγμοσύνῃ pervolitantes, atq; invitis ſeſe obtrudentes, quemadmo-

Tannerus. admodū Tannerus in colloquio Ratisbonenſi dicebat: ego nec ipſum nomino; quæ diabolica planè eſt vocatio. Gen. 3.

Lutheranorum miniſtrorum vocatio. V. *Ἀδολεσχία* eſt Jeſucidarum Scholis digna, quando vocationem miniſtrorum Lutheranorum inde ſuſpectam reddere adlaborant, quia Magiſtratus civilis, non concurrente Eccleſiaſticâ (h.e. Romano-Papiſtica) auctoritate, aut aliquâ conſecratione, illos mittat & conſtituat.

VI. Veſtimenta ovium quæ & qualia ſint, explicat D. Theodor. pag. 506. 507. 508.

Pſeudoprophetarum & hæreticorum notæ. Liberius. VII. Pſeudoprophetæ & hæretici dignoſcuntur, non

1. *ex adplaudentium pluralitate:* Luc. 6, 26. 1. Reg 18, 19. Rectè itaq; reſpondit Liberius Imperatori, dicenti: *Quota tu pars es orbis terrarum, qui ſolus defendis hominem ſceleratum*, (Athanaſium) *& pacem totius mundi diſſolvis? Meâ ſolitudine verbum fidei non imminuitur.* Luc. 12, 32. Pſal. 12, 1. ſeqq.
2. *ex miraculorum celebritate:* Matth. 7, 22. & 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9.
3. *ex tituli celſitate:* Rom. 16, 18.
4. *ex fortunæ proſperitate:* Joh. 16, 20. 1. Cor. 4, 13. Eſa. 54, 11.
5. *ex zeli ſeveritate.* Oſe. 7, 7. Cognoſcuntur autem illi
   1. *ex abuſu Scripturarum manifeſto:* Ii enim ſoli veri ſunt Prophetæ & doctores, qui verbo revelato, in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſo, adhærent. 1. Cor. 14, 32. Eſa. 8, 20. Luc. 16, 29.
   2. *Ex proventu fructuum ſceleſto.* Examina fructûs Pontificiæ, Calviniſticæ, Anabaptiſticæ &c. religionis, ad gloriam DEI hominumq; ſalutem non collineantes unicè, patebit inde veritas. Vide D. Hunn. poſtill. D. Meelführeri Vindic. th. 58. & ſeqq. Confer de fructibus D. Theod. p. 509. 510. 511.

Pſeudoprophetarum proprium. IIX. Proprium itaq; eſt Pſeudoprophetarum,

1. *Scripturam pervertere* & depravare; à mendacio enim nomen habent: 1. Tim. 4, 2. 2. Petr. 2, 1. 2.
2. *Sine legitima vocatione invitis ſeſe obtrudere*, ſive illud fiat mediatè, ſive immediatè: Jer. 23, 21. ego poſſem exempla intruſionis & obtruſionis iſtius, factæ aurô & argentô mediante, adducere, niſi eſſent odioſa: Dominus videt & judicat, quæ homines quidem vident, ſed non judicant: Jer. 23, 21.

3. Lupum

3. *Lupum rapacem agere*; jus in armis quærere: Joh. 8, 44. & 10, 8. Apoc. 17, 6.
4. *Externam ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferre*, atq; ita ſimplicioribus imponere: Matth. 23. per tot. Coloſſ. 2, 18. 23. 2. Theſſ. 2, 10. 2. Corinth. 11, 13. 14. 2. Tim. 3, 5. Jud. epiſt. verſ. 12, 16. 1. Reg. 22, 24.
5. *Spinarum inſtar animas lædere* & ſauciare, hinc ad deſperationem adigere; illinc ſecuritatem animis hominum implantare.

IX. Vitioſiſſimè à vita & moribus auditorum ad Eccleſiam ipſam colligunt cum Anabaptiſtis Eſauvitici Monachi: à vita enim prava ad doctrinam concluditur per quatuor terminos, quæ ἀσυλλογισία nihil infert.

X. Miniſtri etiam mali Baptiſmum adminiſtrant efficacem. Vide D. Theodor. p. 512. Baptiſmus mali miniſtri.

XI. Opera non renatorum & infidelium, etſi per ſe & ratione actûs externi ſuô locô non improbantur: verè tamen bona non ſunt; quia ab arbore mala, h. e. homine nondum regenerato, absq; fide proveniunt. Hebr. 11, 6. Et præterea imperfectè bona ſunt; Legisq; exactioni atq; ἀκριβείᾳ non ſatisfaciunt. Opera infidelium & non renatorum.

XII. Fruſtra exagitant Jeſucidæ B. Lutheri propoſitionem: Bona opera non faciunt virum bonum, ſed præſupponunt. Opera enim non antecedunt hominem juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum. Arbor enim ex fructibus cognoſcitur.

XIII. Pœna Pſeudoprophetarum eſt æterna damnatio. Vide D. Theod. pag. 512.

PARS III.

Tandem quia eô ſunt ingeniô Pſeudoprophetæ, ut nunquam non de donis & rebus ſuis geſtis magnificè glorientur; ideoq; jam ſub finem Salvator CHRISTUS omnium, tàm doctorum, quàm auditorum inanem ac hypocriticam jactantiam retundit, confundit, proſternit. Abſolvitur hæc pars

1. πρότασει,
2. αἰτίῳ,
3. ἐκθέσει.

1. Πρότασις habet, tùm ſententiam deciſivam, contra impios & hypocritas quosvis; tùm genuinam eorundem deſcriptionem: Non

Digitized by Google

Tannerus. admodū Tannerus in colloquio Ratisbonenſi dicebat: ego nec ipſum nomino; quæ diabolica planè eſt vocatio. Gen. 3.

Lutheranorum miniſtrorum vocatio. V. Αὐτολεξία eſt Jeſucidarum Scholis digna, quando vocationem miniſtrorum Lutheranorum inde ſuſpectam reddere adlaborant, quia Magiſtratus civilis, non concurrente Eccleſiaſticâ (h.e. Romano-Papiſtica) auctoritate, aut aliquâ conſecratione, illos mittat & conſtituat.

VI. Veſtimenta ovium quæ & qualia ſint, explicat D.Theodor.pag. 506. 507. 508.

Pſeudoprophetarum & hæreticorum notæ. Liberius. VII. Pſeudoprophetæ & hæretici dignoſcuntur, non

1. *ex adplaudentium pluralitate:* Luc. 6, 26. 1. Reg 18, 19. Rectè itaq; reſpondit Liberius Imperatori, dicenti: *Quota tu pars es orbis terrarum, qui ſolus defendis hominem ſceleratum*, (Athanaſium) *& pacem totius mundi diſſolvis? Meâ ſolitudine verbum fidei non imminuitur.* Luc. 12, 32. Pſal. 12, 1. ſeqq.
2. *ex miraculorum celebritate:* Matth. 7, 22. & 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9.
3. *ex tituli celſitate:* Rom. 16, 18.
4. *ex fortunæ proſperitate:* Joh. 16, 20. 1. Cor. 4, 13. Eſa. 54, 11.
5. *ex zeli ſeveritate.* Oſe. 7, 7. Cognoſcuntur autem illi
   1. *ex abuſu Scripturarum manifeſto:* Ii enim ſoli veri ſunt Prophetæ & doctores, qui verbo revelato, in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſo, adhærent. 1. Cor. 14, 32. Eſa. 8, 20. Luc. 16, 29.
   2. *Ex proventu fructuum ſceleſto.* Examina fructûs Pontificiæ, Calviniſticæ, Anabaptiſticæ &c. religionis, ad gloriam DEI hominumq; ſalutem non collineantes unicè, patebit inde veritas. Vide D.Hunn. poſtill. D. Meelführeri Vindic. th. 58. & ſeqq. Confer de fructibus D. Theod. p. 509. 510. 511.

Pſeudoprophetarum proprium. IIX. Proprium itaq; eſt Pſeudoprophetarum,

1. *Scripturam pervertere* & depravare; à mendacio enim nomen habent: 1. Tim. 4, 2. 2. Petr. 2, 1. 2.
2. *Sine legitima vocatione invitis ſeſe obtrudere*, ſive illud fiat mediatè, ſive immediatè: Jer. 23, 21. ego poſſem exempla intruſionis & obtruſionis iſtius, factæ aurô & argentô mediante, adducere, niſi eſſent odioſa: Dominus videt & judicat, quæ homines quidem vident, ſed non judicant: Jer. 23, 21.

3. Lupum

Digitized by Google

3. *Lupum rapacem agere*; jus in armis quærere: Joh. 8, 44. & 10, 8. Apoc. 17, 6.

4. *Externam ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferre*, atq; ita ſimplicioribus imponere: Matth. 23. per tot. Coloſſ. 2, 18. 23. 2. Theſſ. 2, 10. 2. Corinth. 11, 13. 14. 2. Tim. 3, 5. Jud. epiſt. verſ. 12, 16. 1. Reg. 22, 24.

5. *Spinarum inſtar animas lædere* & ſauciare, hinc ad deſperationem adigere; illinc ſecuritatem animis hominum implantare.

IX. Vitioſisſimè à vita & moribus auditorum ad Eccleſiam ipſam colligunt cum Anabaptiſtis Eſauvitici Monachi: à vita enim prava ad doctrinam concluditur per quatuor terminos, quæ ἀσυλλογισία nihil infert.

X. Miniſtri etiam mali Baptiſmum adminiſtrant efficacem. Vide D. Theodor. p. 512. Baptiſmus mali miniſtri.

XI. Opera non renatorum & infidelium, etſi per ſe & ratione actûs externi ſuô locô non improbantur: verè tamen bona non ſunt; quia ab arbore mala, h.e. homine nondum regenerato, absq; fide proveniunt. Hebr. 11, 6. Et præterea imperfectè bona ſunt; Legisq; exactioni atq; ἀκριβείᾳ non ſatisfaciunt. Opera infidelium & non renatorum.

XII. Fruſtrà exagitant Jeſuitidæ B. Lutheri propoſitionem: Bona opera non faciunt virum bonum, ſed præſupponunt. Opera enim non antecedunt hominem juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum. Arbor enim ex fructibus cognoſcitur.

XIII. Pœna Pſeudoprophetarum eſt æterna damnatio. Vide D. Theod. pag. 512.

PARS III.

Tandem quia eô ſunt ingeniô Pſeudoprophetæ, ut nunquam non de donis & rebus ſuis geſtis magnificè glorientur; ideoq; jam ſub finem Salvator CHRISTUS omnium, tàm doctorum, quàm auditorum inanem ac hypocriticam jactantiam retundit, confundit, proſternit. Abſolvitur hæc pars

1. προτάσει,
2. αἰτίᾳ,
3. ἐκθέσει.

1. Πρότασις habet, tùm ſententiam deciſivam, contra impios & hypocritas quosvis; tùm genuinam eorundem deſcriptionem: *Non*

quiſquis dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum: q. d. nihil coram me valebit nuda nominis mei profeſſio, & inanis de donis gloriatio, quæ quaſi peculiaris eſt falſorum doctorum & hypocritarum nota.

2. *Αἴτιον* ſumitur à contrario veri cultûs, & habet ſententiam pro piis deciſivam: *Qui fecerit voluntatem Patris mei cæleſtis*, is demum ingredietur regnum cœlorum. Voluntas autem iſta complectitur, fidem in CHRISTUM, & ſtudium novæ obedientiæ. Joh. 6, 29. 40. 1. Theſſ. 3, 13. & 4, 3. Sic, quoad doctores, ſenſus eſt: tradidi & expoſui vobis veram & ſanam doctrinam: Qui igitur profert & tradit ea, quæ ego dico, ille eſt verus Propheta. Qui verò profert & loquitur, non quæ ego dico, ſed alia diverſa & contraria, ille eſt Pſeudopropheta, qualicunq; ſpecie niteat, & quantiscunq; donis ornatus ſit. Hæc eſt ſimplex interpretatio ait Dn. Chemnitius

Voluntas DEI Patris.

3. *Ἔκθεσις* complectitur *διαλογισμὸν* hypocritarum utriuſq; generis cum CHRISTO, qui conſtat

1. *falsâ & inani hypocritarum gloriatione*, quæ iterum habet effectûs vel adjuncta miniſterii;
   1. *externam profeſſionem*, quòd fuerint ſervi Domini:
   2. *miraculorum oſtenſionem*, qualia ſunt,
      1. prophetare, h. e. futura prædicere & Scripturas interpretari:
      2. dæmonia ejicere:
      3. virtutes edere, h. e. morbos ſanare, & alia ſigna patrare, quæ in Apoſtolis conſpecta fuerunt. *δυνάμεις*, inquit Chemnitius, aliquando virtutem miraculorum ſignificat: Matth. 11, 21. & 13, 5. 1. Cor. 12, 10. Græci verò Pſal. 118, 16. 1. Reg. 14, 48. *ποιεῖν δύναμιν* vocant, edere præclara & inſignia aliqua facta. Ceterùm quid ſignificet phraſis in nomine tuo, expoſuit idē Chemn. d. l. Breviter, in nomine CHRISTI aliquid facere, eſt auctoritate, virtute, potentiâ efficacia & juſſu ejus, h. e. per ipſum CHRISTUM aliquid facere. Senſus eſſet, interprete Chryſoſtomô, illos etiam, qui fuerunt aliquando organa ſalutaria Spiritûs ſancti, poſſe poſteà labi. Alii ita exponunt: ſolere diabolum in Pſeudoprophetis falſæ ſuæ doctrinæ & falſis miraculis nomē CHRISTI prætexere. Matth. 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9.

Δύναμις pro virtute miraculorum.

In nomine Chriſti agere aliquid.

2. *Futu-*

2. *Futurâ CHRISTI reſponſione*, quâ finalis ipſis damnatio adjudicabitur, ob duas potisſimùm cauſas:

1. quòd non noverit illos, notitiâ nimirùm ſpeciali, quâ ſuos tantùm novit, defendendo & ſalvando eos; Pſal. 1, 6. 2. Tim. 2, 19. Beda nominat *notitiam adprobationis, promotionis, & remunerationis.* D. Geſn. in Pſal. 1. q. d. nunquam agnovi vos pro meis.
2. Quòd ſint ἐργάται τῆς ἀνομίας, operarii iniquitatis, οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, Pſal. 6, 9. ubi extat vocabulum און cujus radix ſignificat concupiſcentiam, & deſcribi hoc vocabulò cenſet D. Chemnitius in Prophetis, omnes traditiones doctrinæ & cultuum, quæ ſive extra, ſive contra verbum DEI, ex propria cupiditate ſeu devotione excogitantur & inſtituuntur. Græci interpretes exprimunt per ἀνομίαν καὶ ἀδικίαν, illegalitatem & iniquitatem.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Patet inde, opera verè bona DEOq; placentia non eſſe, quæ à nobis, optimâ quamvis intentione, inſtituuntur; ſed quæ fundamenti locô voluntatem Patris cœleſtis habent. Ezech. 20, 19. Matth. 15, 9. Col. 2, 23. Matth. 6, 10. Joh. 6, 38. Opera verè bona.

II. Indignitas miniſtri nihil quidquam derogat efficaciæ miniſterii. 2. Tim. 3, 5. Tit. 1, 16. Luc. 10, 16. Phil. 1, 15. 16. Matth. 23, 3. Joh. 6, 70. 2. Cor. 5, 20.

III. Monemur, ne donorum externorum ſpecie decipiamur: dona enim ſola, & per ſe, non ſunt ſatis certa κριτήρια, ut cui hæc adſint, conſequens ſit neceſſarium, doctrinam ejus veram & ſanam eſſe: nam & Pſeudoprophetæ hac ſpecie, perſonâ ſeu larvâ induti in ſcenam prodire ſolent.

IV. Errat igitur Bellarminus, & cum eo totum regnum Papiſticum, dum lumen propheticum pro veræ Eccleſiæ nota infallibili venditatur. Notha hæc eſt & ſpuria nota; quia novum & inſolitum non eſt, (quæ verba ſunt D. Gerhard. Tom. 5. L. C. pag. 1275. etiam falſos doctores de prophetiæ dono gloriari. Matth. 7, 22. multi dicent in die noviſſimo, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? quibus CHRISTUS dicet; non novi vos. Ubi per donum prophetiæ etiam futurorum prædictiones intelligi non eſt im- Eccleſiæ nota non eſt lumen propheticum.

probabile, cùm donum miraculorum eidem conjungatur. Vide d. l. plura.

Chriſtianiſmus non in verbis conſiſtit, ſed in re. V. Sic verus Chriſtianiſmus non in nudo verborum ſono ac titulo conſiſtit: verbales Chriſtiani κακὰ ſunt χόμματα, nec ullius pili æſtimandi. Matth. 10, 33. Rom. 2, 13. Jac. 2, 18. 2. Tim. 2, 19. & 3, 5. Confer D. Theodor. pag. 513.

VI. Veri Chriſtiani malūt eſſe, quàm dici, quod ſunt. Ib. p. 514.

Dona DEI. VII. Donorum excellentia per ſe non reddit hominem DEO acceptum. 1. Cor. 13, 2. Eph. 3, 18. 1. Cor. 4, 7. Luc. 12, 48.

IIX. Scriptura ad ſalutem auditorum eſt docenda. Vide D. Theodor. p. 515.

IX. Fides miraculoſa & fides juſtificans plurimùm differunt. Gal. 5, 6. Rom. 14, 23. 1. Tim. 1, 19. & 5, 8. 1. Joh. 5, 1. 1. Cor. 13, 2.

Mandata DEI ſervare. X. Mandata DEI in Scriptura ſacra tripliciter ſervanda præcipiuntur; in corde, ore & manibus. D. Finck. Cent. 1. Can. 53.

Voluntas DEI in quibus conſiſtat. XI. Oralis CHRISTI confeſſio non ſufficit: Matth. 15, 8. 1. Sam. 16, 7. Jer. 11, 20. & 17, 10. Pſal. 116, 10. Sed voluntas DEI eſt facienda, quæ conſiſtit

1. *in vera ad DEUM converſione*: Eſa. 1, 16. Ezech. 33, 11. 2. Pet. 3, 9.
2. *in veræ ac ſinceræ fidei inflammatione*; 1. Tim. 1, 19. Act. 10, 43. 2. Cor. 6, 14.
3. *in noſtra ſanctificatione*; ut fidem ſanctâ quoq; vitâ declaremus: Eph. 2, 10. Luc. 1, 75. Eſa. 61, 3.
4. *in proximi dilectione*: Gal. 5, 6. Joh. 13, 35. 1. Joh. 3, 17.
5. *in patientia declaratione*. Luc. 8, 15. Act. 14, 22.

Miracula non ſalvant, nec nota Eccleſiæ. XII. Miracula nihil conferunt ad hominis ſalutem. 1. Cor. 13, 1. 2. & 14, 22. 2. Cor. 12, 12. Matth. 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9. Apoc. 13, 13. Luc. 11, 19.

XIII. Sed neq; inter infallibiles Eccleſiæ notas miraculorum gloriam cum Pontificiis referimus: Cadit enim in eos etiam, quos CHRISTUS nunquam novit. Eleganter itaq; Eucherius Lugdunenſis: *Nobis*, inquit, *ſigna & miracula nunc neceſſaria non ſunt, quibus ea, quæ facta ſunt, ſolummodò legere & audire ſufficit: Credimus enim Evangelio, credimus & Scripturis iſta narrantibus.*

Miracula Pſeudoprophetarum. XIV. Hæreticos & Pſeudoprophetas miracula etiam facere ex verbo DEI & hiſtoria Eccleſiaſtica demonſtrari poteſt. Deut. 13, 1. ſeqq. Matth. 24, 24. Vide D. Gerh. Tom. 5. L. C. p. 1227. D. Theod. p. 515.

XV. Vani ſunt cum Jeſuitis Calvinianorum nonnulli, qui his verbis

Digitized by Google

verbis (qui faciunt voluntatem Patris mei) opera bona requiri, ac proinde facere voluntatem DEI pertinere ad juſtificationem hominis peccatoris coram DEO, contendunt. Hinc Piſcator bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria ſcribit. Sed præterquam quòd opera quidem ſalvandorum requiſitum eſſe concedimus, non autem cauſam, nec meritum ſalutis; ἀγνοίᾳ ἐλέγχε fallunt & falluntur. Nam voluntatem Patris requirens CHRISTUS, ipſam fidem vel maximè requiſiviſſe cenſendus eſt. Joh. 6, 40. Rom. 14, 23. Gal. 5, 6. **Bona opera ad ſalutem utrũ neceſſaria?**

XVI. Duplex enim eſt facere in ſacris literis, legale & Evangelicum. Gal. 3, 12. Rom. 2, 13. Luc. 10, 28. Rom. 10, 4. Joh. 6, 40. 1. Theſſ 4, 3. 1. Joh. 3, 23. **Facere duplex.**

XVII. Principalis hujus partis locus eſt de hypocriſi, quippe DEO ſummè exoſa, ſtudiosè fugienda. Definitur ὑπόκρισις à Varino, δικαιοσύνης προσποίησις τῇ τοῦ εἶναι δοκήσει συντηρουμένη; quòd ſit juſtitiæ ſimulatio, quæ ſub opinione rem ipſam occultat. Vel, ἀπάτη ἀληθείας ἔχουσα μόρφωσιν, deceptio habens ſpeciem veritatis. Dn. D. Chemnitius Theologicè ita deſcribit: cap. 51. harm. Hypocriſis eſt, quando cor vel eſt ſine veris motibus, congruentibus Legi DEI, & interim externas actiones quomodocunq; componit & conformat ad normam Legis, ut ita vel apud reliquos homines gloriam & laudem ſanctitatis aucupetur, vel ſibi ipſi comparet opinionem & perſuaſionem juſtitiæ ac meriti coram DEO. Et hoc eſt malum illud, quod polluit & vitiat opera etiam per ſe & ſuô genere bona. Prov. 30, 12. Eccl. 5, 5. Mich. 6, 6. Eſa. 29, 13. Matth 15, 8. Sir. 1, 35. Rom. 12, 9. 2. Cor. 6, 6. & 7, 1. 1. Tim. 1, 5. 2. Tim. 3, 5. Tit. 1, 16. 1. Joh. 3, 18. **Hypocriſis**

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Duo potiſſimùm ſunt, quæ οἰκοδομῇ & incrementô Eccleſiæ plurimùm officiunt; (1) falſa doctrina, & (2) impia ſive hypocritica vita. In præſenti itaq; περικοπῇ hortatur Salvator, ut utrumq; ἐμπόδισμα caveamus, ne ſatanæ μυελοτέχνα fraude circumventi à recto ſalutis tramite abducamur. Audiamus itaq; CHRISTUM διδάσκαλον noſtrum fideliſſimum,

I. de Pſeudodoctoribus & prophetis vitandis; &

II. *de hypocriſi & impietate fugienda* nos omnes ſeriò præmonentem.

PARS I.

Prior pars in duobus eſt occupata:

1. *in Pſeudoprophetarum fuga;*
2. *in vera eorundem notitia.*

Propoſitio primi membri eſt: Pſeudoprophetæ vobis ſunt fugiendi. Ut autem rectiùs propoſitionem hanc intelligas, notabis

Prophetæ 1. *Subjectum*, quod eſt, Pſeudoprophetæ. Prophetæ Hebræorùm conſuetudine adpellabantur omnes, quotquot de rebus ſacris vel benè vel malè docebant. Loquitur ergò Salvator de iis, qui & titulum Prophetarum ſive Doctorum, interpretumq; cœleſtium aut ſacrorum ſibi uſurpant; & vera ſubinde falſis admiſcent, ut alios à veritate & ſimplicitate Evangelica, ad traditiones humanas, ad ſomnia ſua, ad ſuperſtitiones cultusq; idololatricos abducant. Patrum nonnulli, quos inter eſt Chryſoſtomus, hæreticos h.l. intelligi nolunt; ſed noſtrarum Eccleſiarum Doctores communiter de iisdem exponunt. Hieronymus: de omnibus quidem, inquit, intelligi poteſt, qui aliud habitu ac ſermone promittunt, aliud opere demonſtrant; ſed ſpecialiter de hæreticis intelligendum eſt, qui videntur continentiâ, caſtitate, jejuniô, quaſi quadam pietatis ſe veſte circumdare, intrinſecùs habentes animum venenatum, ſimpliciorum fratrum corda decipiunt.

2. *Prædicatum*, cavete vobis: diſcretionem hoc ipsô exigens Spirituum, quæ cùm noſtrarum virium non ſit, à DEO piis ardentibusque votis eſt petenda atq; impetranda.

3. *Prædicati προσδιορισμὸν ſive determinationem*: Vobis. Intelliguntur hac particulâ omnes in univerſum homines. CHRISTUS enim non ad diſcipulos καθ' ἰδίαν, ſeorſim; ſed ad populum congregatum loquitur. Etſi enim religionis cura perſonis Eccleſiaſticis præ ceteris ſit commendata: Act. 20, 28. tamen auditoribus quoq; dictum eſt, ut caveant ſibi ab iis omnibus, qui ſaluti eorum inſidias ſtruere quocunq; modô conantur. Hoc unum.

Alterum membrum monet de Pſeudoprophetis dignoſcendis. Πανοῦργοι enim ſunt, uti à Theophylacto nominantur. Ut igitur & ſimpliciores ſibi tantò rectius cavere queant ab illorum verſutia, vivis quaſi coloribus διαβεβλημένα πρόσωπα, perſonæ non ſatis laudatæ deſcribuntur. Dignoſcuntur autem

1. ex

Digitized by Google

1. *ex inſinuatione ſpontanea*; dicuntur venire, vel uti apud Jerem. Pſeudoprophetarum γνωρίσματα.
23, 21. loquitur Dominus, currere, etiam non miſſi. Sunt ἐπερχόμενοι, adventitii, ſuperventitii, ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας. 2. Tim. 3, 6.

2. *Ex pelle ovina.* Tertullianus exponit de ſuperficie hominis Chriſtiani, profeſſione Evangelii, & zelo erga CHRISTUM. D. Chemnit. harm. cap. 51. ait: veſtimenta ovium eſſe Veſtitus ovium.

1. titulum, vocationem & officium: dicunt enim ſe prophetare in nomine CHRISTI:
2. verbis Zelum pietatis & ædificationis peculiarem præ ſe ferre; veniunt non contra, ſed ad vos:
3. exteriorem pellem ovillam & adſpectu & tactu ſimilem ovibus gregis, ſignificare externam ſpeciem vitæ, operum & converſationis:
4. Peculiaria & illuſtria dona. Alii ex tribus partibus, velut adſumentis conſutam eſſe pellem illam ovillam referunt, quarum eſt
   1. *ſophiſticus verbi divini prætextus;*
   2. *magnificus Eccleſiæ titulus*; &
   3. *fucatus ſanctitatis ſingularis Zelus* ſeu ſpecies.

Simulant enim Pſeudoprophetæ magnam pietatem, humilitatem, manſuetudinem, ſimplicitatem, modeſtiam, & quid non? Ita quidem, ut oviculæ innocentiſſimæ videantur, immò paſtores ovium fideliſſimi. Jactant etiam pium Zelum, quòd præter DEI gloriam & æternam hominum ſalutem nihil quærant. At dignoſcere illos ulteriùs diſce. Pſeudoprophetarum ſimulatio.

2. *Ex rabie lupina:* intùs ſunt lupi rapaces. Comparantur autem lupis propter

1. *calliditatem;* Pſeudoprophetæ lupi.
2. *rapacitatem;*
3. *aviditatem & inſatiabilitatem;*
4. *voracitatem;*
5. *crudelitatem:* exitiabili enim doctrinâ gregem Domini dilaniant.

4. *Ex fructuum nota.* Quia enim ſimiles eſſe volunt arboribus frugiferis; idcircò etiam fructûs ſuos paſſim venditant. Per fructûs autem πρώτως eorum vita ac mores intelligi haut poſſunt: inde enim Pſeudoprophetam exactè cognoſcere admodum difficile, & tantùm non impoſſibile: ſed fructûs ſunt ipſa dogmata, quæ ad normam Scri- Fructus Pſeudoprophetarum.

pru-

pturarum examinata confeſtim & infallibiliter probant, quales ſint Doctores. Δευτέρως verò etiam mores & vitam fructûs dici poſſe, nulli negaverimus; nam & inde quodammodo cognoſci poſſunt. Huc ſpectat illud Theophylacti: *A fructu cognoſcuntur, h. e. operum & vitæ. Nam licèt & ad tempus ſimulent, ſed produntur ſucceſſu temporis.*

Uſus I. Informatorius.

Eccleſiæ ſtatus.

1. De ſtatu Eccleſiæ. Nemo ſibi aureum in hac vita ſeculum polliceatur, futurum unum ovile, uti cum Pontificiis falsò ſibi imaginantur Anabaptiſtæ. Vide Dom. Miſeric.

Satanæ ſtudium.

2. De indefeſſo ſatanæ ſtudio, in excitandis Pſeudoprophetis, quorum magna ſemper in his terris ſeges ac copia; cum in finem hinc inde ſparſa, ut homines à vera abducantur ſalutis via. Matth 24, 24. 1. Cor. 11, 19. 2. Theſſ. 2, 10. 11. Eſa. 3, 12. & 9, 16. & 29, 21. Jer. 6, 14. & 23, 32. Ezech. 13, 22. Rom. 16, 17. 2. Tim. 3, 13. Thr. 2, 14. 1. Reg. 22, 22. Apoc. 12, 9. Matth. 13, 27. 28. Confer Monr. theſ. pag. 155.

Hæreſes unde, & cur permittantur graſſari.

3. De cauſis tanti mali, quæ ſunt
   1. *Satanæ odium;*
   2. *DEI permittentis beneplacitum.* Permittit autem DEUS hæreſes graſſari;
      1. *ad mundi ſecuritatem & ingratitudinem puniendam;* Amos, 8, 11. Matth. 21, 43. Act. 13, 46. 1. Sam. 3, 1.
      2. *ad veritatem in apricum producendam;*
      3. *ad pios probandos.* Vide præced. diſpoſ.

Doctores falſi arguendi.

4. Non eſſe inanes λογομαχίας, hominúmve contentioſorum litigia, quando ἑτεροδιδασκαλίαι ex verbo DEI monſtratæ refutantur. Omnes cavere ſibi debent: Ergò omnibus innoteſcant neceſſum eſt hæreticorum & falſorum doctorum errores. Sequitur inde, nihil alienum à ſuo officio facere fidum verbi miniſtrum, ſi pro re nata publicè de falſa doctrina auditores ſuos moneat. Luc. 8, 18. Hab. 2, 4. Matth. 15, 14. 1. Theſſ. 5, 20. 1. Joh. 4, 1. Matth. 16, 6. 26. & 22, 29. Eſa. 56, 10. & 58, 1. Ezech. 3, 17. 2. Tim. 2, 25. Tit. 2, 15. Act. 20, 28. Gal. 1, 8. & 5, 12. D. Chemnitius: *Mala pax & concordia eſt, quæ initur inter paſtores & lupos, furem & oeconomum, verum & falſum Prophetam.*

II. Conſolatorius.

Deus non vult hominum perditionem.

1. Quòd CHRISTUS nolit hominum perditionem; ideoq; de cavendis Pſeudoprophetis præmonet, ne ipſorum κυβείᾳ præventi ſa-

lutis

Iuris ſuæ jacturam faciant. Tob. 3,22. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3,9. Ezech. 18,23. & 33,11. Apoc. 3,20. Oſe. 5,9. & 13, 9.

2. Quòd ſola illa doctrina, quam CHRISTUS Filius DEI ex ſinu Patris protulit, ſit firma baſis & norma ſalutis noſtræ unica; nec quisque ſalvetur per fidem ſuam in ſua religione. Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. Monr. pag. 157.

III. Monitorius.

1. Ut omni ſtudió tàm diſcentes, quàm docentes abigant lupos, ſanæ doctrinæ depravatores. Tit. 3, 10. Gal. 1, 8. Monr. p. 159. 160.

2. Ne hypocriſin Pſeudoprophetarum nobis imponere patiamur. Nam & Phariſæi olim vitam honeſtam κατὰ τὸ ἔξω ducebant, & tamen erant lupi rapaces, γεννήματα ἐχιδνῶν, fures & latrones. Matth. 7, 15. & 22, 33. Joh. 10, 8. 2. Cor. 11, 14.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui 1. admonitionem hanc Salvatoris de cavendis Pſeudoprophetis, ad laicos pertinere negant; multò minus conceſſum ipſis eſſe τὸ διακρίνειν, probare & judicare Spiritûs. Hinc Stapletonus inquit: Oves & ſimplicem populum fugere jubet, non inquirere. Mactè! Sic lupus facilè oviculam adprehenſam devorabit. Suprà autem probatum dedimus, non ad Apoſtolos ſolos, ſed & ad populum admonitionem hanc ſuam CHRISTUM direxiſſe. Et præterea, ſi ex ὑποθέσει Eſavvitæ, fugere debent, certè cum præeunte inquiſitione fieri illud debere, conſentaneum eſt. *Papiſmus de laicis.*

2. Judicem ac normam controverſiarum vel inde ſuſpectam reddere conantur, quòd omnes hæretici ad illam, h. e. Scripturam provocent; ideoq; non agnoſcant ſe in Scriptura damnari. Schererus Jeſvcida fol. 509. a. ita ludit: Bey unſern Zeiten iſt der Mönch Martinus Lutherus / ſampt ſeinem Anhang / auch in dieſes Schaaffkleid gekrochen / und eitel Evangelium und Wort Gottes fürgewendet / wie er ſich dann ſelber ein Propheten / ein Apoſtel und Evangeliſten öffentlich genennet / und ſeine Jünger jhnen dieſen ſchönen Namen geſchöpffet / daß ſie ſich Evangeliſch heiſſen / und für Evangeliſch von männiglich wollen gehalten ſeyn. Behüt GOtt / da iſt kein Irrthumb oder Ketzerey / ſondern lauter Schrifft und Bibel. Verbum Domini manet in æternum, des HErrn Wort bleibet ewig / ſchreiben ſie an alle Thor / Fenſtern / und Wände / ja jhre Reit- und Stallknecht haben jhnen dieſen Spruch auff die ſchmutzigen Ermel nehen laſſen. Die *Papiſmus de judice ac norma controverſiarum.*

Predicanten nennen ſich Diener am Wort / vnd auff den Cantzeln ſchütten ſie offt gantze weite Ermel voll Schrifften herfür &c Diabolum, verbi divini illuſorem peſſimum, audis per Tonſorem loquentem. Benè autem homo loqui non poteſt, quia malè loqui in Scholis Eſavvitarum didicit. Rem ipſam quod ſpectat, invertimus argumentum & ita concludimus: Cujus judicium aliquis ſubterfugit, eum ſcit ſibi parùm æquum fore: Pontificii ſubterfugiunt judicium Scripturæ: Ergò ſciunt hunc judicem ſibi parùm æquum fore; inde Eccius fatebatur, Lutheranam (Auguſtæ exhibitam) confeſſionem non poſſe ex Scripturis refutari. Et quanquam hæretici non omnes ſciant & ſentiant, ſe à Spiritu ſancto in Scripturis & à Scripturis ſacris condemnari; tamen à negata hujus condemnationis ſcientia & ſenſu non poteſt argumentum duci ad negationem rei ipſius. Falsò autem hæretici erroribus ſuis Scripturas prætexunt. Et ſicut tyrannus boni Magiſtratus, meretrix honeſtæ virginis titulum ſibi arrogat: Sic hæretici orthodoxorum & nomen & arma, Scripturam ſibi venditant; quemadmodum & diabolus allegabat Scripturas contra CHRISTUM; Matth. 4, 6. interim per Scripturas diabolum vicit Salvator; & nos non vitio, ſed laudi nobis ducimus, ſi ſoli verbo revelato adhæreamus, articulos fidei inde probemus, & vitam ad ejusdem normam piè inſtituamus. Vide D. Gerh. Exeg. pag. 511. 512.

PARS II.

Secunda pars adverſus impietatem & hypocriſin, tùm Doctorum, tùm auditorum pugnat, utrisq; oſtendens, non ſatis eſſe, prædicare & audire verbum DEI, & præclarè de eo poſſe diſſerere, niſi quis ſeriò etiam amplectatur prædicatum & auditum, & quod novit ac didicit, factis exprimere ſtudeat. Ad vitam verô impiam hypocriſinq; fugiendam hortatur & inſtigat CHRISTUS,

1. *Fructûs doctrinâ & profeſſione dignos requirendo:* Omnis enim arbor bona fructûs etiam bonos facit, & contrà. Multi de fide gloriantur; ſed fructûs fidei nullos edunt.

2. *Duram contra hypocritas ſententiam ferendo*, quâ finalem eis & totalem exciſionem comminatur. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine* &c h.e. non ii ſalvabuntur, qui verbis mihi blandientes, diſcipuli mei videri volunt: interim neq; doctrinam meam vera fide amplectentes, neq; eam operibus exprimere volentes.

3. *Ina-*

3. *Inanem hypocritarum gloriationem retundendo;* verbis: *multi dicent mihi in die illo &c.*

4. *Cauſam damnationis monſtrando,* eamq; geminam:

1. *CHRISTI ignorantiam;* non novi vos. D. Calixtus ita: Non poteſt accipi, quaſi ſimpliciter non noverit: neminem enim ignorare poteſt, quippe DEUS: ſed non novit eos tales eſſe, quales illi ſeſe prædicabant: (verbi nempè præcones, & miraculorum inſignium patratores:) vel certè ita non novit, ut eorum curam haberet, aut eos probaret, quô modô novit ſuos. Joh. 10, 14. 2. Tim. 2, 19. Huc facit interpretatio Theophylacti: *Multi cùm prædicare incipiebant, ejiciebant dæmonia, & quamvis indigni eſſent, per nomen tamen JESU fugabant dæmones. Nam gratia etiam per indignos efficax eſt, ſicut per indignos ſacerdotes ſanctificamur, & Judas quoq; ſignum fecit, & filii Sceva. Quòd autem dicit; nunquam cognovi vos, hoc vult, neq; tunc quando miracula faciebatis, diligebam vos. Hoc enim locô caritas cognitio dicitur.*

2. *Propriam malitiam* Operarios enim iniquitatis eos vocans, manifeſtum reddit, inter malefactores eos reputatum iri.

Uſus I. Informatorius.

1. Regnum cœlorum patet iis, qui faciunt voluntatem Patris cœleſtis, qui vult, ut *Regnum cœlorum quibus pateat.*

1. *in CHRISTUM credamus;* Joh. 3, 16. & 6, 29. Matth. 3, 17. & 17, 5. Hebr. 11, 6. Rom. 10, 4. & 14, 23.
2. *diligamus;* Joh. 13, 34. Matth. 22, 29. 1. Tim. 1, 5. 1. Joh. 3, 18.
3. *piè vivamus;* Tit. 2, 12. 1. Theſſ. 4, 3.
4. *pœniteamus.* Ezech. 18, 23. Pſal. 5, 5. & 51, 2. ſeqq. Matth. 3, 2. Luc. 13, 4. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9. Eſa. 1, 16. Prov. 1, 42. Luc. 18, 13: ſed pœnitentiam noli procraſtinare. Sir. 5, 8. & 18, 22.

2. Doctrina Evangelii inſtar ficuum medicinam confert & ſalutem, & ceu vinum recreat atq; confortat. Monr. theſ. p. 159.

II. Conſolatorius.

1. Quòd arbor fidei noſtræ fœcunda non proſternetur, nec ponetur ſecuris ad radicem illius, ſed florebit & fructum producet in Paradiſo DEI multiplicem.

2. Quòd intrabimus in regnum cœlorum, ubi verè fecerimus voluntatem Patris cœleſtis. Monr. p. 163. 164.

Digitized by Google

III. Monitorius.

1. De cavenda orali θεοσεβείᾳ: Tales enim cultores DEUS non agnoſcit pro ſuis, qui labiis tantùm, non autem factis ipſum honorant. Eſa. 29, 13. Matth. 15, 8.

DEO qui placeant,

2. Noſtrum eſt, ſi DEO placere velimus,

1. *verbi puritatem diligere*; ita enim caventur Pſeudoprophetæ, qui in agro, Eccleſiæ tanquam zizania, creſcunt, ex
   1. *Satanæ malitiâ*;
   2. *hominum ignaviâ*;
   3. *doctorum quorundam arrogantiâ*;
   4. *rationis luxuriantis laſcivia*;
   5. *novitatis concupiſcentia.*
2. *Fructus fide dignos*, veluti bonæ arbores, *producere*; hoc enim requirit
   1. *Chriſtianorum proprietas*;
   2. *pœnæ gravitas*
3. *Hypocriſin fugere:*
4. *Voluntatem DEI facere*, vide præced. diſpoſ. Monr. p. 161.
5. *Judicium extremum metuere*, quod certò certiùs futurum.

IV. Refutatorius.

Papiſtarũ traditiones.

Pontificiorum, qui 1. traditiones & ἐθελοθρησκείας ſuas nimis carè populo miſello vendirant, cùm tamen ad vitæ æternæ acquiſitionem nihil quidquam faciant. Ezech. 20, 19. Matth. 15, 13. Si non conſiſtunt, qui dicunt, Domine Domine, multò minùs conſiſtent, qui dicunt ave Maria, ſancta Maria, ſancte Johannes ora pro nobis.

Peccata auditorum non inferũt doctrinæ falſitatem.

2. Ob peccata auditorum doctrinam Lutheranorum falſitatis & ἑτεροδιδασκαλίας arguunt. Audi clamores Schereri, pag. 510. Die Lutheriſchen ſingen zwar: daß Land bringt Frucht vnd beſſert ſich/ dein Wort iſt wol gerahten: Aber man ſehe ſich vmb in allen Landen/ ſo wird ſichs augenſcheinlich vnd handgreifflich finden/ was für hertzige Früchtlein aus dem Lutherthumb erwachſen/ davon Luther ſelber hat ſchreiben vnd zeugen müſſen. Jtzt ſein die Leut/ ſagt Luther/ mit 7. Teuffeln beſeſſen/ da ſie zuvor mit einem Teuffel beſeſſen waren/ der Teuffel fehret itzt mit hauffen in die Leut/ daß ſie nun vnter dem hellen Liecht des Evangelii/ ſeind geitziger/ liſtiger/ fortheiliſcher/ vnbarmhertziger/ vnzüchtiger/ frecher vnd ärger/ dann zuvor vnter dem Pabſthumb: & quæ d. l. ſequuntur plura. Collectio Jeſvcidæ eſt talis: Doctrina quæ malos habet auditores eſt falſa: Talis eſt doctrina Lutheranorum: Ergò eſt falſa.

Reſp.

Reſp. 1. Committitur σόφισμα παρὰ τὸ συμβεβηκός. Ex Evangelio vel doctrina Lutheranorum per ſe eſt vita & ſalus, Johan. 3, 16. Rom. 1, 16. per accidens, vitiô hominum & malitiâ ſatanæ peccata comitantur. 2. A particulari ad univerſale nulla militat conſequentiæ ratio. Si ita colligerem: Monachi, Jeſubitici maximè, inſignes ſunt ſcortatores, incendiarii, regicidæ; Ergò doctrina eorum eſt falſa: quid dicerent? 3. Diſtinguendum inter fructûs doctrinæ & perſonæ. 4. Idem poſſet dici de doctrina Patriarcharum, Prophetarum, CHRISTI & Apoſtolorum. 5. Non habent quod glorientur de ſua ſuorumq; ſanctitate Papiſtæ: neq; Romanæ Eccleſiæ doctoribus; neq; curiæ & urbi Romanæ, neq; Papæ & clero ejus, neq; Monachis & Monialibus, neq; ordini Eſauvitarum, neq; plebi Pontificiæ vitæ adeſſe morumq; ſanctitatem veram, prolixè docet & ad oculum demonſtrat D. Gerhard. Tom. 5. L. C. pag. 1188. & ſeqq. An etiam vitæ ſanctitas ſit in Eccleſiis Evangelicis, idem oſtendit pag. 1214. & ſeqq.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Dixerat in præcedentibus Salvator noſter, de arcta & ſpacioſa via, de anguſta item & lata porta. Spacioſam viam & latam portam declinandam; arctam autem viam & anguſtam portam fidelibus ſuis ingrediundam ſimul monuerat: illa enim ad Orcum & æternam damnationem; hæc ad Olympum & æternam beatitudinem rectà deducit. Ne igitur à recta via & porta aberremus, agite dilecti, ex ſubjuncta Evangelii hodierni lectione diſcemus, *quâ ratione per anguſtam portam & viam τεθλιμμένην, arctam ſive ſtrictam, ad regni cœleſtis hereditatem ingredi valeamus.* Regnum cœleſte ingrediendi modus.

Ἐξήγησις.

I. *Pſeudoprophetas fugiendo.* Horum notetur

1. *antiquitas:* non heri aut nudius tertius in agrum Eccleſiæ à diabolo ſunt proſeminati ἑτεροδιδάσκαλοι; ſed inde uſq; a prima mundi origine Eccleſiam puriorem infeſtârunt, quod patet ex Gen. 4, 5. & 9, 22. & 35, 2. 2. Tim. 3, 8. Levit. 10, 1. Num. 16, 3. 1. Reg. 18, 19. & 22, 6. 2. Pet. 2, 1. 2. Matth. 24, 24. Act. 20, 30. 1. Tim 4, 1. 2. Tim. 3, 2. 2. Theſſ. 2, 10. Luc. 18, 8. Matth. 15, 13. 1. Joh. 4, 1. Confer hiſtoriam Eccleſiaſticam. Pſeudoprophetarum antiquitas & proprietas.

Pſeudoprophetas cur toleret DEUS.

Permittit autem DEUS peſtes illas in Eccleſiæ corpus graſſari,

1. *ad contemtum verbi ejusq; faſtidium vindicandum;*
2. *ad veritatem adſerendam;*
3. *ad integritatem probandam.* Vide præced. diſpoſ.

2. *Proprietas*, quæ
   1. *externa;* ad vos veniunt in veſtimentis ovium. Complectitur autem ovilla iſthæc veſtis,

Veſtis ovilla.

1. *malitioſam Scripturarum depravationem.* Prophetæ quidem dicuntur, ſed τὸ ψεῦδος adjunctum habent. Nazianz. *Allegant Apoſtolica, ſed non Apoſtolicè intellecta.* Matth. 4, 6. 2. Cor. 11, 13. 14.
2. *Legitimæ vocationis neglectionem;* veniunt, ſc. ultrò. Jer. 23, 21. 2. Tim. 3, 6. Rom. 10, 15. His non immeritò accenſentur NeoPhotiniani, contendentes; eos, qui docent in Eccleſia, nullò modô opus habere, ut ſingulari aliquà ratione mittantur.
3. *Sanctitatis & pietatis ſimulationem;* habent enim μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, 2. Tim. 3, 5. Matth. 6, 5. & 15, 5. & 23, 14. 1. Reg. 18, 21. & 22, 24. 1. Tim. 3, 2. 2. Cor. 11, 3. 13. 14. Tit. 1, 16. Theophyl. ait: *Vaſri & impoſtores* (ἀπατεῶνες) *hæretici, propterea dicit attendite h. e. cavete.* Tales autem in primitiva Eccleſia fuerunt, qui nuncupari volebant Angelici, Apoſtolici, Cathari, Euchetæ, Pſalliani, & horum omnium æmuli Jeſuitæ noſtrô tempore.
4. *Hæreſeos & falſæ doctrinæ diſſimulationem;* (ſimulamus ea quæ non ſunt, diſſimulamus ea quæ ſunt) ideoq; phraſibus veræ ac ſinceræ Eccleſiæ quandoq; utuntur. Idq; à Calvinianis maximè Doctoribus fieri hodieq; videmus, qui Priſcillianiſtarum ſymbolum jampridem ſuum fecerunt: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.*
5. *Fucatæ eruditionis jactationem.* Col. 2, 4. 8. 2. Cor. 11, 13. Rom. 2, 19. 20. Sic Arius olim melior Dialecticus quàm Theologus audiebat. Neſtorius dicebatur εὔλαλος καὶ εὔφωνος, ob oris facundiam. Panætius, teſte Sozomenô, diſputator inexpugnabilis. Temporibus Irenæi hæretici fuerunt, Gnoſtici adpellati, quòd omnia ſibi per Paracletum revelari adfirmarent. Confer fraterculos Calvinianos, Eſau-

viticos

viticos & roſeæ crucis, qui apud ſuos, imperitiorem cum-primis plebeculam, nil niſi eruditionem & ſapientiam transmarinam crepant, reliqui omnes ipſis ſunt fungi, caudices, ſtipites, indocti Lutherani. 1. Tim. 6, 20. dicitur γνῶσις ψευδώνυμ☉. **Fratres roſeæ crucis.**

6. *Aſſentationem & fraudulentam adulationem.* Lupus in fovea. Ezech. 13, 4. 18. Eſa. 30, 11. 2. Cor. 11, 13. Tit. 1, 11. *Blandiloquentiam prætexunt, & vitam ſimulant ſanctam, ſed intrinſecùs latet aculeus,* dicebat Theophylactus. Tales ſunt forinſecùs, ſecundum externam proprietatem.

2. *Interna* proprietas eſt, quòd inſtar luporum omnia diripiant: ſunt λύκοι ἅρπαγες. Lupi, quia **Pſeudoprophetæ lupi rapaces & cur.**

1. in agmen oviculorum denſiſſimum ac confertiſſimum impetum faciunt:
2. paſtoribus altum, quod dicitur, dormientibus veniunt:
3. indiſcriminatim tam ſignatas, quàm ſignô carentes oviculas devorant:
4. diu celari non poſſunt. Lupus pellem ovinam indutus ingenium ſuum ſtatim prodit: hinc proverbialiter dicitur pellem, non animum, mutare.

Rapaces autem lupi vocantur, quia

1. verbum DEI;
2. omnem conſolationem mentibus hominum eripiunt;
3. animas ψευδολογίαις ſuis occidunt. Tales lupi erant Cain, Zedekias, Jannes, Jambres, Mahomethus, Papa Romanus, Cinglius & alii.

3. *Cavendi neceſſitas*, quam nobis imponat

1. *Pſeudoprophetarum certitudo.* Nunquam deerunt peſtes iſtiusmodi Eccleſiæ; quia nunquam ceſſat odium ſatanæ. Apoc. 12, 12. Vide præc. diſpoſ.

2. *Periculi magnitudo:* Salus animæ agitur: incumbant igitur in hanc curam omnes ordines; non ſoli Eccleſiarum Doctores, ſed & Rerumpub. gubernacula tenentes, cuſtodes quippè utriusq; tabulæ Decalogi; quin & univerſi verbi divini auditores, quotquot ſeriâ ſalutis ſuæ curâ tanguntur. Una enim eſt via, unus ὁδηγός. Act. 4, 12. 1. Tim. 2, 5. Joh. 14, 6. Matth. 15, 13. Eſa. 58, 1. Ezech. 3, 17. 18. Eſa. 49, 23. & 56, 10. Pſal. 2, 12. & 24, 7. Deut. 17, 29. Joſ. 1, 8. Johan. 5, 39. 1. Theſſ. 5, 20. 1. Joh. 4, 1.

II. Fru-

II. *Fructûs pœnitentiâ dignos ferendo.* CHRISTUS non requirit ſolia, ſed fructûs; non deſpinis & tribulis, ſed de arboribus; unô verbô, novam obedientiam. Matth. 3, 8. Theophylactus: *Spina & tribuli ſunt hypocritæ: ſpinæ, ut occultè carpentes:* (lædentes) *tribuli, ut vaſri & verſatiles. Arbor autem putris omnis, qui triſtis & diſſolutâ vitâ putreſcit.*

Hypocriſis. III. *Hypocriſin vitando,* cujus proprium eſt,

1. *verbis* CHRISTUM *jactare,* Domine, Domine &c:

2. *factis eundem abnegare.* Job. 13, 17. 1. Pet. 2, 1. Matth. 21, 19. Theophylactus ita commentatur: *Docet autem nos, ſi fidem absq; operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo, qui facit voluntatem, non dixit, qui ſemel fecit, ſed qui usq; ad mortem fecit. Et non dicit, voluntatem meam, ne offenderet auditores, ſed Patris mei. Omninò autem una eademq; eſt voluntas Patris & Filii.*

IV. *Voluntatem Domini faciendo;* 1. Joh. 2, 17. Joh. 6, 40. 1. Theſſ. 4, 3. & 5, 18. Vide plura præced. diſpoſ. Finem facio, concludens precatione Eccleſiæ: *Largire nobis quæſumus Domine ſemper Spiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius & agendi, ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te vivere valeamus, per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM. *Amen.*

DOMINICA IX. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 16. à verſ. 1. ad 10.

1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τὺς μαθητὰς αὐτοῦ· ἄνθρωπός τις ἦν πλύσιος, ὃς εἶχεν οἰκονόμον· καὶ οὗτος διεβλήθη αὐτῷ ὡς διασκορπίζων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ,

1. *Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos: Homo quidam erat dives, qui habebat diſpenſatorem: & hic delatus eſt apud illum, ut qui diſſiparet bona ipſius.*

2. Καὶ φωνήσας αὐτὸν, εἶπεν αὐτῷ. Τί τῦτο ἀκύω περί σῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σῦ· ὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν.

2. *Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris poſthac diſpenſare.*

3. Εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ ὁ οἰκονόμος· Τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μυ ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμῦ; σκάπτειν ὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι.

3. *Ait autem diſpenſator intra ſe: quid faciam, quia dominus meus aufert à me diſpenſationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco.*

4. Εγ-

4. Ἔγνων τί ποιήσω, ἵνα ὅταν μετασταθῶ τῆς οἰκονομίας, δέξωνταί με εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν.

5. Καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα ἕκαστον τῶν χρεωφειλετῶν τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, ἔλεγε τῷ πρώτῳ· πόσον ὀφείλεις τῷ κυρίῳ μου;

6. Ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. καὶ εἶπεν αὐτῷ· δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ καθίσας ταχέως γράψον πεντήκοντα.

7. Ἔπειτα ἑτέρῳ εἶπε· σὺ δὲ πόσον ὀφείλεις; ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν κόρους σίτου. καὶ λέγει αὐτῷ· δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ γράψον ὀγδοήκοντα.

8. Καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν· ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω· ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας· ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς.

4. Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me in domos ſuas.

5. Convocatis itaq; ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: quantum debes domino meo.

6. At ille dixit, centum batos olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta.

7. Deinde alteri dixit: tu verò quantum debes? qui ait, centum coros tritici. Ait illi, accipe cautionem tuam, & ſcribe octoginta.

8. Et laudavit Dominus diſpenſatorem iniquum, quòd prudenter feciſſet: quia filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in natione ſua.

9. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos ex mammona injuſto: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Lectio præſentis Evangelii pertinet ad genus cauſarum didaſcalicum: Continet enim ſimilitudinem parabolicam, quâ Dominus ac Salvator noſter JESUS CHRISTUS, animadverſâ auditorum ſuorum remiſſione & ignaviâ, quòd non eâ, quâ par erat, curâ ad æternorum bonorum poſſeſſionem adſpirarent; exemplô diſpenſatoris iniqui, non modò veram divitias diſpenſandi rationem monſtrat, ſed & hortatur, ut filii lucis, h. e. Chriſtiani & renati, in bonorum æternorum ſtudio tales, tàm ſedulos ac diligentes ſeſe præbeant, quales ſe-

Digitized by Google

culi hujus filios, in bonis caducis parandis, ſeſe exhibere conſpiciant. Eſt autem parabola hæc **τετελεσμένη**, conſtans *ὁμοιώ* κ) *ἀνταποδόσει*, collatione & ſimilitudinis redditione ſive adplicatione. Nos conſuetam retinentes **τριχοτομίαν**, ſecundum numerum perſonarum trium, tres quoq; conſtituemus enarrationis noſtræ partes, contemplaturi

I. patrisfamiliâs vel hominis divitis ſtudium;
II. diſpenſatoris iniqui ingenium;
III. ſalutare CHRISTI, quod nobis ſuggerit, conſilium.

PARS I.

Patremfamiliâs initiò ſive hominem divitem quod ſpectat, in duplici nobis forma is conſpiciendus proponitur:

I. *Ut œconomiam ſuam conſtituens.* Obſerva *πρόσωπα*;

1. *Patrisfamiliâs*, qui deſcribitur ab adjuncto divitiarum: vocatur enim homo dives, opus habens, ut omnia rectè curentur, bonorum ſuorum diſpenſatore; nos uſitatè quæſtorem dicimus. Ejusmodi hominem diſpenſatorem adeptus, bonis ſuis adminiſtrandis præficit, fidelitatem ab ipſo in officio exſpectans.

2. *Oeconomi*, cujus adſignatur notatio ab effectu; quòd bona domini ſui nequiter dilapidaverit, & in modum palearum inutilium diſſipaverit. Hæc enim eſt *ἔμφασις* & vis verbi *διασκορπίζειν*.

II. *Ut rationem à diſpenſatore ſuo exigens.* Exactionis hujus notetur

1. *occaſio*, quam ſupplet diſpenſatoris iniqui delatio vel accuſatio. Suarum enim partium cùm eſſet negligens, delatores illicò adſunt, qui deferunt ipſum apud dominum, ut malum bonorum concreditorum diſpenſatorem. Delatores haut dubiè patrifamiliâs neceſſitudine & familiaritate conjuncti fuerunt, ad ipſum itaq; deferunt, quæ vident & audiunt ab aliis: neq; enim diu dilapidator iſte latere potuit.

2. *Accurata inquiſitio ſive examinatio*, facta
   1. *citando*;
   2. *objurgando*;
   3. *removendo.* Vocatus enim à domino & ſeriò objurgatus juſſus eſt reddere rationem diſpenſationis ſuæ, ab ea removendus. Admodum gravi verò & acerbâ oratione invehitur Dominus infidelem iſtum œconomum, cujus *Exordium* figuratur interrogatione & *παραδόξῳ*: Quid hoc audio de te? *Propoſitio* rationes diſpenſationis exigit. *Confirmatio* habet

bet rationem ab inutili & periculoſo: non potes ampliùs cum fructu rebus & bonis meis præeſſe: Ergò es ab officio removendus. Hoc unum.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Dives homo vel paterfamiliâs intelligitur DEUS, qui eſt verè dives in omnes ſuas creaturas, maximè homines: Rom.10,12. Eph. 2,4. domus ejus ampliſſima cœlô terraq; continetur. Pſal.24,1.& 82,9. & 115,16. Eſa.66,1. Hag.2,9. Job.41,2. DEUS homo dives.

II. Per diſpenſatorem intelligitur Adam, cum univerſa ſua poſteritate, omnes & ſinguli homines, quibus DEUS varia ſua bona ac dona elocavit & benè diſpenſanda concredidit; ad gloriam DEI & ſalutem proximi. 1.Cor.4,7. Joh.3,27. Jac.1,16. Gen.24,35.& 33,11. 1.Par.30,14. Job.1,21. & 10,8. 1.Tim.6,7. Confer D.Theodor. pag. 521.522.523.524. Diſpenſator iniquus.

III. Omnia quæ habemus aut poſſidemus, ſunt bona & dona DEI, & homines ſunt ſuorum bonorum, à DEO ſibi datorum, tantùm adminiſtratores, uſufructuarii & vaſalli. 1.Cor.4,1.& 12,1. Eph. 4,11. 1.Pet.4,10. Jac.1,17. Homines bonorum DEI diſpenſatores.

IV. Bona, quæ DEUS magnô in homines numerô ac cumulô contulit, ſunt triplicia; (1) fortunæ, ut divitiæ, honores, victus & amictus. Gen.1,28. & 9,2. & 24,1.35. 1.Sam.2,7. Pſal.71,17. & 104, 28. & 136,25. Prov.2,6. & 10,24. Matth.6,26. 1.Cor.12,8. (2) corporis & animæ; ut ſapientia, eruditio, ars, memoria, ingenioſitas, ſanitas, pulcritudo, fortitudo: Job.10,10. Pſal.113,8.& 22,10. & 139,1. ſeqq. Actor.17,28. (3) Gratiæ, ut fides, juſtitia, ſalus & vita æterna. Eph.1,5. Joh.6,29. Rom.3,24. & 6,23. Eph.2,8. Bona triplicia.

V. Danda eſt nobis omnibus opera, ut bonis à DEO conceſſis rectè utamur, tùm erga DEUM, cui nos noſtraq; omnia debemus, omnibus itaq; bonis ac donis ipſi ſoli ſerviamus: Deut.6,13. Matth. 4,10. Pſal.2,11. Sir.1,34. & 18,23. Luc.1,34. tùm erga proximum: Prov.5,16. Deut.14,22. 1.Cor.1,22. tùm erga nos ipſos. 1.Tim.5,8. Tit.2,12. Omnia itaq; pro ratione officii, ſtatûs ac conditionis conferamus (1) in DEI gloriam, 1.Cor.10,31. (2) noſtri commodum, tàm ſpirituale, quàm corporale, & (3) proximi emolumentum. Bonis rectè utendum.

VI. Divitiæ per ſe non damnantur, quia CHRISTUS proponit parabolam hominis divitis. Eccl.2,4. & ſeqq. Prov.22,2. & 8,18.& 13,7.& 18,11. Sir.11,14. Job.31,24. Eccl.7,12. Divitiæ per ſe non damnantur.

Digitized by Google

Fidelitas in diſpenſatore requiſita.

VII. In diſpenſatione DEI unumquemq; ſuô locô decet eſſe induſtrium ac fidelem, ut multùm lucrifaciat ſuo Domino donis iis, quæ ipſi ſunt conceſſa. 1.Cor.4,1.2.

Diſpenſatores diſſipatores.

IIX. Homines verò plerıq; ſunt futiles bonorum ac donorum DEI diſſipatores: Gen.6,5. & 8,21. Pſal.14,4. quod fit bonorum abuſu ad luxum, ad avaritiam, ad ſuppreſſionem proximi, ad alia vitia & peccata perpetranda. D.Theod. p.525.

IX. In delatoribus diſcimus, fidem dominis eſſe ſervandam, vicinos item de damno & petulantia familiæ mutuò monere debere. Delatio enim in loco, non honeſta tantùm eſt, ſed etiam neceſſaria: Gen.37,2. quanquam communiter deferre aliquem plerunq; accipitur in malam partem, pro prodere.

Hominum accuſatores.

X. Deferuntur autem, diffamantur vel accuſantur homines, bonorum DEI diſſipatores apud ipſum

1. ab Angelis bonis, qui malis hominum operibus perturbantur & contriſtantur: Tob.12,15. Heb.1,14. Matth.18,10.
2. à malis angelis: Apoc 12,5. & 14,16. adde hiſtoriam Jobi c.1. & c.
3. à propriis peccatis, in cœlum clamantibus: Gen.4,10. & 6,13. & 18,20.
4. à proximis adflictis eorumq; gemitibus: Gen.4,10. Exod.2.23. & 22,23. Deut.25,9. Pſal.10,17. & 12,6. & 69,15. Sir.35,19.
5. à propria conſcientia: Rom.2,15.
6. ab omnibus creaturis. Rom.8,22. Pſal.94,9.

XI. Rectè facit paterfamiliàs, priùs audire volens rationes, quàm diſpenſatorem διαβεβλημένον locô moveat. Sir.10,7. & 19,13.

Ratio reddenda.

XII. De collatis bonis ac donis ſtricta aliquando reddenda eſt ratio omnibus. Vide D.Theodor. pag.526.527.528.529.

XIII. Vocamur hodieq; omnes ad reddendas diſpenſationis rationes, partim per pœnitentiæ conciones; partim per externas adflictiones; partim per internas animi commotiones. Dies noviſſimus erit dies rationum reddendarum diſtrictiſſimus. Act.17,31. Rom.14,11.12.13. 2.Cor.5,10. Matth.12,36.

XIV. In rationibus nemo poteſt conſiſtere. Job.4,17. & 9,2.3. Pſal.130,3. & 143.2. Matth.18,25. Luc.17,10.

Diſpenſatoris boni requiſita.

XV. Diſpenſatorem bonum vel maximè decet & ornat

1. *pietas*, domini ſui timor: Sir.1,26. 1.Tim.4,8. Tob.4,6.
2. *humilitas*: Mich.6,8. Sir.3,20. 2.Sam.7,18. Gen.32,10. Pſal.113,5.6. Luc.1,52. 1.Pet.5,6. 1.Cor.15,10.

3. fide-

3. *fidelitas*; 1. Cor. 4, 2. 2. Cor. 5, 10. Matth. 12, 36.

4. *prudentia & ſagacitas.* Conſiſtit autem prudentia oeconomica in eo, ut

   1. diſpenſationem quàm rectiſſimè adminiſtremus; 1. Petr. 4, 10. Col. 3, 23. Jer. 48, 10.
   2. diffamationem devitemus;
   3. quotidie de reddenda ratione ſoliciti ſimus;
   4. de fortunæ ſtatusq; noſtri volubilitate cogitemus.

XVI. Poſſunt ex hoc loco colligi alia quoq; præcepta oeconomica, puta, de officio boni patrisfamiliâs; de officiis ſervorum ac diſpenſatorum politicorum; de divitiis in genere, & quòd earum poſſeſſio atq; adminiſtratio curarum multùm requirat; unde non omnibus dantur divitiæ, nec omnibus eſſent expetendæ & proficuæ; ſed habentes ad neceſſitatem ſimus contenti. 1. Tim. 6, 8.

PARS II.

Vidimus οἰκοδεσπότην; ſequitur diſpenſator iniquus, cujus ingenium ac indolem æſtimare licet

I. *ex malitioſa bonorum concreditorum diſſipatione.* Perverſi utiq; ingenii indicium eſt, aliena bona, ut ſua, profundere, & de reddendis rationibus nullam planè curam ſuſcipere.

II. *Ex aſtuta oeconomi ſive conſultatione, ſive deliberatione.* Agitat enim ſecum conſilia, quomodo poſthac vitam commodè ſuſtentare queat. Univerſus autem ejus λογισμὸς ſive diſcurſus eſt, de medio idoneo, ſe ſuamq; familiam ſuſtentandi: & poſtquam facilè poteſt colligere, ſibi vel fodiendum eſſe, h. e. mercenariâ operâ & labore victum acquirendum, cui rei non habeat adſuetas manûs, nec vires neceſſarias; vel eſſe mendicandum, quod admodum turpe & probroſum ſit ipſi futurum, viro hactenus inter omnes honorato: invenit tandem medium, quomodo de bonis domini ſui, antequam diſpenſatione abeat, velit ipſi parare amicos, à quibus poſtea recepretur & ſuſtentetur. Procedit igitur

1. καθ' ἀποδίωξιν ἢ ἄρσιν, removendo honeſta vivendi media, licet ſordida:
   1. erat *foſſio*, quâ per ſynecdochen ſpeciei genus intelligitur; h. e. quivis labor honeſtus: ubi ſuam ſponte fatetur ἀδυναμίαν, impotentiam, quòd labori iſti non ſit adſuetus.
   2. *Mendicatio*; medium hoc rejicit, διὰ τὸ αἰσχρόν, propter rei tur-

Digitized by Google

turpitudinem. Sic neutrum horum placuit: fuit enim hactenus ocioſus dominus, & thraſo glorioſus; pudet itaq; ipſum laborare & mendicare; q. d. omnibus ſic eſſem ludibrio; nec quidquam mihi daretur mendicanti. Nam mendicantis conditio prorſus miſerabilis eſt: ſi petit, rubore confunditur; ſi non petit, egeſtate conſumitur: ut petat neceſſitate compellitur. Thold. p. 735.

2. Κατὰ θέσιν; ponit locô legitimorum & conceſſorum mediorum, quæ diſplicent, medium illegitimum & illicitum, quòd in reddendis etiam rationibus Dominum ſuum velit defraudare; ut cùm in otio ſit victurus, etiam privato opes adſint. Non quidem dicit apertè, fiam fur vel latro; ſed cogitat de regula falſi, deq; defraudando Domino in bonis ſuis, ita ut non ſentienti magnam bonorum partem ad debitores ipſius transferat, poſtmodum verò ad ſe per indirectum quaſi derivet. Syllogiſmus disjunctus eſt talis:

Aut laborando, aut mendicando, aut defraudando ſive malis artibus victus eſt quærendus:

Atqui non laborando, quia non poſſum præ ignavia; nec mendicando, quia pudet:

Ergò malis artibus aliquid eſt acquirendum, & per conſequens Dominus defraudandus.

III. *Ex fraudulenta conſilii mali exſecutione*, quæ continet codicum Domini, ſyngrapharum vel apocharum corruptionem. Nonnulli ita accipiunt hunc textum, quòd oeconomus iſte adeò ignavus & rerum ſuarum, vel heri potius ſui, negligens fuerit, ut quantum ſinguli deberent, ignorârit, & demum ex debitoribus ipſis liquidum debitum cognoſcere coactus fuerit. Sed hæc ſententia Dn. D. Chemnitio non probatur. Dicit itaq; cap. 121. harm. Evang. oeconomum ſingulorum debitorum τὰ γράμματα & ſyngraphas obligatorias ad manùs habuiſſe: ideò autem quæſiviſſe, ut ſingulis debiti ſummam confitentibus, liberalitas ipſius de alienis bonis tantò magis ipſis innoteſceret, atq; inde poſtmodum eò promtiores eſſent, ad gratificandum ei, & ad recipiendum illum intra ædes ſuas. Dilaceratis ergô & remotis priſcis ſyngraphis, ſingulos juſſit novas conſcribere. Uni ergò remittit 50. batos olei; alteri 20. coros tritici; & ſic ſimiliter fecit aliis, amicitiæ eorũ hoc iniquô factô ſeſe inſinuans, ut poſteà polliceatur ſibi certum eorum favorem, & ſuſtentationem in domibus illorum

rum futuram, ut præſtitæ benevolentiæ ac liberalitatis recompenſationem. Ceterùm batus & corus, ut breviter hoc moneamus, nomina ſunt menſurarum Hebraicarum. Batus erat menſura omnium maxima in liquidis: Corus menſura maxima in aridis. Jenes Wein Maß/ dieſes Korn Maß. Non autem paris ſunt menſuræ, ſed corus continet decem Epha, & ſic etiam 10. batos. Nam Epha & batus ſunt ejusdem capacitatis. Ac corus alio nomine dicitur חֹמֶר chomer, vulgò Homer, quæ menſura eſt maxima, tàm in liquidis, quàm in aridis; forſan tale onus, (uti Scheræus cenſet pag. 265.) quale aſinus portare poteſt. Gontinet enim in liquidis decem batos, & in aridis decem Epha. Bati ergò quinquaginta tantùm faciunt quinq; Chomer, ſive coros. Menſurâ Lipſicâ batus eſt cantharorum octodecim, corus cantharorum 180, qui in aridis faciunt ferè ſeſquimodium Lipſenſem. Vel batus erat amphora Attica; corus decem modimni Attici; & furtum hoc æſtimatur à D. Beuſto ad 600. Joachimicos. Dn. D. Chemnitius putat, iniquum hunc diſpenſatorem plùs remiſiſſe ei, cui 20. coros tritici, quàm cui 50. batos olei remiſit. Atq; ita furcifer iſte de bonis Domini ſui fuit liberalis, ut poſſit poſteà alienâ vivere quadrâ. Batus. Corus.

IV. *Ex diſpenſatoris iniqui laudatione vel admiratione.* Julianus Apoſtata & Porphyrius Sophiſta anſam inde arripuerunt, Servatorem noſtrum traducendi; ſed textus eſt manifeſtus, laudâſſe nimirùm CHRISTUM hunc diſpenſatorem, non quòd piè, juſtè & rectè, ſed quòd prudenter, vel πανούργως h. e. aſtutè feciſſet. Hinc Canon Theologicus, quem habet D. Finckius ex Auguſt. cent. 2. can. 96. *Non undecunq; datur ſimilitudo à Scripturis laudatur ipſa res, ſed tantùm inde ſimilitudo trahitur.* Quòd igitur diſpenſator iſte laborem fugit, pigritiæ eſt; aut ſi per vires non valuit, imprudentiæ eſt. & ſocordiæ fructus, quòd ea de re non maturiùs fuit ſolicitus. Mendicitatem autem rectè averſatur, quia ea homini eſt probroſa. Sir. 41, 39. Illud verô, quòd per fraudem dominum ſuum circumvenit, per falſationem ſcripturæ ad alios transferens, quæ erant domini propria, manifeſta eſt furti ſpecies, & rès neq; laudanda, neq; imitanda. Nôtentur autem in hac laudatione tria:

1. *adpellatio*, quod dicitur οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, quæ phraſis eſt Hebræorum imitatione facta, pro οἰκονόμος ἄδικος. Vocaturq; iniquus, quia

1. ho-

1. bona aliena diſſipavit, ut ſua;
2. honeſta vivendi media contemſit;
3. in fraude deprehenſus rationes etiam corrupit;
4. impudenter malum conſilium in actum perduxit;
5. alios ſecum corrupit, perdidit & injuſtos effecit;
6. liberalis eſt de alieno, & dat ſine non bonô & honeſtô.

2. *Ratio*, cur laudetur, nimirùm ob prudentiam. Laudat enim non ipſum per ſe furtum & fraudem, ſed aſtutiam & prudentiam ſingularem tàm ingenioſi furis. Vel, uti D. Chemnitius loquitur, non quôd fraudem commiſiſſet, ſed quód prudenter ſibi in futurum proſpexiſſet.

3. *ἐπικατασκευὴ*, *rationis comprobatio*, quæ habet argumentum ab imparibus, figuratum *γνώμη*, quâ ſignificatur, filios hujus ſeculi prudentiores eſſe, h. e. majori ſtudiô, diligentiâ, contentione ac zelô quærere & curare terreſtria & caduca mundi bona, quam filii lucis cœleſtia & nunquam peritura bona. Nullatenus itaq; commendatur hoc facinus, ſed proponitur ſaltem, tanquam ſingulare exemplum fraudis, quam mundus circa temporalia multipliciter ſolet exercere, ut adpareat Mammonem ſolere eſſe magiſtrum multarum iniquitatum. Quod autem attinet ad ingenioſitatem hujus diſpenſatoris, eam non immeritò aliquis admiretur; & eatenus optat Filius DEI, ut filii lucis in ſuo genere pari utantur & diligentiâ & prudentiâ. Sunt

Filii hujus ſeculi. ergô filii hujus ſeculi homines non renati & præſenti tantùm vitæ addicti, qui rem & opes hujus mundi tùm quærunt, tùm habent, tùm ut habeant modis omnibus curant.

Filii lucis. Filii verò lucis ſunt homines renati & illuminati, quos CHRISTUS Spiritûs ſancti ſui luce colluſtravit. Dn. D. Chemnitius ita: *Quando filios hujus ſeculi nominamus, tum non intelligimus tantùm fures, latrones*, (quales jam noſtri pleriq; milites) *lurcones & ſimiles; ſed omnes, in quibus vetus Adamus, de quo ſinguli bonam unciam habemus, prædominatur. Per filios autem lucis intelligit Chriſtianos &c.* Illos autem pronunciat Dominus prudentiores, non ſimpliciter, quaſi ii ſuis rebus ſuæq; ſaluti melius conſulerent, quàm filii lucis; ſed *in ſuo genere*, h. e. quòd ſint callidiores, attentiores, avidiores, & longè majori ſtudiô, augendis rebus ſuis, & quærendis lucris ac commodis temporalibus dediti, quàm ſoleant filii lucis laborare in iis, quæ ad cœlum & æternalia bona pertineant. Eſt ergô non laudatio, ſed querela, de Chriſtianorum plerorumq; deſidia, quòd à filiis hujus ſeculi ſe patiantur vinci, nec ita fervidè laborent, in quæren-

rendis & adpetendis cœleſtibus, quemadmodum hi in aucupandis terrenis, ut famem tantummodò & egeſtatem effugiant.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Servorum ingenium.

I. Ingenium ſervorum nobis depingitur in iniquo hoc diſpenſatore, qui in bonis dominorum ſuorum quodammodo ludere videntur. Notavit hoc vitium Paulus Tit.2,10. Eph.6,5.6. Col.3,22. Confer 1.Pet.2,18. Matth.25,21. Pſal.123,2.3.

II. Sed & in genere ſpeculum exhibet hic œconomus omnium infidelium. Vide D.Theodor. pag.530.

III. Nemo indictâ & inauditâ cauſâ judicandus & damnandus. Ibid. pag.531.

De victu honeſto maturè cogitandum.

IV. Deliberatio ab œconomo inſtituta moneat nos, ante omnia æquum eſſe, ut in futurum quisq; provideat & cogitet, quâ ratione vitam honeſtè ſuſtinere velit & poſſit. Et hanc ad rem viam cuiq; monſtrat ſua vocatio, quam ſi fideliter ſequatur, ac DEO in ea obediat, diligenter etiam oret, & ſit contentus, nunquam deſtituetur bonis neceſſariis. Heb.13,5. Pſal.34,10.11. & 37,25. & 112,2.3. & 128,1.2,3. & 132,15.

Filii hujus ſeculi.

V. Sed & natura atq; ingenium filiorum hujus ſeculi ob oculos nobis ſtatuitur; qui, quod DEUS præcipit, facere nolunt; crucem, quam immittit, ferre recuſant; quod ſeverè prohibuit, ipſis adlubeſcit. *Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata.*

VI. De ratione reddenda maturè eſt cogitandum. Matth.12,36. Eccl.12,14. 2.Cor.5,10.

Labor ordinarius.

VII. DEUS ordinavit laborem, ut quisq; in ſudore vultûs ſui, juxta vocationem ſuam, panem comedat. Gen.3,19. Sir.3,6. Job.6,7. 1.Theſſ.4,11. 2.Theſſ.3,10. Pſal.128,2. Prov.12,11.& 28,19. Eph.4,28. Hieron. *Semper aliquid operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum.*

Vitia diſpenſatorum.

IIX. Notentur, non in diſpenſatore ſolùm iniquo, ſed & in nobis ipſis communia hominum, ratione diſpenſationis, vitia; ceu ſunt,

1. deceptio; Jer.9,5. 1.Theſſ.4,6.
2. profuſio; Prov.13,11.
3. incuria & negligentia; Jer.48,10.
4. pigritia; Prov.6,6. & 19,24. & 21,23. Sir.22,1.
5. furta & rapinæ. Levit.19,11. Eph.4,28.

IX. De ſocordia filiorum lucis circa æterna. D.Theod. p.531.

Digitized by Google

Chriſtiani filii lucis.

X. Chriſtiani ſunt filii lucis, non natura, ſed gratia, non per generationem, ſed regenerationem. Jac. 1, 17. Joh. 1, 9. 1. Pet. 2, 9. Eſa. 60, 3. Mal. 4, 2. 1. Joh. 1, 3. Rom. 13, 12. Eph. 5, 8. 1. Theſſ. 5, 4. 5.

XI. Chriſtiani, ut filii lucis, ſoliciti eſſe debent de ſpiritualium bonorum acquiſitione, ut in æternum benè vivant. 1. Cor. 9, 25. 1. Petr. 5, 4.

Diaboli candidati.

XII. Filii hujus ſeculi ſunt prudentiores filiis lucis, ſed in ſua generatione, quos Tertull. lib. de coron. milit. *diaboli* vocat *candidatos.* Ita

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:

quin & *ſurgunt de nocte latrones.*

PARS III.

Conſilium tandem ſubminiſtrat Salvator in parabolæ adplicatione, quâ ſimul ejusdem ſcopum oſtendit, ad quem collineare hac concione ſua voluit. Hujus

I. πρότασις ſive *propoſitio* eſt: *facite vobis amicos ex Mammone injuſtitia*, h. e. rectè utimini divitiis & bonis à DEO conceſſis; liberales eſtote opum erga pauperes diſpenſatores. De vocabulo Mammon dicetur infrà Domin. 15. poſt Trinit. Breviter hoc in loco notabis, quòd Mammon ſignificet omnia bona, opes, divitias & fortunas: aut ſi poeticè loqui velimus, DEUM divitiarum, quem Græci πλοῦτον nominant. Hebræum הָמוֹן copia, multitudo; hinc Mahamon, ſeu Mammon, divitiarum copia & ſtudium. Ceterùm iniquus Mammon non ſignificat malè quæſita; ea enim à Spiritu ſancto prorſus damnantur; ſed in genere facultates temporales, quæ injuſtæ dicuntur, non ratione ſui, ſed ratione acquiſitionis, poſſeſſionis & uſurpationis; quia ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ

Mammon quid.

Divitiæ injuſtæ cur.

1. iniquè ac nimiâ ſolicitudine, per multam injuſtitiam & iniquitatem acquiruntur & corraduntur; ita ut vulgò dici ſolet: *dives aut eſt iniquus, aut iniqui heres:* Et cupiditas diteſcendi auctor eſt illis, quos occupat, ad varias technas & injuſtos acquirendi modos: 1. Tim. 6, 9. 10.
2. non legitimè poſſidentur & conſervantur;
3. obtingunt etiam indignis multoties;
4. ſæpè fiunt materia iniquitatis ac ſcelerum;
5. inſerviunt peccatis ac flagitiis; hinc
6. in iisdem poſſidendis & uſurpandis multa fiunt ἀδίκως.

II. Ka-

Digitized by Google

II. Καταςκευὴ, *confirmatio*; vel ratio,

1. à mandato CHRISTI, velut honeſto: Et ego dico vobis.

2. A vero uſu: facite vobis amicos. Amici non ſunt, vel mortui, pro vivis apud DEUM intercedentes; vel ſuperſtites, vitam mortuis impetrantes; ſed pauperes fideles; vivi noſtri confratres, qui unà nobiſcum adhuc in peregrinatione hac vivunt, & noſtrô ſive conſiliô, ſive auxiliô indigent. Matth. 5, 3. Ex Mammone ergò, h. e. opibus ac facultatibus noſtris hos nobis faciamus amicos, — Amici noſtri qui.

   1. *maturè illis ſubveniendo & inſerviendo;* — Amici quo modo fiat.
   2. *opera miſericordiæ in eos exercendo;*
   3. *ablatum vel injuſtè partum reſtituendo;*
   4. *bonorum preces nobis conciliando vel proprias faciendo;*
   5. *miniſterii conſervationem promovendo.* Hi erunt in die noviſſimo amici noſtri.

3. Quia Mammon extra hos fines eſt iniquus & injuſtus, propter abuſum, uti diximus.

4. A ſpe boni, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Recipiunt autem nos

   1. *diligenter pro nobis orando;* Gen. 20, 17.
   2. *viam ſalutis notam faciendo;* 1. Reg. 17, 9.
   3. *publicũ beneficentiæ noſtræ teſtimoniũ perhibendo* Matth. 25, 34.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Verum eſt proverbium: dives aut eſt iniquus, aut iniqui hæres; non καθόλȣ, ſed κατὰ μέρ☉. D. Theodor. pag. 532.

II. Divitiis legitimè eſt utendum, pauperibus benefaciendo, & eleemoſynam diſtribuendo. Pſal. 112, 5. Ut autem DEO placeat eleemoſyna noſtra, ſequentes habeat conditiones neceſſum eſt; nimirùm ut ſit — Divitiis rectè utendum. Eleemoſyna DEO ut placeat.

1. promta; 2. Cor. 9, 7. Prov. 3, 27. 28.
2. copioſa; Tob. 4, 9. 2. Cor. 8, 13. & 9, 7.
3. ordinata; Matth. 6, 2.
4. diſcreta;
5. ex fide profecta. Rom. 14, 23.

III. Specialis Salvatoris ſive regula, ſive admonitio, de faciendis amicis, oſtendit, poſſe etiam temporalia bona ita collocari, ut præmium feras in altera vita,

Digitized by Google

Beneficentia. IV. De beneficentia erga pauperes, quæ eſt medium præclarè merendi de ipſo DEI Filio, in ſuis membris & fratribus pauperibus. Matth.10,41. & 25,40.

V. Hic enim Dominus, cui benefit in pauperibus, poteſtatem habet recipiendi in æterna tabernacula, & eſt amicus ei, qui amicos ſibi fecit benefactis ſuis multos pauperes, qui pro ipſo orent, benè ei precentur, & in illo die teſtes ſint beneficentiæ, erga ipſos in fide exercitæ. 1.Tim.6,10.19.

Pauperibus benefaciendũ. VI. Pauperibus ergò benefaciendum eſt ab omnibus, quicunq; in æterna tabernacula ingredi deſiderant. Prov.19,17. Eſa.58,7. Pſal. 41,1. ſeqq. & 112,5. & ſeqq. Gal.6,10. 2.Cor.9,6. 1.Tim.6,17. Confer D.Theod.pag.533.534.

VII. Ante omnia quærendum eſt regnum DEI. Luc. 10, 42. Matth.6,33.

Opera miſericordiæ non ſunt meritoria. IIX. Opera miſericordiæ quidē ſunt exercenda, & eleemoſyna ex noſtris facultatibus facienda; ſed operā illa non ſunt vitæ æternæ meritoria. Act.4,12. Hebr.5,9. Luc.17,10. Vide D.Theod.p.535.536.

IX. Sed nec bona opera intuitu ſaltem mercedis facienda ſunt.

X. Habebunt nihilominus eleemoſynæ & reliqua bona opera, facta ex fide & ſecundum fidem, ſuam retributionem. Magnum enim lucrum eſt, pro terrenis cœleſtia conſequi. Matth.10,42. 1.Tim. 4, 8. Gal.6,9. Pſal. 112, 5. Prov. 14, 21. & 21. 13. Tob.4,8. Luc. 14, 13. Hebr.13,16. Matth.25,34.

Pauperum ſolatium. XI. Magna eſt conſolatio pro pauperibus piis, quòd, cùm in hoc mundo nihil poſſideant, adſcribatur ipſis poſſeſſio æternorum tabernaculorum, & jus recipiendi alios in illa.

XII. Maneant ſolummodò illi in fide, DEOq; præſtent cum patientia obedientiam in iſta ſua adflictione; quia in futuro ſeculo manebunt eos æternæ divitiæ. Matth.5,3.

Divitum monitorium. XIII. Monentur itaq; divites, ut rebus ſuis melius conſulant, & ſint benefici, cùm poſſunt: futurum eſt enim tempus, quò deficient, h. e. exuentur bonis temporalibus omnibus, cogenturq; ea relinquere, nec ſecum auferent, quæ hic tenaciter poſſederunt. Deficimus enim, cùm relictis omnibus nudi ex mundo egredimur. 1.Tim.6,7. Prov.17.26. Eſdr.5,14.

Divites rarò pii & juſti. XIV. Divites rarò ſunt fideles, pii & juſti, per verſ.9. ſunt enim idololatræ, & adorant diabolum, dum fiduciam in divitiis ſuis ponunt. Matth.4,9. Pſal.49,7. Sir.31,7. Prov.12, 28. Luc.12, 20. Eph.5, 5. Luc. 6,24. & 8,7. Matth.19,24. Sir.4,26. & 31,5. Prov.30,8.

XV. Vix

XV. Vix effugiet iniquitatem, qui divitias amat: Matth. 19, 23. Sir. 31, 5 Job. 21, 14. Conſilium igitur CHRISTI & Pauli audiendum, ſic divitiæ non erunt impedimentum ſalutis, ſed caritatis exercendæ, de CHRISTO ejusq; membris benè merendi, æterna demum præmia acquirendi, adjumentum. Luc. 16, 9. 1. Tim. 6, 17. 18.

XVI. Nihil hîc loci agitur de meritis operum, ſed de fidei veræ teſtimoniis. Matth. 25, 35. & ſeqq. Quisq; autem operam det, ut multos ſibi in cœlis amicos h. e. teſtes pietatis ac fidei ſuæ ſibi comparet. **Amici in cœlis comparandi.**

XVII. Pontificii ex hoc loco probare conantur, ſanctos defunctos pro nobis orare, & apud DEUM intercedere in cœlis: ſed malè! Etſi enim promtitudinem interceſſionis, quin interceſſionem ipſam pro nobis in genere de ſanctis non negemus; longisſimè tamen hinc abeſſe jubemus idololatriam invocationis religioſæ, & ſpecialem interpellationem circa ſingulas noſtras peculiares adflictiones; nec non horrendam illam abominationem, quòd virtute propriorum meritorum iſthæc valeat interceſſio. Nos unum habemus Mediatorem, JESUM CHRISTUM, 1. Tim. 2, 5. 1. Joh. 2, 1. 2. Rom. 8, 34. qui eſt DEUS in ſecula benedictus. Rom. 9, 5. **Papiſmus de ſanctorum interceſſione.**

XIIX. Similiter falſum eſt, quòd nugantur Romanenſes de ſanctis, quòd facultatibus noſtris ſint demerendi, inſtitutis in honorem eorum miſſificationibus, aut cultu imaginum eorundem, ut in hora mortis nobis ſubveniant, ſuisq; nos ſuffragiis juvent. CHRISTUS enim loquitur de ſanctis vivis, quibus, ut membris ſuis, de temporalibus bonis vult ſubveniri. Mortui verò benefactis noſtris non indigent, nec nôrunt nos noſtrasq; in ſpecie miſerias. Eſa. 64, 11. **Papiſtarũ de ſanctis demerendis doctrina.**

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Parabolicâ hâc concione taxat Salvator corruptos eorum mores, qui ad magnas adſpirant facultates ac divitias; ſimulq; modum monſtrat rectè utendi divitiis ac bonis quibusvis hujus mundi, ut ex iis benè de proximo merentes perpetuum eorundem fructum percipere valeamus. Nos ἐν τῷ νῦν duo nobis proponimus, audituri

1. *parabolæ commemorationem vel propoſitionem*; &
2. *ejusdem adplicationem vel expoſitionem.*

PARS I.

Quod ſpectat primam enarrationis inſtitutæ partem, ad tres nobis perſonas eſt reſpiciendum.

I. Ad

Digitized by Google

I. *Ad diſcipulos*, velut objectum concionis perſonale. Dixiſſe enim JESUS ſcribitur hanc parabolam ad ſuos diſcipulos. Quæritur jam de cauſa, quâ motus apud diſcipulos de hac materia diſſeruerit? Et reſpondetur, quòd diſcrepantes fuerint animorum motûs, etiam apud CHRISTI Apoſtolos ac diſcipulos. Nam

Apoſtolorum Chriſti diſcrepantes animorum motus,

1. non omnes ſincerô ad veram pietatem ſtudiô contendebant;
2. ſed quidam carnalia magis apud ipſum quærebant, uti videre eſt, Matth. 19,27. & 20,21.
3. erat etiam inter ipſos Judas proditor, homo nequam, fur & avarus. A terrenis itaq; avocat ad cœleſtia, & ut tantum diligentiæ in vita æterna acquirenda, quantum in opibus cumulandis homines de mundo adhibeant, ſuadet.

III. *Ad Dominum*, qui deſcribitur dupliciter;

1. *à dignitatis eminentia;* eſt homo dives.
2. *A ſumma in rebus procurandis diligentia*, quæ conſpicitur, ex
   1. *œconomiæ conſtitutione* vel diſpoſitione:
   2. *rationum exactione.* Oeconomo enim non pro libitu agere licet, ſed ex præſcripto domini ſui. At ille officii immemor malè adminiſtrat provinciam commiſſam, hinc diſſipatio ſecuta eſt bonorum domini ſui; hinc delatio ad dominum; hinc citatio ad reddendam diſpenſationis rationem; hinc remotio ab officio. Ordine autem procedit Dominus:
      1. *citatio* præcedit; ſequitur
      2. *examinatio* vel inquiſitio; quam comitatur
      3. *degradatio.*

DEUS Dominus dives,

Porrò Patrem cœleſtem eſſe Dominum illum ditisſimum, qui omnia creavit & in manu ſua habet; diſtribuit autem de bonis ſuis unicuiq;, prout vult: nos verò omnes eſſe DEI œconomos, famulos & ſervos, ex præced. diſpoſ. didicimus. Eſt enim DEUS Pater miſericordiarum magnus Dominus,

DEUS magnus Dominus,

1. *latè dominando:* dominium ejus tàm latè patet quàm latè patet cœlum & terra: Eſa. 66, 1. Pſal. 24, 1. & 82, 9. Job. 41, 2.
2. *Cœlum inhabitando:* Apoc. 21, 2. & ſeqq. Joh. 14, 2.
3. *Subditis in cœlo & terra imperando:*
4. *Mundum elocando.* Pſal. 115, 16. Jam ſicut inter homines multi in alienis bonis opibusq; tractandis parùm deprehenduntur fideles: Ita nos etiam bona & dona noſtra ſæpiùs aliter, quàm oportebat colloca-

Digitized by Google

locamus. Fortè autem fit, ut diſpenſatorum infidelitas per alios innoteſcat: Ita noſtra quoq; cum ſumma negligentia conjuncta infidelitas, ad DEUM tandem defertur. Etſi enim ipſe eſt παντόπτης, quippè totus oculus; Sir. 23, 28. Pſal. 7, 10. ſuos tamen habet in cœlo & terra corycæos, obſervatores & delatores: DEI corycæi, obſervatores & delatores.

1. ipſa hominis peccata clamantia; Gen. 18, 20.

Ad cœlum clamant, vox ſanguinis & Sodomorum;
Vox oppreſſorum, merces detenta laborum. Confer D. Geſn. in Geneſ. p. 119. & M. Strigenit. in Jon. fol. 50. ſeqq.

2. Angelos nobis præſentes;
3. diabolos accuſantes;
4. pauperes & oppreſſos quærulantes;
5. conſcientiam trepidantem;
6. concionatores ingemiſcentes;
7. creaturas ab abuſu liberari deſiderantes.

His delatoribus ac delationibus motus Dominus DEUS noſter ad rationes nos vocat, & bonis tandem exſuimur omnibus, niſi rationes noſtræ ſanguine AGNI tinctæ, & debiti reſiduum deletum fuerit.

III. *Ad œconomum* ſive diſpenſatorem,

1. *ſecum de periculo præcavendo deliberantem.* Status deliberationis eſt: Quid ab officio remoto ſit faciundum? Quomodo rebus deſperatis ac perditis proſpiciundum, ne fame ſit pereundum? Deliberatio ipſa ſic habet: Aut laborandum, aut mendicandum, aut ad fraudes & impoſturas confugiendum. Prius diſplicet: otio enim adſuetus dominus laborare nequit; alterum turpe putat; tertium itaq; amplectendum ratus, per fraudes & impoſturas ſibi proſpicere cogitat. Impoſtores autem coram DEO furibus nihilô ſunt meliores. Impoſtores fures.

2. *Malum conſilium opere & ipsô factô exſequentem.* Modus additur: defraudat dominum,

1. *debitores domini ſui convocando;*
2. *de ſumma debiti ipſos percontando;*
3. *partem debitorum abalienando ſibiq; adplicandô.*

Uſus I. Informatorius.

1. De hominum ad DEI œconomiam diſpoſitione vel ordinatione. Quid enim nos omnes, niſi DEI œconomi? 1. Cor. 4, 1. tum Homines DEI œconomi & quomodo.

1. *reſpectu donorum univerſalium*, de quibus primò Symboli articulô edocemur; tùm

2. re-

2. *reſpectu donorum particularium*, reddituri aliquando de œconomiæ noſtræ adminiſtratione rationem gravisſimam.

Homines diſſipatores. 2. De ingenii humani depravatione. Ex diſpenſatore hoc locô fit diſſipator; tales nos omnes, propter

1. *natura noſtra ad malum inclinationem*; Oſe 6,7. Rom. 5,19.
2. *carnis propria irritationem*; Gal. 5,17. Matth. 26,41.
3. *exemplorum malorum imitationem*. Sap. 4,12.

II. Conſolatorius.

1. Quòd DEI ſimus œconomi, ſervi & famuli. Bonum Dominum habemus; cui ſervire eſt regnare.

2. Quòd CHRISTUS nolit mortem peccatoris; ideoq; præmonet & maturè ad rationes vocat.

III. Monitorius.

Diffamatio noſtra ut fiat. 1. De rectè ac legitimè inſtituenda diſpenſatione, ratione petitâ à periculoſo, ne diffamari nos apud DEUM contingat. Diffamamur autem, uti ex præcedentibus patet, variè:

1. *vindice DEI oculô omnia ſpectante*; Pſal. 139,13. In Scriptura autem ſacra optimum eſt præſentia DEI ad devitanda peccata munimentum; D. Finck. centur. 3. can. 1.

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusq; noſtros proſpicit,
A luce prima in veſperum:
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur, quicquid eſt
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit Judicem. Prudentius.

2. *Legis aculeô pungente*; Rom. 5,13.
3. *Conſcientiâ ſtimulante*; Rom. 2,15.
4. *Angelô nos obſervante*; Matth. 18,10.
5. *Diabolô calumniante*; Job. 1,9. Apoc. 12,10.
6. *Peccatô ad cœlum clamante*; Jon. 1,2.
7. *Omni creaturâ ejulante*; Rom. 8,19. Hab. 2,11.
8. *Adflictô de injuria conteſtante*; Gen. 4,10. Exod. 2,24. Deut. 15,9. Pſal. 12,6. Sir. 35,18.21.
9. *Miniſteriô ingemiſcente*. Eſa. 33,7. Hebr. 13,17.18.

2. De

2. De præceptis ſive regulis quibusdam, in œconomiæ adminiſtratione obſervandis. Ab omnibus enim requiritur, ut ſint diſpenſatores, Oeconomi boni requiſita.

1. *DEUM timentes:* Pſal.33,8. & 111,10. & 128,1. 1.Tim.4,8.
2. *Seſe dejicientes & humiliantes:* Sir.3,20. Pſal.113,5.6.
3. *fidelitati ſtudentes;* 1.Cor.4,2. Luc.12,42. Jer.48,10. Matth. 25,21. 1.Pet.4,10.11.
4. *in officio diligentes:* Gen.3,19. Job.5,7. Pſal.128,2. Prov.14,23. Eccl.6,7. hinc verſus:

   Tu ſupplex ora, tu protege, tuq; labora:
5. *conſcientiæ rationem vel maximè habentes:* 2.Tim. 4, 5. Act. 24, 16. Exod.18,21. Pſal.37,3. 1.Theſſ.4,6.
6. *auxilium à DEO petentes:* Joh.3,27. Jac.1,16. Pſal.127,1. & ſeqq. Jer.10,23.
7. *bonis temporalibus rectè utentes.* 1.Cor.7,31. 1.Tim.6, 6.& ſeqq. Vide Monr. pag.166.167.168.
8. *profligatâ ſecuritate de morte indeſinenter cogitantes:* Ibid. pag. 170.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, obſcuritatis arguentium Scripturam ſacram, dicentes, obſcurum eſſe, quæ ſit ratio villicationis, diffamationis, temporis, quô reddenda ratio; commiſſi furti ſeu dilapidationis; laudatæ prudentiæ; Mammonæ; receptionis in cœlum &c. Petitur principium; quod dicunt, non probant. Et qui poteſt obſcurum eſſe id, quod ab ipſis Pontificiis Doctoribus explicatur? Obſcura eſt Scriptura obſcuris, lumen verbi adſpernantibus. Nobis lux eſt & lucerna. Pſal.119, 105. 2.Pet.1,19. Confer D.Meelf. in Vindic.Evang.theſ.5, & ſeqq. Papiſmus de Scripturæ obſcuritate.

PARS II.

In explicatione & applicatione parabolæ occurrunt duo:

I. *Diſpenſatoris commendatio.* Laudat autem Dominus villicum, non quòd fur & impoſtor eſſet; ſed quòd prudenter feciſſet; h.e. admiratus eſt hominis calliditatem. Non ergò ἁπλῶς, ſed κατά τι, certô quodam reſpectu, & in collatione cum filiis hujus ſeculi accipienda ſunt verba Evangeliſtæ. Concludit Salvator à minori ad majus, hoc ſenſu: Si filii hujus ſeculi tantâ diligentiâ & induſtriâ res ſuas terrenas curant; multò certè majori conatu filios lucis incumbere par erat in ea negotia, quæ æternam ſalutem attinent.

Digitized by Google

Theophylactus in Luc. f. 117. *filios hujus ſeculi dicit eos, qui laudant omnia, quæ in terra lucroſa ſunt: filios verò lucis eos, qui debent piè ſpirituales divitias communicare.* Hoc igitur dicit, quia homines humanis diſpenſationibus præfecti, omnibus modis curam habent & provident, ut cùm deſtituti fuerint a diſpenſationis munere, conſolationem habeant. Filii autem lucis ordinantur, h. e. quibus concredita eſt ſpiritualis rerum diſpenſatio, non cogitant, quomodo poſt hanc vitam commodum percipiant. Filii itaq; ſeculi hujus, quibus humanæ diſpenſationes concreditæ, & in generatione ſua, h. e. in vita hac prudenter res ſuas diſpenſant. Filii verò lucis, qui pecunias receperunt, ut illas in pios uſûs diſpenſent.

II. *Ad beneficentiam exhortatio.* Ita enim collocandæ ſunt opes, dum vivimus, ut earum fructum poſt mortem, quâ à diſpenſatione noſtra removemur, in altero ſeculo percipiamus. Requiritur nimirùm à nobis,

1. *vera, non ſimulata, erga proximum caritas;*

2. *pia liberalitas.* Παραίνεσις verò CHRISTI triplicem habet circumſtantiam; oſtenditur enim

1. Τό τι, quid? Amicos vobis facite: hic enim eſt ſcopus parabolæ: non dicit, facite vobis inimicos, ſed amicos.

2. Τὸ πῶς, quomodo vel quibus auxiliis ac mediis? Facite amicos ex Mammone iniquitatis. Injuſtus dicitur, propter varios abuſus *tùm* in colligendo, quòd plerunq; iniquis modis comparetur; *tùm* in poſſidendo; quia lucrum in arca, damnum in conſcientia; *tùm* in malè collocando. Sir. 13, 4. & 30.

3. Τὸ διά τι, cur? propter 1. *mandatum;*
2. *commodum:* vide præced. diſpoſ.

Non quòd operibus bonis mereamur vitam æternam; aut quòd in manu pauperum ac beneficiariorum ea ſit ſita; ſed recipiunt nos in æterna tabernacula, h. e. in vitam æternam, (quæ verba ſunt D. Gerhard. Tom. 8. L. C. pag. 499.) non ut autores, vel cauſæ principales ac meritoriæ, hic enim honor ſoli DEO & CHRISTO competit, ſed ut teſtes beneficentiæ noſtræ ſibi exhibitæ. Recipiunt nos non propter opera noſtra, tanquam cauſam ſalutis meritoriam, ſed proferendo ea tanquam effectum, fructum ac teſtimonium veræ in CHRISTUM fidei, quâ vitam æternam in CHRISTO ex gratia obtinemus. Recipiunt nos, cùm precibus in hac vita, tùm teſtimoniô ac ſuffragiô in die judicii.

Uſus

Uſus I. Informatorius.

1. De amicitia facienda & colenda. Solem è mundo tollunt, qui amicitiam tollunt, gentilis olim dicebat orator Cicero. Prov. 27, 9. Sir. 6, 14. 15. 16. 17. Opponitur hoc præceptum pacis oſoribus, irreconciliabilibus, ſecuris, ſuperbis, calumniatoribus, flabellis ſatanæ. Confer D. Bald. Poſt. h. l. **Amicitia colenda.**

2. De liberalitate, virtute ſeptimi præcepti. Ad exercitium illius nos moveat & impellat, **Liberalitatis impulſivæ.**

1. *DEI mandatum;*
2. *DEI beneplacitum;*
3. *DEI exemplum;*
4. *Naturæ ſpeculum*
5. *Multiplex commodum*, in
   1. *certa à malis liberatione;*
   2. *precum exauditione;*
   3. *facultatum multiplicatione;*
   4. *æterna remuneratione.* Vide D. Gerhard. lib. 5. cap. 15. fol. 201. & ſeqq. Schol. piet. & D. Bald. h. l. Confer etiam Domin. 7. Trinit.

II. Conſolatorius.

1. Quòd mutuô det Jehovæ, qui largitur pauperi. Sir. 3, 33. Dan. 4, 24. Vide Monr. theſ. pag. 169. 170.

2. Quòd beneficentia ſuam ſit habitura mercedem; prædicabunt beneficiarii, commendabit Benefactor JESUS CHRISTUS. Ib. pag. 174.

III. Monitorius.

1. De ſupina hominum in curanda ſalute animæ æterna negligentia.

2. De non adponendo corde Mammonæ iniquitatis, ob **Mammonæ cor nō adponendum.**
   1. *ejuſdem corruptionem & vanitatem;* Matth. 6, 33. Pſal. 49, 18.
   2. *inconſtantiam & mobilitatem;*
   3. *damnum & incommoditatem.*

3. De faciendis nobis ex opibus terrenis amicis, qui ſunt **Amici ex opibus fiant.**
   1. *cæleſtes;* DEUS Pater, Filius & Spiritus ſanctus. D. Gerhard. Tom. 8. L. C. pag. 499. ita: Inter amicos, qui in æterna tabernacula nos recipiunt, primò locô numerandus eſt CHRISTUS, πίστεως καὶ σωτηρίας ἀρχηγὸς: illũ nobis parare poſſumus amicum, per veram pœnitentiam ac fidem; per beneficentiam

in pauperes ſanctos, de quibus ipſemet pronunciat Matth. 25, 40. Quicquid uni ex minimis his feciſtis, mihi feciſtis.

2. *Terreſtres.* Utroſq; nobis reddimus amicos,

1. *egenis & pauperibus ſuccurrendo;*
2. *miniſterium juvando*, idq; fiat propter rationes ſuprà adſignatas. Vide præced. diſp.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de eleemoſynis meritoriis.

Pontificiorum, qui putant dandis eleemoſynis nos promereri vitam æternam. Schererus p. 516. b. Hier wird vns ein Mittel fürgeſchrieben / die ewige Seligkeit zu erlangen / nemlich durch das Allmoſen/vnd durch die Wol-vnd Gutthätigkeit gegen den Armen. Sed ſcimus, quòd vita æterna ſit donum DEI. Rom. 6, 23. Eph. 2, 8. Loquitur autem Salvator de veræ fidei teſtimonio. Tot enim teſtes fidei noſtræ in die noviſſimo ſiſtere poterimus JESU CHRISTO, vivorum ac mortuorum Judici juſtiſſimo, quot homines officiis ac beneficiis noſtris, ex caritate non ſimulata profectis, juverimus. Colophonis locô addo, quæ de ſcopo parabolæ hujus Theophylactus adnotavit, iis verbis: *Dominus hoc locô vult nos docere, ut benè diſpenſentur credita nobis divitiæ. Et primùm hoc diſcimus, quòd non ſumus domini divitiarum. Nihil enim habemus proprium; ſed diſpenſatores alienarum rerum ſumus, quæ à Domino nobis ſunt concredita, ut benè illas diſpenſemus, ſicut ipſe imperat.*

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Articulus eſt fidei Chriſtianæ, referente D. Athanaſio, quòd omnes nos oporteat de operibus noſtris rationem reddere. Proinde ut quiſq; in die noviſſimo, qui erit dies rationum, dies ἀνταποδόσεως ſive retributionis, intrepidè coram Judice vivorum & mortuorum comparere queat, agite cariſſimi, ductum præſentis Evangelii ſecuti videbimus; *quid potiſſimùm attendere debeat is, qui benè in extremo die ſtare, & fidelitatis, laudem reportare voluerit.*

In die noviſſimo quâ ratione ſtandũ.

Ἐξήγησις.

Finem jam dictum adſecuturus, ſubinde, immò ſingulis momentis conſideret neceſſum eſt,

I. *divi-*

I. *divinam vocationem*, quam quisq; noſtrûm non à ſeipſo, non ab hominum aliquo, ſed ab ipſo DEO habet. Vocatio iſthæc eſt, vel Vocatio hominis duplex.

1. *generalis*, ad fidem Chriſtianam, cujus initium factum in Baptiſmo, ſacroſancto illo τῆς παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως λουτρῷ: Tit. 3, 5. de qua vocatione generali ſonant dicta, Epheſ. 1. 4. & 2, 10. & 4, 1. 2. Tim. 1, 9. 1. Cor. 1, 26. & 7, 15. 1. Theſſ. 4, 7. & alia: Vel

2. *ſpecialis*; unusquisq; autem, prout vocatus eſt, ita maneat in Domino. 1. Cor. 7, 17. 20. Ita peculiarem vocationem habent diſpenſatores

   1. *Eccleſiaſtici*, quorum officium deſcribitur, Eſa. 58, 1, Ezech. 3, 17. & 33, 7. Act. 20, 28. 2. Cor. 6, 4. & 8, 20. 1. Tim. 4, 13. 1. Pet. 5, 2. 2. Tim. 4, 2. 5.
   2. *Politici*, horum officium exſtat Exod. 18, 21. Deut. 16, 19. Pſal. 2, 10. & 82, 4. Rom. 13, 4. Eſa. 5, 20. 23. Sap. 6, 4.
   3. *Oeconomici*, ut parentes, negotiantes, manu reliquisq; corporis organis opus facientes. Deut. 6, 7. Eph. 6, 4. 1. Theſſ. 4, 6. 2. Theſſ. 3, 10. 1. Cor. 4, 2.

Det quisq; operam, ut dignè vocatione ſuâ ambulet. Seneca ait: *Ego quotidie apud meipſum cauſam dico*. Pythagoras dixit: *duo quotidie tempora conſideranda eſſe, manè & veſperi: manè gerenda proſpice; veſperi geſta reſpice.* Hinc verſûs:

μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

II. *Corycæorum animadverſionem.* Habemus enim, qui nos noſtrasq; actiones, in omni vitæ genere, ſtrictè obſervant, & omnia in tabulas quodammodo referunt, tandemq; ad ipſum Oeconomiæ Dominum deferunt; partim amicos, partim inimicos. Amicos dico, Corycæi noſtri.

1. Angelos bonos; Hebr. 1, 14. Matth. 18, 10. Luc. 15, 7.
2. Verbi divini miniſtros.

Inimicos verò,
1. angelos malos;
2. homines læſos & offenſos;
3. cogitationes accuſantes, h. e. conſcientiam cauteriatam. Chryſoſt. *Conſcientia incorruptus judex & teſtis, clamat, accuſat, & peccatorum magnitudinem fingit, quando contra hominem inſurgit.*

III. *Severam & ſubitam citationem.* Tripliciter autem ad reddendam rationem citantur homines;

Citatio hominum triplex.

1. *per vocem*, verbi nimirùm prædicati. Matth. 11, 17. 28. Eſa. 65, 2. Pſal. 95, 8. 2. Cor. 3, 3. & 5, 20. At multò maxima hominum pars falsè deridet. Eſa. 28, 10. Jer. 44, 16. Ezech. 33, 30. Excipit ergò hanc gratiæ citationem altera, quæ eſt iræ & vindictæ, facta
2. *per crucem*; h.e. peſtem, bellum, famem: Ezech. 14, 12. & ſeqq. atq; hæc citatio bonos æquè ac malos non raró attingit. Judicium enim à domo Domini. 1. Petr. 4, 17. Jerem. 25, 29. Et

πολλάκι καὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
------- --- --- ---- ---- ------ ---- Sæpè
Unius malefacta viri populus luit omnis.

At quod piis eſt *δοκιμασία*; impiis eſt *τιμωρία.*

3. *Per mortem*, quæ eſt citatio peremtoria. Luc. 12, 20. & 16, 22. 1. Theſſ. 5, 3. Dan. 5, 5. & ſeqq.

IV. *Strictam judicationem*, vel rationis exactionem, quâ tandem ab officio diſpenſator iniquus removetur. Nihil hic proficitur

1. *peccati negatione*, quod homines nequam promiſcuè facere videmus; ſi feciſti, nega. Judex enim eſt totus oculus. Pſal. 7, 12. & 139, 13.
2. *Culpa translatione*: Gen. 3, 12. 13. Jon. 1, 7.
3. *longâ diſputatione:* Matth. 7, 21. & 25, 44.
4. *Judicis corruptione:* Act. 10, 34. 2. Par. 19, 7. Pſal. 50, 10.

V. *Summam Chriſtianorum dignationem.* Eramus quondam filii tenebrarum & iræ; jam filii lucis audimus: tales itaq; nos gerere ſtudeamus, *ut rebus nomen convenienter eat:* nimirùm

Filii lucis.

1. *Verbo adhærendo:* Pſal. 119, 105. 2. Pet. 1, 19.
2. *In hac luce veram lucem JESUM CHRISTUM agnoſcendo:* Pſal 36, 10. Joh. 1, 9. & 8, 12.
3. *Radios lucis forás emittendo:* Matth. 5, 16. Rom. 13, 12. 13. Matth. 13, 43. Eph. 5, 8. 9. 14.

Divitiarū acquiſitio & uſus.

VI. *Legitimam bonorum etiam corporalium adminiſtrationem.* Conſiderantur illa tùm ratione *κτήσεως*, tùm ratione *χρήσεως*. In *κτήσει* vel acquiſitione eorundem vitetur

1. *pigritia*, fodere non valeo: 2. Theſſ. 3, 8. Pſal. 128, 2.

2. *frau-*

Digitized by Google

2. *fraudulentia*; mendicare erubeſco; ſcio quid faciam &c. Eſa. 5, 8. Amos. 8, 5. 1. Theſſ. 4, 6.

In χρήσει vel uſu bonorum obſervetur

1. *humilitas & modeſtia*; Sir. 21, 5.
2. *liberalitas & miſericordia*, quæ nos deducet ad æterna tabernacula, eò ſenſu, quem ſuprà innuimus. Theophyl. de Mammone iniquitatis ita: *dicuntur divitiæ injuſtitiæ, quas Dominus dedit nobis, ut inſumamus in uſûs fratrum & conſervorum, non in proprias delitias. Si prudentes eſſemus, vel tardè ſentiremus, quid facto opus, & faceremus nobis amicos ex divitiis injuſtitiæ.* Et poſt pauca: *Quid igitur reliquum, quàm ut participes faciamus fratres harum divitiarum, ut quando hinc defecerimus, h. e. ex vita hac exceſſerimus, accipiant nos pauperes in æterna tabernacula?* Et iterum poſt aliqua: *Faciamus nobis pauperes amicos, communicatis eis divitiis injuſtitiæ, h. e. his, quæ datæ ſunt nobis à DEO, ut ſint arma juſtitiæ: ſed à nobis detinentur, & propterea ad injuſtitiam pertinent.*

Huc facit egregius Chryſoſtomi de miſericordia & beneficentia locus, qui exſtat homil. 19. in Gen. dignus utiq; qui adſcribatur. Sic autem ille: *Cùm hæc mecum reputo, neſcio quam habituri ſimus vel excuſationem, vel veniam, neq; ob mandatum à Domino traditum, neq; ob gloriam illam immortalem & interminam: ut multis illis digniores ſimus, non ferentes; quin & deteriores illis (gentibus) reddimur, neq; quantum præcellant cogitamus. Nam illi ob hominum, qui ejusdem naturæ ſunt, inutilem gloriam, eò neq; pervenerunt: nos autem propter Dominum noſtrum, qui ſuppeditat ea, quæ poſſidemus, & ineffabilibus ſuis donis conciliatur, ſæpè neq; parùm quiddam inopibus erogâre volumus. Et qualibus oculis videbimus Judicem, negligentes mandatum, ejus tàm facilè? Non enim adhortor, ut omnia veſtra abjiciatis. Fruere omni proſperitate, & cùm ſatisfeceris tuo uſui, quæ ſupervacua tibi & otioſa jacent, neceſſariaq; ſunt aliis, diſtribue fame laborantibus, & gelu rigeſcentibus: & per illorum manûs in tuam patriam transmitte, in quam propediem tibi pergendum, ut ibi accipias. Illi enim plurimùm prodeſſe tibi poterunt, ad transvehendas illuc opes, ut quando abieris, omnia illic invenias benè diſpoſita, majoriq; illis fruaris abundantiâ, videns ea à transvehentibus, immò à miſericordia DEI ita multiplicata. Nullum laborem habet id negotii, nullam curam, nullam ſolicitudinem. Ad hæc transvehenda, nullô tibi opus eſt jumentô, non cuſtode, neq; ullô aliô. Nullus enim latro, vel fur hac viâ vadit, ut nocere queat, quæ à te mittuntur*

tur illuc: ſed ea quæ repoſueris in egenorum manûs, illa in ſecurum promtuarium, nempè manum DEI repoſita erunt, quæ inviolata & cuſtodita præbebit, cùm redieris in patriam. Quin illis redditù etiam prædicabit laudes tuas, & coronabit, & te in latitudine conſtituens, ſecurum & felicem faciet. Effundamus ergò precor repoſita in pauperum ventres, & ſeminemus dum tempus eſt, ut opportunô tempore & metamus, & ne tranſmiſſâ temporis commoditate poſthac fruſtrà pœniteamus. Propterea mihi obtempera, & cùm adhuc tempus habes, opes ſupervacuas diſtribue, ut priùs illic in tuam repoſita habeas ſalutem; quæ ut nobis oremus concedatur, gratiâ & miſericordiâ Domini noſtri JESU CHRISTI, cum qua Patri ſimul & ſancto Spiritui ſit gloria, imperium, honor, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Hæc ille. Nos ſine factô precabimur cum Eccleſia: *Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA X. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 19. à verſ. 41. ad finem usq;.

41. Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ᾽ αὐτῇ.	41. *ET ut adpropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam;*
42. Λέγων, ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καίγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου· νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου.	42. *Dicens: Si cognoviſſes & tu, & quidem in iſto die tuo, quæ ad pacem tuam (pertinent, curares:) nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.*
Matt. 24, 2. Marc. 13, 1. Luc. 21, 6. 43. Ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν.	43. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallô, & cingent te, & coanguſtabunt te undiq;.*
44. Καὶ ἐδαφιοῦσί σε, καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοί· καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ· ἀνθ᾽ ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.	44. *Et ſolo æquabunt te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

45. Καὶ

45. Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας ἐν αὐτῷ καὶ ἀγοράζοντας.

46. Λέγων αὐτοῖς· γέγραπται, ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς ἐστιν· ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

47. Καὶ ἦν διδάσκων τὸ καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ· οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι, καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ:

47. Καὶ οὐκ εὕρισκον τὸ τί ποιήσωσιν· ὁ λαὸς γὰρ ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων.

44. Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes.

46. Dicens illis: Scriptum eſt, domus mea, domus precationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Eſa.56.7. Matt.21,13 Jer. 7,11. Marc. 11, 7.18.

47. Et docebat quotidiè in templo. Principes autem Sacerdotum & Scribæ, quærebant illum perdere, & primores plebis.

48. Nec inveniebant, quid facerent: totus enim populus pendebat ab ore ejus, cùm audiret illum.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Concio præſentis Evangelii verſatur in genere cauſarum demonſtrativo; complectitur enim vaticinium Salvatoris JESU CHRISTI, de extrema urbis Hieroſolymitanæ, atq; adeò totius politiæ Judaicæ πανολεθρίᾳ & everſione; nec non facti heroici narrationem, quod CHRISTUS in repurgatione templi Hieroſolymis deſignavit. Partes conſtituemus tres, contemplaturi CHRISTUM

I. *miſerabiliter plorantem;*

II. *lamentabiliter prædicantem vel prophetantem;*

III. *mirabiliter reformantem.*

PARS I.

In prima parte eſt adfectus divinæ miſerationis, ad cujus enarrationem facit plurimùm circumſtantiarum conſideratio. Attende igitur,

1. *quis ploret?* Non Angelorum aliquis, non Gabriel, non Michael; non nudus homo, ſed CHRISTUS JESUS Θεάνθρωπος, ſubſtantialis ille DEI Patris cœleſtis Filius. Matth. 3, 17. & 17, 5. Animus ergò ad attentionem erigendus.

2. *Quando ploraverit?* Eô nimirùm tempore, quô in urbem Hieroſolymam, aſinô vectus, ingreſſurus, mortemq; pro hominibus cru-

entam ſubiturus, lætum pæana ex Pſal. 118, 25. populô concomitante & exultante, audiviſſet; Dominicâ Palmarum, quadraginta circiter annos ante πανολεθρίαν populi Judaici. Magnates quando flent, res magni eſt momenti; fuerunt autem lacrymæ amantis, dolentis, invitantis & juvare volentis.

3. *Ubi fleverit?* Ad montem Oliveti, prope urbem, ſcilicet Hieroſolymam, civitatem totius orientis florentiſſimam, ampliſſimam, munitiſſimam, populoſiſſimam; ubi ſedes antehac & focus DEI; Eſa. 31, 9. & populus DEI electus, ex quo CHRISTUS ſecundùm carnem prognatus. Rom. 9, 5.

4. *Cur fleverit*, quæ tanta tantarum lacrymarum cauſa? Intimus erga homines, ſuapte culpâ perituros, amoris & commiſerationis adfectus, quem declaravit propinquô ſuô ad Judæos acceſſu, & urbis regiæ adſpectu. De monte enim olivarum deſcendens CHRISTUS, & intuitus urbem, cujus templum aurô tectum, Sole lucente magnum de ſe ſplendorem emittebat, apud animum cogitat, quid ei eventurum ſit. Hinc cor ejus συμπαθὲς quaſi liqueſit, ut a lacrymis abſtinere non potuerit. De utroque, & acceſſu & adſpectu, prima ſtatim Evangelii prælecti linea teſtatur. Unde paret, non eſſe fictas haſce CHRISTI Salvatoris lacrymulas, quales Crocodili, quales muliercularum non rarò lacrymæ, de quibus verè Poëta:

Lacrymæ Chriſti quales.

Ut flerent oculos erudiére ſuos:

ſed eſſe lacrymas 1. *amoris*, quales Joſephi erga fratres;
2. *doloris*, lacrymæ enim legati dolorum;
3. *clamoris* interceſſorii.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Chriſti adfectus erga Judæos benignus.

I. CHRISTUS erga Judæos paternè & benignè fuit adfectus, id quod teſtatum fecit tripliciter:

1. *proximè ad eos accedendo*; tùm per beneficia ſingularia, tùm per Incarnationem ſalutiferam: Joh. 1, 14.
2. *gratioſè eos intuendo:*
3. *acerbè illorum πανολεθρίαν deplorando.*

II. Pii in Scriptura ſacra ſæpè lacrymantur. D. Finck. cent. 3. can. 100.

Fletus Chriſti,

III. CHRISTUS nunquam riſiſſe, ſed aliquoties fleviſſe in Scripturis

ris ſacris N. T. legitur. Flevit enim, quod ex veteribus nonnulli obſervârunt,

1. *in vitæ ingreſſu*, more naturali omnium infantium: Sap. 7, 3. debuit enim per omnia fratribus ſuis ὁμοιωθῆναι; Hebr. 2, 17. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος; Phil. 2, 7. haut dubiè etiam flevit in circumciſione, quæ teſte Cypriano, habebat dolorem & laborem.
2. *In vitæ progreſſu*: Marc. 7, 34. Joh. 11, 35. & hoc locô.
3. *In vitæ egreſſu*, tradens Patri Spiritum cum lacrymis & clamore validô. Hebr. 5, 7.

IV. Adfectus ergò ejusmodi ab humanitate vera, & pietate ſincera alienus non eſt: ἀγαθοὶ ἀριδάκρυες ἄνδρες. *Expletur lacrymis egeriturq́; dolor.* Luc. 7, 38. 44. 1. Sam. 20, 41. 2. Sam. 18, 33. Act. 20, 31. Lacrymæ non improbantur.

V. Lacrymæ CHRISTI in ſpecie teſtantur Lacrymæ Chriſti quales.

1. de paterno ejus erga nos favore & indulgentia; Eſa. 1, 3. Jer. 31, 20. Pſal. 103, 14.
2. de fraterno illius amore & fide; Hebr. 5, 2.
3. de humanitatis veritate; Eſa. 43, 9. 1. Petr. 2, 22.
4. de ſumma ipſius in nos longanimitate, gratia & miſericordia, quâ motus omnium hominum voluit miſereri; neminem autem hominum abſolutô voluntatis ſuæ beneplacitô odiſſe, reprobare, damnationi & interitui deſtinare, idq́; lacrymis, perquâm largiter effuſis, demonſtravit. Oſe. 13, 9. Matth. 23, 37. Hæc etiam eſt aqua illa benedicta, quæ delet omnia noſtra delicta.

VI. DEUS ergò non delectatur interitu peccatorum. Vide D. Theodor. pag. 541. 542. 543. Thold. p. 763. DEUS nō vult interitum peccatorum.

VII. Verus ergò homo cùm ſit CHRISTUS, errant omnes illi hæretici, qui dixerunt, Filium DEI non verum corpus, ſed φάντασμα corporis adſumſiſſe; ut Cerdon, Marcion, Manichæi & alii, contra (1) expreſſa Scripturæ dicta; Luc 1, 31. Eſa. 7, 14 Rom 1, 4. Gal. 4, 4. (2) contra dicta, quæ CHRISTO carnem & ſanguinem tribuunt: Luc. 22, 20. 44. 1. Joh. 1, 7. Joh. 1, 14. (3) contra veras corporis proprietates. Luc. 24, 39. Matth. 11, 19. & 4, 2. & 26, 38. & 8, 24. confer Thold. pag. 762. Humanitatis Chriſti impugnatores.

IIX. Ab adfectibus autem noſtris ad adfectûs CHRISTI nulla ſequela valet. D Finck. Centur. 4. can. 65.

IX. Hieroſolymæ in Scriptura ſacra prædicata ſunt honorificentiſſima. D. Finck. Cent. 4. can. 1.

Digitized by Google

X. Civitates quò majores, eò deteriores. D. Theodor. pag. 544. 545. Thold. pag. 765.

XI. Morem hunc habet DEUS, ut mirabilia ſua, virtutem, potentiam, & gloriam ſuam in urbibus frequentioribus & celebrioribus exerat. D. Finck. centur. 3. can. 80.

PARS II.

Sic ergò CHRISTUM plorantem vidimus: audi quoq; eundem prædicantem, & futura Hieroſolymis, templo, populoq; Judaico denunciantem. Ita autem προφητείαν ſuam attemperat Salvator benigniſſimus, ut ſimul cauſas ediſſerat, quæ & ſibi lacrymas, vi quaſi quadam admotâ, expreſſerint, & Πανωλεθρίαν Judæis juſtiſſimam attraxerint. Cauſas verò recenſet hoc locô quatuor; quarum eſt

Judaicæ Πανωλεθρίας cauſæ.

1. *ſecuritatis continuatio*, quam arguit
   1. *ſumma Judæorum ἀπιστία & incredulitas*, quòd non cognoſcant, h. e. ex concionatoribus ſuis non audire velint mala impendentia, quibusq; remediis illa tempeſtivè averti & præcaveri queant.
   2. *Deteſtanda eorundem ἀμέλεια & incuria*, quòd occaſionis optatæ nullam habeant rationem, Meſſiamq; exhibitum recipere nolint; ſed in extrema etiam neceſſitate ſecuri adhucdum permaneant.
   3. *Deploranda ἀκηδία & negligentia*; quòd pacem cum DEO non adfectârint, de reparanda ejus gratia planè ἀμέριμνοι. Verba textûs ita habent: Si cognoviſſes & tu, & quidem in iſto die tuo, quæ ad pacem tuam, ſcilicet pertinent, curares. Ubi notetur
      1. CHRISTUM lacrymantium inſtar, non integra verba proloqui, nec planè omnia verba exprimere, ſed quædam præ dolore & lacrymis ſingultiendo quaſi deglutire, per exclamationem commiſerantis, per apoſtrophen & proſopopœiam; metonymiam item continentis pro contento; Hieruſalem, pro civibus & incolis Hieroſolymitanis.
      2. CHRISTUM per votum paternum optare, ut noverint h. e. ponderent vel maturè cogitent Judæi, imminentem calamitatem, & in tempore de iis ſint ſoliciti, quæ ad pacem ſuam ſint, h. e. agant pœnitentiam, amplectantur Evangelium, & ita excidium ſuum avertant.

3. Diem

3. Diem ſive tempus in Scripturis ſæpè opportunitatem notare; q. d. etiam hoc ipsô die, quô te DEUS adhuc paternè viſitat, & ad pœnitentiam vocat. *Dies pro εὐκαιρίᾳ.*

4. Pacem ſignificare ſalutem, incolumitatem, atq; adeò omnes felicitatis partes; ut ſit ſenſus; quæ ad pacem tuam, h.e. quæ ſit vera beatitudo, & quæ ſit recta ad eam perveniendi via. *Pax pro felicitate quavis.*

II. Secunda cauſa eſt ***urbis devaſtatio;*** quæ oſtendit modum, quo deſtruenda ſit urbs Hieroſolymorum. Modus iſte continet partim τὰ ἡγούμενα, antecedentia; partim τὰ ἑπόμενα conſequentia. Ἡγούμενα ſunt effecta hoſtium, Romanorum, nimirùm *Hieroſolymæ deſolatio.*

1. ***obſidio,*** indicata verbô περιβαλοῦσιν, circumjicient tibi vallum; facta eſt totalis obſidio annô CHRISTI 73.d.14.April.
2. ***concluſio;*** περικυκλόω, in circum vel circulum concludo, circumcingo; q. d. in ſummas te anguſtias redigent, circulô te ambibunt & concludent, ut ne unus poſſit effugere.
3. ***coarctatio;*** συνέξουσί σε, conſtringent, anguſtabunt te undiq;. Anguſtiæ iſtæ ortæ ſunt tùm ab hoſte externo, Tito Veſpaſiani filio; tùm à malis inteſtinis. Nota eſt hiſtoria.

Ἑπόμενα itidem ſunt effecta eventura, videlicet,

1. ***devaſtatio;*** ἐδαφιοῦσι (eſt fut. Atticum) ſolo æquabunt te, ad terram proſternent te, diruent te penitùs.
2. ***demolitio*** omnium;
3. ***internecio*** & miſera expugnatorum ac victorum tractatio.

Deſcribit itaq; hac particula CHRISTUS & prædicit, quid eventurum ſit Judæis, quando Romanorum exercitûs civitatem Hieroſolymam circumdabunt, & uſq; ad deditionem coarctabunt, deditam ſolo æquabunt, ipſos Judæos variis & peſſimis modis adfligent, templum & domos diruent, uſq; adeò, ut non relinquatur lapis ſuper lapidem. Compendium itaq; h. l. proponitur hiſtoriæ deſolationis Hieroſolymitanæ, quæ ſicut à Joſepho, Egeſippo & aliis deſcripta eſt, ac quotannis in Eccleſiis noſtris populo prælegitur, prolixus eſt ſuper hæc verba & oracula CHRISTI commentarius. Pete hiſtoriam ex Joſephi lib.7.cap.17. de bell. Judaic.

III. Tertia cauſa eſt *gratiæ reprobatio*, eò quòd nō cognoverint tempus viſitationis ſuæ, quâ nimirùm viſitavit eos DEUS in gratia, ideò ſecuta eſt viſitatio iræ. Gratiæ viſitatio erat, dum CHRISTUS inter ipſos concionabatur, & poſteà etiam per Apoſtolos ad fidem Chriſtia- *Viſitatio DEI duplex.*

nam adducere illos laborabat. Hanc gratiam quia non admittebant, ſecuta eſt devaſtatio, in exemplum δικαιοκρισίας h. e. juſtisſimi judicii DEI; & in teſtimonium jampridem exhibiti Meſſiæ, & nequaquam deinceps ampliùs exſpectandi, niſi ad extremum judicium. Colligitur inde gemina DEI viſitatio;

1. una paterna, amica, benevola: Jer.29,10.
2. altera ſevera, inimica, dura, facta in ira. Exod.20,5.& 32,34.

Hoc locô intelligitur prior viſitatio, a Judæis ſpreta, neglecta, contemtui habita; hanc verò negligentiam excepit poſterior iræ, quæ Judæos tripliciter adflixit; internè; abſconditum eſt ab oculis tuis, i. e. tu non credis, non admittis conſilium, aut ſalutares admonitiones; ideoq; actum eſt de te; punieris excæcatione & induratione: externè, per hoſtes; æternùm verò durabit iſta vaſtatio.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Methodus judiciorũ DEI punientis. I. Monemur de ordinaria DEI methodo, quam in judiciorum ſuorum declaratione obſervare conſuevit. Methodus illa ex tribus conſtat gradibus:

1. *paterná præmonitione*, quâ ante pœnarum immisſionem de malis impendentibꝰ peccatores commonere ſolet: Amos.3,6.7.
2. *ſeverá caſtigatione*, quæ & ipſa animi adhuc benevoli ſignum eſt: Oſe.5,9. Pſal.119,71. 1.Cor.11,32.
3. *totali everſione*. Exempla methodi ſunt antediluviani, Sodomitæ & Judæi.

Securitas mundi in periculis. II. Mundus plerunq; in ſummo rerum diſcrimine maximè eſt ſecurus. Gen.19,14. Luc.19,42. 1.Theſſ.5,3. 2.Pet.3,7.

III. Prodromus enim πανωλεθρίας certisſimus eſt ſecuritas: Gen.7,5. Matth.24,37. Luc.17,26. Ezech.16,49. Jer.7,4.

Pax nulla extra Chriſtum. IV. Extra CHRISTUM nulla eſt pax, nulla ſalus ac felicitas; quia extra ipſum nemo poteſt DEO reconciliari. Joh.14,6.

Tempus noſtrum. V. Illud eſt noſtrum tempus, in quo ea curare poſſumus, quæ ad pacem noſtram pertinent, h. e. in quo poſſumus ad DEUM converti, ipſi reconciliari & peccatorum noſtrorum veniam impetrare. Vide D.Gerh.Tom.1.harm.Chemnitio Lyſer.pag.350.

Fons peccatorum. VI. Fons peccatorum, cumprimis ſpreti & contemti Meſſiæ eſt, tùm adfectata ignorantia, tùm ſecuritatis ſupinæ indulgentia. Johan.15,21. Ibid.

VII.Re-

Digitized by Google

VII. Rectisſima & tutisſima via evadendi mala & pericula eſt, agnoſcere tempus viſitationis. Pſal.95,2. Jer.18,7. Oſe.11,8. Prov. 1,24. Sir.5,8.

IIX. Viſitatio DEI eſt duplex, una gratiæ, liberationis & beneficii, per verbum & Sacramenta, de qua ſonant hæc dicta: Gen. 50,24.25. Exod.3,16. & 13,19. Job.10,12. & 29,4. Eſa.24,22. Jer.29, 10. Ezech.34,11. Luc.1,68.78. & 7.16. Altera iræ, juſtitiæ, caſtigationis ac ſupplicii; de qua agitur; Exod.20,5. & 32,34. Levit.26,16. Num.16,29. Eſa.10,3. & 13,11. & 26,14. & 29,6. Jer.6,15. & 8,12. & 10,15. & 15,3. Soph.1,8. Sap.3,7.13. & 14,11. & 16,19. & 18,20. & 23,31. D.Gerhard. d. l. p.365.366. Viſitatio DEI duplex.

IX. Tempus verò viſitationis in ſacris dupliciter accipitur; habitô reſpectu ad impios & pios. Impiis viſitationis tempus eſt illud, quando ultio debita peccatis de ipſis ſumitur: Levit.26,16. Jer.15,3. Piis viſitationis tempus eſt, quando DEUS eos vocat ad ſalutem, beneficia in ipſos conferendo, & mala ab illis avertendo. Ezech.14,11. Viſitationis tempus duplex.

X. Speculum habemus iræ divinæ in populo Judaico. Rom.11, 21. Jer.25,29. 1.Cor.10,11. Gen.19,17. Iræ ſpeculum.

XI. Quomodo autem in Scriptura ſacra non legatur major aut gravior pœna divina, quàm Sodomæ & Gomorrhæ, prolixè explicat D.Finckius Centur.1.Can.84.

XII. In Scriptura ſacra decem eſſe inſigniora vindicis iræ DEI exempla, exponit & declarat idem Centur.3.Can.56. Iræ exempla decem.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum!

XIII. Speculum quoq; nobis proponitur horrendæ & damnatæ cæcitatis in Judæis. D.Gerhard.d.l.pag.352. Speculum cæcitatis.

XIV. Nihil hic loci abſoluto decreto, quô in excæcationem tantam, pœnasq; tandem gravisſimas incidiſſe Judæos Calviniani ſomniant; quaſi neceſſariam eorum revelationem ipſis inviderit DEUS: aliæ ſunt rei iſtius cauſæ, cordis proprii perverſitas ac malitia; diaboli in filiis incredulitatis efficacia; Pſeudoprophetarum ſeductio, & ſecuritas, fœcunda malorum ac pœnarum omnium mater. Confer D.Gerh. pag.351.& 368. Decretum abſolutū.

XV. Non incommodè h.l. conſiderantur privilegia ſive beneficia, quibus præ ceteris populis Judæi à DEO fuêre adfecti; & ex adverſo cauſæ, quibus ille motus populum ſuum dilectum rejecit. Beneficia præcipua fuerunt. Judæorum privilegia.

1. miran-

Digitized by Google

1. *miranda ex Ægypto liberatio*; Exod.20,2. Deut.5,6. Pſal.81,11.
2. *ſolemnis legis promulgatio*; Pſal.147,19.20.
3. *ſplendida in columna nubis & ignis adparitio*; Exod.13,21. & 25, 22.
4. *benigna per manna cœleſte cibatio*; Exod.16,15.
5. *tabernaculi inter ipſos erectio*; h.e. gratioſa in medio eorum cohabitatio;
6. *terræ Canaan promiſſio, traditio & diſtributio*;
7. *victoriarum multarum ab hoſtibus reportatio*;
8. *continua Prophetarum miſſio*; 2.Par.36,15.
9. *tempus Hieroſolymitani erectio*;
10. *Filii unigeniti miſſio.* Joh.4,22. Hebr.7,14. Rom.15,8.

Judaicæ πανωλεθρίας cauſæ.

XVI. **Πανωλεθρίας**, excidii & devaſtationis quoq; cauſas DEUS habuit numerô plurimas, pondere longè graviſſimas; præcipuè autem extare voluit 1. *ſanguinis Prophetici ultionem*; Matth.23,34.36. 37. Luc.13,33.34.35. Act.7,52. 1.Theſſ.2,14.
2. *iræ ſuæ adverſus peccata teſtificationem*; fuit enim Hieroſolyma, Egeſippo teſte lib.4. c.6. ſentina omnium flagitiorum:
3. *ſpreti & contemti Filii, rejectiq́; Meſſiæ vindicationem*: 1.Cor.10,11. Rom.11,21. D. Gerhard. p.364. D.Theod.p.550.

XVII. DEUS rebus & actionibus omnibus certum tempus prædefinivit, non tamen abſolutum, ſed certâ cauſarum ſerie ordinatum & diſtinctum. Vide locum de provident.

Bellorum cauſa.

XIIX. Bellorum cauſa non in aſtris eſt poſita, ſed ex juſto DEI judicio, quô peccata hominum juſtè vindicat, immittuntur, cui cauſæ poſtmodum inferiores ſubſerviunt.

Bella DEI ſcopæ.

XIX. Bella in Scriptura ſacra ſunt aſperrimæ DEI ſcopæ, à peccatorum ſordibus purgantes terram. D.Finck.cent.4.can.17.

XX. CHRISTUS prævidens & prædicens tragicam urbis Hieroſolymitanæ calamitatem, divinæ hac ratione naturæ aperuit teſtimonium. Thold. p.763.

Judaici excidii finis.

XXI. Secundarius ac minùs principalis Judaici excidii finis in eo conſiſtit, quòd ſit publicum teſtimonium,
1. Meſſiam promiſſum jamdum veniſſe, nec exſpectandum eſſe alium; venire enim ille debuit, ſtante templô & durante politiâ Judaicâ: Gen.49,10. Dan.9,25. ſeqq. Mich.5,2. Hagg. 2,8.10. Mal.3,1.

2.CHRI-

Digitized by Google

2. CHRISTI regnum non eſſe terreſtre, ſed cœleſte:
3. Leviticas ceremonias eſſe abrogatas, unde & Titus dicebat:
exſtinctis templô & ſacris non fas eſſe Sacerdotes vivere:
4. CHRISTUM in comminationibus æquè atq; in promiſſionibus eſſe veracem. D. Theod. p. 547.

XX. Non in propugnaculorum munitionibus fidendum. Ib. p. 546.

XXI. Securitatem plerunq; ſequitur maxima pœna. Thold. p. 768.

XXII. Contemtus gratioſæ viſitationis omnium eſt peccatorum facilè maximum: D. Theod. pag. 552. 553. cumprimis ſi accedat pertinacia in malo & impœnitentia inexipugnabilis. Thold. p. 765. Viſitationis contemtus peccatum maximum.

PARS III.

Reſtat in noſtra διεξόδῳ templi Hieroſolymitani repurgatio. Ad officium enim CHRISTI vel maximè ſpectabat religionis veræ reſtitutio. Ingreſſus itaq; templum cœpit reformare. Ubi notetur,

1. *Cauſa efficiens, vel quis reformans:* Reformator eſt ipſe Dominus templi JESUS CHRISTUS; Mal. 3, 1. in regali ſuo ingreſſu non ad arcem regalem in monte Sionio ſitam pergens, ſed ad templum Domini deflectens; hoc ipsô factô heroicô non vaticinia ſaltem Prophetarum adimplens, ſed etiam reipſâ demonſtrans verum ſeſe eſſe Meſſiam; Regem autem non terrenum ac mundanum, ſed cœleſtem ac ſpiritualem, qui per verbum & Spiritum in cordibus hominum dominetur. Matthæus cap. 21, 12. notanter dicit, in templum DEI CHRISTUM intrâſſe, h. e. in illud templum, quod ex DEI mandato, in DEI ſolius honorem exſtructum erat; hoc ipſô oſtendens, eô fine CHRISTUM eſſe ingreſſum, ut quæreret Patris ſui cœleſtis gloriam, ut Filium ſeſe DEI vivi, atq; adeò verum DEUM demonſtraret; quia Malachias c. 3, 1. ipſius Meſſiæ templum vocat; templum autem habere non niſi uni & vero DEO competit.

2. *Materia ſive objectum, h. e. qui reformati, & quid repurgatum:* Templum nimirùm repurgavit initiò, à fœdis abuſibus

bant; eam ipſam ob cauſam adſimilantur latonibus. Tales enim audiunt. Latrones Sacerdotes.

1. *ob vanam in templum confidentiam*; Jer. 7, 4.
3. *ob hypocriſews vehementiam;*
3. *ob animi crudelis & ſanguinarii truculentiam;*
4. *ob avaritiam &* πλεονεξίαν Pſal.10, 8.& 14, 4. Mich. 3, .. Matth. 23, 14 vide uberiorē horū omnium ἐξήγησιν apud D. Gerhard. cit. loc. pag. 42, 425, 426,

5. *Reformationis conſequens vel effectus* ſubjungitur, quô eventu opus illud heroicum fuerit patratum; partim nimirùm bono & ſalutari, in CHRISTO docente; partim malô & infelici, ex parte Phariſæorum, ſcribarum & reliquorum hoſtium. Geminus inde reſultat eventus vel effectus;

1. *Publica verbi prædicatio*: CHRISTUS enim, repurgatô à fœdis Sacerdotum abuſibus templô quotidie in illo dicitur docuiſſe; verum hoc pactô ſacræ ædis uſum & monſtrans & reſtituens: idq; fecit non illô tantum ejectionis die, ſed & ſequentibus, uſq; ad diem paſſionis ſuæ. Phraſis enim τὸ καθ' ἡμέραν perſeverantiam in docendo denotat; Matth. 7, 29. à tempore matutino uſq; ad veſperam: quia veſperi egrediebatur civitate, & pernoctabat vel in Bethania, vel in horto aliquo, manè verò ad urbem & templum revertebatur. Matth. 21, 18 Luc. 21, 37.

2, *Privata & clandeſtina in necem CHRITI conſpiratio*, cujus notentur, (1.) *auctores*; Princeps ſacerdotum, ſcribæ & primores populi. Intelliguntur per illos, primarii Sacerdotes, principes 24. familiarum ſacerdotalium; 1. Par. 24, 5 2. Par. 36 ī 4. per iſtos illi, quibus cuſtodia & interpretatio legis commiſſa erat, dicti alias νομικοὶ, Legiſperiti; Luc 7, 30. & 11; 46. per hôs ii, qui etiam ſeniores populi, Matth. 21, 23 & ἄρχοντες, Luc. 23, 13. 35. v. 24, 20. dicebantur, erantq; ex numero Sanhedrin, ordinariorum judicum ac conſiliariorum; unde liquet, omnes Magiſtratuum, ordines tàm Eccleſiaſticos, quàm politicos contra CHRISTUM conſpiràſſe. Ardebant illi alias in tantô erga Dominum JESUM odiô, jam verò mag s irritantur novô iſtô factô heroicô, ut conjunctis animis ac viribus cruenta cudant conſilia, quomodo ipſum è medio tollant: quærebant eum perdere, inquit Euangeliſta; ubi Græcum ἀπολέσαι non modò ſignificat interficere,

ſed etiam funditus aliquem perdere, ita ut memoria nominis & doctrinæ ipſius ſimul exſtirpetur. (2.) *Studii & propoſiti illius moratores ſive interceſſores*: obſtabat metus ſeditionis. Illi quidem malorum conſiliorum fabri ſedulò ſerioq; quærebant quid facerent illi: maximè propter populum ab eo pendentem, ac ſtudioſè eum audientem. Totus populus, inquit Lucas. (h. e. per ſynecdochen, multò maxima pars populi; quidam enim ſeductoribus Phariſæis, Scribis & primoribus adhærebant) ἐξεκρέματο pendebat ab eo, ſuſpenſus erat audiens illum, præ audiendi attentione & diſcendi aviditate erat q. extra ſe raptus; tanta erat docentis auctoritas, gravitas & majeſtas. Ita ſanguinariis ipſorum conſiliis remoram quaſi quandam injiciebat favor populi erga CHRISTVM, & pia in ipſo auſcultando aviditas.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Concionatorum officium.

I. Concionatores verbi, exemplo CHRISTI incitati & animari, cum ſingulari & decente Zelo officium ſuum faciant. Eſa. 58. 1. Ezech. 2. v. 6. 7. & 3 v. 17. & ſeqq. Matth. 5. v. 13. 2. Tim. 4, 2. Tit. 2, 15.

Zelus heroicus non imitandus.

II. Singularem autem hunc, heroïcum ac planè divinum zelum non licet aliis communibus verbi miniſtris, in templorum maximè reformatione, imitari. Heroica enim ſupra omnem regulam ſunt. *Stultia ſapit vulgus, vult quilibet eſſe Lutherus.* Vide D. Theodor. pag. 556. & Thold. p. 769.

III. Auditores quotidie purgent templum cordis ſui. 1. Cor. 6, 19. 2. Cor. 6, 16. Levit. 26, 12.

IV. CHRISTUS ſuô in templum ingreſſu exemplum præbere voluit, quòd primò omnium templum ingredi, h. e. regnum DEI quærere debeamus Matth. 6, 33.

Abuſus tollendi.

V. Abuſus divini cultus & corruptelæ religionis priùs tollendi, quam verus cultus & pura religio locum habere queat. Pſal. 34, 15. 1. Pet. 3, 11. D. Gerh. g. 441.

Cor purgandum.

VI. Quemadmodum enim CHRISTUS non docet in templo, niſi à ſordibus & abuſibus illud priùs fuerat purgatum; Ita in templo cordis noſtri non vult habitare, & in eo per Spiritum & verbum nos docere, antequam ſordes peccatorum

per

per veram poenitentiam ex eo expurgentur. D. Gerh: p. 400.

VII. JESUS Nazarenus verus inde demonſtratur Meſſias, quia ipſe futurus erat templi ſui repurgator. Pſal. 69, 10, Eſa. 41 25. Hagg. 2, 8. Mal. 3, 1. 2. 3. Idem pag. 410. 411. JESUS Meſſias.

IIX. Teſtimonium quoq; hic habemus potentiæ divinæ in CHRISTO.

IX. Nihil æquè CHRISTO eſt curæ ac cordi, quam ut cultus divini & religionis puritas conſeruetur, & abolitis corruptelis atq; abuſibus reſtituatur; ideoque à templi repurgatione munus ſuum inchoavit, & cum eadem illud finire voluit. Ibid. 413. Cultus conſervatio CHRISTO curæ.

X. Ad officium miniſterii Eccleſiaſtici & Magiſtratus politici ſpectat, cultum DEI externum à corruptelis & abuſibus repurgare p. 414. Cultus repurgatio.

XI. In Scriptura ſacra beati prædicantur, qui habitant in domo Domini. D. Finck. centur. 4. can. 11.

XII. Templa DEI non ſunt dehoneſtanda vel profananda; quod fit. Templorũ profanatio

1. *perfunctoriâ verbi divini tractatione;*
2. *ſomnolentâ & negligentiore ejuſdem auſcultatione;*
3. *malitioſâ concionum & concionatorum criminatione;*
4. *turpi confabulatione;*
5. *falſa doctrina propagatione;*
6. *ſanguinis innocui profuſione;* Matth. 23. 35.
7. *vita impia ac malæ continuatione;*
8. *negotiatione* rerumq; ſecularium introductione: plures modos vide apud D. Theod. pag. 558. 559. Thold. p. 773.

XIII. Typum h. l. habemus præfigurativum nundinationis Pontificiæ, de qua vere Poëta Mantuanus ſcripſit: Papiſtica nundinatio.

— — — — — venalia nobis
Templa Sacerdotes altaria, ſacra corona,
Ignis thura, preces, cœlum eſt venale DEUSq;.

Nam ut Conradus Celtes, primus Germaniæ Poëta, canit:

Quicquid in extremis habuit Germania terris,
Et mediisquicquid continet illa plagis,

Digitized by Google

Exhauſtum eſt, totum Latias migravit in arces,
Expleat ut luxûs, impia Roma, tuos.

Vide D. Theod. p. 556. & Thold. p. 770. 771. D. Gerh. p. 415.

Mercatura licita.

XIV. Abſurdi ſunt Anabaptiſtæ, contra mercaturam & negotiationem licitam; ex hoc CHRISTI facto, quô abuſum ejus corrigere voluit, pugnantes. 1. Cor. 7, 30. 1. Theſſ. 4, 6. Jac. 4, 13. 14. Sir. 27, 1. 2. 3. Act 16, 14. 15.

Preces in templis utrum ſanctiùs fiant.

XV. Sic nulla militat conſequentiæ ratio, quando Pontificii Dd. ita colligunt: Templum eſt domus precationis: Ergò in templo ſanctiùs & efficaciùs fiunt preces. Præterquam enim quòd plus ſit in conſequente, quàm antecedens permittit, in omni loco orare jubentur Chriſtiani 1. Tim. 2, 8. Joh. 4, 23. Vide plura apud D. Gerh. pag. 421. 422.

Pietas non ſit quæſtus.

XVI. Caveamus (1) ne pietatem exiſtimemus πορισμὸν negotiationem ſeu quæſtum; 1. Tim. 6, 5. (2) ne templum convertamus in domos confabulationum &c. (3.) ne templum cordis noſtri convertamus in ſpeluncam latronum, quod fieret, ſi per peccata contra conſcientiam faceremus illud latibulum vitiorum, & habitaculum dæmonum. Idem p. 426.

Templorũ uſus verus.

XVII. De vero templorum uſu; qui eſt, ut in illis (1) oremus; Eſa. 56, 7. 1. Reg 8, 29. 2. Par. 6, 21. Matth. 21, 13. Luc. 18, 10. (2) publicè verbum DEI doceamus; Luc. 2, 37. (3) Sacramenta adminiſtremus; Act. 0, 7. 1. Cor. 11, 16 [4] alia ſacra ibi peragamus. Matth. 24, 1. Act. 2, 46. & 3, 1. & 5, 20. Vide D. Theod. p. 557. & D. Gerh. p. 440.

Heroica ἀμίμητα.

XIIX. Quæ Scriptura proponit exempla & facta heroica item opera, quæ ſunt ὑπὲρ ἡμᾶς, in imitationem trahi haut debent. D. Finck. Cent. 1. can. 22.

XIX. CHRISTUS cum Scriptura loquens, illius uſum & dignitatem commendare nobis voluit. Eſa 8, 20. Luc. 16, 9. 2. Tim. 3, 16. 1. Petr. 2, 19. Joh. 5, 39.

Reformatio templorum vera

XX. Vera templorum reformatio conſiſtit in verbi prædicatione, abuſuum remotione, & veri uſus ſubſtitutione, ſecundum verbum DEI, quod Calvinianis ἀντικολάσαις occinimus. Vide D. Theodor. pag. 560. 561. Thold. p. 774.

Evangelii & Eccleſiæ fortuna.

XXI. De perpetua Evangelii & Eccleſiæ orthodoxæ in hoc mundo fortuna; eſt odiis & perſecutionibus eorum expoſita, qui Eccleſiæ ſibi titulum falſò vendicant. D. Gerh. pag. 441. Thold. p. 775.

XXII. Vera Eccleſia non ſitit ſanguinem; quia Sponſus ejus eſt Agnus.

XXIII. Diabolus eſt homicida ab initio; & Eccleſia Cainica & antiChriſtiana eſt ſanguinaria. Joh. 8,44. Apoc.17,6.

XXIV. Eccleſiaſtici & politici proceres mutuas contra CHRISTUM tradunt operas, qui aliàs totis invicem caſtris disſident.

XXV. Hoſtes Eccleſiæ non poſſunt conſilia ſua ſanguinaria in effectum pro arbitrio deducere, niſi divina accedat permiſſio, Pſal.7,17.& 64,7. *Eſa* 8,10. Hoſtium conſilia irrita.

XXVI. Mala conſcientia eſt res irrequieta, timet, ubi non eſt timor. Pſal.14,6.& 33,6.

XXVII. Vera doctrina eſt efficax in permovendis hominum cordibus, Act. 2,37. Rom. 1,16. 1. Tim. 4,16.

XXIIX. Notetur vulgi inconſtantia, modò CHRISTUM audientis, modò CHRISTUM ad crucem poſcentis. Sir.7,7. Act. 17,5. Ita Vulgus.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus

DISPOSITIO SECUNDA.

Propoſitio διμερής.

Triſte admodum eſt ac lugubre hoc Evangelium, ſolatio tamen piorum inſerviens plurimùm, Proponit enim paternum planè adfectum CHRISTI erga Judæos, immò omnes peccatores modò ipſi ſaluti ſuæ non obſtent. Nos enarrationem illius ad duo redigemus capita, audituri

I. *CHRISTUM vaticinantem*,

II. *Eundem reformantem*: ibi habebimus *prædictionem doloroſam*; hic templi *reformationem* heroicam quidem, ſed valdè *ominoſam*.

PARS. I.

Quoad prius κεφάλαιον, ad duo potiſſimum, in ejusdem διηγήσει, nobis eſt reſpiciendum CHRISTI membra:

1. *oculos flebiles*;

2. Os

2. *os vel linguam mirabilem.* Oculi ſingulare *factum*; os notabile *dictum* exhibet.

1. *Factum* notat ſanctas Salvatoris noſtri lacrymulas. CHRISTUM verò lacrymas emiſiſſe præpoſterum & incredibile quibusdam, Epiphaniô teſte, eſt viſum. Verè autem ipſum fleviſſe ex eo probatur, quòd (1) alibi etiam idem fecisſe legatur; Joh. 11,35. Hebr. 5,7. (2.) Veritas quoque & integritas Naturæ humanæ, adfectus à CHRISTO humanos minimè alienos esſe teſtetur; non ex neceſſitate conditionis, ſed ex adfectu miſerationis. (3) ſimiles demum adfectus & adfectiones in CHRISTO deprehenſi fuerint. Joh. 13, 21. Matth. 6,38 Luc. 10, 1. Quale verò ſit inter CHRISTI noſtrosq; adfectus diſcrimen, monſtrat D. Gerhard. Harm. Chemnitio Lyſ. p. 3 6. Flere in CHRISTO non eſt mollis & effœminati animi documentum; ſed φιλανθρωπίας, φιλοστοργίας & συμπαθείας certisſimum argumentum Prævidens enim JESUS horribilem urbis ſanctæ olim devaſtationem, & miſerandam incolarum internecionem gentis maximæ Iudaicæ juſtam à facie Domini rejectionem, æternamq; ejusdem damnationem, à lacrymis temperare ſibi haut potuit. Non enim delectatur impiorum morte & interitu, ſed largiſſimis potius profuſis lacrymis ſeriò dolet & conqueritur. Ceterum in hac lacrymularum CHRISTI deſcriptione exprimitur

Chriſtus verè flerit.

Lacrymæ Chriſti quales.

1. *loci circumſtantia*; flevit prope Hieroſolymam, quam videt & intuetur, nō oculo tantū coporis, ſed etiam, omnia futura præſentia habentis, divinitatis; quâ videt urbem ſentinam omnium flagitorum, qualem nominat lib. 4. Cap. 6. Egeſippus, in necem ſui conſpirâſſe, atq; ita pœnas tàm temporales, quàm æternas ſibi attraxiſſe. Memorabile eſt, quòd Romani eodem in loco, nempe in monte oliveti, in prima obſidione caſtra ponere cœperint, in quo CHRISTUS prædixit ac deflevit viſæ urbis excidium. Joſeph. lib. 6. c. 3.

2. *Temporis inconvenientia*; in mediis enim populi univerſi adplauſibus, lætis adclamationibus & honoribus lacrymatur; hoc ipſô oſtendens, (1) ſalute hominum magis, quam ſuis ſeſe laudibus delectari: (2) fidem propheticæ huic prædictioni plenam esſe habendam: ſic enim patet, non iracundô non vindictæ cupidô, ſed liberô & imperturbato animô fatum ejusmodi ipſum prædixiſſe.

3. *La-*

3. *Lacrymarum CHRISTI ſignificantia* non vulgares ſunt, ſed quibus multùm ineſt ponderis, ſi attendatur maximè, Lacrymæ Chriſti quales.

1 *perſonæ plorantis dignitas;*

2. *lacrymarum iſtarum proprietas*; ſpontaneæ ſunt:

3. *temporis qualitas*;

4. *cauſæ impellentis gravitas*; flevit ſuper urbem h. e. propter illam & ejus exitium; deflet mala culpæ & pœnæ, animarum cumprimis plurimarum interitum. Lacrymæ itaq; ſunt

1. *docentis* & informantis

2. *dolentis* & commiſerantis;

3. *diligentis* & amantis;

4. *orantis*;

5. *invitantis*; ut ipſô flente, ploremus & nos; invitat enim homines lacrymis ſuis

1. *ad pœnitentiam*; Joël. 2, 12. Jud. 2, 4. Luc. 7, 44.

2. *ad* συμπάθειαν *& condolentiam*;

3. *ad terrenorem deſpicientiam*;

4. *ad fervorum & diligentiam*;

5. *ad patientiam*. Patet inde lacrymas haſce eſſe

1. *precioſas*?

2. *doloroſas*;

3. *amoroſas*;

4. *ominoſas*;

5. *fructuoſas*; ſunt enim teſtimonium *dilectionis*? incitamentum *converſionis*; cauſa *exaltationis*; ſolatium noſtræ *tribulationis*, & documentum *compaſſionis*. Ita D. Gerhard. p. 329. uſque ad 343.

II. *Dictum* cladis Hieroſolymitanæ vaticinium continet, quod tribus conſtat membris:

I. *Securitatis extremæ exprobratione*; vel ſtupendæ cæcitatis deploratione: Sic enim per προσωποποιΐαν urbem alloquitur: Si cognoviſſes & tu &c. Pleriq; interpretum, ἀποσιώπησιν in hiſce Salvatoris verbis ſtatuunt, ut ſit ſermo quodammodo interruptus, qualis ſolet eſſe eorum, qui cum adfectu loquuntur, vel indignantium, vel dolentium: q. d. ſi cognoviſſes vel noſſes, quæ ego ſcio, quanta videlicet mala tibi impendeant, propter inex-

pugnabilem tuam malitiam & impietatem; & quantâ viciſſim clementiâ DEUS ipſe ſalutem tuam quærat, dum me tibi *Salvatorem* mittit; & intelligeres, quibus rationibus pœnas jamdudum promeritas avertere poſſes; haut dubiè quæ ad pacem tuam pertinent, (fidem puta in me, veram pœnitentiam, Meſſiæ exhibiti receptionem, Evangelii, ex ſinu Patris prolati, auſcultationem &c.) non negligeres. Hanc expoſitionem Theophylactus his verbis confirmat: *Hoc eſt, ſi cognoviſſes, quæ nunc tibi conferunt; ac pacem & quietem adferunt, nempè fidem erga me, & ceſſationem à perſequendo me.* Quidam ex Theologis recentioribus ἐυκ]ικῶς, optativè exponere malunt, ut conjunctio εἰ. SI accipiatur, pro adverbio optandi, ô ſi vel utinam; ſic enim nullô opus fore complementô, ad quod non niſi extremâ coacti neceſſitate deſcendere debemus. Verùm an Græci ſermonis proprietas hanc interpretationem admittat, aliorum eſto judicium. Textus ita habet: ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ. D. Gerhard. harm. p. 347. ita: Simpliciſſimam judicamus expoſitionem, quæ vel in ſenſu optativo, ſine ulla defectus ſuſpicione verba CHRISTI accipit; vel quæ ſubintelligit verbum expenderes ſive curares, ſine ullo alio ſupplemento, hoc ſenſu: ſi vel tu ſcires, etiam hoc die tuô cogitares, quæ ad pacem tuam.

Diei nomine intelligit, tùm totum converſationis ſuæ tempus, tum vel maximè diem ingreſſus ſui ſolemnem; q. d. dies adhuc gratiæ vobis lucet, brevi ſequetur nox, in qua nō poteritis ſalutem veſtram operari. Joh. 8, 4. Utinam vel in hoc die, qui peculiariter eſt tuus, ô Hieruſalem, ad ſalutem à DEO tibi datus, me Regem ac Meſſiam tuum agnoſceres, & quæ ad pacem ac ſalutem tuam tibi offeruntur, τὰ πρὸς εἰρήνην amplecteretis. Significat ergò voce diei, adeſſe extremū tempus, quod in ſalutem Hieroſolymæ erat deſtinatum; hoc ſine fructu elapſô, prædicit fore, ut inpoſterum ſalutis janua ipſis penitus præcludatur. Eſa. 49, 8.

Pax pro felicitate. Luc. 11, 4. 2. Cor. 6, 2. Pacis nomine Hebræi, quod ſæpiùs monere memini, omnis generis proſperitatem, animæ & corporis ſalutem, temporalem & æternam felicitatem intelligunt. Pluraliter loquitur, [illegible], ut omnia pacis ac felicitatis media & adminicula ſimul includat.

[illegible] hoc [illegible] [illegible] quâ de Judæo-

Judæorum cæcitate ſtupenda graviter CHRISTUS conqueritur: *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Ellipſis eſt Hebræa, quâ ex antecedente intelligitur conſequens: quæ enim abſconduntur, ea à conſpectu ſimul removentur. Qua verò ratione (verba refero D. Gerhardi, pag. 351. harm.) à Judæorum oculis hoc erat abſconditum? num ex abſoluto quodam DEI odio & decreto, quò neceſſariam eorum revelationem ipſis inviderit? Minimè verò, quia DEUS ſeriò vult omnes ſalvari; 1. Tim. 4. v. 2. 2. Par. 36, 15. Num ex quadam CHRISTI negligentia; Nec hoc dici vel cogitari ſine blaſphemia poteſt &c. Culpa igitur unicè reſidet penes ipſos Hieroſolymitanos. Oſe. 13, 6. Abſcondita enim erant ea, quæ ad pacem ipſorum pertinebant, ab oculis eorum, non quòd ob oculos ipſis poſita non fuerint, ſed quòd oculos ſuos nefariè clauſerint, ne viderent ea, quæ videre & debebant & poterant, quòd datâ operâ ea ſcire noluerint &c.

2. *Pœna ſecutura, vel malorum futurorum, prænuntiatione*, ubi perſpicuâ quadam ὑποτυπώσει ob oculos eorum ſtatuit ingentes calamitates, quæ venturæ eſſent ſuper Hieroſolymam. Verè autem hæc omnia CHRISTUM prædixiſſe, docuit exitus ingens. Complementum enim hujus vaticinii poſt 40, vel, ut alii numerant, 42. annorum decurſum fuit inſecutum. Conſule libros Joſephi de bello Judaico, præcipuè lib. 6. & 7. Egeſipp. lib. 4. cap. 13. & ſeq. Euſeb. lib. 3. cap 5. & ſeqq. Niceph. l. 3. cap. 3. & ſeqq. Summa vaticinii eſt, quòd ingratæ urbi minitetur.

1. *obſidionem*; verbis: quia venient dies [in plurali, quia duravit obſidio aliquot annis:] in te, (vel contra te, quia erunt dies iſti tibi infauſti & admodum adverſi:) & circumdabunt te inimici tui (Romani, qui Duce Titô Veſpaſiani filiô urbem arctâ obſidione cinxerunt:) vallô, & cingent te. (περικυκλώσουσι, undiq; in circuitu, militibus & machinis)
2. *Coanguſtationem*;
3. *Incolarum internecionem*;
4. *Templi ædificiorumq; magnificorum omnium ſupremam deſolationem*; non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; hyperbolica eſt locutio extremam præ ſe ferens deſolationem. Neque enim exiſtimandum eſt. (inquit D. Calixt. pag. 357) tàm curioſos vel otioſos fuiſſe Roma-

nos, ut ſingulos lapides, ex imis fundamentis erutos, & à ſe mutuò avulſos diſjicerent. Confer. Dan. 9. 26, 27. Mich. 1, 6. Hab. 3, 15. Matth. 23. 38. & 24, 2. D. Gerh. pag. 357. 358.

Viſitatio Judæorum.

3. *Cauſæ adſignatione & declaratione*; videlicet, eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Viſitavit te DEUS

1. *Salvatorem Meſſiam mittendo*;

2. *Evangelium revelando*;

3. *Salutem tuam promovere modis omnibus adnitendo* idq; vocat καιρῷ, commodum & opportunum tempus καιρὸν δεκτὸν 2. Cor. 6, 2. Hoc tempus; & hanc præſentis temporis gratiam debebas agnoſcere, h. e. diligenter obſervare, ejus ſedulam rationem habere, eodem ad ſalutem tuam rectè uti; ſed tu hoc ipſum facere contemſiſti, oblatam gratiam reſpuiſti: Meſſiam rejeciſti, Evangelii prædicationem audire noluiſti, atq; ita ſaluti tuæ obſtitiſti; hinc tibi tanta mali labes. Confer D. Gerh. pag. 365. 366. 367. 368.

Uſus I. Informatorius.

1. De lacrymarum CHRISTI conſideratione, conditione & qualitate. Sunt enim lacrymæ iſtæ, lacrymæ

Lacrymæ Chriſti quales.

1. *docentes*, de veritate humanæ in CHRISTO Naturæ: habitu (lacrymantium etiam) inventus eſt ut homo. Phil. 2, 7. Naturam verò, quam ſemel adſumſit, nunquam deſeret: Ergò neq; in ſtatu exaltationis adfectum iſtum erga fideles ſuos exſuet.
2. *Satisfacientes*, pro lætitia mundi inordinata. Pauper factus eſt, ut nos locupletaret. 2. Cor. 8, 9. Ita flevit, ut æternùm nos exhilararet. Eſ. 25, 9. & 35, 10. Apoc. 7, 17. Pſal. 126. v. 5. Luc. 6, 21.
3. *Condolentes*, humanæ miſeriæ: Pſal. 103, 13. Jer. 31, 20. Ezech. 33, 11. Oſe. 13, 9.
4. *Admonentes* (1.) de *pœnitentia*: CHRISTUS profudit lacrymas, motus peccatis Judæorum: (2) de *condolentia* erga proximum. Si fles corporaliter mortuum; multò magis ſpiritualiter in peccatis mortuum. Gutta cavat lapidem: CHRISTI lacrymæ corda hominum ni moveant,

petris

petris illa & ſaxis duriora eſſe conſentaneum eſt. Vide Monr. p. 178.

2. Quòd nullum bellum, nulla victoria, nulla ſtrages, neque peſtis, neq; fames abſq; DEI mandato & divina providentia contingat. Amos. 3, 6. Thr. 3, 43. Ibid. p. 179.

II. Monitorius.

1. De cavendo peccato omnium facilè maximo, quod πανολεθρίαν quondam Judæis attraxit, & finem mundo etiam huic accelerabit: Contẽtu nimirùm verbi, vel, ut ſtilo CHRISTI loquamur, neglectu viſitationis gratioſæ. Summum hoc eſſe peccatum teſtatum facit ſalvator CHRISTUS, *Verbi contemtus fugiendus.*

1. *Vultu illacrymante*: Lacrymæ autem ipſius ſunt *Peccatum maximum.*
   1. *Patris*: (Vatters Thränen) Gen. 37, 35. 2. Sam. 18, 33.
   2. *Fratris*; (Bruders Thränen) Gen. 43, 30. & 45, 2. 2. Sam. 1, 26. Hebr. 4, 15.
   3. *Judicis*; (Richter Thränen) Pſal. 7, 9. & ſeqq.
   4. *Mediatoris*. 1. Tim. 2, 5. (Mittlers Thränen)
2. *Voce vaticinante & interminante*:
3. *Manu percutiente & vindicante.*

Graphica ſunt, quæ B. Lutherus in Poſtill. domeſt. habet digna utiq; quæ adſcribantur. Sic autem ille: Wer GOttes Wort verachtet/der entläufft der Straffe nicht. Item, GOtt achtet diß für die gröſſeſte Sünde/die er am wenigſten dulden und leyden kan/ nemlich/daß ſein Volck die Zeit ſeiner Heimſuchung nicht erkennet hat. Et poſt aliqua: Mit dieſen Thränen hats viel eine andere Gelegenheit als wenn ein ſchlechter Menſch weinet. Das kömmet alles daher/ daß Chriſtus warhafftiger GOtt iſt/ auff welchen alle Creaturen ein Auge haben müſſen / alſo / daß wenn er beginnet zu weinen / ſo müſſen Engel und Menſchen/Himmel und Erden/und alle Creaturẽ gleich mit weinen und Blut ſchwitzen; iſt kein Zweiffel/ ſeine Jünger und andere werden auch mit geweinet haben/was ſollen wir für Gedancken dabey haben? Et iterum: das iſt die Häupt-Urſach/daß der Zorn GOttes ſo uberaus gros und ſchrecklich iſt. Denn gleichwie die Jüden ſein Wort weder ſehen noch hören haben wollen: Alſo hat hernach GOtt jhr Schreyen/Beten/ Gottesdienſt/und anders auch weder ſehen noch hören wollen / und ſein Zorn hat nicht ehe wollen ablaſſen/bis Jeruſalem zu Grunde getilget iſt / das ein Stein auff

dem andern nicht blieben iſt/daß man ſagen möchte/da iſt dz/dort jenes Hauß geſtanden/Nein / rein ab / vnd alles zu Grund vmbgekehret/ daß nicht ein Haar von einem Jüden/noch ein Nagel in der Wand in
„ der Stadt blieben iſt/das haben ſie wollen haben. Denn (ſpricht
„ der Herr Lutherus) daß wir ſündigen/iſt nicht Wunder/aber Sünde
„ vertheidigen / vnbußfertig vnd verſtockt darinn verharren / das kan
„ GOtt nicht leiden/es mus ehe alles zu ſcheitern gehen/ſonderlich aber
„ wenn er mit der gnädigen Heimſuchung des Worts kömpt/ vnd vns
„ gern zur Buſſe ruffen wolte/ vnd man doch nicht hören wil &c.

2. De mediis evitandi iram poenasq; divinas, Media iſthæc in ſola nobis monſtrantur pœnitentia, quâ neglectâ nullus eſt amplius miſericordiæ locus. Aut pœnitendum, aut ardendum non datur tertium. Jer. 7, 12. & 18, 18. Joël. 2, 11. Jon. 3, 10. Matth. 3, 2.

III. Conſolatorius

In calamitatibus publicis tutum in DEO refugium

1. Quòd calamitatibus publicis ingruentibus, tutum nobis in DEO refugium ſit repoſitum: quemadmodum Hieroſolymâ egreſſi trans Jordanem in oppido Pella ſunt ſervati, ut habet Euſeb. lib. 4. c. 5. Monr. p. 185.

Lacrymarũ Chriſti uſus

2. Quòd lacrymæ CHRISTI nobis proſint,

1. *contra deſperationis & reprobationis terrorem*; Rom. 5. v. 21.
2. *Contra mortis horrorem*; Sir. 41, 1. Hebr. 2, 15.
3. *contra æternæ damnationis timorem*. Lacrymis CHRISTI ignis infernalis deletur & exſtinguitur.

Refutatorius.

Calviniani de lacrymis Chriſti.

1. Calvinianorum, qui lacrymis JESU CHRISTI calidis doctrinâ, de abſoluto DEI decreto urgeri & falſitatis convinci cernentes, excipiunt, tùm de temporali regni Judaici excidio agi; tùm DEUM tandem impiorum interitu delectari, quippe qui rideat in perditione eorum. Pro. 1, 6. Ezech. 5, 12. Sed laterem lavant. Quia 1. temporalis calamitas prælucium fuit æterni interitus, . Contrarium probat viſitationis neglectæ exprobratio.

tio. 3. Si temporales pœnæ lacrymas CHRISTO eliciunt, multò magis æternæ 4. Quoad poſteriorem exceptionem; riſus DEI inultione vel executione, non eſt ἐπιχαιρεκακία, ſed juſtitiæ divinæ εὐδοκία. 5. Scriptura δι᾽ ὅρκου teſtatur nolle DEUM mortem & interitum peccatoris, Vide D. Meelf. Vindic. th. 16. & ſeqq. Ridere DEI

2. Pontificiorum; fumos vendente & fabulas enarrante Schererô, qui ita ludit pag. 521. b. Bedencke alhir die wunderliche Schickung unt Ordnung Gottes/daß eben zu Rom/da die Römiſchen Biſchoffen und Bäpſt allbereit ihren Sitz und geiſtliches hohes Regiment hatten/die Häupter der Jüden Johannes und Simon ihr Geſetz/ihr Tiſch/Leuchter und andere Kirchengefäſſe und Schmuck zum Schawſpiel gezeigt/und zu einem Heerprangen gemacht worden. Was hat das anders bedeutet/ als daß gleich an dem Ort/ wo die Häuptkirchen des gantzen Chriſtenthumbs iſt/ das Jüdiſch Weſen und Regiment/Geſetz und Ceremonien ein End nehmen/und gleichſam begraben werden ſollen. Nugas audis & meras Principii petitiones. Romæ Papas fixam habuiſſe ſedem temporibus Titi de Judæis triumphantis; ſummum Pontificem Romanum ibi tum habuiſſe & exercuiſſe imperium; Romanam Eccleſiam caput eſſe totius Chriſtianiſmi h. e. omnium in orbe Chriſtiano Eccleſiarum, credat, qui credit eſſe purgatorium. Sine luculentis probationibus mendaci Jeſuitæ quidquam adhibere fidei nobis integrum non eſt. In hunc enim uſq; diem probare adhuc tenentur Eccleſiæ ſuæ Romanæ privilegium, de ὑπεροχῇ ſupra reliquas in orbe Eccleſias. Scimus Romanam Eccleſiam non minus eſſe particularem Eccleſiam, quàm Eccleſiam Corinthiorum, Galatarum, Alexandrinam, Pariſienſem, Colonienſem, Ulmenſem &c. ſive accipias de ea, quæ in urbe Roma colligitur; ſive de ea, quæ Romano Pontifici, ut capiti adhæret. Plura non addo.

PARS III.

In heroica templi Hieroſolymitani reformatione obſervetur.

1. [illegible] conventus, f[illegible] in ædibus ſacris, lucri ſal[illegible] [illegible] D. Gerh. loc. cit.

3. CHRI

2. *CHRISTI adventus*, Zelô divinô plenus, quem exerit.

1. ἔργῳ, factô ſive *flagellatione* & ejectione;

2: λόγῳ, dictô vel durâ *increpatione*

3. *Rei eventus*, tàm 1. *bonus*, reſpectu CHRISTI prædicantis; & populi, ab ore ejus pendentis: quàm

2. *malus* reſpectu magnatum; hinc eſt

4. *Hoſtium conatus*, ſed fruſtraneus: inſidias CHRISTO ſtruunt, ſed irritô planè auſu, conatu ac ſucceſſu. Vide præc. diſp.

Uſus I. Informatorius.

Heroica facta.

1. De factis heroicis, quæ non cujusvis ſunt. Interim vitemus πολυπραγμοσύνην, & probè circumſpiciamus, quid cujusq; vocatio admittat, ferat, requirat, ne κακοζηλίᾳ intempeſtivâ, vel imitatione ſtultâ limites vocationis noſtræ transgrediamur. 1. Cor. 7. 24.

2. De falſæ religionis exercitiis, quæ nihil niſi pernicioſiſſima ſunt latrocinia, quibus animæ ovicularum CHRISTI miſerè jugulantur, trucidantur, enecantur, immò in barathrum damnationis æternæ præcipitantur. Joh. 10. verſ. 8. Luc. 6. verſ. 39.

3. De inveterata impietatis malitia, quæ in hominibus obſtinatis citiùs inſidias piis verbi miniſtris ſtruit, quàm corrigi & emendari ſeſe patiatur. 1. Reg. 19, 2. 2. Par. 25, 16. & 36, 16. Jer. 11, 18 & ſeqq. & 15, 10. & 18. & 20, 2. 10.

II. Conſolatorius

1. Pro fidelibus verbi præconibus, ne nimis metuant hoſtes, periculum ipſis machinantes. DEUS enim metum illis incutit, ut pii miniſtri illis ſint formidabiles, donec vocationis ſuæ curſum abſolverint Eſa. 7, 4. & 8, 10. 12. & 51, 8. 13. Jer. 1, 8. 19. & 15, 19. 20. Ezech. 2, 3 & 3. 9.

2. Quòd in futura vita pendebimus ab ore CHRISTI, eumq; cùm infinito audiemus gaudio. Monr. p. 185-186.

DIS-

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Agitur præſenti Evangelió de Judæorum πανωλεθρίᾳ, quam ipſis Salvator φιλανθρωπότατος, miſericordiſſimus, ſalutisque hominum ſitientiſſimus tempeſtivè prænuntiat, cauſis ſimul ſubjunctis, quæ extremam tandem templo populoque Judaico deſolationem accelerârunt. Nos itaque ut alienó periculó cautiores evadamus, occaſionem inde arripientes, *cauſas Rerumpub.* φθαρτικὰς *ſive corrumpentes*, filum textûs prælecti ſecuti, inveſtigare conabimur. Rerump. cauſæ φθαρτικαί.

Ἐξήγησις.

Politici ſuas habent Rerumpub. cauſas, tàm συστατικὰς, quàm φθαρτικὰς, quas ſuô ſingulas locô relinquimus. Salvator θυμηρέστατος h.l. urbis, totô Oriente clariſſimæ & florentiſſimæ, totiusque Reipubl. Judaicæ corruptionem totalem, quam πανωλεθρίαν Græci vocant, prædicturus, cauſas tantæ cladis adſignat quatuor, quas ordine contemplari operæ vel maximè eſt pretium.

I. Prima cauſa φθαρτικὴ ſive corrumpens fuit, hodieque eſſe poteſt, *vera pœnitentiæ intermiſſio.* Chriſtus enim in hoc Evangelio profuſis etiam largiſſimis lacrymis ad reſipiſcentiam Judæos hortatur, immò flectere adlaborat; ſed fruſtrà:

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

Juſtô ergò Dei judició populus ἀμετανόητος tandem funditùs fuit deletus, exſtirpatus. Faciat lacrymabilis hæc Chriſti admonitio,

1. ad ſeriam peccatorum deteſtationem, quæ vel ideò ſtudioſè nobis ſunt devitanda, ne lacrymas Chriſto excutiamus. Lacrymarum Chriſti uſus.

Plorat enim is

1. in membris oppreſſis; Sir. 35, 18. Joh. 16, 20. Chriſtus plorat hodieque.

2. in verbi miniſtris; Eſa. 33, 7. Jer. 9, 1. Hebr. 13, 18.

3. in creaturis, quibus variè abutuntur homines: Rom. 8, 19.

Huc refer ſigna Luc. 21, 25.

Mortales quoniam nolunt ſua crimina flere,
Pro nobis cœlum ſolvitur in lacrymas.

Conceſſum alias nobis, peccata piè deflere; quia ſecundum Auguſtinum; *Precatio Deum lenit, ſed lacryma cogit: precatio Deum ungit, lacryma pungit.* Modò abſit hypocriſis. Nam *nihil proſunt lamenta, ubi iterantur peccata*, juxta eundem Auguſt. Ita animô

pœnitenti flebant Iſraelitæ; Jud. 2, 5. Eſr. 3, 13. mulier peccatrix, Luc. 7, 38.

Dei μακροθυμία.

2. *Ad vivificam conſolationem*, quòd DEUS patienter agat nobiſcum, nolens quenquam perire. Ezechiel. 33, 11. Roman. 2, 3. 4. 2. Pet. 3, 9. Theophylactus inquit: *Plorat ſuper civitate, ut miſericors, nolens perdi eos, qui in illa propter facinus contra ſe: oſtendit itaq; viſcera miſericordiæ per fletum. Quia enim miſeretur eis, & non ſolùm ante crucem, ſed & poſt crucem, etiam converſionem eorum ſitiebat; manifeſtum eſt ex eo, quòd poſt 35. annos Romanis traditi ſunt. Nam propter nihil aliud diſtulit ſupplicium, quàm quòd cupiebat eos converti.*

II. Secunda cauſa φθαρτικὴ eſt, *viſitationis cœleſtis neglectio*. Theophylactus ita: *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quòd propter me, quem tu reprobas, innumera mala te adprehendent, patierisq; hæc atq; illa; eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ, h. e. adventûs mei, quando veni, ut inviſerem te & ſalvarem. Oportebat igitur ſcire te, quæ ad pacem tuam, ut in me crederes, & habuiſſes utiq; pacem à Romanis, & omnis malitiæ liberationem. Etenim omnes qui crediderunt Chriſto, à captivitate fuerunt ſecuri, & ita ſi omnes credidiſſent, nullus fuiſſet captus.* Hæc ille. Viſitat autem homines Deus dupliciter:

Viſitatio Dei duplex

1. *gratioſè*, per verbum & paternas cogitationes;
2. *furioſè, periculoſè*, in ira furoris ſui, per πανολεθρίαν, quam κατὰ μερισμὸν partium principaliorum Salvator commemorat. Reperiuntur hodieque homines, paternam Dei viſitationem ſecuritate & impietate planè inexpugnabili repudiantes; idem ergò eos manebit exitus. Monemur autem hoc locô,

Iræ divinæ lentus proceſſus.

1. de lento iræ divinæ proceſſu, qui conſiſtit in
   1. *monendo & adhortando*; Eſa. 8, 1, Oſe. 5, 9. Amos 3. 7.
   2. *flagellando vel caſtigando*; Eſa. 28, 19. Ezech. 14, 12.
   3. *miracula edendo*: ſic varia ſigna, portenta & prodigia ipſam populi Judaici πανολεθρίαν præceſſerunt, de quibus legatur hiſtoria apud Joſephum, Egeſippum & alios. Per hos veluti gradûs paulatim adſcendit Deus ad finalem Rerumpub. everſionem.

Regna mundi periodica.

2. De regnorum mundi periodo, quæ non eſt abſolutè fatalis, ſed certis cauſis circumſcripta. Κύριον αἴτιον h. l. habetur; eò quòd tempus viſitationis non cognoviſti. Proverb. 2, 82. Dan. 5, 28. Sir. 10, 3. 8.

3.

3. De regni Judaici reſtauratione, num talis aliqua ſit ſperanda? Negat Salvator, dum lapidem ſuper lapidem non relictum iri adſeverat, Dan.9, 28. Quicunque igitur ſeveram DEI viſitationem, cum extrema & totali conjunctam devaſtatione declinare cupiunt, benignam, quæ eſt miſericordiæ ac gratiæ, attendant viſitationem neceſſum eſt. Judaici regni reſtauratio num ſperanda?

III. Tertia cauſa φθαρτικὴ eſt, ***templorum in ſpeluncas latronum commutatio,*** 1.Timoth.6,5. Loquimur non tantùm de templo externo publico, ſed & interno cujusque in corde ac privato: illud profanatur falsâ & impiâ doctrinâ; hoc ſceleratâ vitâ & incredulitate. Vide præced. diſp.

IV. Poſtrema cauſa eſt, ***violenta & mala verbi miniſtrorum tractatio atq; perſecutio,*** Gen. 6,3. & 19,9.15. Amos 5,10. 2.Par.36,16. Jerem.5,12. & 11,21. & 15,10. & 18,18. Ezech.3,25. & 33,32. Eſa. 63,10. Matth.11,18. Johan.16,2.33. & 17,14. Joſephus lib.5. c.12. de bell. Jud. ***Omne ab illis*** (Judæis) ***jus hominum calcabatur. ridebatur etiam Divinitas, Prophetarumq; reſponſis, tanquam vulgaribus fabulis, illudebant.***

Quæritur h. l. ὡς ἐν παρεϑήκης μέρει, cur quotannis miſerabilis hæc Judæorum ruina repetatur? Ut ponderemus Judæorum ruina cur quotannis repetatur.

1. ***Dei irati potentiam***: bella ſunt ſcopæ irati Dei:
2. ***Cauſarum inſolentiam.*** Jam quærimus de cauſis Theologicis; præcipua eſt, viſitatio neglecta. Joſephus culpam confert (quod idem eſt) in peccata Judæorum: quæ illa?
   1. ***ſecuritas,*** in maximo præſertim periculo;
   2. ***incredulitas,*** fidem derogabant concionatoribus;
   3. ***incuria,*** vel viſitationis deſpicientia;
   4. ***impœnitentia,*** pacem cum DEO non quæſivit;
   5. ***violentia,*** in miniſterii potiſſimùm oppreſſione.
3. ***Vanam in rebus externis confidentiam:***
4. ***Excæcationis Judaicæ vehementiam.***
5. ***Chriſti φιλανθρώπου indulgentiam.***
6. ***Pœnitentiam,*** ut purgemus templum cordis noſtri.

Hic pedem figimus, orantes cum Eccleſia: *Deus, qui omnipotentiam parcendo maximè, & miſerendo manifeſtas: multiplica ſuper nos gratiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias conſortes, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.*

DOMINICA XI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 18. à verſ. 9. ad 15. usq.

9. Εἶπε δὲ καὶ πρός τινας τοὺς πεποιθότας ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς, τὴν παραβολὴν ταύτην.

10. Ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι· ὁ εἷς φαρισαῖος, καὶ ὁ ἕτερος τελώνης.

11. Ὁ φαρισαῖος σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο· Ὁ Θεὸς εὐχαριστῶ σοι, ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, ἅρπαγες, ἄδικοι, μοιχοὶ, ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης.

12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου· ἀποδεκατῶ πάντα, ὅσα κτῶμαι.

13. Καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς, οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι· ἀλλ᾽ ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ, λέγων· ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.

14. Λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος· ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται· ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

Matt. 13, 12. Luc. 14, 11.

9. Dixit autem & ad quosdam, qui in ſe confidebant, quòd eſſent juſti, & adſpernabantur ceteros, parabolam iſtam.

10. Duo homines adſcendebant in templum, ut precarentur: unus Phariſeus, & alter Publicanus.

11. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quòd non ſim ſicut ceteri homines, raptores, injuſti, adulteri, vel ut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in ſabbatho: decimas do omnium, quæ poſſideo.

13. Et publicanus procul ſtans, nec oculos volebat ad cælum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.

14. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam, magis quàm ille: quia omnis, qui ſe extollit, humiliabitur: & qui ſe humiliat, extolletur.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

EVangelium præſens eſt generis didaſcalici. Continet enim recitationem parabolæ, in qua Salvator Chriſtus ſub perſona Phariſæi inflati, ac publicani abjecti (1) proponit ſummam illam doctrinam, in qua ſita eſt omnis noſtra ſalus & æterna felicitas, & ad quam ſolidè addiſcendam totô animi impetu ac deſideriô ferri debemus, nimirùm
de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, h. e. quomodo mi- „
ſer peccator gerere ſe debeat in hac vita, ut conſequatur remiſſionem „
peccatorum, & habeat propitium Deum, ne poſt hanc vitam damne- „
tur, ſed ſalvetur. (2) Verum ſimul orandi modum oſtendit, & ab hy- „
pocritico accuratè diſtinguit. Partes Evangelii iterum conſtituemus tres, ſecundum tres diſtinctas perſonas, quarum diſtincta fit mentio, contemplaturi

I. *Phariſæum ſuperbè & ſuperciliosè orantem;*

II. *Publicanum demiſſè & humiliter deprecantem;*

III. *Chriſtum juſtè de utroq; judicantem.*

PARS I.

In primæ partis enarratione duo potiſſimum obſervanda veniunt:

I. *Parabolæ occaſio*, quam præbuit Chriſto Phariſæorum faſtus, ſuperbia & tumor, qui propriæ juſtitiæ fiduciâ innitebantur unicè. Conſpicitur autem faſtus ille, Phariſæorum ſuperbia.

1. *ex falſa & præſumtuoſa meriti opinione*, vocantur enim πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς, in ſe confidentes, quòd eſſent juſti.
2. *Ex ſuperciliosa aliorum deſpectione*, quòd dicuntur ἐξουθενοῦντες τοὺς λοιποὺς, adſpernantes, pro nihilo reputantes, & nasô aduncô ſuſpendentes alios; quorum utrumq; alienum eſſe dicitur à veræ invocationis ac pietatis natura.

II. *Phariſæi conditio & oratio.* Erat unus ex ſocietate Phariſæorum, atq; ita vir apud Judæos ſummæ auctoritatis & æſtimationis, ob peculiare ſanctimoniæ ac juſtitiæ ſtudium, quod coram plebe genus iſtud hominum venditare ſolebat. Vide plura Domin. 1. & 3. Trinit. Intelligitur hoc nomine legis divinæ interpres, & perſona ſibi vendicans clavem ſcientiæ & intelligentiæ Scripturæ, præ ſe ferens ſingularem Phariſæi qui & quales.

 ſancti-

ſanctimoniam, habitu etiam externô ab aliorum hominum veſtitu diſtinctus. Matth. 6, 1. & 23, 8. Joſeph. lib. 13. cap. 8. & lib. 18. cap. 2. Phariſæus iſte non vult videri ἄθεος, ſed inſignis pietatis cultor; dicitur itaq; ingreſſus templum, eô fine, ut precaretur. Per preces autem συνεκδοχικῶς intelligitur omne id, quod ad cultum Dei pertinet, & in templo peragebatur; puta quòd prælegeretur Moſes per ſingula Sabbatha; Actor. 15, 23. quòd ſacrificia fierent; quòd deniq; preces cum hymnis & pſalmis Deo offererentur.

Precum nomine totus Dei cultus venit.

Ceterùm occurrunt in Phariſæi hujus deſcriptione tùm ἐπαινετὰ, *laudabilia*; tùm ψεκτὰ, *culpabilia*. Laudem meretur

1. *templi frequentatio;* non ut garriat, aut nugas tractet; ſed ut Deo cultum praſtet debitum, tùm audiendo legem; tùm ſacrificando, ſecundum legis præſcriptum; tùm inprimis orando, gratiasq; pro acceptis beneficiis agendo; hæc enim omnia unô precandi vocabulô Chriſtus complectitur: ſiquidem ex noſtra parte non eſt opus ſanctius, quô Deum veneremur, quàm religioſa invocatio.
2. *Vita ad normam ſtatutorum divinorum inſtitutio.*

Vituperiô contrà digna ſunt

1. *ſuperbia;*
2. *hypocritica cordis malitia;*
3. *proximi contemtus & deſpicientia;*
4. *inanis de propria juſtitia præſumtio vel jactantia;* aliaq; inde promanantia vitia.

Parabola tria de ipſo commemorat:

1. quòd ſtans, ſeorſim ſeu apud ſe precatus fuerit, ſcilicet in cœtu & loco orationis publico, capite haut dubiè erectô, expanſis brachiis, cœlum intuens:
2. quòd vitia abs ſe removerit, partim generalia aliorum hominum, quòd non ſit, ut ceteri homines, e. g. raptores, injuſti, adulteri; partim ſpecialia, publicani, tanquam peccatoris notorii:
3. quòd virtutes ſuas magnô oris hiatu deprædicaverit, temperantiam in jejuniis, & juſtitiam in decimis. Ejusmodi ergò ſeſe oblectat cogitationibus: Ecce ego, ô Deus, pro quo tibi debitas ago gratias, non ſum ſicut reliquum hominum vulgus, non ſum raptor alienarum facultatum; non ſum injuſtus, nemini facio injuriam; non ſum adulter; non ſum deditus ra-

Digitized by Google

tus rapinis, fraudibus & ſycophantiis, ſicut hic publicanus, quem tibi digitis meis monſtro: ſed duco vitam ſanctam & integram; & non tantùm abſtineo à notoriis peccatis; ſed & inſuper plùs facio, quàm vel ipſe exigis, jejunando bis in Sabbatho, & dando decimas omnium quæ poſſideo. (Sabbathum autem ſynecdochicè ſumitur, pro tota ſeptimana, cujus dies erat principalis.) Habes ideam hominis in ſua confidentis juſtitia, aliosq; præ ſeſe contemnentis.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Caveamus nobis à phariſaica meritorum propriorum perſuaſione, cum ſpirituali ſemper ſuperbia conjuncta. Prov. 3, 5. & 28, 26. & 16, 5. & 30, 13. Eccl. 7, 9. Luc. 1, 51. & 16, 15. 1. Pet. 5, 5. *Meritorũ perſuaſio vitanda.*

II. Homines alios præ nobis non contemnamus. Prov. 10, 12. & 21, 24. 1. Cor. 13, 7. Gal. 6, 1. Sir. 8, 6. Rom. 14, 4. Matth. 7, 1. & ſeqq. plura vide Domin. 4. Trin.

III. Eccleſia ſemper habet cum piis permixtos hypocritas. Vide Domin. 5. poſt Epiphan. & D. Theod. pag. 566. Thold. p. 790.

IV. Turpiter errårunt Donatiſtæ, Cathari & Anabaptiſtæ, imaginantes ſibi puram in hoc mundo & immaculatam Eccleſiam. *Eccleſia hujus vitæ non pura.*

V. Commendatur nobis diligens & adſidua templi frequentatio & monſtratur, quô fine & propoſitô templum ſit adeundum; videlicet, ut Deo ſuus præſtetur honos, audiatur & diſcatur ejus verbum, ſpectentur ſacra, ab ipſo inſtituta, & excitentur mentes ad neceſſariam noſtræ indignitatis agnitionem, ad peccati confeſſionem ac humilem deprecationem, ad fidem in Chriſtum Mediatorem, & ad bonum propoſitum emendandi vitam, & ambulandi in ſanctitate Deo placente &c. Exod. 20, 24. Matth. 18, 20. & 28, 20. Pſal. 26, 9. & 27, 4. & 42, 5. & 84, 1. 2. & 122, 1. 2. 3. Eccl. 5, 1. Hebr. 10, 25. *Templi frequentatio adſidua.*

VI. Verus templorum uſus eſt cultus divini peractio. Vide Dominic. 10. & D. Theod. pag. 567. *Templorũ uſus.*

VII. Templum eſt προσευκτήριον, domus orationis. Ibid.

IIX. Falſum eſt autem Bellarmini & aliorũ Pontificiorum, ex hoc loco exſtructum conſequens, q. ſanctiùs ac meliùs in templis fiant & exaudiantur preces. Joh. 4, 21. 23. 1. Joh. 3, 22. & 5, 14. Matth. 6, 6. 1. Tim. 2, 8. *Preces an in templis ſanctiùs fiant.*

IX.

Digitized by Google

Congreſſûs publici.

IX. Neq; tamen inde reddamur vel planè ἄθεοι, vel αὐτοδίδακτοι, vel ἰδιόσοφοι, negligentes Eccleſiæ congregationem, ſub illo prætextu, quòd domi poſſimus legere verbum, orare & DEO gratias agere. Fides ex auditu. Rom.10,17. Exod.20,24.

Diſcrimen veræ & falſæ precationis.

X. Habemus diſcrimen veræ & hypocriticæ precationis. Illa profluit ex corde ſimplici, contrito & humiliato, peccata ſua agnoſcente & dolente, & verâ fide propter CHRISTUM eorum veniam petente: Sir.1,36.38. Joh.4,23. & 14,6. & 16,23. Eph.2,8. Jac.1,6. Gen.18,27. & 32,10. Dan.9,18. Judith.9,16. Hæc fluit ex corde duplici, faſtuoſo, externô geſtu devotô, jactante ſua merita & opera, & propter illa præmia à DEO poſtulante. Pſal.79,9. Prov.15,29. Eſa.1,19. & 29,13. Matth.15,8. Joh.9,31. D.Theod.p.568.

Orantis geſtus.

XI. De ceremoniis & externis geſtibus, inter orandum non planè negligendis; ex illis enim de interna mentis devotione poterit fieri judicium, uti mox ex ſecundæ partis διεξόδῳ patebit luculentiùs. Gen.17,3. Exod.33,4. Joël.2,13. Matth.6,16. & 26,75. Luc.7,38.

XII. Omnes homines externam diſciplinam debent præſtare, h. e. vitæ morumq; honeſtati ſtudere, & bona opera facere. Vide locos & libellos methodicos. Matth.5,16. Rom.13,12. 1.Pet.5,10.

Phariſæi opera & virtutes

XIII. Imitatione cumprimis dignæ ſunt virtutes & bona opera Phariſæi, ratione actûs conſiderata; nimirùm.

1. *religioſitas*, vel pietatis ſtudium; 1.Tim.4,8. & 6,6.
2. *εὐχαριστίας præſtabilitas & perpetuitas*; Col.3,17. 1.Theſſ.5,18.
3. *juſtitia & æquitas*; 1.Theſſ.4,6. 1.Cor.6,8.
4. *manuum puritas*; 1.Tim.2,8. Pſal.24,4. & 26,7.
5. *caſtitas*; 1.Theſſ.4,3. Eph.5,3. 1.Tim.5,22. Matth.5,8. Heb.13,4.
6. *ſobrietas*, & temperantia in cibo & potu; Luc.21,34. Tit.2,12. 1.Pet.4,7.
7. *liberalitas*, ut demus ad Scholarum & Eccleſiarum conſervationem. Exod.22,29. & 35,5. Levit.27,30. Deut.12,11. & 14,23. Mal.3,10. 1.Cor.9,7. D.Theod.p.569.570.

Phariſæi vitia.

XIV. Vitia in Phariſæo notata diligenter vitemus;

1. *præſumtionem*, quam Græci φιλαυτίαν vocant;
2. *juſtitiæ propriæ gloriationem*, ex faſtu ſpirituali profectam; *proximi ex odio prognatam deſpectionem*. Vide D.Theodor.pag.571.572. & Thold.p.794.

XV.

XV. In genere omnia externa ſcelera & flagitia, contra ſecundam Decalogi tabulam, ſtudioſè ſunt vitanda.

XVI. Interim & illud patet ex hoc Evangelio, opera infidelium & non renatorum, non eſſe verè-bona opera, DEO accepta & grata; ſed eſſe tantùm φαινομένως bona; carent enim fundamentô, verâ & ſalvificâ fide. Rom. 14, 23. Hebr. 11, 6. D. Theod. p. 177. Opera infidelium.

XVII. Fiducia in operibus & meritis non eſt collocanda. Gen. 32, 10. Rom. 14, 23. Matth. 6, 4. Joh. 9, 28. Rom. 7, 5.

XIIX. Eſt ergò Phariſæus hic imago & exemplar omnium juſtitiariorum, qui & ipſi non tantùm ſanctos ſe putant, ſed etiam plùs meritorum ſe habere, quàm ipſi indigeant. Rom. 3, 20. & 10, 3. Juſtitiarii.

XIX. Non tàm ovum ovo eſt ſimile, quàm Papiſtæ Phariſæis. Vide D. Theodor. pag. 573.

XX. Si itaq; de bonis operibus non eſt gloriandum in conſpectu DEI, multò minùs de malis operibus. Pſal. 52, 1. Eſa. 5, 20.

XXI. De defectibus præcipuis, quos oratio Phariſæi habuit. Orationis Phariſaicæ defectus.

1. oravit πρὸς ἑαυτὸν, h. e. preces ſuas non direxit ad DEUM, nec cogitavit, quanta majeſtas eſſet ejus, cum quo per preces agendum fuit: Job. 25, 5. Exod. 34, 7.
2. Contemſit præ ſe publicanum, de quo meritò optima quæq; ſibi polliceri debuiſſet, & à ſententia condemnatoria abſtinere.
3. Non agnoſcit ſe miſerum coram DEO peccatorem:
4. Vult decipere DEUM, quaſi ille hypocriſin ipſius non videat:
5. Ignorabat veras juſtificationis cauſas, ſuis juſtificari volens operibus ex lege, cujus impletionem perfectam externâ ſaltem obedientiâ metiebatur:
6. Opera etiam ejus erant non bona; quia (1) non ex fide facta; (2) contra dilectionem proximi; (3) ad propriam, non DEI, gloriam directa:
7. Oblitus eſt Meſſiæ, cujus nullam planè facit mentionem, nullô ſeſe apud DEUM opus habens Mediatore arbitratus. Vide Thold. p. 786. 787.

PARS II.

De publicano jam ſecundô locô dicendum venit. Notentur tria:

I. *Publicani προσωπογραφία, deſcriptio vel conditio,*

1. generalis, ratione cujus dicitur homo, paris in eo cum Pha-

riſæo originis ac conditionis: cùm hominem dico, miſeriam dico; Euripides συμφορὰν vocat hominem, ein Korb voll Unglück.

Publicani qui & quales. 2. *Specialis;* publicanus erat; fuit enim ex illo hominum ordine, qui totus fuit Judæis exoſus; eò quòd libertatis patriæ proditores viderentur publicani. Erant quippè avarum hominum genus, qui origine quidem Judæi, certâ autem pecuniâ conductâ à Romanis vectigalia, pro libitu poſtmodum augebant, viventes ex rapinis & lacrymis pauperum; quô nomine infames apud omnes, & veluti καθάρματα & peſtes quædam, deſpicatui apud omnes habebantur.

II. *Publicani πραχθέντα, ſive actio;* Ex relatione enim Evangeliſtæ ille

1. relictô teloniô ad templum properat:
2. ardenter ad DEUM orat;
3. vitæ prioris pœnitentiâ ductus, cum DEO in gratiam redire cogitat, immò ſtudioſè totisq; viribus animi adlaborat; ubi edit geſtûs & ſigna humilitatis veræ cordisq; contriti planè infallibilia. Humilitas illius conſpicitur

Publicani humilitas. 1. *ex ſtatione;* ſtat enim procul, timidus, quaſi fugam arrepturus. Procul autem ſtetit, μακρόθεν, à longè, vel à loco invocationis, in loco peccatorum, in extima portica, quam ipſis etiam alienigenis ingredi fas erat. Putat ſe impurum, & à DEI facie abjectum. Auguſt. *Publicanus de longè ſtabat, ſed DEUS ad illum de longinquo non ſtabat; quia propè eſt Dominus his, qui contriverunt cor.* Eſa. 57, 12. Pſal. 51, 19. & 145, 18.

2. *Ex oculorum dejectione:* pudore enim conſcientiæ, & mole peccatorum preſſus, non audet attollere oculos in cœlum. Agnoſcit ergò peccata, & ſcit ſibi deberi confuſionem faciei.

3. *Ex pectoris contuſione* vel concuſſione, quâ verum ille peccatorum fontem, cor corruptum & depravatum oſtendit.

III. *Publicani λεχθέντα, ſive locutio.* Perterrefactus enim publicanus voce legis, & conſcientiâ peccatorum ſuorum, anxius eſt de impetranda DEI gratia, quam implorat profundis ſuſpiriis elegantem proferens orationem: *DEUS, eſto propitius mihi peccatori.* Habet brevis hæc oratio partes veræ & non fucatæ pœnitentiæ principales;

Publicani oratio.

1. con-

1. *contritionem & ingenuam confeſſionem:* non negat, ſed ultrò fatetur, grandem ſeſe peccatorem, & propterea jure damnandum, niſi cum DEO reconcilietur, ſimulq́; seriò dolet, de admiſſis & continuatis peccatis.

2. *Fidei declarationem*, quæ dirigitur in verum ἱλαστήριον JESUM CHRISTUM; qui ſolus eſt ἱλασμὸς & propitiatio pro totius mundi peccatis. Rom.3,25. 1.Joh.2,2. Non ergò manet in iſtis conſcientiæ terroribus, ſed adprehendit vera fide conſolationem ex verbo. Intuetur ſacrificia, Meſſiam ejusq́; officium præfigurantia. Hujus ſatisfactione innixus, veniam peccatorum à DEO petit, ejusq́; miſericordiam in CHRISTO unicè implorat.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. In publicano proponitur locus de pœnitentia, vel ſeria hominis peccatoris ad DEUM converſione, quæ tribus communiter abſolvitur partibus: **Pœnitentia ejusq́; partes.**

1. *verâ cordis contritione;* hanc enim in animo pœnitentis præcedere neceſſum eſt: Rom.3,20.&4,15.
2. *Miſericordiæ divinæ per fidem in CHRISTUM firmâ adprehenſione vel adplicatione:* Act.15,11. Pſal.2,12.&25,2.
3. *Vitæ novæ inchoatione.* Matth.3,8. Vide locos & libellos methodicos, D.Theod.pag.574.575. Thold.p.795.796.

II. Falsò numerant Papiſtæ pœnitentiæ partes, requirendo **Pœnitentiæ partes Papiſticæ.**

1. *contritionem cordis;*
2. *confeſſionem oris;* &
3. *ſatisfactionem operis.*

III. Per contritionem autem non intelligunt eam, quam in publicano deprehendimus, neq; eodem fine requirunt, ſed docent contritionem debere eſſe ſufficientem, & quòd propter eam peccata nobis remittantur.

IV. Nobis contritio eſt ſerius ac verus dolor cordis, quô agnitis ex lege DEI peccatis, iram DEI & promeritas pœnas trepidè expaveſcimus, de admiſſis dolentes. Eſa.38,13. Joel.2,13. **Contritio quid.**

V. Per confeſſionem non intelligunt eam, quâ quivis homo quotidiè DEO ſuo, transgreſſiones & peccata ſua confiteri, & per fidem in CHRISTUM remiſſionem eorum humiliter petere debet:

Pſal.32,3. Neq; eam intelligunt confeſſionem, qua in noſtris Eccleſiis vel publicæ fiunt confeſſiones peccatorum, præeunte verbis Eccleſiæ miniſtrô: vel acceſſuri ad cœnam Domini, generali præmiſsâ peccatorum confeſſione, & vitæ correctione promiſsâ, per fidem privatam petunt abſolutionem.

Confeſſio peccatorũ Papiſtica.

VI. Sed intelligunt omnium & ſingulorum delictorum, etiam arcanorum, integram eamq; adeò ſtrictam enumerationem, ut ſi confitens vel unum, vel plura peccata, quorum ſibi conſcius eſt, non enumeraverit, ſed ſilentiô texerit, eorum non poſſit conſequi abſolutionem. Qualis confeſſio neq; à DEO mandata; neq; ulli homini poſſibilis eſt. Pſal.19,3.

Satisfactiones Papiſticæ.

VII. Per ſatisfactionem demum non intelligunt Pontificii ſatisfactionem CHRISTI unicè ſufficientem; 1.Tim.2,4. 1.Joh.2,1. Sed opera quædam indebita, lege DEI non mandata, quæ in confeſſionibus ſatisfactionis locô confitenti imponuntur, vel ad redimendum purgatorii pœnas; vel ad convertendum æternam pœnam, in pœnam purgatorii temporalem. Eſa.53,5.

IIX. Proponitur etiam hoc in loco doctrina, de juſtificatione hominis peccatoris coram DEO, quam itidem ex locis Theologicis petere, privatæ cujusvis eſto diligentiæ.

IX. Omnes homines indigent hac coram DEO juſtificatione. Pſal.32,1.6.&143,2.

Juſtificatio.

X. Juſtificatio autẽ illa conſiſtit in gratuita peccatorũ remiſſione. Rom.3,25.&4,6.Ezech.33,16.Act.13,38.Luc.1,77.2.Cor.5,19.

XI. Quâ viâ ſit inſiſtendum, ſi velimus coram DEO juſtificari:

1. Non oportet te domi hærere in peccatis, ſed ad templum properare:
2. In templo oportet te audire doctrinam ſalvificam, ex Moſe, Prophetis, Apoſtolis & Evangeliſtis.

XII. Noſtram ergò infirmitatem ſponte agnoſcamus. 1.Joh. 2,1. Job.9,3. Pſal.19,15. &130,3.& 143,2. Prov.28,13. & 30,32. Eccl.5,6. Eſa.64,6. Dan.9,7.18. Jer.9,23.

XIII. Bona renatorum opera & impura ſunt, & pura, adeoq; ab illis ad hæc neganda, & viciſſim propter diverſum reſpectum non valet conſequentia. Explicat D.Finck.cent.4.can.81.

XIV. Ab argumentis negantib9 meritum & juſtitiam, ad operum bonorum prohibitionem, non valet conſequentia. Mendacium eſt ſex jugera longum, quò fingunt & ſuis falsò perſuadent auditoribus Eſauvitæ, nos prohibere bona opera. Ibid. Can.82. XV.

Digitized by Google

XV. Notentur veræ precationis requiſita; Oraturus enim Precationis requiſita.
1. Eccleſiæ ſe conjungat, extra quam nulla ſalus, nullus cultus DEO placens;
2. Non compellet ſanctos, ſed ſolum DEUM;
3. Inter orandum non reſpiciat vel contemnat proximum;
4. Corde pœnitenti ad precandum accedat;
5. peccatorum veniam ac remiſſionem humiliter à DEO petat;
6. fiduciam de miſericordia DEI & gratuita remiſſione peccatorum firmam concipiat;
7. inde domum redeat, ad operas vocationis ſuæ, quod tertiâ mox parte pleniùs edocebimur.

PARS III.

Reſtat ἐπίκρισις ſive ſententia CHRISTI deciſiva. Ea verò conſiſtit

I. in publicani juſtificatione vel abſolutione, & in Phariſæi condemnatione; ſententiam hunc in modum pronunciante CHRISTO: *Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam, magis quàm ille.* Quæ verba non ita ſunt accipienda, ac ſi Phariſæus etiam fuerit juſtificatus coram DEO; publicanus autem uberiorem & præſtantiorem juſtitiam ſit conſecutus: quia coram DEO una tantùm eſt juſtificatio: ſed phraſi Hebræâ ſolus publicanus abſolvitur juſtusque pronunciatur, Phariſæo ſub ira DEI injuſtô manente. Eſt enim Hebraiſmus, negationem ſignificans; q. d. publicanus deſcendit è templo, & in domum ſuam rediit fide juſtificatus, impetratâ peccatorum ſuorum veniâ & remiſſione gratuitâ, quam & petierat: Phariſæus ex adverſo non rediit juſtus, ſed in peccatis ſuis fuit relictus, quæ nec agnovit, nec humiliter apud DEUM deprecatus eſt; qualis itaque domô ſuâ egreſſus, talis domum eſt reverſus, immundus, pollutus, injuſtus, juſtô DEI judiciô damnatus. Quanquam enim non reprehenditur in eo, quòd vitam inculpatam coram hominibus ducere ſtuduerit, continenter vixerit, ac decimas dederit: tamen in hoc graviter impegit, quòd in miſellis iſtis ſuis operibus fiduciam juſtitiæ coram DEO aliquam collocavit, nec agnovit eorum imperfectionem, multò minùs internam cordis pravitatem, nec humiliavit ſe, nec imploravit DEI miſericordiam fiduciâ Mediatoris: ſed ſolus ſibi ſufficere viſus eſt in ſuis oculis, latô interim audacter de aliis judiciô. Hæc ſunt talia, quæ juſtè condemnant eum, & pollutum reddunt coram DEO, tetriùs quam ipſe de publicano ſentiebat. Quod ad Phariſæus quid damnârit.

Jejunium Judaico-Pharisaicū

ad jejunium Phariſæi in ſpecie, ſolebant illi, ex ordinis ſui inſtituto hebdomatim bis jejunare, videlicet, annotante Epiphaniô, *δευτέραν καὶ πέμπτην*, h.e. die ſecundô, qui nobis eſt dies Lunæ, & quintô, qui eſt Jovis, ita ut nihil caperent cibi iſtis diebus, donec Sol occubuiſſet. Hoc vocat Phariſæus bis jejunare in ſabbatho, h.e. in ſeptimana, ſeu diebus, qui ſunt intermedii, ab uno ſabbatho ad alterum. Erat autem electitius iſte cultus, quapropter à DEO non attenditur, ſed deſpicitur, præſertim quando hic Phariſæus in eo gloriatur. Sic ad dandas decimas de ſuis gregibus, deque proventu agrorum & fructibus arborum tenebantur Judæi, ex lege Num. 18, 12. & ſeqq. Sed Phariſæorum ordo addebat etiam decimationem ex oleribus, mentha, anetho, cumino & ſimilibus; Matth. 23, 23. tanquam opera ſupererogationis. Hæc itaque refert hic Phariſæus in catalogum ſuorum meritorum; ſed cum mero DEI tædio; itaque ſimpliciter repudiatur.

Decimationes Judæorum.

II. *In ſententiæ vel deciſionis comprobatione*, per Epiphonema; *Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur*; atque ideò qui in ſe confidunt, pudefient; & qui alios adſpernantur, ipſi rejicientur. Viciſſim autem ex altera parte, *omnis qui ſe humiliat*, vera ſcil. pœnitentiâ, & imploratione miſericordiæ divinæ, is *extolletur*, h.e. impetrabit gratiam & a Deo clementer reſpicietur. Verba ſunt petita ex Ezech. 21, 26. & Pſ. 75, 18. & 113, 6. Correſpondent mutuò verſus Evangelii initialis ac finalis, quorum ille ſummam rei proponit; hic eandem repetit & confirmat generali ſententiâ, quæ etiam tradita eſt Luc. 14, 11. Intermedii autem verſûs ſunt q. illuſtratio propoſitionis, ut intelligatur, quid ſit in ſe confidere, & ſeipſum extollere; & rurſus: quid ſit ſe verè humiliare. Hoc facit publicanus; in illo Phariſæus impingit. Ambo quidem accedunt templum & orant: ſed diverſimodè. Publicanus agnitâ miſeriâ implorat gratiam & miſericordiam Dei, ab ipſo petens propter Mediatorem ſive Propitiatorem remiſſionem; & hujus preces exandiuntur, quippe conſtantes apertâ confeſſione, ſeriâ & humili peccati deprecatione, fiduciâ miſerationis divinæ, per & propter Meſſiam, *μεσίτην καὶ ἱκέτην* unicum, & propoſitô emendationis; ideò dicitur deſcendiſſe in domum ſuam juſtificatus, h. e. abſolutus à peccatis, & plenâ eorundem remiſſione gratis impetratâ per fidem. Phariſæus autem auſcultatâ Legis concione, non tangitur ullâ ſolicitudine quærendæ gratiæ, nec putat ſe indigere remiſſione peccatorum; ſed hanc curam aliis relinquens ipſimet ſibi placet in ſuis virtutibus ac ſanctitate, & præ ſe publicanum ejusque ſimiles pro nihilo habet, vel,

Juſtificatus.

ut

ut notorios peccatores, & indignos, qui ſanctô jſtô locô conſpiciantur. In ſuis igitur ſpeculationibus ſubſiſtens Phariſæus, & ſuis ſeſe virtutibus & cogitationibus oblectans, admiratorem agit ſui ipſius, & nihil à DEO precatur; ideoque nihil etiam accipit; ſed in imaginaria & fictitia ſua juſtitia ſibi placens in eadem relinquitur, offensô magis per ſuperbiam animi & contemtum proximi DEO, quàm ut cultum ei gratum præſtet. Publicanus verò abſolvitur ſeu juſtus pronunciatur, propter

1. humilitatem;
2. pœnitentiæ veritatem ſive ingenuitatem; &
3. fidei ſinceritatem, quæ ex fructibus manifeſtatur; non enim redit ad telonium, ſed in domum ſuam.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Judicia DEI immane quantum diſcrepant à judiciis hominum, Eſa. 11, 2. & 55, 8. Judicia Dei

II. DEUS peccatores reſipiſcentes in gratiam recipit, Ezech. 18, 22. Matth. 11, 28. & 21, 31. Luc. 15, 2. & 19, 10.

III. Juſtificare hoc loco non ſignificat infuſionem juſtitiæ; ſed ſenſu forenſi & judiciali uſurpatur, de abſolutione à damnatione, ſeu de pronunciatione, quòd homo peccator ſit juſtus. Luc. 10, 29. & 16, 15. Prov. 17, 15. Rom. 8, 33. Vide D. Theod. pag. 577. Juſtificare quid.

IV. Definitionem & cauſas juſtificationis, quæ commodè h. l. tractari & explicari poſſunt, petè ex locis & libellis methodicis.

V. In ſacris literis res nonnunquam determinatur à termino à quo, & tamen intelligenda eſt de termino ad quem & contra. D. Finck. Centur. 2. can. 2. H. e. ut Philoſophi loquuntur, materialiter non formaliter, & viciſſim. Sic DEUS dicitur juſtificare impium, Rom. 4, 5. materialiter, non formaliter, h. e. non quod adhuc ſit impius, ſed quòd talis antè fuerit.

VI. Scriptura ſacra in deſcribendis rebus divinis, ſpiritualibus & ſalutem noſtram concernentibus, ſæpè utitur verbis & rebus humanis, politicis & forenſibus. Sic articulus noſtræ juſtificationis, quem B. Lutherus arcem ſalutis noſtræ nominat, deſcribitur judicialiter, a rebus forenſibus. D. Finck. cent. 1. can. 33. Juſtificatio deſcribitur à foro.

VII.

Digitized by Google

VII. Errant Jeſucidæ, præfractè negantes, juſtificationis vocabulum forenſem in hoc negotio habere ſignificationem.

Juſtificatio non recipit magis & minus.

IIX. Juſtificatio non recipit magis & minus; eſt enim opus DEI perfectum & abſolutum, conſtans peccatorum remiſſione, & gratuitâ perfectæ obedientiæ CHRISTI imputatione. Alia eſt ratio renovationis, quæ ſuos admittit gradûs, ſua habet incrementa. D. Finck. Centur. 2. Can. 73.

IX. Commendatur nobis ſtatus œconomicus, dum publicanus deſcendiſſe dicitur in domum ſuam. D. Theod. p. 576.

Opera non ſalvant.

X. Bona opera non juſtificant, vel ſalvant. Thold. p. 797. 798.

Operum gloriatio.

XI. Quid interſit inter Phariſæi jactantiam & gloriationem operum, aliorumq; verè-piorum, qui idem feciſſe videntur: Job. 31, 1. & ſeqq. Pſal. 26, 1. & ſeqq. 2. Reg. 20, 3. 2. Tim. 4, 17. Et reſpondetur: Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Phariſæus jactat opera ſua, (1) ex corde ſuperbo; (2) propriam inde juſtitiam ſtabiliens; (3) nullâ ad id neceſſitate compulſus. Pii (1) non ſuam, ſed Dei ſolius quærunt gloriam; (2) nullum inde quærunt meritum; ſed (3) malevolorum ſuorum importunitate coactu, ad enumerationem ſuorum operum deſcendunt, ſummè alias coram DEO humiles. Job. 9, 3. Pſal. 130, 3. & 131, 1. 2. 3. & 143, 2. 1. Cor. 4, 4. Rom. 3, 22. Hinc Gregorius: *In auribus DEI ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur.*

Juſtificationis ratio.

XII. Qui ergò juſtificari coram DEO volunt,

1. peccata ſua agnoſcant; Pſ. 130, 3. 1. Joh. 1, 8.
2. in CHRISTUM credant; &
3. fidem operibus declarent. Matth. 5, 16. 1. Johan. 2, 3. Jac. 2, 18.

Superbia vitanda.

XIII. Superbia modis omnibus eſt fugienda. Proverb. 6, 16. & 8, 13. & 11, 2. & 15, 25. & 16, 5. & 21. 4. Confer D. Theod. p. 579. 580. & Thold. pag. 799.

XIV. Humilitati maximopere ſtudendum. Prov. 11, 2. & 15, 33. & 16, 19. & 25, 6. Vide D. Theod. pag. 581. 582. & Thold. pag 800.

Humilitas vera.

XV. Loquimur autem de illa humilitate, quæ non in externo vel veſtitu, vel geſtu conſiſtit; ſed eſt interna virtus animi, quæ hominem retrahit ab omni fiducia operum, meritorum, juſtitiæ, & aliarum rerum, de quibus coram hominibus quis gloriari poſſit: & facit, ut homo humilis & inops ſe proficiat ad pedes divinæ majeſtatis, reſpiciens in ſolam miſericordiam DEI, in quam omnem ſuam ſpem ac fiduciam habet collocatam.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Error Novatianorum, ſemel lapſos in peccatum à gratia DEI planè excludentium, hoc publicani exemplô validè contunditur & falſi convincitur. Major enim eſt Dei miſericordia, quàm omnium hominum miſeria. Auguſt. Novatianiſmus.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Parabolam in præſenti Evangelio recitat Salvator noſter, eò unicè directam, ut ſuperbiam illam Phariſaicam, quæ opinione meriti juſtitiæque propriæ coram DEO turget, alios præ ſeſe altô ſuperciliô deſpiciens, quàm validiſſimè contundat & confundat. Placet autem duabus partibus ejusdem διέξοδον circumſcribere, propoſituris.

I. Parabolæ de Phariſæo & Publicano ἐξήγησιν;

II. CHRISTI de utroq; ἐπίκρισιν.

PARS I.

Quoad primam tractationis inſtitutæ partem;

I. Initiò non negligenda videtur ipſa *Salvatoris intentio*, quæ veluti occaſio ſive præfatio de fine parabolæ nos inſtruit. Voluit nimirùm illâ CHRISTUS notare vel perſtringere Phariſæos, hypocriticum illud hominum inter Judæos genus, inani operum propriorum ſtrepitu turgens. Ineſſe autem vel adhærere, dicit Evangeliſta, inviſo huic hominum generi duo vitia: Phariſæi.

1. πεποίθησιν ἐφ' ἑαυτῷ, *meriti proprii opinionem*:

2. ἐξουθένησιν τῶν ἄλλων, *ſuperciliosam aliorum deſpectionem.*

Hoc veluti præloquium Evangeliſtæ excipit

II. Ipſa ſtatim *parabolæ enarratio*, ob oculos nobis ſtatuens

1. *Phariſæum corde elatum*, cujus ſuperbia ac faſtus elucet, ex

1. fine precationis, omnibus Phariſæis communi, qui indicatur, Matth. 6, 1. πρὸς τὸ θεαθῆναι, volunt videri:

2. geſtu orantis;

3. modo orationis.

2. *Publicanum corde humiliatum.* Humilitatem effecta arguunt, uti paulò pôſt patebit. In utroque eſt & æqualitas, & inæqualitas.

Æqualitas utriusque continet *τὰ κοινὰ*, utrique communia, ubi æquales ſunt, Phariſæus & Publicanus, ratione

1. *humanæ conditionis;* uterque eſt homo, peccato obnoxius, & ob id reus iræ ac damnationis æternæ, niſi fiat reconciliatio:

2. *Intentionis:* uterque templum frequentat, eô fine, ut preces ad DEUM faciat, h. e. cultui divino vacet. Ad templum olim veniebant, ardentiùs orare qui volebant.

Inæqualitas complectitur *τὰ ἴδια*, ea, quæ ſunt cujusq; propria; ubi inæqualitas deprehenditur

Phariſæi. 1. *in externa converſatione*, vel vitæ genere: Unus eſt Phariſæus; alter Publicanus. Phariſæi ſancti habebantur, & non modò credebantur mandata DEI perfectè implere, ſed & multa indebita opera facere, quæ modernô ſtilô ſupererogationis dicuntur. Publicani. Publicani contrà cenſebantur homines impii, injuſti, avari, ſceleſti.

2. *In utriusq; precatione.* Diſſimilitudo hîc magna eſt,

1. *in geſtibus:* Phariſæus ſtat, in loco haut dubiè excelſo, unde ab omnibus potuit conſpici, id quod elati & arrogantis eſt animi indicium. Publicanus ex adverſo dejectô planè eſt animô. De illo enim commemoratur, quòd

1. procul ſteterit, in obſcuro quodam templi angulo fortasſis, veritus quodammodo DEI hominumq; conſpectum:
2. Oculos verecundè dejecerit, conſcius quippe ſibi multorum & magnorum peccatorum:
3. Pectus percuſſerit, quaſi ſibi ipſi iratus, ex animi dolore, quòd in DEUM hactenus tàm fuiſſet impius, & in ſuum proximum injuſtus atque iniquus; quæ omnia ſunt animi verè humiliati τεκμήρια.

2. *In verbis.* Oratio Phariſæi eſt ſuperba gloriatio. Duo autem jactat:

1. *quid non ſit;*

1. *in genere;* non ſum ſicut ceteri hominum: Ergò, ſicut ceteri dæmonum, addit Bernhardus.
2. *In ſpecie:* non ſum raptor, injuſtus, adulter, aut velut iſte publicanus, qui multos expilavit & defraudavit; h. e. non ſum peccator, ſed ſanctus clericus.

2. *Quid ſit;* nimirùm

1. *be-*

1. *homo ſobrius & temperans,* qui bis jejunet ſabbathô, i. e. ſingulis ſeptimanis. Non enim de uſitato ſabbatho intelligi poteſt; quia Judæi totum alioquin diem, à ſummo manè uſque ad veſperam, donec ſtellæ cõſpicerentur, jejunare ſolebant: talia jejunia duo in unum diem incidere haut potuerunt. Rectè ergò B. Lutherus: Ich faſte zwier in der Wochen: cum quo conſentit Theophylactus: *Jejuno,* inquiens, *bis in ſabbatho, h. e. bis in hebdomada. Sabbathum enim hebdomas eſt, quæ à conſummatione & quieto die nominatur. Jejunabant autem Phariſæi ſecundâ & quintâ.* Jejunium Judæorum

2. *Homo liberalis, juſtus & miniſterii amans:* decimas do omnium, quæ poſſideo, ad miniſterii puta conſervationem, & pauperum ſuſtentationem.

Oratio publicani eſt humilis deprecatio, paucis quidem verbis, ſed magnis cum ſuſpiriis facta: *DEUS, propitius eſto mihi peccatori.* Habeſ

1. *ingenuam peccatorum confeſſionem;*
2. *fidei demonſtrationem;*
3. *miſericordiæ divinæ implorationem*, gratis ſibi peccata propter CHRISTUM condonari anxiè rogantis.

Uſus I. Informatorius.

1. De defectibus vel cauſis, cur Phariſæus in ſuis operibus non fuerit ſalvatus; κατ᾽ ἀφαίρεσιν καὶ θέσιν. Non reprehenditur nec damnatur ob civiliter honeſtè & juſtè peractam vitam; ſed ob Phariſæus cur non ſalvatus.

1. *ſuperbiam;*
2. *proximi deſpicientiam;*
3. *Mediatoris carentiam & negligentiam.* Suam enim coram DEO puritatem & innocentiam jactat, quæ tamen in oculis DEI nulla erat: ad miſericordiam verò DEI non confugit; proximum denique non diligit, ſed ſuperbè contemnit, & præpoſterè condemnat.

2. De vera hominis peccatoris coram DEO juſtificatione, quæ conſiſtit, Juſtificationis modus ac ratio.

non 1. in vita honeſtate & ſanctitate præſumtuoſa;
non 2. in operum bonorum jactantia faſtuoſa;

non 3. inobedientia, Legi aliàs debitæ, *perfectione ſuperciliosa*;
Rom.3,20. Gal.2,16. Luc.17,10.

Sed 4. in peccatorum remiſſione gratioſa;

inq; 5. miſericordiæ divinæ exhibitione copioſa;

& 6. hominis per CHRISTUM reconciliatione fructuoſa, Rom. 4,24. Matth.20,28. Pſal.32,1. Eſa.1,18. Rom.10,4. Joh.6,40. Rom.4,5. Integram doctrinam pete ex locis. Confer Monr. Theſ. pag. 188.189.

Orationis impedimenta. 3. De orationis impedimentis; non exauditur precatio, ſi oranti adſit

1. inanis ſui fiducia, vel ſuperbia, tàm externa, quàm interna;

2. proximi deſpicientia;

3. fidei carentia. Nos jam pro fide DEO in oratione noſtra utplurimùm offerimus dubitationem, deſperationem ac diffidentiam; mirum itaque non eſt, preces fieri irritas. Exaudiuntur verò illæ, ſi adſit

Orationis requiſita.

1. vera animi humilitas;

2. confeſſionis ingenuitas;

3. fidei firmitas.

Cultûs divini requiſita. 4. De cultûs divini conditione; ut rectè ille peragatur, neceſſum eſt ut fiat

1. in fidei ſimplicitate;

2. in vera animi humilitate;

3. cum vitæ integritate & ſanctitate;

4. cum manuum liberalitate;

5. cum pœnitentiæ ſinceritate.

II. Conſolatorius.

1. Quòd DEUS peccatores reſipiſcentes in gratiam recipiat: in peccatis igitur ne deſperemus, ſed cum publicano ſeriò eâdem deploremus, à DEO irato ad DEUM placatum confugientes. Ita fiet, ut à peccatis noſtris abſoluti, juſti coram DEO pronunciemur. Pro.28,13. 1.Joh.1,8.9. Pſ.30,6. & 103,11. & 130,7. Eſa.43,25. Ezech.33,11. Matth.11,28. Luc.15,2. & 19,10. 2.Cor.5,21. 1.Tim.1,15.

In peccatis non deſperandum.

2. Quòd cùm hic non ſimus exempti à peccato, ſed injuſti, invidi &c. ſicut cæteri homines, in futura vita per CHRISTUM à malo etiam culpæ liberabimur.

III. Mo-

Digitized by Google

III. Monitorius.

1. Ut actâ verâ pœnitentiâ ſedulò DEUM invocemus, in vera humilitate. Monr.p.191.

2. Ut fugiamus omnem ſuperbiam, DEO quippè extremè exoſam & abominabilem. Dan.4,34. Judith.9,16. Amos.6,8. Prov. 16,5.& 21,4.& 30,14. Tob.4,14. Luc.1,51.& 16,15.1.Pet.5,5.

3. Ut ſeriò & citò, Ninivitas imitati, ad Dominum convertamur, peccata noſtra ingenuè confiteamur, & veniam eorundem à DEO quotidie petamus. Pſal.51,2. & 143,2.3. Prov. 28, 13. Monr. pag.192.

4. Ut humiliter nos ipſos agnoſcentes, & noſtrô nos metientes módulô, aliorum errata non exaggeremus. Gal.6,1. Sir.8,6. Luc. 6,37. Rom.14,4.10. Monr.p.193.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, ex hoc publicani exemplo arguentium, non in ſola peccatorum remiſſione, ſed virtutum quoq; & operum bonorum acceſſione juſtitiam noſtram eſſe collocandam, quandoquidem & publicanus non per ſolam peccatorum remiſſionem, ſed virtutum (fidei, ſpei, dilectionis) diſpoſitionem fuerit juſtificatus. Schererus pag.531. a. Dieſer Publican gehet heim in ſein Haus gerechtfertiget für jenem/denn er war demütig vnd bußfertig für jenem. Reſp. Fallit argumentum παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. Non valet conſequentia; plura in publicano concurrunt: Ergò plura juſtificant: Ergò concurrunt ut cauſa juſtificationis. Fidem ſanè habuit in gratia & miſericordia DEI, non meritis ſuis ullis radicatam; ſed fides iſta non caruit ſuis fructibus. At ſola fides, ſine adjumento aliarum virtutum adſecuta eſt juſtificationem in gratuita peccatorum remiſſione. Rom. 4, 5. Luc. 23, 33. Act.15,10. Aliud eſt loqui de cauſis juſtificationis; aliud de veræ fidei natura & conditione. Sed ſatis jam de prima tractationis noſtræ parte.

Papiſmus de juſtificatione ex virtutibus etiam.

PARS II.

Audiſtis ſuperbum accuſatorem, audiſtis humilem reum, audite nunc Judicem Dominum, inquit Auguſtinus. Is verò non ut mundus, ſed ut DEUS καρδιογνώστης, cordium ſcrutator & ſpeculator acerrimus judicat. In δικαιώσει ergò ejus notatur,

1. *Sententiæ deciſivæ pronunciatio*, quâ publicanus juſtificatur, Phariſæus cum univerſa ſua juſtitia damnatur.

2. *Confirmatio*, a γνώμη proverbiali, cujus hic eſt ſenſus: hypocritæ, qui opinione propriæ juſtitiæ coram DEO ſuperbiunt, in oculis ejus fiunt abominabiles: peccatores autem verè reſipiſcentes, & coram DEO ex animo ſeſe humiliantes, veniamq; peccatorum ſuppliciter petentes, recipiuntur in gratiam, & in cœlum collocantur. *Nam*, quæ Theophylacti verba ſunt, *immundus apud Dominum omnis ſuperbus corde. Et omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, DEO illum condemnante: qui autem ſe condemnando humiliat, exaltabitur à juſtificante. Dic igitur tu prior peccata tua, ut juſtificeris.*

Uſus I. Informatorius.

1. Quòd DEUS, licèt coram ipſo abominabiles ſint omnes ſuperbi, ſeriò tamen oderit ſuperbiam ſpiritualem. Mon.p.190.

Pœnitentiarii requiſita.

2. Quid pœnitentiariis Chriſtianis exulceratis hiſce temporibus faciendum, ut DEUM habeant ad pœnarum mitigationem propitium. Notentur ſex regulæ:

1. *Vitæ morumq; honeſtati ſtudendum:*
2. *Operibus coram DEO non eſt gloriandum:*
3. *A proximi deſpectu & contemtu abſtinendum:*
4. *Cor contritum & humiliatum DEO offerendum:*
5. *Juſtificationis modus ex verbo* (non legis, ſed Evangelii;) *addiſcendus:*

II. Conſolatorius.

1. Quòd DEUS peccatores reſipiſcentes recipiat. Vide Dom. 3. Trinit.

2. Quòd in æternum extollemur, ſi in hac vita ſub manu DEI præpotentis humiliemur.

III. Monitorius.

1. Ut poſt actam pœnitentiam peccatis priſtinis non implicemur. Nam ſecundum Auguſtinum, *inanis eſt pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa. Nihil proſunt lamenta, ſi iterentur delicta.*

Pœnitentiæ veræ exercitia.

2. Ut in exercitiis pœnitentiæ ac precum veros nos Chriſtianos exhibeamus,

1. *cultui divino ſeriò vacando:*
2. *DEUM ardenter & indeſinenter invocando:*
3. *piè & inculpatè vivendo:*
4. *pœnitentiam agendo & continuando:*
5. *officium ſedulò faciendo.*

DIS-

Digitized by Google

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Veri adoratores in Spiritu & veritate adorare debent: Nam & Pater tales quærit, qui adorant ipſum. Joh.4,23. In præſenti ergò Evangelio diſpares cùm habeamus adoratores, eam ſolummodò pertractabimus doctrinam, quæ ad verorum adoratorum naturam, conſtitutionem & conſiderationem nos deducet, audituri, *quinam ſint veri DEI adoratores, qui dignè & magno ſuo cum fructu templum frequentare, cultumq́; divinum exercere queant.* Adoratores veri qui, eorundemq́; requiſita.

Ἐξήγησις.

Duplices omninò ſunt DEI adoratores pietatisq́; cultores, veri & falſi, ſinceri & hypocritici. Nos de prioribus tantùm hac vice futuri ſumus ſoliciti. Ut ergò dignè & magno noſtro cum emolumento cultus hicce noſter inſtituatur, requiritur in illo,

I. *Fidei ſimplicitas*, ſine qua omnis fruſtrà de DEO ſuſcipitur cogitatio & oratio. Rom.14,23. Heb.11,6. Ibant & Phariſæi in templum, orantes & cultui ſacro vacantes; ſed ex opere ſaltem operato, more hypocritarum vernaculô: fiduciam interim in ſeſe operibusq́; ſuis, ſecundùm legem qualitercunq; factis, habentes repoſitam. Rom. 3,20. Gal.2,16. Cum fide ergò, quæ ſit δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη, Gal.5,6. ad cultum & orationem eſt accedendum. Jer.5,3.

II. *Animi humilitas*. Phariſæi putabant, ſe eſſe juſtos, ſeipſos juſtificantes, & ſuperbè alios adſpernantes: Luc.16,15. ideoq; erant ex numero τῶν Θεῷ μὴ ἀρεσκόντων. 1.Theſſ.2,15. Inſpice univerſam Phariſæorum juſtitiam, ne unicam quidem humilitatis veræ, quæ vel ſola DEO nos gratos & acceptos reddit, deprehendes. Conſiſtebat enim, ὡς ἔπος εἰπεῖν, juſtitia illa Phariſæorum hypocritica, Juſtitia Phariſaica.

1. *in carnali ſui confidentia;*
2. *in vana integritatis & perfectionis jactantia;* Matth.19,20. Luc. 10,29.
3. *in hypocritica ſanctimonia;*
4. *in ſpirituali cordis ſuperbia;* quæ omnia examuſſim in Phariſæo depicta nobis proponuntur. Noſtrum eſt humiliari ſub potenti DEI manu. 1.Pet.5,6. Gen.32,10. Pſal.115,1. Dan.9,18. Job.9,2. Exod. 34,7. Job.4,18. & 15,16. Prov.20,9. Gen.6,5. 1.Cor.4,7. & 15,10. Johan.15,5. Jac.2,10. Theophyl. *Oſtendit autem Dominus, & per ſtationem,*

Digitized by Google

nem, ſuperbiam ejus, & humilitatis inopiam. Humilis enim viri eſt, & adſpectu humiliari: hic autem & habitu & geſtu ſuperbus agnoſcitur. Et iterum: *Perniciosior eſt omnibus aliis ſuperbia, quæ abominatio apud DEUM eſt, cùm quis non DEO, ſed ſibi ſua bona opera tribuit: quid hoc aliud, quàm negare DEUM eſt, & ei adverſari? Hoc igitur vitium, cui Dominus ita adverſatur, ut inimicus inimico, hac parabolâ medicari Dominus promittit. Propter hoc enim, quòd confidunt in ſeipſis, & non totum DEO tribuunt, ſed alios per hoc exaniunt, hæc dicit, & oſtendit, quòd juſtitia, quamvis alioqui ſit mirabilis, & hominem DEO proximum conſtituit, cùm ſuperbiam admiſerit, hominem in locum infimum rejicit, & dæmonem reddit, qui jam ſe æqualem DEO facit.*

III. Vitæ integritas, quæ quoad externos actûs etiam in Phariſæo elucet, in quo laudem meretur aliquam. Videre hîc eſt,

1. *diligentem orationem;* Confer præced. diſp,
2. *inculpatè coram mundo vivendi rationem*, quâ in parte Chriſtanorum quàm plurimos longô poſt ſe intervallô relinquit: Oſe. 4, 2. Mich. 7, 4.
3. *victûs moderationem.* Luc. 21, 34. Rom. 13, 13.

IV. Manuum liberalitas, directa ad miniſterii potiſſimùm conſervationem. Hinc lex decimarum divinitùs inſtituta. Levit. 27, 30. Num. 18, 21. 28. Deut. 12, 6. & 14, 28. & 26, 17. Cui ordinationi Phariſæus promtô ſtudiô parens, iterum Corydones & Euclìones noſtros confundit, tùm nobiles, tùm ignobiles, qui adeò duri, avari ac tenaces ſunt in terreo hoc ſeculo effecti, ut ex ſilice faciliùs aquam, quàm ex ipſorum crumena numum exprimas. Si roges, inſtes, moneas, horteris, cum Juda illicò reſpondent: εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; ad quid perditio iſthæc. Matth. 26, 8. Deut. 12, 19. Act. 11, 29. 1. Cor. 16, 2. 2. Cor. 8, 3. Gal. 6, 6. 7. B. Lutherus ſuper Matth. c. 10. *Jure*, inquit, *divinô debetur miniſtris victus & amictus.* Auguſtinus: *Quod non vis dare Sacerdoti, dabis impio militi:* Der ſchlägt dir noch die Haut darzu voll/ vnd ſchändet dir Weib vnd Kind. Exitus eheu! acta probavit.

Pœnitentia vera. *V. Pœnitentiæ ſinceritas.* Ea monſtratur in publicano. Rem ſeriam ipſum egiſſe, patet

1. *ex ſtatione:* Eſa. 59, 2. 1. Tim. 1, 15. fugit DEUM: Gen. 3, 10. Luc. 15, 18. 19.
2. *Ex oculorum ſubmiſſione.* Pudor eſt comes pœnitentiæ: ſupra ſe, habet DEUM iratum; circa ſe, proximum defraudatum; intra ſe, vermem rodentem; infra ſe, infernum rugientem. Bernh. *Oculos non elevando ipſum cælum ad ſe inclinat.*

3. Ex

3. *Ex pectoris percuſſione:* Matth.15,19. Thr.3,41.

4. *Ex ingenua confeſſione.* En tibi ideam veræ converſionis, de qua in præced. diſp. plura.

VI. Spei firmitas; non deſperat: Gen.4,13. ſed ad DEUM propitium provocat; ſcit enim gratiam abundare ſupra delictum. Rom. 5,20. Matth.9,12.1.Tim.1,15.

VII. Vitæ novitas: Juſtus enim declaratus jam non ampliùs peccatis conſuetis inhæret, ſed meliorem vivendi rationem ingreditur. Eph. 4,28. Jer.6,8. Luc.19,8.9. Concludo orans cum Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui abundantiâ pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam, ut dimittas, quæ conſcientia metuit, & adjicias quæ oratio non præſumit; per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XII. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Marc. 8. à verſ. 31. ad finem usq;.

31. Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς
τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως.
32. Καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν, ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα.
33. Καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ἰδίαν, ἔβαλε τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ· καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ.
34. Καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐστέναξε, καὶ λέγει αὐτῷ· ἐφφαθὰ, ὅ ἐστι, διανοίχθητι.
35. Καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαὶ· καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς.

31. *ET rurſum egreſſus eſt de finibus Tyri ac Sidonis, venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis:*
32. *Et adducunt ei ſurdum, impeditaq; lingua: & deprecantur eum, ut imponat illi manum.*
33. *Et cùm adprehendiſſet eum de turba ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & ſputò emiſsô tetigit linguam ejus.*
34. *Ac ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephphata, quod eſt, aperire.*
35. *Et ſtatim apertæ ſunt ejus aures: & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, ac loquebatur rectè.*

Digitized by Google

36. Καὶ διεςείλατο αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν· ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεςέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον.

36. Ac præcepit illis, ne cui dicerent: ſed quò magis ille eis præceperat, hoc potiùs ampliùs prædicabant.

37. Καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες· Καλῶς πάντα πεποίηκε· καὶ τὺς κωφὺς ποιεῖ ἀκύειν, καὶ τὺς ἀλάλυς λαλεῖν.

37. Et ſupra modum ſtupebant, dicentes: Benè omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

DEſcribitur nobis in præſenti περικοπῇ inſigne CHRISTI miraculum, quô hominem miſerrimum, mutum ac ſurdum, novô & planè inſolitô aliàs ſibi modô, ſanavit. Pertinet itaq; ad genus cauſarum Demonſtrativum. Nos ſecundum triplices perſonas, quarum diſtincta fit mentio, in tres quoq; partes Evangelium partiemur, dicturi,

I. *de homine ægrotante;*
II. *de Medico curante;*
III. *de populo ſpectante.*

PARS I.

In deſcriptione hominis ægrotantis duo potiſſimùm expendenda veniunt: *1. circumſtantiarum conſideratio;*
2. hominis miſeri contemplatio.

I. In circumſtantiarum numero ac cenſu ſunt

1. CHRISTI *reditus*, qui ſimul tempus inſinuat, & reſpicit antecedentia. Ejectus nimirum Salvator à Gergeſenis admodum contumeliosè, in extremis Iſraelitarum finibus, mulieris Chananææ filium ſanaverat; jam verò redit ad oves perditas domûs Iſraël.

2. *Terminus à quo* revertatur; à finibus Tyri ac Sydonis, quos gentes profanæ incolebant. Tyrus autem & Sydon civitates erant maritimæ, emporia munitiſſima, florentiſſima & opulentiſſima, ad mare Syriacum in Phœnicia, regione non procul à Paleſtina ſita, ab Ocho & Alexandro funditus ob ingratitudinem & contemtum Evangelii prædicati everſæ & deletæ. Egeſipp. lib. 4. c. 11.

Tyrus & Sidon.

3. *Terminus ad quem*, vel *locus*, quò fuerit reverſus; ad mare Galilææ,

lilææ, i.e. ſtagnum Genezareth, (per Synecd. generis hyperbolicam) aliàs lacus Tiberiadis dictum, cui Capernaum adjacet.

4. *Terminus per quem*; incedebat JESUS per medios fines Decapoleos, quæ regio nomen habuit à numero urbium quas Plin. lib. 5. cap. 18. ita recenſet: Damaſcus, Opoton, Philadelphia, Raphana, Scythopolis, Goddara, Hippon, Pella, Garaſa & Canatha. Alii aliter recenſent: Chorazim, Gamala, Julia, Godaza, Aſtareth, Jabes, Mitzba, Ramoth, Edrei, Arbela; Vide Thold. p. 808. Plura apud Dn. D. Chemnitium in proleg. harm. Evang. cap. 6. m. pag. 29. 30. Urbes autem iſtæ omnes ultra Jordanem ad Orientem ſitas fuiſſe commemorant, quod tamen aliqui negant. Tantum de circumſtantiis. Decapolis.

II. Hominis ægrotantis deſcriptio duo iterum complectitur:

1. *Medium, per quod* ægrotus iſte ad CHRISTUM pervenit. Conſiſtit autem illud (1) partim in *populi commiſeratione*, qua motus CHRISTO vicinum adducit: (2) partim in ejusdem *interpellatione*, quæ illud habet vitii, quod modum ſanandi per χειροθεσίαν Medico præſcribat. Viderant enim vel forſan audierant, per manuum impoſitionem CHRISTUM nonnullos ſanâſſe. Matth. 8, 3. 14. & 9, 2. Luc. 4, 39. Joh. 6, 56. & 7, 46.

2. *Subjectum in quo* miraculum editum. Hic proponitur nobis homo miſerandæ admodum conditionis, quam duabus Evangeliſta appellationibus indicat, dicens ipſum fuiſſe

1. κωφὸν, quod mutum & ſurdum ſimul ſignificare pleriq; ex Interpretibus volunt. κωφὸς.

2. μογιλάλον, difficulter loquentem, impeditæ linguæ, in formandis dictionibus hærentem & tardum. μογιλάλος.

Incidit hic quæſtio, quam vetus movere facit verſio; an ſurdus hic planè fuerit mutus? Negant Theologorum plurimi. Etſi enim aliàs ſurdi plerunq; etiam muti eſſe ſoleant, propter mutuum conſenſum muſculorum & nervorum, auditui & loquelæ ſimul inſervientium, quorum unô vitiatô, alterum etiam lædi ſoleat: tamen non prorſus mutum fuiſſe hunc ſurdum colligitur.

1. ex ἐμφάσει vocis Græcè, μογιλάλος, à cujus ſignificatione propria recedere nihil opus eſt:

2. ex ταυτολογίας conſecutione. Quorſum enim adderetur ad τὸ κωφὸν, μογιλάλος, ſi κωφὸς mutum ac ſurdum ſignificaret? Dicimus igitur, non naturâ talem fuiſſe, ſed ab externo

Vu 2 adven-

Digitized by Google

adventitio aliquo caſu talem factum, ut prorſus non audiret, difficulter autem loqueretur.

Sabilit hanc ſententiam, præter reliquos, Theologus ille incomparabilis Dn.D. Chemnitius, cap.18. harm.Evangel. in hanc ſententiam ſcribens: κωφὸς hic ſurdum ſignificat, μογιλάλος autem eum, qui impeditæ eſt linguæ. Aliud enim eſt, eſſe ἄλαλον qui prorſus fari non poteſt, ut infantes; & aliud μογιλάλον, qui difficulter loqui poteſt: κωφοὶ autem dicuntur, quibus omninò nulla eſt vox. Apparet ergò, hunc ſurdum non planè fuiſſe mutum, ſed qui edere potuerit ſonum, illum verò admodum confuſum, ita ut non potuerit intelligi.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Diaboli potentia.

I. Potentia Diaboli in homine hoc tàm miſerabili conſpicitur, quâ, DEI permiſſu, in hominibus turpiter & horribiliter deformandis ille utitur. 1.Petr.5,8. Pſal.91,3.& 124,7. Luc.22,31. Apoc.12,12.

II. Non ergò vitia ejusmodi originem a DEO trahunt: ab initio enim non erat ſic: Gen.1,31. ſed malum hoc, ut & reliqua, auctorem habent ſatanam. Sap.2,24. Joh.8,44. Quòd verò non omnes tàm turpiter à Diabolo dèfœdantur, illud non ſatanæ acceptum ferendum; Job.1,7. ſed bonitati & omnipotentiæ Filii DEI, qui φιλανθρώπως in nos eſt affectus. Pſal.34,8.

III. Monemur etiam de ſingulari CHRISTI ſtudio, in quærendis perditis ovibus Iſrael adhibito. Vide D.Theod.pag.586.

Ira DEI adverſus urbes.

IV. De ira DEI, adverſus ingratas civitates horribili. Vide D. Theod.pag.587.

Spiritualis hominis depravatio.

V. Speculum eſt homo κωφὸς καὶ μογιλάλος ſpiritualis depravationis hominum, verbum DEI non audientium; & ſpiritualiter mutorum, non orantium, nec lingvâ ſuâ DEUM prædicantium. Eph.2,2. 2.Cor.4,4. Pſal.58,5.& 85,9. Act.7,51. Prov.12,1. 2.Tim.2,26. 1.Pet.4,7. 11. D.Theod.d.l.& pag.591.592.

VI. Malum hoc contraximus ex lapſu protoplaſtorum. Gen.4,3. Rom.6,12.

VII. Nos, qui rectè valemus, quotidie gratias agamus DEO, pro corporis & omniũ membrorum integritate. Eſa.42,5. Pſ.103,1.2.

IIX. Modus auxilii DEO non eſt præſcribendus. 2.Sam.15,26. Job.1,21. Matth.8,2.

IX.

IX. Christus potenti ſuâ manu morbos ſanat. D. Theod. p. 592.

Chriſti manus ſanat.

X. Impoſitio manuum adhibebatur olim in Eccleſia, hodieq; in quibusdam actibus ſacris adhiberi ſolet; e.g. in benedictionibus, in Baptismo; in ſacrificiis; in miraculoſis ſanationibus; in extraordinaria Spiritûs Sancti collatione; in abſolutione privata; in ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ. Vide Thold. p. 813. 814. & D. Theodor. pag. 593.

Manuum impoſitio.

XI. Bona etiam corporalia à DEO ſunt petenda. D. Theod. p. 594. Thold. pag. 814.

Bona corporalia petenda.

XII. Humanis caſibus condolere & miſeris ſuccurrere pium eſt ac laudabile Exod. 4, 11. Deuter. 27, 18. Levit. 19, 14. Matth. 18, 6. Rom. 12, 9. 15. Col. 3, 12.

XIII. Precibus noſtris proximum adducamus Christo. 1. Timot. 2, 1. Rom. 12, 13. Eph. 6, 18. Jac. 5, 20. Gen. 19, 21. Act. 27, 24.

XIV. Monemur iterum de atrocitate peccati, cujus culpâ tyrannidi ſatanæ miſeri ſumus expoſiti. Job. 33, 19. Eſa. 1, 6. Rom. 5, 12.

Peccati atrocitas.

XV. Imitatione digna eſt fides vicinorum, ſurdum ac mutum ſuum Christo adducentium. Verâ enim ſi deſtituti fuiſſent fide, nunquam Christum acceſſiſſent. Heb. 11, 6. Rom. 10, 17.

XVI. Homines calamitoſi non ad creaturas, nec ad ſanctos demortuos, ſed ad Christum ſunt ablegandi. Pſ. 121, 1. Jerem. 2, 13. Eſa. 64, 16.

XVII. Fides vera nunquam eſt ἀνενέργητος, ſed ſemper δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Gal. 5, 6. Rom. 12, 15.

Fides operatur.

XIIX. De fide aliena, quousque & quantum illa proſit, nimirùm ut fidem proximo propriam impetret. Hab. 2, 4.

Fides aliena.

XIX. Errant Pontificii, alienâ fide ad ſalutem quempiam poſſe adduci ſomniantes.

XX. Incidit hîc quæſtio, de ſurdorum ac mutorum ſalute. Etſi enim illi diſciplinæ capaces non ſint, quandoquidem de fide & ſalute ſua doceri haut poſſunt: de illorum tamen ſalute intra gremium Eccleſiæ dubitandum non eſt. Vide D. Meelfûhr. in Vindic. Evang. theſ. 43. & ſeqq.

Surdorum ac mutorum ſalus.

XXI. Quid tempore graſſantium morborum epidemicorum ægris & ſanis agendum:

Morborũ epidemicorum tẽpore quid agendum.

1. De potentia DEI & ira diaboli multùm ſæpeq; cogitandum:

2. Ad fontem & originem morborum (peſtis) *recurrendum:*

 3. An-

3. Auxilium quidem quærendum; ſed non apud ſanctos demortuos; multò minùs apud magos: *diaboli beneficia ſunt veneficia*: Auguſt. ſed apud CHRISTUM ſolum:

4. Modus auxilii non eſt præſcribendus:

5. Aliis, ægris maximè & adflictis condolendum ac ſuccurrendum.

PARS II.

Ægrotum monſtravit Marcus; jam Medicum ei opponit, veriùs adponit, qui eſt JESUS CHRISTUS Θεάνθρωπος, miraculosè curans periculosè laborantem. In cura, quæ eſt h.l. ſingularis, notetur,

1. Benigna hominis miſeri ſusceptio. Quod enim Joh.6,37. promiſerat: Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras; illud hoc in loco reipsâ comprobat. Adductum enim ægrotum non morosè rejicit vel abigit, ſed promptiſſimè ſuſcipit.

2. Miranda hominis miſeri curatio, cujus forma conſiſtit in modo, ritibus ac ceremoniis, a CHRISTO præter morem adhibitis; quæ non ſunt inanes geſticulationes, ſed ſeriæ actiones, eò unicè directæ, ut accuratiùs eas conſiderantes ponderemus, quæ & quanta ſit humanæ naturæ depravatio, omnibus creaturis ἀνίατος, niſi ipſe DEI Filius auxiliatricem ſeu medicam manum adhibeat. Huc ſpectat

Ceremoniæ Chriſti

1. *hominis à populo ſegregatio*. ducit enim illum κατ' ἰδίαν, ſeorſim ex reliqua turba collocando, ut è regione reliquorum ſolus cum ægro ſtaret, ſicque reliquis omnibus in conſpectu eſſet: idque ideò feciſſe putatur, (1) vel ut miraculum eò eſſet illuſtrius; (2) vel ut eò commodiùs cum eo agere poſſet, nec à circumſtantibus impediretur; (3) vel ut ſegregationem à mundo & peccato ſpiritualem filiis lucis oſtenderet; (4) vel ut auram popularem ſe nullatenus captare ſignificaret.

2. *Digitorum in auriculas ejus immiſſio*, quô ipsô ſe per membra corporis ſui efficacem eſſe demonſtrat.

3. *Sputi emiſſio*; Evangelii prædicatione corda hominum purificari innuens.

4. *Linguæ contrectatio*, ſive quòd ſputô in digitis acceptô aures & linguam tetigerit; ſive quòd lutum ex ſputo faciens illa membra eô inunxerit. Joh.9,6.

5. *Oculorum in cœlum ſublevatio*; partim ut primæ creationis Patrem ſuum commoneret; partim ut auxilium hominis cœli-

litùs deferri oſtenderet; Pſal. 121, 1. 2. partim ut à terra ad cœlum nos abſtraheret. Col. 3, 2. Phil. 3, 21.

6. *Alta ſuſpiratio.* Ingemiſcit autem, tùm ob horrendam ſuæ creaturæ depravationem; tùm ob calamitatum noſtrarum commiſerationem.

7. *Verbi efficaciſſimi pronunciatio.* Addit Imperativum Syriacum, Ephata, qui ſonat Διανοίχθητι, aperire, quô unicô verbô ipſum reſtituit in integrum. Sequitur enim

3. *Repentina effectûs conſecutio,* qui adnotatur triplex:

1. *aurium reſignatio*; quia ſtatim apertæ ſunt aures ejus, ἀκοὴ eſt auditus, pro auribus, h. e. facultas audiendi ipſi fuit reſtituta.

2. *Linguæ ſolutio,* fuerat enim μογιλάλος; per metaphoram vinculum linguæ dicitur ſolutum.

3. *Recta locutio*; Loquebatur rectè h. e. expeditè, perfectè; notatur verus linguæ uſus.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Miraculum hocce teſtatur de perſona & officio CHRISTI. Eſa. 35, 5. 6. Matth. 11, 5. Joh. 10, 38. Act. 10, 38.

II. De ſumma CHRISTI φιλανθρωπία, inque juvandis calamitoſis, ad ſeſe adcurrentibus, προθυμία. Pſal. 34, 6. Matth. 11, 28. Joh. 6, 77. Heb. 4, 15. 16. Rom. 10, 12. D. Theod. p. 595. Φιλανθρωπία Chriſti.

III. CHRISTUS ſæpenumerò plura dat, quam petimus. Vicini petebant manuum ſolummodò impoſitionem; CHRISTUS planè ſanat. Ita, ſecundum Taulerum, ſemper promtior eſt ad dandum, quàm nos ad accipiendum.

IV. CHRISTUS non eſt ψιλὸς ἄνθρωπος, ſed verè θεάνθρωπος, DEUS & HOMO, in unitate Perſonæ. D. Theod. p. 596. Θεάνθρωπος Chriſtus

V. Perſona enim Meſſiæ duabus conſtare debebat naturis. Divinitatem oſtendit, unicô verbô ſanando; humanitatem demonſtrat, partes corporis diſtinctas adhibendo; quæ non fuerunt ὄργανα ἄεργα, ſed per ea efficaciter eſt operatus. Caro enim ejus fuit vivifica. Joh. 6, 54. 55. 56. Joh. 1, 4. 14. Caro Chriſti vivifica.

VI. Officium CHRISTI conſiſtit in deſtructione operum diaboli. Gen. 3, 15. 1. Joh. 3, 8. Luc. 11, 22. Col. 2, 15. Officium Chriſti.

VII.

Digitized by Google

Miracula Chriſti ſalutaria.

VII. Miracula Christi cum doctrina ejus conveniunt; omnia enim fuêre ſalutaria. Matth. 18, 11. Luc. 9, 56. Act. 10, 38.

IIX. Maxima DEI opera rationi videntur abſurda. Eſa. 55, 8. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 10, 4. Matth. 16, 17.

Ceremoniæ Chriſti.

IX. Cur ceremonias certas in ſanando hoc ægro Salvator Chriſtus adhibuerit, explicat D. Theod. pag. 596. 597.

Gemitus Chriſti.

X. Gemitus Christi præ ceteris non eſt negligendus. Ingemiſcit enim ille

1. propter peccati atrocitatem; Pſ. 90, 9. Rom. 5, 12.

2. propter tyrannicam diaboli poteſtatem;

3 propter mundi ingrati malignitatem;

4. propter mortis operisq; ἀπολυτρώσεως *gravitatem*;

5. propter officii ſui dignitatem, quod in intercedendo & interpellendo eſt poſitum. Rom. 8, 34. Luc. 23, 34.

Oculorum elevationes.

XI. Pii quoq; in Scriptura ſacra ſæpiſſimè oculos ad cœlos elevâſſe leguntur. D. Finck. cent. 3. can. 67.

Magicæ benedictiones.

XII. Ex ceremoniis & geſtibus Christi ſuperſtitioſæ ac magicæ benedictiones, verba & characteres, in debellendis morbis à veneficis adhiberi ſoliti, nullô modô ſtabiliuntur. D. Theod. p. 599.

Reliquiæ Papiſticæ.

XIII. Sed neque inde miraculoſa reliquiarum virtus, de qua Pontificii blaterant, probari poteſt. Non enim valet conſequentia, à Christi digito, tactu, ſaliva &c. ad aliorum hominum, etiam ſanctiſſimorum, reliquias.

Papiſtarum in Baptiſmo ceremoniæ.

XIV. Κακοζηλίαν ſtultam reſipit, quòd iidem Pontificii à Christo adhibitas, in Baptiſmo adſumunt, baptizandi aures atque nares ſputó contingentes, dicenteſque Ephphata. Sed nullum habemus imitationis vel præceptum, vel exemplum; meritò itaque à nobis ejusmodi ceremoniæ omittuntur. Quid eſt colare culicem, & camelum deglutire, Matth. 23, 24. ſi hoc non eſt? Quæ Christus in uſu Sacramentorum minimè præcepit, ea facere volunt; quæ verò præcepit, (bibite ex hoc calice omnes) ea ſecurè negligunt. Confer D. Theod. pag. 597.

XV. De allegorica ceremoniarum adhibitarum interpretatione, vide Thold. p. 816. 817.

Media ſalutis ad nos delatæ.

XVI. Demum, ut paucis multa complectamur, voluit Salvator ceremoniarum dictarum uſurpatione oſtendere modum, quô vita & ſalus æterna ad nos perveniant, nimirùm ſanat Christus,

1. à

1. a via mundi & peccatorum nos abducendo; Pſ.1, 1.2. Jac.1, 27. Rom.12,2. 2. Joh,2,15. Act.2,40. 2.Cor.6,14.Eph.5,14.

2. linguam per Spiritum Sanctum ſolvendo; Luc.11,20. & 7, 30. 1.Cor.12, 3.

3. Rore donorum (quaſi ſputô quodam ſacrô) *nos irrigando* Saliva de capite in os defluit: ita omnia nobis obtingunt a Domino. Joh.1,16. & 15,5. Pſ.133,4.

4. Auxilium deſuper impetrando: Pſ.121,1.2.Joh.3, 27.

5. Per verbum efficaciter operando: Marc.16, 20. Romanor.1,16. hodieque loquitur, hodieque ſonat Ephphata illud

1. in Evangelii prædicatione; Eſa.61,1.2.3.

2. in abſolutione;

3. in pœnitentiæ concione; omnia hæc agit mediante miniſteriô.

PARS III.

In ſpectatoribus miraculi, factum hoc CHRISTI plenô ore deprædicantibus ac collaudantibus, occurrit

I. CHRISTI inhibitio, qua vetat evulgari miraculum. Verbum διαστέλλεσθαι, ait D. Chemnitius, non ſignificat propriè prohibere, ſed certis mandatis aliquem informare. Cauſas prohibitionis habuit multas, quas in compendium redegit D.Meelf. in Vindic. Evang. his verbis: διαστέλλεσθαι. Prohibitionis Chriſti cauſæ.

1. ad intercipiendam ſuſpicionem ambitionis;

2. ad eludendam calumniam Judæorum, quaſi perfectam ſibi adhærentium ſeditionem vel regnum adſectaret;

3. quia ſeorſim fecerat, nolebat decantari publicè, ne publica miracula per hujusmodi narrationem paucorum ſuſpecta fierent, aut cavillis objicerentur;

4. non omnes ubique locorum digni erant, quibus miracula Domini innoteſcerent; h.e. ne margaritæ porcis objicerentur.

5. Interdum prohibuit, ut paululum latere & quieſcere poſſet, liber ab incurſu turbæ:

6. propter inſidias ſibi ſtructas, noluit hoſtes ante tempus paſſionis vehementiùs exacerbare:

7. noluit occaſionem præbere, ne deſideriô corporalium beneficiorum eligeretur in Regem mundanum:

8. fortè etiam propter ſtuporem, non ſatis apti ebuccinatores viſi ſunt:

Digitized by Google

9. inprimis autem plenam deprædicationem miraculorum & majeſtatis ſuæ, poſt reſurrectionem ſuam differri voluit. Matth. 17, 9.

Dn. D. Chemnitius ita de hac re: Plerique de ipſius miraculis inconſideratè ſunt locuti, tanquam de novitatibus, quæ certis perſonis acciderint, ex quibus tamen ad alios nulla redundet utilitas. Quia verò hic non erat verus miraculorum ejus uſus: ideò vult ſe talem Meſſiam agnoſci, qui non tantùm mutos, ſurdos, cœcosque ſanet, ſed qui Servator totius humani generis eſſe velit.

II. Miraculi evulgatio ſeu prædicatio, facta contra edictum vel prohibitionem Domini, cui parére omninò debebant: quô factô veram *ἀνομίαν* & transgreſſionem præcepti, h. e. peccatum commiſerunt, contrarium faciendo: quamvis non pro ſcelere malitioſo, ſed pro lapſu ex infirmitate admiſſo, habendum ſtatuamus: id quod contra Pontificios, peccatum à Decapolitanis hiſce commiſſum non modô fortiter negantes, ſed virtutem inſuper inſigniter meritoriam inde elicientes, probè notandum.

III. Populi obſtupefactio, ob rem novam & inſolitam, immò planè divinam, cujus inſolentia & majeſtate redduntur attoniti, unde in corde oritur *θαυμασμὸς*, vel potiùs *ἔκπληξις*; nam *ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο*, ſupra modum, ſuprà quàm dici poteſt, ſtupebant.

IV. Publica glorificatio, quâ celebrat populus

1. *in genere*, omnia opera DEI.
2. *in ſpecie*, hanc DEI bonitatem, quòd talem plebi ſuæ dederit Salvatorem, qui faciat ſurdos audire, & mutos loqui, unde de totali humani generis reſtitutione ſpem bonam concipiunt.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Modeſtia Chriſti. I. Modeſtiæ exemplum nobis præbuit Salvator, ne vel auram popularem captemus; vel gloriam noſtram quæramus. Joh. 5, 33. & 8, 14. Pſ. 115, 1. Matth. 11, 29. Rom. 12, 16. 20. Phil. 2, 3. 4. Gen. 23, 9. Act. 11, 18. & 15. 12. 1. Cor. 7, 25. 2. Cor. 12, 2. 1. Theſſ. 4, 1. Tit. 1, 5.

Ambitio. II. De ambitione fugienda. D. Theod. pag. 599. Thold. p. 818.

III. DEI beneficia amplianda & celebranda ſunt. Tob. 12, 7. Eph. 5, 20. Pſ. 19, 1 & 32, 9 & 33, 5 & 104, 24 & 111, 2 Sir. 43, 33 & 47, 9. 10.

IV.

IV. Teſtimonium habemus in populi δοξολογίᾳ Divinitatis CHRISTI: ſolus enim DEUS omnia benè fecit, Geneſ. 1, 31. Job 4, 18. Sir. 43, 32 ſeqq. Chriſti Divinitas.

V. Concidit hoc locô Papiſtarum de bona intentione, extra & contra verbum DEI aliquid agendi, commentum. Nam & hi Decapolitani bonà quidem intentione bonoque ſtudiò miraculum evulgârunt, & tamen peccatum commiſerunt, contra expreſſum Domini mandatum illud facientes, Deut. 4, 2 & 12, 8. 32. Matth. 15, 9 Joh. 2, 5 & 16, 2. 1 Sam. 15, 21. 22 Intentio Papiſtarum bona.

VI Quæcunque DEUS facit, gratâ mente agnoſcamus, etiam ea, quæ carni non arrident, Job 1, 21. Pſal. 103, 1 & 104, 24. 33. & 139, 27

VII Honor fugientes ſequitur. D. Theod. pag. 600

IIX Diabolus omnia malè fecit, hodieque facit, Diabolus omnia malè facit.

1. *externè*, variis morbis & ægritudinibus hominem, Dei permiſſu, conſtringendo, Luc. 13, 16 Marc. 3, 10

2. *Internè*, oculos mentis excœcando, & aures, ne audiant, obturando, Eſa. 6, 9. Pſal. 58, 5 Act. 28, 27 2. Tim. 4, 3 lingvam corrumpendo, Pſ. 57, 5 Jer. 9, 8 Jac. 3, 6. Rom. 3, 13. intellectum & voluntatem avertendo, 1 Cor. 2, 14 Rom. 7, 19 & 8, 7 Gen. 8, 21

3. *Æternè*, niſi fiat liberatio.

IX In omnibus actionibus, operibus, inſtitutionibus, juſſionibus, prohibitionibus DEI, ſemper videndum eſt ad auctoritatem mandantis. D. Finck. Centur. 3. can. 28.

X. Filius DEI omnia benè fecit in hominibus, hodieq; facit Chriſtus omnia benè fecit.

1. *gratiâ ſuâ nos præveniendo*; Eſa. 43, 22 Joh. 15, 16

2. *ad ſalutem nos eligendo*; Eph. 1, 4 2 Theſſ. 2, 13 2 Tim. 1, 9

3. *blandis verbis nos invitando*, mediatè; Matth. 11, 28

4. *benignè ad ſe venientes ſuſcipiendo*; Joh. 6, 37 & 12, 32

5. *bonum opus, in nobis inchoatum, perficiendo*; Phil. 1, 6

6. *ex turba malorum in Eccleſiam nos congregando*; Gen. 12, 1 & 19, 12 Eſa. 52, 11 2 Cor. 6, 17

7. *per Verbum & Sacramenta nobiscum agendo*; Eſa. 50, 4 Ezech. 29, 1 Eph. 6, 19. Pſ. 51, 17

8. *mortuos vita in noviſſimo die reſtituendo*; Eſa. 25, 7 Mich. 2, 13 Johan. 5, 28

XI. Extremè blaſphemum eſt, dicere DEUM quocunque mo-

Deus non eſt auctor peccati. do eſſe auctorem & cauſam peccati; id quod Calvinianos factitaſſe orbi Chriſtiano pridem innotuit, quicquid illi in tam abſurdi dogmatis excuſationem prætendant: ita tamen eos docere tàm diu verum eſt, quàm diu has & ſimiles propoſitiones non abrogant, ſed defenſant: DEUM voluiſſe peccatum Adæ: DEUM arcanô nutu ad peccandum impuliſſe Adamum: Deum homines quosdam non tantùm ad damnationem, ſed & ad cauſas damnationis ordinaſſe & creaſſe: DEUM majorem hominum partem ad interitum creâſſe & prædeſtinâſſe: CHRISTUM non pro omnibus hominibus mortuum eſſe; nec velle ut omnes per verbum convertantur & ſalventur.

Providentia triplex. XII. Huc faciunt Canones Theologici: Providentia DEI in Scriptura ſacra triplex eſt: 1 ſecundum omnium rerum & creaturarũ gubernationem; 2 ſecundum beneplacitum; 3 permiſſionem. Habet D.Finck. Cent.3.can.41. Item: A ſuſtentatione naturæ peccantis, ad peccati cauſam, non valet conſequentia. Cent.4. can.89.

XIII. Quia DEUS omnia benè fecit, efficaciſſima inde ad pios reſultat in ærumnis conſolatio, ipſum hodieque omnia, etiam adverſa, benè facturum, Rom.8.28. Job.2,10. Pſal.37,5.& 55,23.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Præſentis Evangelii διήγησιν duabus partibus expeditam dabimus, contemplaturi

I. divinum CHRISTI miraculum;

II. miraculi perpetrati effectum.

PARS I.

Quoad primam partem deſcribitur in ea egregium miraculum, de ſanato ſurdo pariter & muto, cujus reſtituti hiſtoriam ſolus Marcus commemorat. Perpende quæſò in miraculi deſcriptione,

I. *Ægri calamitatem.* Reverſus enim Salvator tertiô miniſterii ſui annô, ex finibus Tyri & Sidonis, per longum iter, in regionem Decapolitanam, (non enim diu morabatur in locis gentilium, ſed ſtatim tranſiit, ne daret occaſionem Judæis dicendi, quòd prævaricaretur Legem, gentilibus ſe miſcens, quæ Theophylacti ſunt verba) obvium ſibi habuit hominem multis modis miſerum ac calamitoſum. Fuit is

1. Surdus, atq; ita ad negotia civilia, quin & ad ſalutem, quoad externum organum, inhabilis, Rom.10,17

2. Mu-

2. *Mutus*, μογιλάλος, quaſi *μόγις*, vix, ægrè *λαλῶν*, loquens: edidit haud dubiè ſonum inconditum, boatui vel mugitui magis, quàm articulatæ hominis loquelæ, ſimilem; proferens *δυσνοητὰ*, **hat gelallet / das niemand verſtehen können.** Pagninus reddidit, difficulter loquens.

3. ***Claudus***, quod ex eo quidam colligunt, quòd textus habeat, ***Φέρουσιν αὐτῷ κωφόν.***

4. ***Stupidus*** & ſtolidus: Græcum enim ***κωφὸν*** etiam hoc innuere videtur.

II. ***Vicinorum caritatem***, quam illi declarant

1. ***ægrum*** **CHRISTO** ***adducendo;***

2. ***humiliter pro ipſo intercedendo.*** Debemus enim hunc caritatis adfectum iis, qui præ aliis calamitatibus obruti ope noſtrâ indigent.

III. **CHRISTI** ***fidelitatem*** ſeu benignitatem, quam manifeſtavit in ſingulari ægri hujus curatione. Obſervationem hic vel maximè merentur

1. ***Facta*** vel opera ejus. Nam

1. ægrum ſibi adductum promtiſſimè ſuſcipit; modeſtiæ conſulturus, ne videatur auram popularem captare, vel coram populo ſe oſtentare.

2. A turba eundem paululum abducit:

3. Digitos in auriculas ejus immittit: digito enim DEI omnia ſunt pervia.

4. Sputô emiſsô linguam illius tangit. Voluit enim nonnunquam membris ſuis ad facienda miracula uti, ut Divinitatem ſuam per carnem ſuam operari, & virtutem exſerere demonſtraret.

2. ***Geſtus***, quorum nomine duo innuuntur;

1. Primò enim oculos in cœlum attollit, *vel* rogaturus Patrem, pro hominis tam miſeri liberatione; *vel* potentiam ſanandi à Patre ſeſe habere ſignificaturus; *vel* deniq; ab illo omnem opem & omne auxilium petendum & exſpectandum eſſe, moniturus.

2. Deinde ingemiſcit, non quòd ei aliquid a Patre impetrandum gemitu opus eſſet: (unà enim cum Patre petentibus cuncta donat:) Sed ut (1) ſuam ſuper humani generis calamitatibus ***συμπάθειαν*** declararet; & (2) exemplum nobis relinqueret, quod imitaremur, cœleſte auxilium vel nobis, vel aliis imploraturi.

3. ***Verbum*** operibus & geſtibus immediatè cohærens. Divinam enim ſuam poteſtatem manifeſtam facturus, idiomate inter Judæos

cum uſitatô, nempè Syriacô vel Chaldaicô ait: אֶפַּתַּח pro הִתְפַּתַּח aperire, vel adaperitor; eſt vox paſſiva, non activa, à radice פָּתַח aperuit: & unicô hoc verbulô triplex ſubitò edidit miraculum:

1. aures aperiuntur;
2. lingua ſolvitur; hinc
3. mutus rectè (h. e. prudenter, articulatè, piè & ſalutariter) loquitur; atq; hæc omnia facta ſunt εὐθέως, ſtatim, unde miraculo ſua h. e. divina conſtat auctoritas.

Uſus I. Informatorius.

Miſeria hominis. I. De ſumma hominis miſeria, in quam ille propter peccatum incidit. Factum eſt inde, ut ſatan crudeliſſimè in univerſum hominum genus graſſari cœperit. Unde Theophyl. hoc locô ait: *erat morbus ille à dæmone. Etſi verò non omnes corporaliter lædat, vel lædere poſſit; tamen & eorum longè miſerrima eſt conditio, qui ad audiendum verbum DEI ſurdas aures, & ad cæleſtis veritatis laudisq; divinæ prædicationem os mutum habent.* Teſtimonia, quæ huc accommodari ex ſacris poſſunt, pete ex præced. diſp. Hæc autem omnia, quæ diximus, ſæpiùs conſiderare par eſt tàm ſanos, quàm ægros. Sanos, ut

Sanis quid cogitandum.

1. furoris ejusmodi ſatanici exempla contuentes, fructûs pomi vetiti agnoſcant:
2. Clementiam Dei, ſibi ex gratuita bonitate parcentis attendant & ſuſpiciant. Nunquam deeſt ſatanæ animus nocendi hominibus: Job. 1, 7. Luc. 22, 31. 1. Pet. 5, 8. Sed miſericordiæ Domini, quòd non conſumti ſumus. Thr. 3, 22.
3. DEUM verè timere, peccatum omni conatu fugere atq; cavere diſcant. Sir. 21, 1. 2.
4. Aliorum caſtigationes ſuas comminationes exiſtiment. Luc. 23, 31. 1. Pet. 4, 18. Jer. 25, 29. Luc. 13, 4.
5. Afflictis non inſultent, ſed iisdem ex animo condoleant, pro virili opem ferentes: Levit. 19, 14. Rom. 12, 3. Col. 3, 12.
6. Sanitatis rationem vel maximè habeant:
7. Seipſos curis, crapulâ, ebrietate, ſcortatione &c. non conficiant: Pſal. 39, 8. Luc. 21, 34. Sir. 31, 1. 22. Prov. 23, 28. & 24, 8. Sed
8. Temperantiæ ſtudeant, quæ optima eſt ſanitatis nutricula; & deniq;

9. pro

Digitized by Google

9. pro corporis εὐεξίᾳ DEUM quotidie orent: quia
Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Lutherus in Poſtil. domeſt. **Dafür ſoll es ein jeder Menſch halten / ſo er geſunde Augen / Ohren / Hände / Füſſe / vnd andere Gliedmas hat / daß es nicht ein natürlich / ohngefehrlich Gewächs ſey / wie es die Welt anſihet / ſondern es ſind lauter Gaben Gottes. Weil aber die Welt ſolches nicht gläubet / ſondern / dieweil es ſo gemein iſt / für ein natürlich ſchlecht Ding helt / derhalben muß Gott zuweilen ſolches geſchehen laſſen / daß der Teuffel da einen ſtum vnd taub / dort einen blind machet / oder wol gar tödtet / auff daß iederman lerne / Gott habe es dem Teuffel erleubet / vnd deſto fleiſſiger Gott dafür dancke / daß Er vns ſo gnädig für ſolchem Vnraht bewahret.**

Ægros idem ſecum conſiderare æquum eſt, ut illi — *Ægris quid cogitandum.*

1. DEUM reſpiciant; Pſal. 68, 20. Joh. 15, 16. Sir. 38, 15.
2. de cauſis morborum cogitationem inſtituant; Johan. 15, 16. Sir. 38, 15.
3. de gratia DEI non deſperent; Rom. 8, 28. Joh. 9, 3.
4. in patientia animam ſuam poſſideant; Luc. 21, 19. Mich. 7, 9.
5. ad meliorem vitam, in qua omnia plenè reſtituentur, piô deſideriô anhelent. Act. 3, 21. Phil. 3, 21.

II. Quod Protoplaſtorum inobedientia fuerit grandis & horrendus lapſus. D. Monr. theſ. pag. 197. 198.

III. Quòd JESUS Nazarenus ſit verus Meſſias. Ib. p. 198. 199.

II. Conſolatorius.

Quòd efficaciſſima fluat conſolatio

1. *ex CHRISTI officio*, qui venit deſtruere opera ſatanæ. 1. Johan. 3, 8.
2. *ex promto & mirabili ejus auxilio.* Ceremoniæ enim, in ſanatione adhibitæ, docent, quibus mediis animarum noſtrarum ſalutem hodieq; procurare velit; miniſteriô nimirùm verbi & Sacramentorum; quæ media ſi quis adſpernatus fuerit, mirum non eſt, in poteſtate ſatanæ illum manere. Vide de accommodatione concionem ſuper hoc Evangelium ſeorſim à me editam.
3. *Ex cordis CHRISTI ſcrutinio*, quòd intimô amore complectatur ſeverè non rarò abs ſe caſtigatos. Monr. p. 199. 200.

III. Mo-

Digitized by Google

III. Monitorius.

1. Ut Dominici gemitûs indiciô, ſcelerum noſtrorum gravitatem agnoſcamus. Monrad pag. 200. 201.

2. Ut à turbulentis mundi hujus curis ac negotiis, non corpore, ſed animô receſſione factâ, τὰ ἀνώτερα quæramus. Ib. 202.

3. Ut precibus noſtris pro hominibus calamitoſis apud DEUM intercedamus: deprecationes enim iſtæ fructu ſuô non carent. Jac. 5, 14. 16. Gen. 18. 23. & ſeqq. & 20, 7. & 25, 21. Exod. 32, 11. Num. 12, 13. & 14, 19. & 16, 22. & 21, 7. & 27, 16. 1. Sam. 7, 9. 1. Reg. 13, 6. 2. Paral. 30, 20. Pſal. 28, 9. Amos. 7, 3. Hab. 4, 1. Jer. 7, 16. & 11, 14. & 42, 3. Ezech. 22, 30. Luc. 7, 4. 1. Tim. 2, 1.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de Ceremoniis Baptiſmi.

Pontificiorum, à ceremoniis CHRISTI ponderoſis, ad ceremonias ſuas ſuperſtitioſas, eas præſertim, quas adminiſtrationi Baptiſmi intermiſcent, argumentantium. Schererus pag. 537. b. ita: Derwegen die Catholiſche Kirch nicht unrecht daran thut/ daß ſie bey der heiligen Tauff dergleichen Ceremonien anſtellet/ & quæ ibi prolixa ſerie ſequuntur. Refutat prolixè hoc argumentum D. Meelführ. in vindic. theſ. 86. & ſeqq. eò Lectorem remitto. A CHRISTO ad Papam nulla ſequela valet: à regno CHRISTI ad regnum Papæ, quod eſt regnum ceremoniarum nihil concluditur: Sic à ceremoniis piis, honeſtis & utilibus, ad ceremonias tales, quales Papiſtæ probant & Eccleſiæ vi obtrudunt, vitioſè colligitur. Novimus ceremoniarum multitudinem inter gravamina oneroſa, etiam ante Lutherum eſſe relatam.

PARS II.

Audivimus miraculum, audite ejusdem effectum: Effectus autem ratione objectorum conſideratur,

1. *in muto & ſurdo*, ubi eſt omnium membrorum, aurium cumprimis & linguæ in integrum reſtitutio & ſanitas:
2. *in populo* ſpectante, ingens hilaritas, quam produnt
   1. *miraculum deprædicando:* CHRISTUS quidem prohibet, at illi continere ſeſe nequeunt; quò magis prohibet, eò magis prædicant:
   2. *ſupra modum admirando:*
   3. *hymnum εὐχαριστικὸν ipſi adcinendo:* cujus *propoſitio;* benè omnia fecit: *ratio,* quia ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Uſus

Uſus I. Informatorius.

1. De beneficiis DEI pleno ore celebrandis. Vide præced. diſpoſ. & concionem ſeorſim editam.

2. Quales nos erga CHRISTUM & proximum gerere debeamus, ut DEUS omnia nobiscum benè facere pergat. Finem & ſcopum hunc adſequemur.

1. Chriſtum ad fines noſtros accedentem promtè & benignè ſuſcipiendo.
2. Caſtigationem paternam ferendo:
3. Miſeriam noſtram conſiderando:
4. Proximi neceſſitatibus ſubveniendo:
5. Precibus inſtando:
6. A malis nos ſegregando:
7. Ad cœlum reſpiciendo:
8. Ob peccata ingemiſcendo:
9. Aures verbo patulas præbendo:
10. DEUM glorificando.

II. Monitorius.

1. Ut lingvâ noſtrâ rectè utamur, & rectè loquamur; non ſtulta, virulenta, blaſphema, turpia; ſed pia, honeſta & ſalutaria. Lingvæ uſus rectus. Utamur in ſpecie lingvâ *1. ad precationem;*
2. ad proximi ædificationem;
3. ad peccati confeſſionem;
4. ad DEI glorificationem.

2. Ut intra limites vocationis noſtræ nos contineamus.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Salvator noſter JESUS CHRISTUS in præſenti Evangelio celebratur, quod omnia benè fecerit. Hic ſcopus eſt omnium miraculorum, immò, univerſi officii ejus. Audiamus igitur hac vice, *præcipuorum beneficiorum enumerationem, quibus quondam omnia benè fecit, hodieq́ omnia benè faciat, & quid noſtri ex adverſo ſit officii.* Chriſtus omnia benè fecit & quomodo.

Ἐξήγησις.

Nolumus jam ingredi campum beneficiorum CHRISTI ampliſſimum, qui in Symbolo nobis Apoſtolico apertus monſtratur; ubi omnia DEus benè fecit *1. in rerum omnium creatione;*

2. in lapſi hominis reparatione;
3. in ejusdem ſanctificatione:

continebimus nos intra cancellos textus Evangelici, qui præcipua nobis monſtrat εὐεργετήματα, quibus CHRISTUS omnia benè fecit. Horum autem eſt primum

Viſitatio DEI.

I. *Benigna viſitatio.* Quemadmodum enim quondam in diebus carnis ſuæ, ad fines Tyri & Sidonis egreſſus, gentiles quoq; viſitare & ſalutare cœpit: Conſimilem in modum, nos qui ex gentibus originem traximus, benignè viſitavit, hodièq; per Evangelii ſui prædicationem viſitat. Luc. 1,78. Eſa. 49,6. Rom. 3,29,30. Act. 10,34. & 13, 46. 1. Tim. 2,4. O beatos nos, qui grata mente felicitatem tantam agnoverimus, & dignè Evangelio ac vocatione noſtrâ ambulaverimus! Eph. 5, 8.

Crux ubi lux.

II. *Paterna viſitatorum caſtigatio.* Ubi lux, ibi crux. In Eccleſiâ eſt CHRISTUS, lux mundi: Joh. 8, 12. Crux itaq; Evangelii, in Eccleſia ſonantis, eſt comes individuus. 1. Cor. 1, 18. Longè verò alia eſt ratio crucis impiorum & piorum: ibi eſt irati DEI pœna; hic Patris reconciliati virga. 1. Sam. 2,6.7. Prov. 3,11.12. Hebr. 12,5.6. Eſa. 28, 19. & 26,19. Amos. 3,6. Jer. 30,11. Sir. 11,14. Rom. 8,28. 2. Cor. 4,16. 1. Pet. 4,12. Jac. 1,12. Sir. 2,1. & ſeqq. Eſa. 43,12. & 49,14. & 54. 7.8. Job. 5,17.

III. *Miſericors adflictorum poſt caſtigationem ſuſceptio.* Joh. 6,37. Matth. 11,28. Pſal. 34,6. Eſa. 54,9.10. & 65,24.

Chriſtus ſanat & quomodo.

IV. *Mirabilis eorundem ſanatio.* tàm quoad animam, quàm quoad corpus. Act. 10,38. Matth. 8,16. Eſa. 53,4. Pſal. 103,3. Sanat autem homines.

1. *à turba eos ſeparando;* non more Papiſticô, ſed myſticô. 1. Cor. 5, 10. & 7,31. 2. Cor. 6,14. Eph. 5,7. Jac. 1,27. 1. Joh. 2,15. Gal. 5, 24. Theophylactus: *Quòd de turba ſeorſim apprehendit illum, factum ideò, quòd non erat arrogantiæ ſectator, qui ſe humiliaret usq; ad noſtram inopiam, & utplurimùm noluit coram multis miracula facere, niſi fortè propter videntium utilitatem.*

Digitus DEI.

2. *Digitum in aures imponendo.* Digitus DEI eſt Spiritus Sanctus, corda noſtra movens, purificans, emundans. Niſi enim ſit intus qui doceat, fruſtrà lingva docentis laborat. Gregor. Luc. 11,20, Act. 2,38. & 16,14.
3. *Exſpuendo;* myſticè intelligitur verbum fidei, quod ex ore Salvatoris emanavit. Johan. 1,18. & 7,38. Rom. 1,16. Jac. 1,21.

The-

Theophyl. *Cùm exſpuiſſet, tetigit lingvam illius, ut oſtenderet, omnes partes carnis ſuæ ſanctas ac divinas eſſe, adeò ut & ſputum ſolveret lingvæ vinculum, tametſi ſuperfluitas ſit omne ſputum, ſed in Domino admirabilia erant, ac divina omnia.*

4. *Cœlum intuendo & ſuſpirando;* inde enim auxilium nobis. Pſal. 121,2. Jer. 31,20. Oſe.11,8. Thr.3,33. Theophyl. *Ut ſuſpexit in cœlum, ingemuit fortaſſis, & ut orans Patrem, quò miſericordiâ dignaretur hominem, & nos docens, quòd quando facturi ſumus miraculum, inde petendam miraculorum virtutem; fortaſſis etiam miſericordia erga humanam naturam tactus, quò pacto ſic tradita eſſet Diabolo, qui illi ſic illuderet & à quo tanta pateretur.*

5. *Vocem emphaticam proloquendo,* Ephatha: cujus vis tanta eſt, ut ſurdus ac mutus continuò reſtituatur. Matth.8,26.27. Pſal.33,9. & 148,5. Johan.5,8.9. & 11,43.44. Luc.8,54. Pſalm.107,20. Sap.16,12.

Idem proceſſus hodieq; in Eccleſia obſervatur: noſtrum ſolummodò eſt, mediis ad ſalutem noſtram monſtratis & ordinatis cum debita gratiarum actione uti. Gratitudo autem noſtra ex parte conſiſtit, exemplo populi hujus. **Gratitudinis requiſita.**

1. *in commiſerando:* Rom.12,13. Col.3,12.
2. *in rectè audiendo & loquendo:* 1.Sam.3,10. Jac.1,19. Pſal.103. 1.2. & 119,24. Sir.50,24.
3. *in comprecando;* Jac.5,16. 2.Cor.1,11.
4. *in humiliando;* exemplô CHRISTI, evulgationem miraculi prohibentis: Sir.3,20. Luc.12,29. 1.Pet.5,6.
5. *in glorificando:* Pſal.92,6. Prov.20,12. Tob.12,7. Ita fiet ut Salvator CHRISTUS, qui omnia benè feciſſe prædicatur, poſthac quoq; omnia benè faciat: *in vita,* ſub umbraculo Altiſſimi nos defender; Pſal.91,1.2. *in morte,* animulas noſtras Angelorum miniſteriô in ſinum Abrahæ transportari curabit; Luc.16,22. *in ſepulcro* oſſa noſtra cuſtodiet; Pſal.34,21. *in extremo* demum *die* ad vitam æternam nos omnes è pulvere terræ reſuſcitabit, Dan.12,2. Joh.5,28 29. Interim verò dum hic vitam κατ' ἀδοξίαν DEI agimus miſeram, exercere quotidie ſtudeamus Chriſtianiſmum

Chriſtianiſmi exercitia.

1. *in proximi dilectione;*
2. *in miſeriæ noſtræ conſideratione;*
3. *in CHRISTI Medici imploratione;*

4. *in fidei fructificatione;* — 1. *gloriam ambitioſam fugiendo;*
2. *modeſtiæ ſtudendo;*
3. DEUM *in omnibus celebrando.*

Cui ſupplices facti cum Eccleſia devotè oramus: *Omnipotens & miſericors DEUS, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter ſerviatur: tribue quæ ſumus nobis, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus, per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM. *Amen.*

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 10. à verſ. 23. ad 38.

23. ΚΑὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς,
Matth. 13. 16. καὶ ἰδίαν εἶπε· μακάριοι οἱ
ὀφθαλμοὶ οἱ βλέποντες ἃ ὑμεῖς βλέπετε.

23. ET converſus ad diſcipulos ſeorſim dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis:*

24. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον, καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

24. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

Matth. 22. 35.
Marc. 12. 28.
25. Καὶ ἰδοὺ νομικός τις ἀνέστη ἐκπειράζων αὐτὸν, καὶ λέγων· Διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

25. Et ecce quidam Legisperitus ſurrexit, tentans illum & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo.

26. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτὸν· ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις;

26. At ille dixit ad eum: in Lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?

Deut. 6, 9. 27. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης
Levit. 19. 18. τῆς διανοίας σου· καὶ τὸν πλησίον σου, ὡς σεαυτόν.

27. Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum DEUM *tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.*

28. Εἶπε δὲ αὐτῷ, ὀρθῶς ἀπεκρίθης, τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ.

28. Dixitq; illi rectè reſpondiſti: hoc fac, & vives.

29. Ὁ δὲ

29. Ὁ δὲ θέλων δικαιοῦν ἑαυτὸν, εἶπε πρὸς τὸν Ἰησοῦν· καὶ τίς ἐστί μου πλησίον;

30. Ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱεριχὼ, καὶ λῃσταῖς περιέπεσεν, οἳ καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, καὶ πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον, ἀφέντες ἡμιθανῆ τυγχάνοντα.

31. Κατὰ συγκυρίαν δὲ ἱερεύς τις κατέβαινεν ἐν τῇ ὁδῷ ἐκείνῃ· καὶ ἰδὼν αὐτὸν, ἀντιπαρῆλθεν.

32. Ὁμοίως δὲ καὶ Λευΐτης γενόμενος κατὰ τὸν τόπον, ἐλθὼν καὶ ἰδὼν, ἀντιπαρῆλθεν.

33. Σαμαρείτης δέ τις ὁδεύων, ἦλθε κατ' αὐτὸν, καὶ ἰδὼν αὐτὸν ἐσπλαγχνίσθη.

34. Καὶ προσελθὼν κατέδησε τὰ τραύματα αὐτοῦ, ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον· ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, καὶ ἐπεμελήθη αὐτοῦ.

35. Καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐξελθὼν, ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἐπιμελήθητι αὐτοῦ· καὶ ὅ, τι ἂν προσδαπανήσῃς, ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με, ἀποδώσω σοι.

36. Τίς οὖν τούτων τῶν τριῶν δοκεῖ σοι πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς;

37. Ὁ δὲ εἶπεν· ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ. εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· πορεύου, καὶ σὺ ποίει ὁμοίως.

29. Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad JESUM: & quis eſt proximus meus?

30. Reſpondens autem JESUS dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieroſolymis in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum veſtibus, ac vulneribus inflictis, abierunt, ſemimortuô relictô.

31. Accidit autem, ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem viâ, viſoq; illo, præteriit.

32. Similiter & Levita, cùm iret juxta locum, cùm acceſſiſſet ac vidiſſet eum, præteriit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & viſô eô, miſericordia motus eſt.

34. Et accedens obligavit vulnera ejus, infundens oleum ac vinum: & imponens illum in ſuum jumentum, duxit in diverſorium, & curam ejus egit.

35. Et poſterô die egrediens, depromtos duos denarios dedit hoſpiti, & ait ei: Curam illius habe, & quodcunq; prætereà inſumſerit, ego cùm rediero, reddam tibi.

36. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones.

37. At ille dixit: Qui exercuit miſericordiam in illum: Ait igitur illi JESUS: Vade, & tu fac ſimiliter.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

Pericope præſentis Evangelii non eſt unius, ſed duum generum: pertinet enim partim ad genus Demonſtrativum, quoad partem ejus primam, qua commendat & laudat tempus Apoſtolorum, quibus Meſſiam in carne videre contigerat: partim ad genus Didaſcalicum, quoad reliquas Evangelii partes, quibus de cauſis vitæ æternæ agitur, ubi ſimul doctrina de Lege & proximo immiſcetur. Nos partiemur Evangelium in tria capita, audituri Christum.

I. *De Apoſtolorum ſuorum beatitudine concionantem;*

II. *Cum Legisperito quodam de Lege diſputantem;*

III *Parabolicè proximum hominis deſignantem.* In primo habebimus *felix Apoſtolorum ſeculum*; in ſecundo *Legis divinæ ſummam & nucleum*; in tertio *hominis lapſi medelam & auxilium.*

PARS I.

In explicatione primi capitis ſive partis duo potiſſimùm notatu digna occurrunt:

1. Propoſitio;

2. Propoſitionis ratio.

I. *Propoſitio* illuſtrata ἐκφωνήσει ſive exclamatione continetur verbis iſtis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Quibus verbis Christus ad diſcipulos κατ' ἰδίαν converſus, beatos prædicat illos, quòd videant Christum in carne, & coràm docentem oculis uſurpent & auribus audiant; adeoque attigerint felix illud tempus, in quo initium capiat N. T. per prædicationem Evangelii, & jugum Moſaicum deinceps auferendum ſit: q. d. ô beatos vos meos Apoſtolos, quibus contigit videre Meſſiam incarnatum, αὐτοπροσώπως & coràm illum audire, & ejus verbo obedire; miracula quoque illius contueri & familiariter cum ipſo converſari.

II. *Ratio* ſumitur à comparatis, per collationem majoris & minoris felicitatis, quâ Apoſtoli præferuntur Regibus ac Prophetis V. T. qualis David, 2, Sam. 7, 18. qualis Eſaias cap. 64, 1. aliisque piis & juſtis, ut habet Matth. 13, 17. ſed non attigerunt tempus illud, cujus plenitudo exſpectanda erat, donec DEUS mitteret Filium. Diſcipuli ergò Christi bis beati ſunt, & plùs etiam quàm ſervi Salomonis, quorum ſe-

Digitized by Google

felicitatem prædicabat regina Sabæ, quòd audirent Salomonis, Regum quos Sol unquam adſpexit ſapientiſſimi, ſtupendam & admirandam ſapientiam, 1. Reg 10, 8. Et ecce plùs quam Salomon eſt in hoc loco, Matth. 12, 42. Argumentum procedit ita:

Quicquid magni olim viri & ſancti DEI homines optârunt, ſummoq́ deſiderio adfectârunt, illud maximi ponderis eſſe beneficium neceſſum eſt:

Atqui multi Prophetæ & Reges V.T. ſummi utiq́ viri & ſancti DEI homines optârunt, magnoq́ deſiderio Meſsiam in carne videre & audire deſiderârunt:

Ergò ſingulare hoc & maximiq́ ponderis beneficium; & per conſequens, ii, quibus hoc conceſſum, ceteris, quibus denegatum fuit, longè feliciores ſunt æſtimandi.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I CHRISTI ad nos converſio ingens eſt DEI beneficium, conſolationis efficaciſſimæ plenum. Sicut enim converſio hæc animi eſt faventis τεκμήριον: Ita averſio à nobis eſt animi repudiantis & indignantis indicium. Deut. 15, 9. Num. 6, 25. 26. Pſal. 13, 2. & 27, 9. & 30, 8. & 34, 17. & 47, 3. & 44, 25. & 51, 13. & 69, 18. & 80, 4. & 88, 15. & 119, 37. Levit. 26, 17. Deut. 31. 17. 18. & 32, 20, Job. 13, 24. & 33, 26. & 34, 29. Eſa. 8, 17. & 54, 8. & 64, 7. Jerem. 3, 12. & 18, 17. & 33, 5. & 52, 3. Ezech. 7, 22. & 14, 8. & 15, 7. & 29, 23, 29. Mich. 3, 4.

Chriſti ad nos converſio beneficium ingens.

II Summa hominis felicitas & ſalus conſiſtit, non in fluxis & caducis mundi hujus bonis; non in fœdis carnis voluptatibus; non in eruditionis præſtantia; non in virtutis ſtudio; non in auctoritatis præ ceteris eminentia, quæ omnia filii hujus ſeculi magni ſolent æſtimare, ſecundum illud Poetæ:

Felicitas hominis ſumma.

Ambitioſus honos, & opes & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet. (& amat.)

Sed in vera & ſalvifica CHRISTI viſione, Gen. 32, 20. Matth. 5, 8. Job. 19, 26. Pſal. 27, 13. 1. Cor. 13, 12. 1 Joh. 3, 2. D. Theod. pag. 607. 608. Thold. p. 839. 840.

III Eſt autem viſio vel intuitus CHRISTI duplex, vel hujus, vel alterius vitæ. Viſio hujus vitæ iterum triplex eſt:

Viſio Chriſti quotuplex.

1. Cor.

1. *Corporalis tantùm*, facta oculis corporis, quæ per ſe neminem ſalvat; per accidens autem fortiùs damnat, Eſa. 6, 10. Matth. 11, 21. & ſeqq. Apoc. 1, 7.

2. *Spiritualis ſolùm*, quæ fit oculis cordis & fidei, hominemq; per ſe ſalvat, Joh. 1, 14. & 8, 56. & 20, 29. Job. 19, 26. 1 Joh. 1, 1 1 Pet. 1, 8.

3 *Corporalis & ſpiritualis ſimul*, quæ beatitudinem in homine auget & quaſi duplicat; & de hac viſione h. l. Salvatori eſt ſermo, Joh. 1, 14. & 6, 69. 1 Joh. 1, 1. Luc. 2, 30.

Viſio alterius vitæ futura eſt ſine fine æternalis, & præſupponit primi generis ſecundam ſpeciem, Joh. 17, 3. Sap. 15, 3. Vide D. Theodor. pag. 606. 607. 608

N. T. prærogativæ. IV De prærogativis N. T. præ veteri, & de peculiari felicitate eorum, qui CHRISTUM in carne potuerunt videre & audire.

V Aberrant à vera felicitate omnes, quotquot verâ DEI cognitione deſtituuntur, Judæi, Turcæ & alii.

Papiſtica viſionis objecta. VI Sed & illi fallunt ac falluntur plurimùm, qui falſa & ſuppoſititia viſionis & auditionis ſalvificæ objecta monſtrant, ut ſtatuas ſanctorum, bullas indulgentiarum, ſepulcrum Dominicum, Mariam Lauretanam, pedes Papæ, ligneam crucem, reliquias Sanctorum, proceſſiones, flagellationes, caligas Joſephi, laqueum Judæ, & iſtius generis τερετίσματα alia, Act. 4, 12.

VII Patet ex his, quæ dicta ſunt, quòd nec gentiles ſalvandis ſint adnumerandi.

Diſcrimen V. & N. T. IIX Sed & inde manifeſtum eſt diſcrimen Veteris & Novi Teſtamenti: ibi erat ſpes, hic res; ibi umbra, hic corpus. CHRISTUS in V. T. latet, in N. T. patet, Hebr. 2, 17. & 10, 1. Exod. 24, 5. Heb. 10, 14 Matth. 9, 16.

Evangelium V. T. IX Evangelium non in Novo demum cœpit Teſtamento, ſed in Veteri etiam fuit promulgatum & propagatum, D. Finck, cent. 3. can. 43.

X Etſi enim Patres quoque V. T. per eundem Jeſum ſalvati fuerunt: tamen ratione fructûs & beneficiorum tantùm illud eſt accipiendum: quia beneficia CHRISTI ſunt omnium temporum, Bernh. Et valent antrorſum & retrorſum, Taulerus. Act. 15, 11. Johan. 8, 56. Apoc. 13, 9. Hebr. 13, 8

Deſideriũ patrũ V. T. XI Hoc ſummum fuit patrum V. T. deſiderium, videre & audire CHRISTUM in carne, Geneſ. 4, 1. & 5, 29. & 49, 18. Exod. 4, 13.

2.

2.Sam.7,28. Pſal.14,8. & 118,25. & 144, 5. Eſa.7,14. & 9,6. & 25,9. & 32,1. & 35,3. & 40,1. & 42,1. ſeqq. & 45,8. & 64, 1. D.Theod.p.609.

XII Nobis verò hodieque per fidem in verbo contingit videre & audire CHRISTUM: non minùs itaque felices ſumus, quam Apoſtoli, Eſa.49,6. & ſeqq. 1 Petr.1,8. Joh.8,56. & 20,29. Rom.13,12 2 Cor.5,7. quin Apoſtolis feliciores; habemus enim CHRISTUM dexterâ DEI exaltatum. *Felicitas noſtra.*

XIII Qui viderunt CHRISTUM in carne, viderunt Filium DEI, & Verbum vitæ, Joh.1,1. & 20,28. In Scriptura enim nonnunquam duo unita ſimul vel demonſtrantur, vel exhibentur, & tamen id tantùm quod principalius eſt, exprimitur, tametſi ſenſibus non ſit expoſitum, D. Finck. Centur.2. can. 66.

XIV Audimus CHRISTUM, quando conciones Evangelicas & ſalutiferas, de regno DEI, de redemtione generis humani, paſſione, morte & reſurrectione CHRISTI, de remiſſione peccatorum, juſtitia & vita æterna audimus, Luc.2,16.22. & 24,27. Joh.6,35. **Auditio Chriſti.**

PARS II.

Secundâ Evangelii parte continetur diſputatio CHRISTI, cum quodam Legisperito, de modo, via ac ratione vitam conſequendi æternam, habita. Complectitur autem principalia membra duo:

1. ζήτησιν ἢ πρόβλημα, ipſam *quæſtionem* controverſam;
2. λύσιν ἢ ἀπόκρισιν, *ſolutionem* ſive reſponſionem, ad quæſtionem propoſitam datam.

I. In quæſtionis enodatione notetur,

1. perſonæ qualitas, quis moveat quæſtionem, nimirùm *νομικός τις*, *νομοδιδάσκαλος*, vir doctus in Lege, Profeſſor & Doctor Legis Moſaicæ. Qui verò fuerint apud Judæos *νομικοὶ*, prolixè explicuit Dn.D.Chemnit.harm.Evang.c.10, ubi vide. Hoc verò in loco cap.105. ita de hac re diſſerit: Fuit apud Judæos peculiare collegium, Sacerdotibus additum, ad quod dubii & graviores casûs deferebantur, ut de illis ex Lege DEI, quaſi ex jure ſcripto reſponderent: nec dubium, quin fuerint peritiores & exercitatiores ex ordine Phariſæorum & Scribarum. Ex horum numero fuit hic Legisperitus. *νομικὸς Legisperitus.*

2. Finis pravitas; ſurrexit enim (veriſimiliter hinc nonnulli colligunt, in Synagogâ quadam hanc diſputationem incidiſſe) ἐκπειράζων

Digitized by Google

αὐτὸν, tentans illum, h. e. oſtentandi ſui gratiâ, ſperans, ſe vel hinc gloriolam aliquam aucupari poſſe; vel ejusmodi ſeſe reſponſionem provocaturum, quæ doctrinæ Meſſiæ adverſetur; unde Dominum Jeſum in invidiam, contemtum & odium apud populum vocare queat. Quærit igitur, non animô diſcendi, ſed ſtudiô calumniandi, cavillandi, illaqueandi CHRISTUM; ſed facit hoc cum proprio & ſummo ſuo dedecore, quippe qui prodit falſam ſuam perſvaſionem, ac ſi Legem ſervare, & vitam æternam propriô merito acquirere, res ſit homini in hac vita poſſibilis. Sequitur ergô

3. *Quæſtionis gravitas vel ſublimitas*. Hujus verô expendatur tùm materia, tùm forma. *Materia* eſt de re omnium maxima, vitæ æternæ conſecutione. *Forma* conſiſtit in verborum adparatu. *Exordium* vel *προσφώνημα* eſt in ſpeciem valdè *φιλικὸν*, ad benevolentiam captandam accommodatum: ſe enim diſcipulum (hypocriticè) profitetur; CHRISTUM verô ſuum *διδάσκαλον*, Magiſtrum ſive Præceptorem ſalutat. Hunc autem honoris titulum CHRISTO meritò tribuit, ſive feriò id fecerit, ſive ſimulanter. Eſt enim CHRISTUS reverâ & manet unicus ad ſalutem Doctor. Matth. 17, 5. & 23, 8. 10. Joh. 13, 13.

Chriſtus Præceptor noſter.

Ζήτημα vel *propoſitio* quærit de vita æterna; non igitur eſt Sadducæus, vel Epicuri de grege porcus). *quid faciendo*, inquit, *vitam æternam poſſidebo?* h. e. quid oportet hominem facere aut præſtare, ut vitam æternam poſſideat. Hic ſi ſimpliciter de via ſalutis, quam homo peccator, qui de meritis ſuis deſperat, ingredi vel poſſit, vel debeat, quæſitum à Legisperito fuiſſet, neceſſaria fuiſſet concio de fide in CHRISTUM Mediatorem, ex cap. 3, 16. Johannis, & aliis locis Biblicis; quæ ſalvandos *ὁμοθυμαδὸν* & unanimiter ad CHRISTUM ablegant; veluti in Moſe quoq; eſt *πρωτευαγγέλιον*, & ad Abrahamum facta promiſſio, Gen. 3. & 12. Sed quia præſumit Legisperitus iſte, poſſe hominem ſuis factis vel operibus vitam promereri, & tantùm cupit cognoſcere, circa quæ oporteat eum eſſe occupatum, aliam audit reſponſionem, quæſtioni propoſitæ congruam, qua quærebat, quorum præceptorum, factorum aut operum obſervatione vita æterna acquiratur. Habemus quæſtionem.

II. *Reſponſio* verô CHRISTI qualis? Ille non remittit Legisperitum ad patrum Judaicorum traditiones; non ad Synedrii Hieroſolymitani ſanctiones; ſed ad verbum DEI revelatum. Decoro autem inſer-

ſerviens CHRISTUS Salvator, *τὸν νομικὸν* ex Lege quærentem & ſalvari volentem, ad Legem ablegat. Ceterùm quæſtionis propoſitæ ſolutio conſtat

1. *Reciprocâ CHRISTI interrogatione*, quæ nihil eſt aliud, quàm *ἀντικατάλλαξις*, recompenſatio vel contraria argumentatio: CHRISTUS enim non tàm réſpondet, quàm partes interrogantis vel opponentis ſumens, jubet ipſum ex Lege ſententiam dicere: in Lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?

2. *Promtâ Leguperiti reſponſione*, quæ Decalogum integrum reſolvit in duo primaria præcepta, quæ reliquorum omnium veluti compendium quoddam ſunt, & in quibus tota piè & rectè vivendi ratio ac norma conſiſtit: unum dilectionem DEI ex Deut. 6, 5. alterum dilectionem proximi, ex Levit. 19, 18. deſumtum, concernit. In primo præcepto duo continentur: Decalogi diviſio.

1. *Res ſive ipſa DEI dilectio:* Diliges Dominum DEUM tuum. Habes opus primarium, quod à nobis requiritur, dilectionem: habes item objectum dilectionis principale, DEUM Optimum Maximum. Reverâ enim, Auguſtinô judice, non pro homine, naturæ noſtræ participe, ſed pro portento, omnis humanitatis experte, haberi debet, qui non totô pectore DEUM amat. 1. Cor. 16, 21. Poſſet quidem DEus multa à nobis exigere; ſed unum hunc animæ adfectum à nobis requirit, quia, (ut iterum ſentit Auguſtinus, referente D. Chemnitiô) ſolus amor is eſt, in quo creatura ſuo Creatori aliquô modô reſpondere, & vicem (licèt non ex æquo) reddere poteſt. Ceteris enim in rebus, quid illi ſimile referri queat? Creavit te; num tu illum viciſſim creare potes? redemit te, ſervat incolumem, innumeris quotidiè beneficiis ornat, ab innumeris item periculis, tùm corporis, tùm animæ ſervat & liberat: num tu horum aliquid in illum conferre potes? Potes tamen utcunq; ejus in te dilectioni reſpondere, dum diligentem viciſſim diligis, & amantem redamas. Hinc Poeta:

Si cupis ergò animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige, præ cunctis ſat mihi ſolus amor.

2. *Modus rei* ſive dilectionis, illuſtratus *μεϱισμῷ* vel deciſione partium in homine præcipuarum. Jubemur diligere DEUM Modus diligendi DEUM.

1. ex corde, non dimidiato, non diviſo, non doloſo, ſed toto, integro & perfecto.
2. Ex tota mente, ut ea ſemper animô & cogitatione verſemus, quæ adfectum noſtrum in dilectione ejus accendere poſſ

3. Ex tota anima, ut ſtudioſè exſequi conemur, quæcunque intelligimus ipſi grata eſſe & accepta, etiam cum jactura, ſi res ita ferat, omnium fortunarum, atque adeò ipſius vitæ.

4. Ex omnibus viribus, h.e. adeò conſtanter, ut nullâ ratione ab ipſo divelli nos patiamur, atq; ita omnes animæ vires, omnes nervi, omnes ſensûs, omnia denique membra dilectioni DEI inſerviant.

Modus diligendi proximi.

In ſecundo præcepto, de perfecta proximi dilectione, itidem duo comprehenduntur, *res & modus rei*, h.e. dilectio proximi, & modus diligendi eum. Proximi verò nomine quid intelligatur; tertium nos edocebit tractationis noſtræ caput. Quomodo diligendus ſit proximus, paucis quidem, ſed latè admodum patentibus verbis indicatur: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Jam quisque in ſeipſum deſcendens cogitet, quomodo ſeſe diligat: non utique ſimulatè, ſed verè; non lingva tantum, ſed ex animo & opere; non frigidè, ſed ardenter; propriis commodis ſtudendo, & mala pro virili avertendo; conſtanter, ſine ullâ defatigatione, totô vitæ tempore &c. Eodem ergò amore etiam proximum proſequendum & complectendum eſſe quivis ſtatuat. Uberiorem utriusque præcepti ἐξήγησιν pete ex harm. Evangel. Dn. D. Chemn. cap. 51. & 105.

Vivere h.e. placere DEO.

3. *Controverſia deciſione.* Admittit quidem Dominus Legisperiti reſponſionem, tanquam veram & juſtam: dicit autem illi: *rectè reſpondiſti; fac hoc & vives*; q. d. ſi præſtiteris eam erga DEUM & proximum dilectionem, quam Moſes in præceptis iſtis exigit, nihil tibi deerit ad perfectionem; & vives ſine dubio, i.e. placebis DEO, & frueris æterna beatitudine. Ita enim habet promiſſio apud Moſen, Deut. 6, 25. *Juſtitia erit nobis, cùm cuſtodierimus & faciemus omnia præcepta iſta coram DEO Domino, quemadmodum præcepit nobis.* Et cap. 30, 20. *Deligas ergò tibi vitam, ut vivas tu & ſemen tuum; & diligas Dominum DEUM tuum, & obedias voci ejus, adhæreasq; illi; Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum &c.*

Diligere DEUM.

Ubi diligere DEUM ſimul explicatur, per obedire DEo, & ei adhærere: quod quando fit, ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, & ex tota mente, ita ut homo nullô unquam tempore, vel cogitatione, vel dictô, vel factô à norma iſta recedat, quod tamen homini corrupto nunquam eſt poſſibile; dubium certè non eſt, quin amplius quid ab homine requiri vix poſſit. Et ſic propoſita quæſtio ex Moſe rectè eſt deciſa. Non vult autem CHRISTUS, hac reſponſi comprobatione, poſſibilitatem aliquam, vel leviculam, implendi ex pro-

propriis viribus Legem conſtituere; ſed hominem legalem ad legis præceptorumq; legalium obſervationem remittere; quandoquidem ipſa legis cognitio non ſufficiat, ſed ejus obſervatio requiratur. Jac. 1,22.) hypocriſin ipſi in mentem revocare, & conſcientiam ejus propriam adpellare; ut ἀδυναμία perfectionis in ſeſe deprehensâ, tempeſtivè de alia vitam æternam adipiſcendi ratione cogitationem ineat. Hic enim proxima poterat & debebat eſſe quæſtio, de modo efficiendi ea, quæ Lex mandatis iſtis poſtulat, an præſtari poſſint, necne? Et ſi non poſſint, quodnam ſit remedium effugiendi nihilominus condemnationem Legis, & ſalutem conſequendi: Ubi ex Evangelio, altera parte doctrinæ cœleſtis, petenda fuiſſet reſponſio. Sed Legisperitus impoſſibilitatis iſtius immemor, aut, ut apparet, de ea ſecurus, deq; meritis propriis præſumtuosè confiſus, aliam inſuper quæſtionem, de priore Legis præcepto ſuſcitat, de qua mox tertia Evangelii parte videbimus.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Nihil ad vitam æternam conſequendam facit eruditio & peritia extra CHRISTUM. 1. Cor. 1, 20. 26. Matth. 11, 25. Pſal. 8, 3. Eph. 3, 19. *Eruditio ad ſalutem nihil facit.*

II. Indolem habemus eorum, qui faciendo ſalvari & juſtificari volunt, id quod eſt, in limine ſtatim ſalutis impingere, quæ non faciendo, non operando, ſed credendo acquiritur. Joh. 3, 14. 15. 16. & 6, 29. 40. Marc. 16, 16. Rom. 3, 20. 24. 25. 28. & 10, 3. 5. 10. *Operarii.*

III. Ideam quoq; videmus eorum, qui propriæ juſtitiæ perſuaſione turgidi, veritati manifeſtæ cedere nolunt. Joh. 12, 42. & ſeqq.

IV. Hypocriſeos quoq; ingenium prodit Legisperitus ſub fucatæ & ſimulatæ pietatis ſpecie CHRISTUM non tàm callidè, quàm malitiosè tentans. Pſal. 5, 10. & 55, 22. Job. 36, 13. Sed ſimulata pietas eſt duplex iniquitas. Hieron ait: *Leviùs eſt apertè peccare, quàm ſanctitatem ſimulare.* Homer. Iliad. 1. *Hypocriſis.*

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς γε μὲν ἄλλο ἔσω κεύθει νόῳ, ἄλλο δὲ βάζει.

Odi equidem, ceu clauſtra Erebi, quicunq; loquuntur.
Ore aliud, tacitoq; aliud ſub pectore condunt.

Confer D. Theod. pag. 612. 613. & Thold. p. 841.

V. Quæſtio de vita ac ſalute æterna eſt maximè neceſſaria. Vide D. Theodor. pag. 613.

Salutis cura.

VI. Ergô quod νομικὸς hic dolô malô egit; illud Chriſtiani omnes ſeriò facere ſtudeant, ut nimirum de ſalute ſua vitæq; æternæ acquiſitione vel maximè ſint ſolliciti. Matth. 6, 33.

VII. Videmus enim, etiam non renatos quandoq; de ſalute ſuâ curam cogitationemq; inſtituere. Rom. 1, 28. 2. Theſſ. 2, 11. 12. Marc. 6, 20. Act. 24, 24. & 25, 24. & ſeqq. & 26, 28.

Legis perfectio.

IIX. De ſumma Legis perfectione, quam qui adſequetur, vivet ex illa. Levit. 18, 5. Gal. 3, 21. Rom. 7, 14.

Lex impletu impoſſibilis.

IX. Legem verò nemo hominum poſt lapſum perfectè implere poteſt, eô ſc. modô, qui h. l. determinatur. Summa eſt enim legis divinæ perfectio. Levit. 19, 18. Exod. 23, 4. 5. Prov. 21, 21. Deut. 27, 26. Joh. 7, 19. Act. 7, 53. Rom. 7, 14. Summa contrà hominis imperfectio. Gen. 6, 5. & 8, 21. Pſal. 14, 4. & 51, 7. & 53. 4. & 130, 3. & 143, 2. Job. 9, 2. & 15, 16. Prov. 20, 9. Rom. 3, 13. D. Theod. p. 618.

Juſtificatio non ex lege.

X. Lex quidem per ſe vitam promittit & offert: Rom. 10, 5. At quia nemo eam ſervat, nemo illi ſatisfacere poteſt: utiq; nemo etiam ex lege juſtificatur. Quisquis enim ex lege vitam habere cupit, ille tenetur ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, ex tota cogitatione, h. e. perfectè, ſincerè, ſine interruptione & defectu ullo, DEUM & proximum diligere. Rom. 9, 31. & 10, 3.

Dilectionem DEUS requirit.

XI. DEUS ſolam ſui dilectionem à nobis requirit, ad quam obſtricti ſumus omnes, tùm ob ſummam ejus bonitatem, tùm ob immenſam erga nos benignitatem & beneficentiam. Marc. 10, 18. 1. Corinth. 16, 21.

Opera an fidem requirat Chriſtus?

XII. Perſtringi h. l. poteſt Pontificiorũ παραλογισμὸς, quando contra doctrinam de fide ita arguntantur: CHRISTUS non dicit, crede & vives; ſed fac hoc & vives: Ergô non tam fidem a ſalvandis & juſtificandis, quàm opera requirit. Eſt σόφισμα παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον Nam 1. Dominus noſter JESUS CHRISTUS decoro inſerviens ad auditores ſuos ſemper ſeſe accommodavit, uti videre eſt. Joh. 3, 15. 16. & 5, 24. & 6, 40. Matth. 9, 22. Luc. 7, 50. & 8, 48. & 17, 29. & 18, 24. Act. 16, 30. 2. Voluit hoc reſponſo oſtendere & confirmare uſum legir ſecundum, qui eſt in renatis & juſtificandis, ut illi ad agnitionem miſeriæ ſuæ perducti, juſtitiam extra ſe quærendam eſſe diſcant. Rom. 3, 20. Gal. 3, 19. 24. D. Theodor. pag. 613. 614. Thold, pag. 849.

Scripturæ auctoritas.

XIII. Monemur de auctoritate Scripturæ ſacræ, cujus tanta vis eſt, ut ipſe DEI Filius, de via ſalutis quæſitus, non ad patrum traditiones,

Digitized by Google

nes, ſed ad illam ipſam Scripturam nos omnes remiſerit. Deut.17,11. Eſa.8,20. Rom.12,6. 1.Pet.4,11. Pſal.19,9. 2.Pet.1,19. Confer D. Theod.pag.614. & Thold. p.843.

XIV. Quòd DEUS ſit diligendus, & cur & quomodo; quòd item proximus ſit diligendus, cur & quomodo, vide apud D.Theod. in Anal.Evang. pag.615.616.617.& Thold. p.844.845.846. **DEUS & proximus diligendꝰ, & cur?**

XV. Patet inde, pauciſſimos eſſe, qui DEUM & proximum verè ac ſincerè diligant. D.Theod.pag.619.

XVI. Ea demum ſunt verè bona opera, non quæ bonâ hominis intentione fiunt, ſed quæ in verbo ac lege Domini præcepta ſunt. Deut.30,14. Rom.10,8. Mich.6,8. Ezech.20,19. **Bona opera quæ?**

XVII. Non licet argumentari à præcepto divino ad poſſe, vel poſſibilitatem legis implendæ.

XIIX. Lex enim dupliciter conſideratur, (1) per ſe & ratione ſui, (2) & quoad nos noſtramq; naturam: priori modô, Deut.11,26. & 30,19. poſteriori Rom.3,20.& 4,15.& 7,10. 2.Cor.3,7. Gal.3,21. **Lex dupliciter conſiderata.**

XIX. Patet ex hac diſtinctione, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem, utrum lex requirat perfectiſſimam & abſolutam obedientiam, an verò talem, quæ eſt in viribus noſtris, ut diligamus, quantum in nobis, & ex natura noſtra fieri poteſt; quod poſterius ex Scholis Eſauvitarum prodiit; cujus falſitas oſtenditur à D.Theodor. pag. 620.& Thold.pag.847.848. **Lex qualem requirat obedientiam.**

XX. Lex & Evangelium diſtinctè in Eccleſia eſt utrumq; docendum & proponendum: hominibus legalibus & contumacibus lex eſt proponenda & acuenda. **Lex & Evangelium diſtinctè docẽdum.**

XXI. Maledictus eſt Canon Conciliabuli Tridentini, anathema dicens iis, qui negant legem DEI poſſe impleri. Rom.3,10. Luc. 17,10. Eſa.64,6. Prov.20,9. Eccl.7,21. Gal.2,16.& 3,33. Jac.2,10.

XII. A juſtitia legali conſiderata abſolute, ſive ratione ſui; ad conſideratam relatè, h. e. ratione hominum, non valet conſequentia. D.Finck.Centur.4Can.86.

PARS III.

Poſt diſputationem de via ad ſalutem ac vitam æternam, ſequitur alia, de proximi definitione; ubi notetur **Proximi definitio.**

I. *Occaſio,* quam ſuppeditavit Legisperitus. Convictus enim ille, vel propriæ conſcientiæ teſtimoniô, nec tamen victus videri volens, declinat ſtatum controverſiæ, & quærit ambiguitatem in voce

pro-

Digitized by Google

proximi, de vero iſtius ſenſu CHRISTUM examinatum cupiens. Juſtificaturus enim, h. e. juſtum pronunciaturus & declaraturus ſeipſum aliis, tanquam qui hanc legis ſummam ſtrictè, ſuâ opinione, obſervâſſet, quærit, quis ſibi ſit proximus?

II. *Parabolica CHRISTI ad quæſtionem reſponſio.* Dominus enim gnarus falſæ opinionis Phariſaicæ, quòd diſputarent, per proximum intelligi tantùm amicum & fratrem, non autem alienigenam, aut inimicum; itaq; docerent, quòd liceat, immò oporteat odio habere inimicum, teſte CHRISTÔ Matth. 5,43. recitat ejusmodi caſum, ex quo Legisperitum hunc cogit colligere & deprehendere, latiùs patere nomen proximi in lege, quàm ut ad ſolos ſanguine aut religione junctos ſit reſtringendum, quod Phariſæi faciebant. Introducit enim (ut ſummam parabolæ paucis explicemus) hominem lethaliter ſauciatum, qui cum ſine ope humana non poſſet à vulneribus ſuis convaleſcere aut ſanitatem recuperare, neglectus à Sacerdote & Levita, qui ſanguine ipſum, ut Judæum, attinebant, & erant præterea conſtituti in eo ordine, qui præ ceteris legis debebat eſſe obſervantiſſimus. Conſequitur tandem hominem alienigenam, Samaritanum, (inter quem & Judæos inveteratum erat odium, Joh. 4,9.) qui miſericordiæ ſenſu tactus, opera caritatis ei exhibet, & ex præſenti morte ereptum conſervat. De quo caſu juſſus Legisperitus judicium facere, & inter Sacerdotem, Levitam ac Samaritanum pronunciare, quis ex illis exhibuerit ſe ut proximum ei, qui in latrones inciderat, fert ſententiam pro Samaritano: unde documentum eum capere jubet Dominus, & diſcere, quis ſit hominis proximus. Hæc ſumma parabolæ, eleganter ὑποτύπῳ deſcribens proximum, ſub hac hominis ſauciati imagine, cujus curam Samaritanus quidam ſuſceperat.

Proximus quis.

Illuſtratur autem hoc factum ἀντιθέτως inhumanitatis, in Sacerdote & Levita, hominibus, de legis ſtudio & obſervatione immane quantùm gloriantibus; & humanitatis in Samaritano; quam declarat

1. cauſâ impulſivâ, miſericordia viſcerali:
2. effectis vel fructibus h.e. operibus miſericordiæ, qualia ſunt,
   1. vulnera obligare;
   2. oleum ac vinum infundere;
   3. in jumentum proprium imponere;
   4. in diverſorium ducere;
   5. curam vulnerati agere;

6. pro

6. pro ipſo ſolvere;

7. curam ejus hoſpiti committere.

III. Parabolæ adplicatio,

1. à Legiſperito extorta, quòd proximi nomine non intelligantur tantùm vicini, agnati, cognati & amici; ſed in genere quivis homo, noſtrâ ope indigens, cui poſſimus vel benè vel malè facere, ſive ſit amicus, ſive inimicus, notus aut ignotus, cognatus aut peregrinus, immò omnes homines, cujuscunq; conditionis, ſexûs vel nationis, in quos nos incidimus, vel quos DEUS, caſus & fortuna nobis offerunt, à quibus ipſe officia caritatis tibi præſtari velles, ſi opus ſit; quô quidem in genere nullus hominum poteſt excipi. **Proximus quis?**

2. A CHRISTO adprobata, cum adhortatione ad ſimilia caritatis opera vel officia.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Patet ex hoc loco, juſtificare non ſemper ſignificare juſtum facere; neq; juſtificari, qualitatibus juſtitiæ ſanctum ac juſtum eſſe: ſed quod juſtificet ſe, qui coram hominibus juſtus haberi cupit; id quod contra Pontificiorum ψευδερμηνείαν probè eſt notandum. **Juſtificare quid.**

II. Scopus, quem CHRISTUS in hac parabola principaliter intendit, eſt docere, non juſtificationem, ſed dilectionem. Vide Dn. D. Chemnit. harm. Evang. cap. 105. p. 1954.

III. Commendatur ergò nobis omnibus dilectionis mutuæ, proximo declarandæ ſtudium & exercitium, his mundi ſeneſcentis fecibus vel maximè neceſſarium. Matth. 24, 12. 2. Tim. 3, 2. 1. Cor. 13, 4. & ſeqq. **Dilectionis commendatio.**

IV. Caritas autem ſit officioſa, non ad proprium, ſed ad proximi commodum directa. 1. Pet. 4, 8. Gal. 5, 14. Rom. 13, 11. Eph. 4, 11. Joh. 13, 34. 1. Joh. 4, 20. Levit. 19, 17. **Dilectio officioſa.**

V. Proximus noſter eſt quivis homo, ope & auxiliô noſtro indigens. Vide D. Theodor. p. 622. & Thold. p. 850. **Proximus quis.**

VI. Omnibus itaq; hominibus, qui ope, auxiliô aut conſiliô noſtrô indigent, eſt benefaciendum, miſericordiæq; adfectus declarandus. Matth. 5, 43. Prov. 25, 20.

VII. Falsò ex homine ſauciato ſemivivo (Græcum habet ἡμιθανῆ ſemimortuum) concludunt Pontificii, ad vires liberi arbitrii in ſpiritualibus evincendas & obtinendas. Nihil hic de vita ſpirituali, ſeu **Liberi arbitrii vires Papiſtæ propugnant.**

facultate enitendi ad ſui converſionem, ſed de viribus in rebus & conatibus externis. Contrarium in ſpiritualibus oſtendit Scriptura. Joh. 5,25. Rom.6,10. Joh.15,5. Epheſ.2,5. 1.Cor.2,14. Coloſſ.2,12.13. Adde quæ habet in hanc ſententiam D.Theod. pag.623.

IIX. Falſum itaq; Salmeronis h.l. pronunciatum: hominem relictum eſſe ſemivivum, ſignificat liberum arbitrium nõ eſſe exſtinctum. Veriùs Hugo Cardinalis: Semivivô relictô, i. e. vitâ naturæ tantùm relictâ, vitam gratiæ abſtulerunt. Confer D.Gerh.Tom.2. L. C. pag.884.885.

Hypocritæ

IX. Sacerdos & Levita imago ſunt hypocritarum, de Legis obſervatione multùm gloriantium, ſed vera dilectionis opera prætermittentium. Matth.23,3. Rom.2,13. 1.Joh.3,18.

X. Etſi lex impleri nequeat, opera tamen caritatis exercenda meminerimus. 1.Cor.13,1.2.3. 2.Pet.2,17. Matth.25,40. Eſa.58,7. Sir.17,18.& 35,4.

Opera ſupererogationis nulla.

XI. Nullum hic loci fundamentum habent opera Pontificiorum nugivendulorum ſupererogationis indebita. Opera enim, quæ hîc exercentur omnia ſunt debita & præcepta, ideoq; nullô modô arbitraria, ſed neceſſaria. Pſal.41,1. & ſeqq. Luc.17,10. Græcum verbum προσδαπανᾷν eſt, inſuper aliquid inſumere non autem ſupererogare aut plùs præſtare, quàm præceptum. Vide in hanc ſententiam plura in Vindic.Evang. D.Meelführ.th.136. & ſeqq.

XII. Allegoria ex hac parabola eruta jucunda eſt, & habetur paſſim. Conſiſtit autem (ut punctis agamus) in his partibus.

1. Homo in latrones incidens eſt Adam, cum univerſa poſteritate, peccatô corruptus & perditus.
2. Deſcendit ex Hieroſolymis, à DEO vel viſione DEI, in Hiericho, urbem ſatanæ, ab eo illectus ad arborem vetitam.
3. Incidit in latrones, ſatanam, peccatum & mortem, vel ut alii volunt, tentationem ſatanæ, atq; inde in miſeriam inexplicabilem.

Originalis juſtitia perdita.

4. Spoliatur veſtibus, juſtitiâ originali & innocentiâ concreatâ, fruſtrà hoc negantibus Pontificiis. Vide D.Gerh. Tom. 7. L.C. pag.401.402.
5. Vulneratur, malam ex peccato habens conſcientiam.
6. Semimortuus jacet: morti enim deſtinamur omnes.
7. Sacerdos & Levita præterit; neq; per legem, neq; per ſacrifi-

Digitized by Google

crificia poteſt reſtaurari homo: peccati quidem magnitudinem revelant, ſed nullam faciunt medicinam.

8. Samaritanus eſt CHRISTUS cujus unius ope ſanamur. Hîc totam rationem ſalvationis noſtræ, velut in illuſtri pictura, ob oculos habemus poſitam: in Samaritano enim ſeipſum, tanquam cœleſtem Medicum, & vitæ noſtræ auctorem unicum, depingit. Is iter facit, per eandem viam in valle miſeriarum ambulans, adſumtâ carne humanâ in nobis habitat: tangitur noſtri miſericordiâ: obligat vulnera, infuſô oleô Evangelii, & vinô pœnitentiæ ex lege inſtillatô: deportat hominem in diverſorium Eccleſiæ; curam agit ſaucii: ſemper adeſt Eccleſiæ ſuæ: diſcedens Samaritanus, h. e. viſibilem præſentiam ſuiq; conſpectum per adſcenſionem in cœlum nobis eripiens, curam ægrorum, peccatorum puta, commiſit miniſterio verbi, relictis duobus denariis, lege & Evangeliô; vel duobus Sacramentis, Baptiſmô & S. Cœnâ, promittit reditum, in extremo die, ubi cumulatiſſimè reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Confer D. Theodor. pag. 625. & Thold. p. 850. 851. Samaritanus Chriſtus.

XIII. Lapſo itaq; homini, in iſta ſua miſeria neq; ſacrificia, neq; ullum legale opus potuit ſuccurrere, multò minus ex in ipſo fuêre vires, ut ſibi ipſi potuerit auxiliari. Quando autem venit Samaritanus & manum adplicat, ibi ſentit opem, & ad vitam redit, atq; ad ſanitatem reducitur.

XIV. Et ſic per ſolum CHRISTUM recepimus amiſſam ſalutem, qui eam inſtaurat in nobis per miniſterium verbi & Sacramentorum in Eccleſia, quæ eſt diverſorium, in quo noſtri cura geritur. Oportet ergò audire miniſterium, & uti mediis ad ſalutem ordinatis. Salus à ſolo Chriſto.

XV. Lex de dilectione omnes nos obligat ad mutua officia, quibusvis hominibus, ubi opus eſt, præſtanda, ſecundum verbum CHRISTI; vade, & fac ſimiliter. Lex omnes obligat.

XVI. Summam Chriſtianiſmi in hac quoq; parabola oſtendi, & in tribus conſiſtere partibus, Chriſtianiſmi ſumma.

1. *natura noſtra corruptione;*

2. *ejusdem reparatione & juſtificatione;* &

3. *novâ demum obedientiâ;* demonſtrat & operosè deducit Dn. D. Chemnitius d. l. ubi vide: Nos ad ſecundam diſpoſitionem acceſſum faciemus.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Evangelium hodiernum totum eſt διαλογιστικὸν καὶ συζητητικόν; ſermonem enim habet Salvator CHRISTUS, partim cum amicis, quos in terris præ ceteris habebat, diſcipulis: partim cum inimicis, quos præ ceteris infenſos ſibi noverat, Phariſæos, Scribas & Legis Doctores alios. Illos beatos prædicat; hos à falſa juſtitiæ opinatione & perſuaſione in verum ſalutis tramitem deducere conatur. Duabus itaq; partibus Evangelii hujus διέξοδον abſolvemus, geminum auditu-ri CHRISTI colloquium:

I. Prius cum diſcipulis & Apoſtolis;

II. Poſterius cum legis quodam perito habitum.

PARS I.

Prioris colloquii, cum diſcipulis inſtituti, ſcopus eſt, monere eos, ut ſecum reputent, in quàm felicia tempora ipſi inciderint; quippè quibus datum ſit Filium DEI, Meſſiam, mundi Salvatorem in carne videre & audire, quô nomine ſuis quoq; Apoſtolis de tanta prærogativa & felicitate gratulatur. Occurrit ergò hîc,

1. **CHRISTI** *gratulatio: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.*

2. *Gratulationis ratio;* deſumta à comparatis: *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt &c.* Longè itaq; feliciores præ Prophetis & Regibus V.T. prædi-

Felicitas Apoſtolorum.

cantur diſcipuli CHRISTI. Illi enim promiſſum Meſſiam exſpectârunt, & anxiis deſideriis exoptârunt: hi verò præſentem habent, vident & audiunt exhibitum. Quòd ſi quis h. l. excipiat, Herodem, Pilatum, Hannam, Caipham, Judam Iſcarioten & innumeros alios, CHRISTUM vidiſſe quidem, non tamen inde fuiſſe ſalvatos; is ſci-

Viſio Chriſti triplex.

at, videri CHRISTUM tripliciter:

1. *corporaliter*, quod neminem ſalvat:
2. *ſpiritualiter*, id quod vel ſolum hominem ſalvare poteſt, quippè in vera & ſalvifica CHRISTI agnitione poſitum, cui vitæ æternæ participatio adſignatur: Joh. 17, 3.
3. *Corporaliter & ſpiritualiter ſimul.* Primô modô viderunt CHRISTUM jam modò nominati homines, & alii impii, qui tempore converſationis terreſtris in Palæſtina cum ipſo vixerunt. Secundô modô viderunt etiam Patres V.T. Joh. 8, 56. Ultimô modô Apoſtoli, aliiq; tum temporis fideles, CHRISTO adhærentes,

Uſus

Digitized by Google

Uſus I. Informatorius.

I. De ſummo Chriſtianorum bono, quod poſitum eſt, Bonum Chriſtianorum ſummum,

1. non in opum fluxarum adcumulatione; Luc. 12, 15.

2. non in rerum omnium ad nutum fluxione vel ceſſione;

3. non in benivola amicorum propenſione;

4. in honoris dignitatisq́; æſtimatione;

5. non in inani carnis voluptuoſa delectatione: Sed

1. in ſalvifica CHRISTI viſione. Videtur autem ille in Eccleſia, cui ſemper præſens eſt ſecundum utramq; naturam. Exod. 20, 24. Matth. 18, 20. & 28, 20. Pſ. 42, 3. Hinc Cain dicitur egreſſus à facie DEI, cùm Eccleſiæ veræ congregationem ille deſereret, Gen. 4, 16. Modus viſionis eſt geminus, Viſionis Chriſti modus,

1. vita hujus, per fidem, in verbo & Sacramentis; Eph. 3, 17. Galat. 3, 27.

2. vita alterius proprius. 1. Cor. 13, 12. 1. Joh. 3, 2. Ex. 33, 20.

2. In ſedula CHRISTI auditione. Luc. 11, 28. Pſ. 1, 1. 2. 3. & 128, 1. Luc. 10, 42. Matth. 16, 26. Luc. 2, 30.

II. Quòd Evangelium de JESU CHRISTO non ſit nova, ſed vetuſtiſſima, veriſſima & jucundiſſima doctrina, Act. 10, 43. Vide Dn. Monrad. theſ. pag. 207. 208. Evangelium vetus doctrina.

II. Conſolatorius.

I. Quòd JESUS Nazarenus gentium etiam ſit Meſſias, de quo capite aliquoties nos dicere meminimus.

II. Quòd, etſi nos hodie oculis corporis CHRISTUM videre ante diem extremum non poſſimus; nihil tamen inde ſaluti & felicitati noſtræ decedat: quia oculis fidei in verbo eundem intueri conceſſum nobis eſt, vel hoc nomine feliciores Patriarchis, Prophetis & Regibus V. T. quòd in CHRISTUM non venturum, ſed exhibitum credamus, & vaticinia de ipſo jampridem impleta intelligamus, Evangelium de Meſſia exhibito prædicari audientes, Johan. 20, 29. 1. Pet. 1, 8. Luc. 11, 28. Joh. 6, 68. Gal. 3, 1.

III. Monitorius.

I. Sicut Patres V. T. deſiderârunt videre & audire CHRISTUM in carne: Ita conſimili nos flagrare deſideriò oportebat videndi CHRISTUM, in nubibus cœli rediturum. Exerit ſeſe hoc deſiderium in piis, Deſiderium piorum videndi Chriſtum.

1. CHRISTUM diligentibus, Eph.3,17. 1.Cor.16,22. Joh.14,21.

2. Gloriam & majeſtatem ejus conſiderantibus, cujus & ipſi ſervatis gradibus futuri ſunt participes, Joh.17,24. Phil.3,12. 1.Jo-3,2.

3. Mortem contemnentibus, quæ ipſis iter ad CHRISTUM expeditum monſtrat, Joh.5,24. Phil.1,23. Apoc.22,20.

Conſolatio piorum his temporibꝰ. II Nihil ad erigendum & conſolandum temporibus hiſce perturbatiſſimis animum efficacius, quam

1. benigna CHRISTI ad nos converſio; ea enim eſt ſignum gratiæ certiſſimum. Convertit ſe ad nos

1. precum exauditione;

2. ſecretâ inſpiratione, vel internô alloquiô.

2. Beata CHRISTI viſio, de qua vide præcedentia.

3. Continua verbi prædicatio.

PARS II.

Poſterius colloquium in duarum quæſtionum Theologicarum ventilatione eſt occupatum; utraque à Scriba ſive Legisperito, (quem Theophylactus dicit arrogantem, ſuperbum & doloſum hominem) qui in explicatione Legis Moſaicæ quotidie verſabatur, proponitur; utraque a CHRISTO accuratiſſimè & perfectiſſimè enodatur.

I. Prima quæſtione quæritur, *de vita æterna hæreditatione.* Notetur hoc locô,

1. Malitioſa Legisperiti intentio: quæſiviſſe enim dicitur, non animô diſcendi, ſed tentandi. Non ſimpliciter verò dicit Evangeliſta, πειράζων, ſed, quod ἐμφατικώτερον eſt, ἐκπειράζων, q.d. omnibus modis conatus eſt CHRISTUM hac quæſtione illaqueare. Diligentiam itaque & conatum ejus ſingularem verbi compoſitione exprimere voluit. [margin: ἐκπειράζειν]

2. Quæſtionis propoſitio: ubi ὁ νομικὸς à limine ſtatim impingere deprehenditur, h.e. contrariũ in adjecto admittere. Vult κληρονομεῖν, hereditariò h.e. gratuitò poſſidere vitam æternam, & tamen faciendo ſive operibus eandem promereri. Hereditas ſuapte natura omne excludit meritum, Rom.4,4.5. & 11,6. Ita φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, Rom.1,22.

3. Contraria interrogatio: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? de faciendis ſc. operibus. Petit ergò ſibi recitari præcipua DEI mandata, idque animadvertit ſtatim Legisperitus: ſequitur enim è veſtigio

4.

4. *Summaria Legis recitatio* ex Deut. 6, 5. & Levit. 19, 18. petita.

5. *Expedita* CHRISTI *deciſio*, facta per conceſſionem : Rectè reſpondiſti, hoc fac & vives ; h. e. ſi Legem DEI exactè obſervaveris, vitam inde æternam conſequeris.

Quæritur hoc locô, cur ad Legis obſervationem remiſerit Legisperitum Salvator CHRISTUS: cùm non ex Lege ſit juſtitia ? Legisperitus ad legem remiſſus & cur.

Reſp. Eſt reſponſio πρὸς ἄνθρωπον, ipſius rei naturam non exactè & perfectè declarans, ſed quæſtioni hominis ſatisfaciens. Sicut ergò quæſtio non erat ſimplex abſoluta, quis nimirùm eſſet modus, quodvé remedium à DEO conſtitutum, per quod liceat conſequi vitam æternam; ſed reſtricta, ad modum ſcil. conſequendi ea per facta : Ita reſponſum quoque eò tendit, quæſtioni per omnia adæquatum. Hæc prima quæſtio.

II. Secundâ quæſtione quæritur *de genuina proximi definitione*. Hic iterum obſervetur

1. *Legisperiti intentio vel tergiverſatio*, occaſionem rei præbens. Volens enim ille juſtificare ſeipſum, quærit, quis propriè proximus ſit dicendus? Proponit autem hanc quæſtionem, vel juſtum ſeſe declaraturus in Legis divinæ obſervatione ; vel verum Legis ſenſum inveſtigaturus ; vel ſuſpicionem de tentando abs ſeſe amoliturus; vel neminem niſi civem, amicum, propinquum &c. ſibi proximum eſſe ratus. Proximus quis.

2. *Parabolica CHRISTI reſponſio*, eò unicè directa, ut ſimilitudine hominis, à latronibus vulnerati ac ſpoliati, & Samaritani oſtendat, proximum eſſe omnem hominem, qui in neceſſitate conſtitutus ope noſtrâ indiget, & à nobis juvari poteſt. Proximus omnis homo.

3. *Sententiæ deciſivæ extorſio*. Ipſum enim Legisperitum judicare & ſententiam ferre jubet, quis horum trium ſibi videatur proximus fuiſſe homini ſaucio. Non quòd Sacerdos & Levita ipſi proximi non fuerint, ſed quòd ut proximos erga hominem calamitoſum & auxilii indigum ſeſe non geſſerint, neque illum ut proximum agnoverint & ſublevârint. Vi ergò veritatis adactus cogitur, Samaritanum fuiſſe miſero homini proximum, quippè qui ejus miſertus officium fratris & amici feciſſet.

4. *Concionis parabolicæ concluſio*, continens προτροπὴν, ad ſimile caritatis ſtudium, *vade & fac ſimiliter*: quaſi dicat, ſicut Samaritanus ille, incidens in hominem opis ſuæ indigum, eum ut proximum, ſtatim agnovit & tractavit, non habitô reſpectu ad diverſitatem

gen-

gentis, vel generis, amicitiæ vel inimicitiæ; inſuper quibus potuit officiis & beneficiis eum eſt proſecutus: Ita tu quoque, in quemcunque incideris auxilii tui egentem, illum proximum tibi eſſe noveris, cui dilectionem in Lege requiſitam debere te memineris.

Uſus I. Informatorius.

Vitam æternam adipiſcendi ratio.

I. De modo vitam in hac vita inſtituendi & agendi, ut æternam quoque vitam Chriſtianus adipiſcatur; nim.

1. *CHRISTUM reverenter habendo*; ne irreverenter habitus abeat:
2. *De vera beatitudine cogitando:*
3. *CHRISTUM deſiderando:*
4. *Scripturas attendendo & rectè tractando:*
5. *DEUM & proximum decenter diligendo:*
6. *Ad CHRISTUM Mediatorem confugiendo:*
7. *Verbum factis exprimere ſtudendo.*

Speculum quadruplex in homine ſaucio.

II. Parabolæ accurata contemplatio quadruplex nobis ſubminiſtrat ſpeculum.

1. *Speculum naturæ*, per lapſum protoplaſtorum corruptæ, quam excepit ἀδυναμία præſtandi obedientiam, Legi DEI debitam. Vide præced. diſp.
2. *Speculum dilectionis*, vigore Legis divinæ à nobis requiſitæ, cujus ſummam & nucleum Legisperitus ex Moſe recitare jubetur. Dilectio illa duplex habet objectum potisſimùm; reſpicit enim vel DEUM, vel proximum: de utroque quæritur:

Diligendus DEUS & cur?

1. *de* DEO, cur ille ita, uti ſcriptum eſt, ſit diligendus? Et reſpondetur; quia ille eſt
   1. ſummum bonum, quod per ſe eſt φιλικὸν, Marc, 10, 18.
   2. bonum κοινωνητὸν, communicativum. Jam nihil tàm eſt ſecundum naturam,, quàm amantem ſe redamare, Deut. 4, 37. Joh. 3, 16. Rom. 5, 8, & 8, 32. & ſeqq. 1. Joh. 4, 19.
   3. bonum τετελεσμένον, perfectum, in quo ſolo dilectio poteſt acquieſcere; in eo enim omnia quæ bona ſunt, & talia cenſentur, inveniuntur;
   4. bonum εὐεργετικὸν, beneficum. 1. Cor. 4, 7. Jac. 1, 17.

Diligendus proximus, & cur?

2. *De proximo*, cur ipſe ita ſit diligendus? Reſpondetur
   1. propter DEI mandatum, Levit. 19, 18. Matt. 22, 39. Joh. 15, 12. 17. Gal. 5, 13. 14.

2 pro-

2. propter creatorem, cujus plaſma eſt proximus:
3. propter nos ipſos. Vide Monr. theſ. p. 211. 212.

Quæritur ulteriùs, qualis dilectio ad utrumque objectum eſſe debeat? Reſp. DEUS eſt diligendus

Deus quomodo diligendus?

1. integraliter;
2. fideliter; Sap. 3, 9.
3. perſeveranter, Rom. 8, 39.

Proximus eſt diligendus ut alter ego. Vide præced. diſpoſ.

3. Speculum miſeriæ humanæ, quæ adumbratur in parabola hominis vulnerati, & à latronibus ſpoliati. Lapſus nimirùm eſt Adam, cum univerſa ſua, proh dolor poſteritate,

Lapſus Adæ.

1. *Hieroſolymis exeundo*, h. e. ſtatum innocentiæ concreatæ perdendo;
2. *Hierichuntem deſcendendo*, h. e. voluntatem carniſque adpetitum ſequendo, voluntatem ſuam DEI voluntati præferendo; à Creatore ad creaturam deficiendo:
3. *In latrones diabolicos incidendo:*
4. *Imaginem DEI amittendo*: Gen. 5, 3. Eph. 2, 1.
5. *poſteros demum omnes ſecum perdendo.*

4. *Speculum gratiæ* & miſericordiæ; hinc oritur uſus

II. Conſolatorius.

I. Quòd Jesus Christus ſit noſter Samaritanus: Vide Monr. theſ. p. 208. 209. Homo utique peccatô perditus non niſi per Samaritanum illum cœleſtem ſanatur & reſtituitur. Reſtitutionem verò iſtam optimus Samaritanus præſtitit,

Samaritanus noſter JESUS.

1. *peregrinando*, h. e. in carnem veniendo; deſcendendo de cœlo in terram, Joh. 1, 14. 16.
2. *miſerendo* vel commiſerando, Jer. 31, 20.
3. *Accedendo & vulnera obligando*; Exod. 15, 26. pharmaca ejus ſunt, vinum, putrefactionem prohibens, h. e. concio Legis, Rom. 3. 20. & 4, 15. & oleum, dolorem leniens vulnusq; paulatim conglutinans, h. e. Evangelium:
4. *In* πανδοχεῖον, *deducendo*: quia extra Eccleſiam nulla ſalus;
5. *Hoſpiti h. e. miniſterio nos commendando.*

II. Quòd in noviſſimo die Christus omnia opera miſericordiæ proximo exhibita liberaliſſimè velit retribuere, 2. Tim. 1, 18. Vide Monr. theſ. p. 213.

III. Quòd ubi hic deſtituta, illic perfectè reſtituta fuerit natura, velut ante lapſum in natura primùm inſtituta, DEUM verè diligemus & proximum, nec in minimo legem violabimus. Eritque amor ille

1. ſincerus, ſine ſimulatione & πλεονεξίᾳ;
2. ſvavis & jucundus, ſine moroſitate & faſtidio;
3. ardens, ſine coactione. Ib. p. 215. 216.

III. Monitorius.

Hypocritæ. 1. De hypocritarum natura & ingenio. Illi enim veritati manifeſtæ cedere nolentes, tergiverſantur, & ut boni ac juſti videantur, varios prætextûs quærunt, quibus ſuam excuſent impietatem, aut planè occultent.

Dilectio proximi. 2. De mutuo fraternæ dilectionis officio, quod nunquam negligendum. Ubique enim nobis obvius eſt proximus, noſtrâ ope, conſiliô aut auxiliô opus habens. *Omnes qui ejusdem naturæ ſunt, proximi tui ſunt*, inquit Theophylactus. Sic igitur viciſſim & tu illis proximus, non locô ſed adfectione & ſtudiô erga illos. Docemur igitur & hoc locô per parabolam, ut parati ſimus ad miſericordiam, & conemur eſſe proximi his, qui indigent noſtrô ſubſidiô.

Proximus quis.

3. Ut conſiderantes ſtatum innocentiæ ad pietatem ſectandam incitemur. Vide Dn. D. Gerhard. lib. 1. Schol. piet. part. 2. cap. 3. f. 173. & ſeqq.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de libero arbitrio. Romanenſium 1. Vires liberi arbitrii poſt lapſum in homine, quoad ſpiritualia, reliquas, ex hac parabola adſtruere magnô, ſed irritô conatu, adlaborantium. Mentem enim illi Salvatoris non attingunt, non adſequuntur, qui h. l. non voluit docere, quid homo non renatus ex viribus ſuis in rebus ſpiritualibus præſtare valeat; ſed quis ſit proximus noſter, cujus curam ſuſcipere debeamus. Conſtat aliàs ex Epheſ. 2, 1. hominem non renatum eſſe in peccatis planè emortuum. Quantum ergò homo naturaliter mortuus ad ſui vivificationem; tantum homo ſpiritualiter mortuus ad ſui converſionem conferre poteſt.

Papiſmus de operibus ſupererogationis. 2. De operibus ſupererogationis multa h. l. itidem fruſtrà garrientium, quaſi homo plura poſſit bona opera facere, quàm Lex ab ipſo re-

requirat. Illa opera mereri ajunt apud DEUM præmia ſingularia, poſſe etiam aliis pro pecunia communicari. Verùm hæc omnia ἄτερ γραφῆς; eadem ergò facilitate rejiciuntur, quâ adſeruntur. Vide D. Meelführ. in Vindic. th. 136. 137. 138. 139. 140. Vidit opera hæc ſtraminea nihil habere firmamenti Schererus, ideoque de illis in Evangelii hujus explicatione (quod mireris) magis mutus quam piſcis. Interim pro more vellicat B. Lutherum, quòd ille contraria docuerit præcepto CHRISTI manifeſto, de faciendis bonis operibus, (τὸ ἔργον, τὸ ποιεῖν, ut fiant bona opera neque Lutherus, neq; diſcipuli ejus prohibuerunt unquam) quia dicat: Hoc fac & vives. Contrà Lutherus ſcripſit: Wo die H. Schrifft gebeut ein gut Werck zu thun / ſo verſtehe es alſo / daß ſie dir verbeut ein gut Werck zu thun / ſintemal du es nicht vermagſt. Nach dieſer Regel muß man dis Gebot / Thue das / zu einem Verbot machen / als wann der HERR geſagt hette / Thue nicht das. Ita vertit Schererus p. 541. Præter meritum certè vapulat bonus Lutherus, inſpice, mi optime Lector, locum ipſum a Jeſucida citatum, Tom. 2. Lat. Jen. fol. m. 55. vel Tom. 3. Witteberg. fol. m. 171. b. deprehendes, calumniatorem ipſum agere. Lutherus diſputat non contra bona opera, ſed contra eorundem merita, quæ operibus more ſuô adſuunt Jeſuitæ. Oſtendit ex adverſo, verè bona opera eſſe facienda, & quæ ſint verè bona opera. Rectè ergò dicitur, inquit Lutherus; univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas; i.e. tunc opera fieri bona, quando ipſe (DEUS) ſolus totus ac totaliter ea facit in nobis, ut operis nulla pars ad nos pertineat. Quare hic tibi ſit Canon: Ubi Scriptura præcipit bonum opus fieri, ſic intelligas, quòd prohibeat *te* facere bonum opus, cùm id non poſſis: ſed ut ſabbathiſm DEO ſanctifices, mortuus ſis ac ſepultus, ſinasque *DEUM in te operari.* Ad hoc autem non pervenies unquam, niſi per fidem, ſpem & caritatem, i. e. per tui mortificationem & omnium operum tuorum &c. Vide d. l. plura; nobis properandum eſt ad tertiam Evangelii diſpoſitionem.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Magnô ſemper ſtudiô quæſitum fuit, de ſummo hominis bono; ſeu, ut piè magis loquar, de certiſſima ad beatitudinem ac felicitatem ſempiternam perveniendi ſemita. Aliam in præſenti Evangelio diſcipulis ſuis præſcribit CHRISTUS; aliam ſectatur Legisperitus, cum CHRISTO ſalutis noſtræ ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ Hebr. 12, 2. hac de re ſermones miſcens. CHRISTUS JEſus eſt via, veritas & vita, Joh. 14, 6. ex hujus itaque ore cognoſcere & perdiſcere hac vice liber, *quænam ſit vera & infallibilis ſalutis adipiſcendæ via*: vel, quod eodem recidit, *quâ potiſſimùm in re conſiſtat vera hominis Chriſtiani felicitas.*

Salutis via & ſumma hominis felicitas.

Ἐξήγησις.

Ut ergò rectam ſalutis viam teneamus, & qua potiſſimùm in re hominis Chriſtiani felicitas poſita ſit, addiſcamus, præſentis ſolummodò Evangelii περιοχὴν ob oculos nobis ſtatuamus. Illa enim nobis monſtrat, ſalutem ac felicitatem hominis conſiſtere

Viſio Chriſti ſalus noſtra.

I. *In fideli CHRISTI viſione:* ita enim ad Apoſtolos ſuos Salvator: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Videtur autem JESUS quadrupliciter:

1. τυπικῶς, qui modus fuit V. T. proprius,
2. σωματικῶς, qui modus impiis cum piis fuit communis, eô tempore, quô in terris hiſce CHRISTUS, carnem humanam indutus, viſibiliter obambulabat, N. T. proprius:
3. πνευματικῶς, per fidem; hic modus vel ſolus ſaluti hominis ſufficere poteſt, tam V. quàm N. T. fidelibus communis.
4. μικτῶς, qui modus felicitatem per ſe magnam ſatis, majorem adhuc, immò duplicem efficit, iis tantùm proprius, qui unà cum Apoſtolis CHRISTO in terris verſanti, verâ fide adhæſerunt. Dicta Scripturæ huc ſpectantia pete ex præced. diſpoſ.

Vitæ æternæ cura & inquiſitio.

II. *In diligenti vitæ æternæ inquiſitione.* Hæc ſit prima hominis cura, ut JESUM quærat mente purâ, in cujus unius agnitione vita æterna con-

conſiſtit. Joh. 17, 3. In iſtam verò curam etiam hypocritas aliquando incubuiſſe, Legisperiti hujus exemplô ad oculum patet. Is enim ad CHRISTUM veniens, hunc ſibi finem & ſcopum videtur habuiſſe præfixum, ut ex eo cognoſceret vitam ac rationem, ad hæreditatem vitæ æternæ perveniendi. Audiviſſet utiq; ex hoc Doctore idem quod Nicodemus, Joh. 3. ſi idem ipſi fuiſſet animus, diſcendi non tentandi cupidus. *Opinabatur enim*, Theophylactô interprete, *quòd ex reſponſis ſupplantare Dominum poſſet.* Quærit ergò tantùm de factis & operibus, quibus Scribæ & Legisperiti illi cum Phariſæis omne ſalutis ac felicitatis æternæ momentum falsò transſcribebant. Ex factis verò ſive operibus legis neminem hominum juſtificari & ſalvari poſſe, arguit **Lex non juſtificat vel ſalvat.**

1. *ſumma legis perfectio & integritas*, quam ex Deut. 6, 5. & Levit. 19, 18. ipſe Legisperitus enarrat quidem, inquiens: Legem requirere dilectionem DEI ex toto corde, ex tota anima, ex totis deniq; viribus: proximum verò ut ſeipſum eſſe diligendum: At in ſubſumtione aqua ipſi, quod dicitur, hæret. Dari enim ex univerſo hominum genere poteſt nemo, qui ad eum modum Legi DEI ſatis fecerit unquam, aut ſatisfacere ſe poſſe præſumat. Externâ illâ & ſuperficiali qualicunq; obedientia, quam operarii atq; juſtitiarii hypocritæ jactant, Lex DEI contenta non eſt. Pſal. 143, 2. Prov. 20, 9. Sir. 18, 6. Luc. 17, 10. Rom. 7, 14. & 8, 7. Jac. 3, 2. Theophylactus: *Dominus*, inquit, *ad Legem illum ducit, in quâ mirè glorabatur.*
2. *Extrema virium noſtrarum imbecillitas*, quam in animum revocare Legisperito debebant verba CHRISTI: hoc fac & vives, q. d. fac periculum, experire vires tuas, ſuccumbes haut dubiè in ipſo conatu. Gen. 6, 5. & 8, 21. Eſa. 1, 6. Eſa. 1, 6. Pſal. 14, 4. Eph. 2, 1. 1. Cor. 2, 14. Dan. 9, 18. *Quia enim legi adhuc ſubjectus es, rectè reſpondiſti: juxta legem enim ſapis*, inquit Theophylactus.
3. *Horrenda naturæ noſtræ pravitas*, quæ nobis in hominis ſauciati & ſpoliati imagine depingitur.
4. *Omnium mediorum egeſtas.* Falſum eſt, quod ex Clemente Alexandrino quondam docebant Scholaſtici, & etiamdum docent Pontificii; patres ante legem latam ſalvatos fuiſſe lege naturæ, poſteà lege Moſis, in N. T. nos ſalvari lege CHRISTI. Una eſt fides, una ſalutis via. Act. 4, 12. & 10, 43. & 15, 11. Johan. 14, 6.

Verbo adhærendum

III. *In tenaci verbi adhaſione.* CHRISTUS enim Legiſperito dicens: in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? ad verbi revelati normam nos omnes adſtrictos voluit. Ibi namq; CHRISTUS nobis κατ' ὀφθαλμοὺς προεγράφη. Gal.3,1. 1.Joh.1,7. Joh.5,38. 2.Petr.1,19. Deut.17,11. Jer.6,16. Eſa.8.20. Luc.16,29. Valeant Pontificii & Jeſucidæ, à DEO ad Papam, à verbo veritatis ſcripto, ad verbum vanitatis non ſcriptum, h. e. ad traditiones Papales nos abducere laborantes. Valeant cum Calvinianis Enthuſiaſtæ, Weigeliani, Anabaptiſtæ & alii fanatici, qui Verbi miniſteriô ſpretô aut rationis dictamen ſectantur, aut raptûs violentos; aut tabulas Rhadamanti, neſcio quas, nobis deprædicant.

IV. *In ſtudioſa præſumtionis devitatione;* quô morbô Legiſperitus hicce, cum multis ſui ſimilibus aliis, cum præſentiſſimo animæ ſalutiſq; diſpendio laborat. Vide Domin. XI. poſt Trinit. Theophylactus ita: *Laudatus à Salvatore Legiſperitus, prodidit inſolentiam animi: dixit enim; & quis eſt meus proximus? Exiſtimabat enim, ſe juſtum eſſe, multumq; habere ſibi ſimilem, & proximum virtute; putans ſolum juſtum juſto proximum eſſe. Proinde volens juſtificare ſeipſum, & extolli ſuper omnes homines, inſoleſcens inquit: Et quis eſt meus proximus?*

Samaritanus Chriſtus. Meritum Chriſti.

V. *In accurata Samaritani contemplatione,* quâ nobis oſtenditur

1. CHRISTI *meritum*, quod duabus quaſi partibus principalioribus abſolvitur; incarnatione & paſſione ejus. Notetur
   1. illius *adſpectus* benignus; Pſal.10,14. & 121,4.
   2. paternus *adfectus;*
   3. ſalutaris *attactus.*
2. *Verbi miniſterium,* quod vinum & oleum vulneribus, arte & induſtriâ humanâ ἀνιάτοις, inſtillat.
3. *Noſtrum erga proximum debitum.* Huc ſpectat parabolæ explicatio, quam habet Theophylactus: illam, quandoquidem ad meliorem textûs Evangelici intelligentiam & adplicationem non parùm facit, huc adſcribere, operæ precium duximus. Sic autem ille: *Docet parabola, quanta DEI bonitas erga homines. Deſcendebat enim humana natura à Hieruſalem, h. e. à tranquilla & pacifica vita: Viſio enim pacis Hieruſalem interpretatur. Quò autem deſcendit? In Hierichô humilem & æſtu ſuffocantem, h. e. vitam adfectionibus plenam. Vide autem, quòd non dixit, deſcendit, ſed deſcendebat: ſemper enim humana natura ad inferiora proclivis eſt; non ſemel, ſed ſemper vita adfectionibus debitæ vacans. Incidit autem in latrones, i. e. dæmones, qui exuto homini & ſpoliato veſtibus virtutum, plagas inferunt peccati.*

Pri-

Primùm enim denudant nos omni bonâ cogitatione & viſitatione DEI: deinde plagas peccati inferunt. Porrò naturam humanam ſemimortuam reliquerunt; vel quòd anima immortalis, corpus autem mortale, & ita dimidium hominis morti ſubditum eſt; vel quòd non omninò deſperata eſt humana natura. In Lege cum grano ſalis. CHRISTO enim ſalutem ſe habere ſperavit; & ita neq; moriatur omninò; ſed propter ruinam Adæ mors in mundum intravit; propter CHRISTI autem juſtificationem mors abolenda eſt. Per Sacerdotem & Levitam, legem intellige & Prophetas: illi enim volebant juſtificare humanam naturam, ſed non potuerunt. Miſerti itaq; ſunt hominis, & de ejus ſanitate cogitârunt: deinde plagarum magnitudine victi, ad poſteriora iterum regreſſi ſunt; hoc enim ſignificat, ἀντιπαρελθεῖν. Venit enim lex, & adſtitit jacenti: deinde non valens ſanare, reverſa eſt. Sed Dominus & DEUS noſter, qui propter nos factus eſt maledictum, & vocatus Samaritanus, iter faciens, i. e. hanc potiſſimùm ſui itineris cauſam eſſe voluit, & hunc ſcopum obſervavit, ut nos ſanaret. Proinde ſtatim obligat vulnera, neq; permittit malitiam ampliùs laxari, ſed obligat eam. Infundit oleum ac vinum: oleum h. e. ſermonem doctrinæ, qui per ſuavia nos adhortatur: vinum verò, ſermonem qui per auſteriora inducit ad virtutem &c. (NB. Nimis longè petitum videtur, quòd vinum de divina, oleum de humana CHRISTI natura dictus auctor interpretatur.) Porrò Dominus impoſuit ſauciam noſtram naturam ſuper proprium jumentum, h. e. ſuper corpus ſuum. Membra enim ſua nos fecit, & participes ſui corporis. Diverſorium autem Eccleſia, quæ omnes ſuſcipit: Lex enim non omnes ſuſcipiebat. Deut. 23. &c. Tenet autem figuram hoſpitis omnis Apoſtolus, & Doctor, & Paſtor, quibus dedit Dominus duos denarios, duo Teſtamenta, vetus & novum. Dixit autem: quicquid ex tuo inſumſeris, ego dabo tibi. Reverâ enim de ſuo Apoſtoli multa inſumſerunt, multùm laborantes, & omnem doctrinam ſeminantes. Hactenus ille. Concludimus votô Eccleſiæ: Omnipotens ſempiterne DEUS, da nobis fidei, ſpei & caritatis augmentum, & ut mereamur adſequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 17. à verſ. 11. ad 20.

11. ΚΑὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ αὐτὸς

11. ET factum eſt, dum iret Hieroſolymam, & ipſe tranſibat

διήρ-

διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.

12. Καὶ εἰσερχομένου αὐτοῦ εἴς τινα κώμην, ἀπήντησαν αὐτῷ δέκα λεπροὶ ἄνδρες, οἳ ἔστησαν πόρρωθεν.

13. Καὶ αὐτοὶ ἦραν φωνὴν, λέγοντες, Ιησοῦ ἐπιστάτα, ἐλέησον ἡμᾶς.

14. Καὶ ἰδὼν εἶπεν αὐτοῖς πορευθέν-
Levit. 14. 2 τες ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι· καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς, ἐκαθαρίσθησαν.

15. Εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν ἰδὼν, ὅτι ἰάθη, ὑπέστρεψε, μετὰ φωνῆς μεγάλης δοξάζων τὸν Θεόν.

16. Καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ· καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης.

17. Αποκριθεὶς δὲ ὁ Ιησοῦς εἶπεν· οὐχὶ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν; οἱ δὲ ἐννέα ποῦ;

18. Οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος;

19. Καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἀναστὰς πορεύου, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.

per medium Samariam & Galilæam.

12. Et cùm ingrederetur quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt procul.

13. Intentaq́ voce dixerunt: JESU Præceptor, miſerere noſtri.

14 Quos ut vidit, dixit illis: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, ut inter eundum mundati ſint.

15. Unus autem ex illis, ut vidit, quòd mundatus eſſet, regreſſus eſt cum voce magna DEUM glorificans

16. Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias agens ei: & hic erat Samaritanus.

17. Reſpondens autem JESUS dixit: Nonne decem mundati ſunt? Novem autem illi ubi?

18. Non ſunt reperti, qui redierint, ut darent gloriam DEO, niſi hic alienigena?

19. Et ait illi: ſurge, vade: fides tua te ſervavit.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PErtinet hoc Evangelium ad genus cauſarum Demonſtrativum. Continet enim hiſtoriam & miraculum de decem leproſis, in via à Salvatore JESU CHRISTO ſanatis. Partes enarrationis conſtituimus:
I. *circumſtantiarum quarundam conſiderationem;*
II. *miraculoſam leproſorum curationem;*
III. *eventûs vel effectûs connotationem* complectetur.

In

PARS I.

In circumſtantiarum deſcriptione occurrit

1. *tempus*, quando evenerit hoc miraculum, nimirùm dum iret JESUS Hieroſolymam; quò ipsò indicatur ultima ejus profectio, *αὐτομάτως* ad paſſionem & mortem crucis ſuſcepta.

2. *Locus*, qui duplex;

   1. *per quem*, ſcil. per mediam Samariam & Galilæam, cùm tranſiret vel attingeret fines gentium.

   2. *In quo*; in quodam caſtello, vico vel oppido cujus nomen non exprimitur. Κώμη dicitur, quæ dictio caſtellum exiguum notat.

3. *Objectum*, vel perſonæ curandæ;

   1. *quot?* Decem.:

   2. *quales?* Leproſi, de quorum extrema miſeria & horribili morbi fœditate lege Levit. 13, & 22. Græcis λέπρα eſt παρὰ τὸ λέπω, quod eſt ἐκδέρω, decortico; cutem enim lepra ſcabram & horridam reddit. Eſt enim lepra præcipuè morbus abominabilis, & fuit in populo DEI pleruną; pœna certorum & notoriorum peccatorum, ut oſtendunt exempla, Miriam ſororis Moyſis; Num. 12, Gehaſi famuli Eliſæi; 2. Reg. 5. & Uriæ Regis in Juda. 2. Par. 26. &c. Fuit itaq; flagellum DEI, & argumentum iræ divinæ, & ſupplicium peccati. Et ſicut per conſtitutionem Moſaicam excludebatur leproſus ex hominum contubernio: ita arguebatur talis in conſcientia, quòd meritus eſſet excluſionem etiam è regno DEI, ita ut eſſet lepra viva concio de peccato ejusq; abominatione coram DEO. D. Chemnit. cap. 125. inquit: *Hîc ante omnia notandum, quòd apud vicum tàm exiguum decem leproſi habitant; unde colligere licet, quòd lepra apud Judæos fuerit plaga admodum vulgaris. Et quidem poſſent fortaſſis hujus rei etiam cauſæ naturales reddi, quòd regiones orientales ſint calidiores, ubi ſanguis facilè aduritur: ſed apud Iſraëlitas populum DEI, fuit hoc prorſus peculiare.*

   λέπρα. Lepra qualis morbus.

4. *Cauſa ſanationis προκαταρκτικὴ*, quæ præter lepram fuit petitio, adjunctis geſtibus amplificata. Nam

   1. procul ſtant, quæ eſt humiliatio corporis & decorum civilitatis. Sic enim per Moſen DEUS ordinarat, ut leproſi à cœtibus hominum ſemoti, extra civitates & conſortium hominum habitarent. Levit. 13, 46.

2. Voce intenta clamant; dicuntur enim extuliſſe vocem ſuam; quia leproſi natura ſunt rauci. Significatur verò fiducia cordis.

Petitio ipſa habet confeſſionem oris: JESU Præceptor, miſerere noſtri. Agnoſcunt igitur CHRISTUM

1. Salvatorem, θεάνθρωπον.

ἐπιστάτης. 2. ἐπιστάτην, præfectum & præpoſitum aliis, rectorem, qui noverit omnia, & imperandi poteſtatem habeat. Agnoſcunt itaq; illum non ſe ſolùm longè ſuperiorem & præſtantiorem; ſed morbis etiam omnibus valentiorem.

3. Sola DEI miſericordiâ nituntur in precibus ſuis; ſiquidem nihil habeant omnium, quò ſe ipſi commendare poſſent.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Gentium etiam Salvator Chriſtus. I. CHRISTUS etiam propter gentes venit, quas h. l. in tranſitu ſuo amicè quodammodo ſalutare voluit. Dictum eſt de hac materia alibi copioſiùs. Illud autem Salvatoris, Matth. 10, 5. mandatum fuit temporale. D. Theodor. pag. 629.

II. Lepra admonet de magnitudine peccati, quod verè eſt animarum lepra. Eſa. 1, 6. Job. 15, 16. Eſa. 59, 2. Gen. 6, 5. Rom. 6, 19.

Lepræ cũ peccato comparatio. III. Comparatur autem lepra cum peccato

1. ratione originis, quatenus homini non concreatur, ſed accidit: Gen. 1, 30. & 5, 3. Sap. 2, 23. Sir. 10, 14. & 15, 14. & ſeqq. Pſal. 5, 5. Rom. 5, 19.
2. ratione qualitatum, effectuum & operationum; quatenus
   1. totum hominem occupat & corrumpit. Gen. 6, 5. & 8, 21. Pſal. 38, 8. Eſa. 1, 6. 7. Rom. 8, 7.
   2. facilè alios inficit: Pſal. 51, 7. Joh. 3, 6. Sir. 13, 1.
   3. deformem hominem efficit: Pſal. 14, 2. Dan. 9, 7.
   4. tumidos & inflatos reddit: Sir. 10, 14.
   5. raucedinem inducit. Pſal. 14, 5. Vide in hanc ſententiam plura Dom. 3. poſt Epiph. & D. Finck. h. l. D. Theodor. pag. 631. 632.

Morborũ cauſa. IV. Morborum cauſa communis eſt peccatum, tàm originale, quàm actuale: Deut. 28, 22. Job. 33, 19. Sir. 10, 27. Pſal. 107, 17. 18. Prov. 23, 28. D. Theod. p. 630.

V. Omnes morbi ſunt flagella DEI, & monitores de reatu, quem ſua quisq; culpâ contrahimus.

VI.

VI. Oratio Dominica omnes concludit ſub peccatum. D. Finckius, centur. 3. can. 20.

VII. In Scriptura ſacra deſcribuntur peccata propria & aliena. Idem ibidem can. 21.

IIX. DEUS non vult, contagioſis morbis correptos cum ſanis miſceri, alioſq; ſua converſatione inficere. Levit. 13, 46. Num. 12, 14. 2. Par. 26, 21. Morbis contagioſis infecti non inficiant alios.

IX. Ab excluſione autem leproſorum à populo, ad excluſionem à DEO, non valet conſequentia. D. Finck. cent. 4, 19.

X. Sic à peccatis conſideratis ſecundum legem, ad conſiderata ſecundum Evangelium, non tenet conſequentia. Ibid. can. 87.

XI. Monemur de miſeria generis humani. D. Theod. pag. 630. Miſeria humana.

XII. Teſtantur ſacræ literæ, lepram inter Judæos plagam fuiſſe magis, quàm apud alios populos, familiarem: peccata enim in populo DEI graviùs & citiùs puniuntur. 1. Pet. 4, 17. Luc. 12, 47. Job. 10, 14. Lepra inter Judæos frequentior.

XIII. In Scripturis varia adnotatur lepra; (1) lepra Simoniæ; 2. Reg. 5, 27. (2) lepra *αὐθαδείας* ſeu ſingularitatis; 2. Reg. 5, 11. (3) lepra murmurationis; Num. 12, 10. (4) lepra ambitionis; 2. Par. 26, 21. (5) lepra ſuperioritatis adfectatæ; Num. 12, 10. (6) lepra dubitationis; Exod. 4, 6. (7) lepra familiæ. 2. Sam. 3, 29. Lepræ ſpecies.

XIV. A lepra ſpirituali h. e. a peccatis mundari qui volunt, imitentur decem hoſce leproſos, Peccati mundatio.

1. *morbum* h. e. peccatum *non diſſimulando;*
2. **CHRISTO** *occurrendo*, & auxilium apud ipſum quærendo;
3. *verâ fide miſericordiam ejus implorando*, h. e. orando;
4. *miniſterium verbi & Sacramentorum non adſpernando*. ſed uſurpando; Confer D. Theodor. pag. 633. 634. & Thold. pag. 864.

XV. Calamitates ad CHRISTUM ire nos compellunt. Oſe. 6, 1. Pſal. 107, 19. 28. Eſa. 26, 19. & 28, 19. & 65, 25. Sap. 12, 1.

XVI. Eſt & hic quidam crucis effectus, quòd inter ſe conjuncti & unanimes quandoq; vivant, etiam illi, qui cane alias & angue pejus ſe mutuò oderunt, averſantur & exſecrantur. Joh. 4, 9. Crucis effectus.

XVII. Fidei ea eſt natura, quòd abjectis omnibus mundanis præſidiis, ad meram ſolam DEI confugiat miſericordiam. Fidei natura.

XIIX. Morbis ergò & aliis calamitatibus impliciti, ad CHRI-

Digitized by Google

STUM confugiamus, excitati ejusdem mandatô, promiſſionibus, juvandi promtitudine, exemplis aliorum. Pſal. 50, 15. & 145, 18. Matth. 11, 28. Luc. 11, 9. Sir. 2, 11. & ſeqq. Hebr. 4, 16.

ægris quid faciendum XIX. Ægrotis quid faciendum. Non quærant media illicita; 2. Reg. 1, 2. non in Medicis confidant; 2. Par. 16, 12. ſed (1) morbum agnoſcant; (2) Dominum rogent; Sir. 38, 9. (3) mediis utantur legitimis. Eſa. 38, 21. Sir. 38, 12.

XX. DEO in ejusmodi corporalibus nihil quicquam præſcribamus; Pſal. 123, 2. Joh. 3, 5. patienter exſpectantes horam auxilii. Pſal. 9, 18. & 130, 5. 6.

Precandi methodus. XXI. Methodus precandi conſpicitur in leproſis. (1) Non ſunt multiloqui: Matth. 6, 7. (2) orant ex fide; Jac. 1, 6. (3) ſolam DEI miſericordiam intuentur. Pſal. 51, 2. Dan. 9, 18. Rom. 4, 4.

Infectis quid faciendum. XXII. Leproſi, contagioſi, peſte infecti conſortia hominum declinent. Levit. 13, 14. 1. Cor. 13, 5. Vide D. Theod. pag. 635.

XXIII. Bona etiam corporalia à DEO ſunt petenda. Ib.

Peſtis tempore quid agendum & cogitandum. XXIV. Quid cogitandum, quid agendum tempore graſſantis peſtilentiæ; Duo nimirùm præcipuè ſunt attendenda:

1. Morborum cauſa, fons & origo inveſtiganda. Mundus eſt Xenodochium: morborum
   1. cauſa permittens, eſt DEUS:
   2. cauſa efficiens, permiſſu DEI eſt diabolus, venator ille malè feriatus; cui patrocinatur ira DEI:
   3. cauſa promerens eſt peccatum.

Peccati cura. 2. Cum peccato autem rectè procedendum; curatur illud
   1. ingenuâ confeſſione & agnitione;
   2. peccati ſpecificatione at inter nos Imperativus caret primâ perſonâ:
   3. fidei inflammatione; hæc anima pœnitentia;
   4. miniſterii conſultatione:
   5. peccati devitatione. Pœnitentia iram DEI mortalem facit.

PARS II.

Sanatio vel curatio leproſorum tria continet:

1. Dominicam viſionem, quæ eſt cauſa auxilii προκαταρκτικὴ. Indicatur autem fides, quam ſolam in leproſis reſpexit; erat enim καρδιογνώστης.

2. Sanandi rationem, quæ fit verbô: *Ite & oſtendite vos Sacerdotibus*

bus. Cur hoc? Non certè ut ſingula peccata in aures confiteantur, uti Romanenſibus hoc locô ineptire, & carnificinæ conſcientiarum, in ſingulorum & omnium peccatorum per omnes circumſtantias enumeratione, patrocinium quærere, placuit: ſed factum eſt hoc, *(1) partim* propter ipſos leproſos, quorum fidem, obedientiam, conſtantiam & gratitudinem ita probare & explorare voluit; *(2) partim* propter ſpectatores & auditores, ut miraculum ipſis reddatur tantò conſpectius; ſimulque illi ſciant, ordinationes politiarum publicas eſſe conſervandas, nec temerè quidquam faciendum, quod harum ordinem turbet. *(3) Partim* propter miniſterium & legem de inſpectione lepræ; Levit. 13, 3. & 14, 2. Cognitionem enim lepræ, & emundationem ſanatorum per ſacrificia & ceremonias Leviticas DEUS Sacerdotibus commiſerat. Debebat igitur accedere judicium Sacerdotum & teſtimonium, quòd hi leproſi planè & plenè eſſent reſtituti; & ut daretur eis poteſtas integra converſandi deinceps cum ſanis, in publica hominum congregatione. *(4) Partim* propter miraculum, cui publicum Sacerdotes dare debebant teſtimonium. *(5) Partim* denique propter ipſos Sacerdotes, quos vel propriô vult judiciô damnare ac convincere, ut vel tandem ex ſignis ſeſe Meſſiam agnoſcere incipiant, aut poſtmodum eſſent ἀναπολόγητοι, inexcuſabiles. Interim nihil etiam ipſis Sacerdotibus vult detractum: ut mandatum hujus loci; ite & oſtendite vos Sacerdotibus complendum ſit ex eo, quod præcipitur leproſo Matth. 8, 4. & offerte munus, quod juſſit Moſes, in teſtimonium illis. **Lepræ cognitio.**

3. Subitaneam ſanationem, quæ eſt effectus ipſe. Præcepto enim CHRISTI obſequentes leproſi, dum abeunt, inter eundum adhuc, priusquam ad Sacerdotes veniant, (ad 20. enim fermè milliaria eundum ipſis erat) mundantur, tùm ut Majeſtas & omnipotentia CHRISTI eluceſcat; tùm ut Sacerdotes gloriam CHRISTO non præcipiant, aut factum pro more calumnientur.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. CHRISTUM eſſe veram Meſſiam probatur ex hoc miraculo. Quicunque enim lepram ſolô nutu & verbô, & quidem abſens ſanat, is eſt verus Meſſias. Eſa. 35, 5. Pſal. 86, 10. 2. Reg. 5, 7. Chriſtus Jeſus eſt Meſſias.

II. Ratio in divinis non eſt conſulenda, ſed ſoli DEI verbo adhærendum, Gal. 1, 16. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 10, 5.

Chriſtus loquitur res. III. CHRISTUS non loquitur nuda ῥήματα, ſed mera πράγματα; illius dicere eſt facere, Pſal 33,9. & 148,4.

IV. Argumentum habemus omnipotentiæ & omnipræſentiæ CHRISTO-Homini communicatæ: miraculum enim hoc eſt verè divinæ potentiæ opus, & tamen Homini CHRISTO tribuitur.

V. CHRISTI quoq; φιλανθρωπία & juvandi προθυμία ſeſe omnium oculis conſpiciendam exhibuit, Eſa. 65,24.

VI. CHRISTUS Legi Moſaicæ ſe ſubjiciens oſtendit, ſe non veniſſe ſolvere Legem, ſed implere, Matth. 5,17. Gal. 3,13. & 4,5.

Papiſtarũ confeſſio auricularis ficta. VII. Nihil h. l. patrocinii, quod quærunt, inveniunt Romanenſes, quô confeſſionem ſuam auricularem, exquiſitiſſimam conſcientiarum carnificinam, ſalvare queant. Non enim dicit, ite & confitemini, ſed oſtendite vos Sacerdotibus, ut de veſtra teſtimonium ferant mundatione, & pro curatione ſacrificium offerant. Confer D. Theodor. pag. 637. 638.

Sanatio ſpiritualis. IIX. Innuitur modus ſanationis ſpiritualis, qui fit remiſſione ad miniſterium verbi & Sacramentorum in Eccleſia. Et hæc eſt cauſa unica, ob quam tam ſeriò & anxiè urgemus auditum verbi & uſum Sacramentorum.

IX. Commendatur ergò nobis verbi miniſterium.

Servitus Dei quadruplex. X. In Scriptura ſervitus quæ DEO fit, quadruplex eſt: (1) Sacerdotum in V.T. Pſ. 113,1.2. & 134,1.2. (2) miniſtrorum in N.T. dum prædicant Evangelium & Sacramenta adminiſtrant, 2. Tim. 2,24 Act. 22,16. (3) omnium piorum, Luc. 1,74. Rom. 7,25. (4) hypocritarum, Rom. 7,6. Joh. 15,15. D. Finck. Cent. 3. can. 63.

XI. Ab intentione miniſtri ad eſſentiam Sacramenti, non valet conſequentia. Idem Cent. 4. can. 37.

XII. A Sacerdotibus Leviticis veteris, ad Sacerdotes ſpirituales N.T. non valet conſequentia; immò nec a ſpiritualibus ad miniſteriales. Idem Cent. 4. can. 53.

XIII. Si CHRISTUS malos ſacerdotes voluit honorari; quare Sacerdotes magis bonos, fideles, gnavos & induſtrios, Heb. 13,17. 1. Tim. 5,17. honorandi Confer D. Theod. pag. 636.

XIV. CHRISTUS ſolus à lepra peccati nos liberat, Gal. 4,4. Eſa. 53,6.7. 1 Joh. 1,7. & 5,6. Heb. 12,22

XV. Si CHRISTO mandanti obtemperamus, felix rerum ſubſequitur ſucceſſus.

Peccati lepra ſanatur & quomodo? XVI. A lepra peccati homo Chriſtianus liberatur,

1. *ad* CHRISTUM *properando;*
2. *Eccleſiæ ſeſe adgregando*, ad quam remittimur;
3. *peccatum humiliter agnoſcendo;*
4. *promiſſionibus & verbo Dei firmiter innitendo;*
5. *obſequium præſtando;*
6. *miniſterium adeundo & venerando.*

PARS III.

Eventum miraculi quod ſpectat, in ſanatis ille diſpár admodum deprehenditur; bonus & malus. *Bonus* in unico Samaritano, qui pro ſanationis beneficio gratum ſeſe præſtabat. Gratitudo ipſius commendatur

1. *à cauſa impulſiva*, cùm enim vidiſſet ſe ſanatum, beneficii recordatur, nec ulteriùs progreditur, antequam ad benefactorem reverſus, grati animi declarationem demonſtrarit.

2. *A ſignis.* Nam 1. revertitur ad CHRISTUM, fontem beneficii:
2. procidit in faciem ante pedes JESU, in ſignum ſubjectionis & agnitæ indignitatis indicium:
3. voce magnâ glorificat Deum, quod animi eſt valdè læti & grati τεκμήριον:
4. gratias illi agit: ex abundantia enim cordis os loquitur.

3. *A perſonæ conditione* vel qualitate; erat Samaritanus, à quo tale quid ſperare vix quiſquam auſus fuiſſet. Gloſſa ordin. putat, reliquos novem leproſos per Sacerdotes Judæorum fuiſſe ſeductos, qui virtutem & efficaciam mundationis non verbis JESU CHRISTI, ſed ſacrificiis ſuis adſcripſerint. Sit fides penes auctorem; mihi illud (inter eundum) aliud perſvadet, ut credam, propriâ illos malitiâ fuiſſe ingratos.

Malus miraculi eventus conſpicitur in ceteris leproſis, Judæis, quorum ingratitudo graviter perſtringitur, exaggerata

1. *multitudine* vel numerô ſanatorum;
2. *effectu*, cujusmodi ſunt,
   1. *abſconſio*: novem autem ubi ſunt? Interrogat CHRISTUS, non quòd neſciret, ſed ut ingratitudinem eorum & reprehenderet, & aliis notam faceret.
   2. *Ingratitudinis exprobratio:* an non ſunt reperti, qui redirent.
   3. *Gloriæ denegatio.*

3. Ge-

Digitized by Google

3. Generis conditione, κατ' ἀντίθετον: hic alienigena eſt, illi Judæi ſunt & Galilæi.

Concluſio Evangelii habet encomium Samaritani, quô cum CHRISTUS tùm novô beneficiô ornat, animæ ſalute; tùm fidei illius præclarum teſtimonium perhibet, cujus ſolius intuitu ſanatus fuerat corpore & animô. Atque ita DEUS ſua in nobis dona coronat.

Quod enim gratus Samaritanus CHRISTO tribuebat & acceptum ferebat, hoc ipſe viciſſim fidei illius tribuendum & acceptum ferendum pronunciat. Hujus enim gratitudine delectatus Dominus, reliquorum autem ingratitudinem non ſine admiratione deteſtatus;

1. adprobat factum grati animi:
2. antefert alienigenam ſuis ipſius popularibus, qui hac in parte poſteriores ferebant:
3. tribuit ei præconium fidei: &
4. jubet eum ſurgere & vadere, confirmans collatum ſanitatis beneficium, & gratiam ſuam deinceps quoque ei pollicens. Exemplum memorabile, cujus imitatio nobis debet eſſe commendatiſſima, ne reperiamur inter ingratos, qui debitum DEO honorem ac laudem ſubtrahentes, indignos ſe faciunt acceptis beneficiis, & locô favoris divini iram ſibi ac pœnas poſteà accerſunt, ut à domo ipſorum malum non recedat, Prov. 17, 13.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Eccleſia eſt paucorum.

I. Vera Eccleſia eſt paucorum, Luc. 13, 23. Matth. 24, 24. Contrà Eccleſia malignantium eſt multorum, Pſal. 12, 9.

Eccleſiæ nota nô eſt multitudo

II. Multitudo itaque, quod Eſavvitæ volunt, non eſt vera, propria & adæquata Eccleſiæ nota, Matth. 7, 14. & 22, 14.

III. Beneficiorum DEI nos facilè capit oblivio, Deut. 32, 6. Eſ. 1, 2. Eccl. 5, 3. Pſ. 50, 14. Prov. 17, 13. Gen. 40, 23. Exod. 1, 8.

IV. Quando pœna eſt ſublata; tunc plerique hominum redduntur deteriores, Joh. 5, 14.

V. Imitandum proponitur omnibus exemplum Samaritani grati, Pſ. 69, 32. Hebr. 13, 15. Gen. 32, 10.

Gratitudo erga Deum

VI. Gratitudo enim DEO pro præſtitis beneficiis exhibenda,

1. propter mandatum;

2. propter immenſum beneficiorum cumulum;

3 pro-

3. propter commodum:

4. propter exemplum. Vide D.Theod. pag.640.641.

VII. Gratitudo autem eſt declaranda,

1. absque mora;

2. voce magnâ;

3. corde intimô;

4. geſtu decorô. Idem p.641. 642.

IIX. De ingratitudinis turpitudine, vide ibid p.642.643. Ingratitudo.

IX. Non ſatis eſt, benè cœpiſſe in fide, perſeverantia vel maximè opus eſt, Matth.24,13. 2 Pet.2,20. 21. Ibid.p.644.

X. Fides poteſt amitti, Ezech.18,26. Luc.11,24. Rom.11,20.21. 1.Cor.9,27. & 10,12. 2.Pet.2,20.21. Apoc.3,11.

XI. Confeſſio fidem comitatur, Pſ.116,10. Rom.10,10. Confeſſio.

XII. CHRISTUS etiam quà Homo religiosè adorandus.

XIII. De genuflexione inter orandum adhibenda.

XIV. Et DEO, & fidei ſalus transſcribitur: DEO ut cauſæ efficienti; fidei ut medio & organo, ad ſalutem deſtinato. Vide D.Theodor. pag.645. Salus fidei adſcribitur.

XV. In Eccleſia viſibili permixti ſunt pii & impii. D. Theod. pag.645.

XVI. Fides in Scriptura ſacra datur quintuplex: Fides quintuplex.

1. hiſtorica, quam & diaboli habent; Jac.2,19.

2. particularis;

3. miraculoſa; Matth.7,22 Luc.17,6 1 Cor.13,2

4. temporaria, qualem novem ingrati habuerunt;

5. vera & ſalvifica, qualis in Samaritano prædicatur.

XVII CHRISTUS abſolvens Samaritanum, denuò verum ſeſe DEUM eſſe teſtatur, qui eſt benedictus in ſecula.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Auguſtinus: *Magnus venit Medicus, quia magnus ubiq; jacebat ægrotus.* Verè hoc dictum! Paſſim enim locorum variis morbis correptos Salvatorem CHRISTUS ſibi habuit obvios ægrotos, idque præſens Evangelium ὀφθαλμοφανῶς demonſtrat: illuſtre enim continet miraculum, in decem leproſis ſanatis editum. Nos pro meliori textûs prælecti intelligentia duo conſiderabimus:

I. *miraculoſam leproſorum ſanationem*;

II. *diſtinctam eorundem poſt ſanitatem impetratam, erga Medicum declarationem*.

PARS I.

Quoad primam enarrationis partem, attendatur

I. miraculi ἀφορμὴ ſive *occaſio*, quam ſuppeditavit

1. *CHRISTI peregrinatio*, quæ oſtendit nobis

1. *terminum ad quem*; tendebat CHRISTUS Hieroſolymam. Admonet nos hæc circumſtantia, de ſcopo itineris ſuſcepti primario, qui erat, offerri corporis ſui hoſtiam DEO Patri εὐάρεστον, cujus offerendæ tempus jam jam imminebat.

2. *Terminum per quem*; iter fecit per mediam Samariam & Galilæam. Ter enim regiones iſtas peragraſſe CHRISTUS commemoratur.

3. *Locum proprium*, qui dicitur caſtellum; quale fuerit incertum; in Galilæa autem vel Samaria fuiſſe, ex hoc textu liquet.

2. *Decem leproſorum occurſatio*. Illi enim auditâ bonâ de CHRISTO famâ, quòd nemini auxilium denegaret, ſtatuebant & ipſi opem ejus implorare. Morbus ſiquidem erat humanâ ope, arte & induſtria planè ἀνίατος. Lepra pœna erat DEI graviſſima, quâ enormia ſolebat peccata plectere; nimirùm:

Lepra pœna peccatorum graviorum.

1 ſeditionem; Num. 12, 10.

2 πολυπραγμοσύνην; 2. Par. 26, 19.

3 homicidium; 2 Sam. 3, 29.

4 impoſturas, fraudes, & mendacia, cum deteſtanda avaritia conjuncta, 2 Reg. 5, 27

5. ἀσέλγειαν καὶ πορνείαν. Dicuntur autem decem illi leproſi

1. *à longè ſtetiſſe*, nolentes ſeſe odioſè hominum mundorum contubernio & converſationi ingerere: divina enim Lege è cœtibus hominum ſecedere jubebantur, Levit. 22, 4 Num. 5, 2.

2. *Altâ voce clamâſſe* quantum quidem per raucedinem, morbo illi q. propriam, poterant. Conſpicitur verò inde (1) *tùm* præcepti divini obſervatio; (2) *tum* proximi dilectio, utrumque commendationem meretur.

3. *Leproſorum oratio*, quâ CHRISTO adpropinquant. Porro oratio leproſorum complectitur tria:

1. *veram CHRISTI agnitionem*: invocant JESUM, h. e. ſi vim vocis attendas, Magiſtrum ſalvationum.
2. *Indignitatis confeſſionem.*
3. *Miſericordiæ implorationem*: abyſſus miſeriæ invocat abyſſum miſericordiæ. Fatentur brevi hac oratione,
   1. CHRISTI omnipotentiam;
   2. Meſſiæ officium;
   3. Cordis ſui fiduciam. Hæc miraculi occaſio, ſequitur

II. *Miraculi μορφὴ forma vel ratio.* Diverſus eſt hic curationis modus ab aliis. Sanabat aliàs CHRISTUS ægros utplurimùm vel verbô, tàm præſentes, quam abſentes; vel manûs impoſitione & attactu; vel ſputi illinitione &c. Hos verò leproſos ſanat,

1. *adſpectu benigniſſimô.* Videre reſpectû DEI cum operatione efficaciſſima ſemper eſt conjunctum, & idem eſt quod exaudire, quoad pios. Videre Dei cum effectu.
2. *Juſſu clementiſſimô*: ite & oſtendite vos Sacerdotibus, non Leproſi ad Sacerdotes miſſi & cur
   1. *in confeſſionis auricularis* (quod Pontificii ſcriptores & doctores ineptiſſimi volunt) *confirmationem; ſed*
   2. *in Legis divinæ ratificationem;*
   3. *Sacerdotumq́ commonitionem;*
   4. nec non *in miniſterii conſervationem;*
   5. *& obedientiæ deniq́ explorationem. Sacerdotes enim*, uti Theophylactus habet, *probabant tales, & ab illis ſententiam accipiebant, an mundi eſſent, vel non. Habebant enim ſigna Sacerdotes, per quæ inſanabilem lepram inveſtigabant: ſed & quando leprâ quis infectus, & poſteà ſanitatem adſecutus erat, eum Sacerdotes probabant, & donum offerebatur in Lege præceptum. Hoc autem locô, cùm ex confeſſo eſſent leproſi, quid opus erat ſe oſtendere Sacerdotibus, niſi omninò fuiſſent mundandi? Nam quòd præcipiebat eis, ut ad Sacerdotes abirent, nihil aliud indicabant, quàm quòd mundi futuri eſſent.*
3. *Effectu exoptatiſſimô*; inter eundum enim mundantur; eò quòd crederent CHRISTO promittenti ſanitatem, quam nondum ſentiebant, & parerent illi, ut ad inſpectionem proficiſcerentur, priusquam ſanationem factam viderent.

Uſus I. Informatorius.

Peccati cũ lepra comparatio.

I. De peccati natura, in lepra, morbo exitiali adumbrata.
Conferuntur hæc duo invicem,

1. in origine, *ratione propagationis*, utrumque malum eſt hereditarium, Gen.5, 2. Rom.5, 18.
2. In qualitatibus, & quidem
   1. *ratione curationis*; eſt enim lepra morbus ἀνίατος, arte & induſtriâ humanâ incurabilis; 2, Reg.5, 7. Pſal.49, 8. Jer. 30, 12. Eſ.1, 6.
   2. *ratione contagionis*; Sap.4, 12.
   3. *ratione accretionis*; fœcundum eſt peccatum, non ibi deſinit, ubi incipit: quin &
      morbida facta pecus totum corrumpit ovile:
   4. *ratione enecationis*; der Menſch iſt todt bey lebendigem Lebe: Num.12, 12. Eph.2, 1 Eſ.3, 9. Jer.5, 3.
3. In effectibus & operationibus;
   1. *ratione totalis corruptionis*; Durch Adams Fall iſt gantz verderbt menſchlich Natur vnd Weſen.
   2. *ratione inquietitudinis*: Pſ.38, 4.9. Eſa.57, 21.
   3. *ratione ſitis*, quæ ſedari nequit in leproſis: ita nos
      nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata.

   Reliqua huc ſpectantia pete ex præced. diſpoſ. Confer Monr. theſ.pag.218.219.220.

Morbô epidemicô correptis quid faciendum.

II. Quid agendum morbô, præſertim epidemicô, correptis;

1. *Ad CHRISTUM adcurrendum*;
2. *Ad ipſum voce ſublatâ clamandum*;
3. *Reſipiſcendum*: Habes nonnulla pœnitentiæ requiſita in leproſis;
   1. *peccati deſertionem*; ſtant, non pergunt;
   2. *humilem ſui cognitionem*;
   3. *profundam contritionem*;
   4. *miſericordiæ & gratiæ divinæ adpellationem &c.*
4. *Obtemperandum*: peccant qui
   1. CHRISTUM præterire ſinunt;
   2. moras nectunt;
   3. alium opitulatorem quærunt;
   4. miniſterium contemnunt.

II, Con-

II. Conſolatorius.

De benigna Medici noſtri Jesu Christi erga nos miſeros adfectione: habemus enim ipſum Chriſti erga nos adfectio.

1. ***Dominum promtiſſimum***; Pſal. 13, 6. & 34, 6. Eſa. 65, 24. Matth. 8, 3. & 11, 28. Sir. 2, 11. & ſeqq. promtior ille eſt ad dandum, quàm nos ad accipiendum: Taulerus.
2. ***Dominum mirabiliſſimum***; Eſa. 9, 6. Pſal. 4, 4. & 48, 11. Sap. 16, 12.
3. ***Dominum potentiſſimum***; Luc. 1, 37. Eſa. 59, 1. Eph. 3, 20.
4. ***Dominum humaniſſimum & miſericordiſſimum***: miſericordia & φιλανθρωπία ejus in ſacris paſſim celebratur:
5. ***Dominum ordinis obſervantiſſimum***; ideò enim ad Sacerdotes ablegat leproſos: quæ omnia ſolatio noſtro ſubſerviunt.

III. Monitorius.

De recto in morbis & ægritudinibus corporis, maximè contagioſis & periculoſis, proceſſu. Nam Proceſſus in morbis obſervandus.

1. primò omnium *ad CHRISTUM eſt confugiendum*; Pſal. 34, 6. 7. Exod. 15, 26.
2. *Intentâ voce clamandum*: Pſal. 18, 7. & 130, 1. Eſa. 65, 24.
3. *Peccatum non diſſimulandum, ſed ſeriò deprecandum.* Aut enim pœnitendum, aut ardendum. Pſal. 32, 3. & 51, 2. 3. Eſa. 1, 16. Sir. 5, 8. Matth. 3, 2. Luc. 15, 21. & 18, 13. Act. 3, 19. Ad veram autem pœnitentiam requiritur.
   1. *peccatorum abdicatio*; Pſal. 34, 15. Prov. 23, 4. Sir. 21, 1. Pœnitentiæ requiſita.
   2. *Sui humiliatio*; ſtant procul; Gen. 18, 27. & 32, 10. 1. Sam. 7, 18.
   3. *Mentis contritio*; Pſal. 51, 19. Eſa. 66, 2.
   4. *Gratiæ & miſericordiæ divinæ imploratio*; Jerem. 31, 20. Oſe. 11, 8. *per miſerere mei tollitur ira DEI.*
4. *Mandatis CHRISTI ſatisfaciendum*; Luc. 10, 16. & 19, 29.
5. *Miniſterium non negligendum.*

IV. Refutatorius.

Pontificiorum à mundatione leproſorum ad totalem peccati per Baptiſmum in renatis ſublationem argumentantium; Scherer. poſt. p. 554. b. Alſo gehet es auch geiſtlich in der Tauff zu/ die getaufften werden warhafftig rein von der Erbſünd durch dieſes Waſſerbad/ dermaſ- Papiſmus de totali peccati abolitione.

 ſen/

ſen/daß die kleinen Kindlein nach empfangener Tauff/reine vnd heilige Engel für GOtt ſeyn / ohn alle ſündliche Befleckung / ſie bleiben nicht nach der Tauff voll der Erbſünde wie zuvor. Diximus de hoc argumento antehac ſæpiùs. Sciendum autem, (1) aliud eſſe verè, aliud perfectè. (2) Verè quidem in Baptiſmo regenerantur & ſanctificantur infantes; verè etiam peccatum tollitur; at ſanctificatio non illô unô ſtatim momentô perficitur. Et (3) diſtinguendum inter regenerationem & renovationem ſive ſanctificationem. (4) Diſtinguendum etiam inter peccatum ratione reatûs, & ratione dominii; item inter peccatum, quatenus conſideratur in prædicamento qualitatis, ut vitioſitas; & quatenus conſideratur in prædicamento relationis, ut eſt aliquid damnabile. Reatus & damnatio in Baptiſmo tollitur; vitioſitas non item, incipit autem mortificari: & dominium labefactatur; ipſe autem fomes manet. (5) Alii ſic efferunt: peccatum conſideratur vel ratione materialis, quatenus eſt corruptio naturæ, pugnans cum lege DEI; vel ratione formalis ſive reatûs quatenus nos actu reos facit iræ DEI & æternæ damnationis: formale tollitur, manet materiale. Rom. 7,23. Vide D. Gerh. Tom. 4. L. C. pag. 1048. & ſeqq. ubi aliquot in medium productis argumentis probat, manere peccati reliquias poſt Baptiſmum; ex Scripturæ dictis; ſanctorum querelis, cohortationibus Apoſtolicis; aliis loquendi formulis; propagatione labis originalis; actualibus baptizatorum peccatis; hujus vitæ miſeriis & calamitatibus &c.

PARS II.

Quoad ſecundam Evangelii partem, ſanitas quidem ex æquo omnibus leproſis, CHRISTI beneficiô eſt reſtituta, & paria beneficia parem requirebant gratitudinem; at non idem ab omnibus σῶςρον Medico perſolvitur. Pleriq; dant *σῶςρον culpabile*, quòd optimo Medico ſummè diſplicet; neq; diſſimulat diſplicentiam ſuam, ſed ingratitudinem ſeverè ipſis exprobrat, deſiderans in illis grati animi τεκμήρια vel ſigna:

1. *reverſionem*, quòd non revertantur, ſed beneficii immemores emaneant;
2. *beneficii recognitionem*;
3. *glorificationem*; improbans, quòd nec gratiis actis, nec habitis, DEO ſanationis gloriam detrahant. Ita patet inde, Judæos iſtos novem ingratos cuculos,

1. non

1. non ſerio CHRISTUM coluiſſe;
2. nec verè in CHRISTUM credidiſſe;
3. DEUM verò ingratitudine ſua vehementer offendiſſe.

Unus autem ex mundatis leproſis reverſus offert CHRISTO Medico ſuo *σωτῆρι laudabile*, pro beneficio collato gratitudinem,

1. *declaratam* 1. *factis*, h. e. 1. *bene sui accepti recognitione;*
   2. *ſuâ ad CHRISTUM regreſſione.*
   2. *geſtibus*, humi procumbit.
   3. *verbis* 1. *δοξολογίᾳ;*
      2. *εὐχαριστίᾳ.*
2. *Adprobatam* à CHRISTO.

Uſus I. Informatorius.

I. De fidei pretioſitate, cui h. l. ſalus, non temporalis, ſed æterna transſcribitur. Eſt enim *ὄργανον*, quô promiſſionem de ſalute excipimus. Vide de natura & proprietatibus veræ fidei locos Theologicos & libellos methodicos. Fides ſal-vat.

II. Quòd JESUS CHRISTUS ſit verus & promiſſus Meſſias, qui morbos ſanavit incurabiles. Matth. 11, 5. Monr. p. 221.

II. Conſolatorius.

1. Quòd cùm hic plurimi à CHRISTO deficiant, nos veluti decimæ CHRISTI ſimus, quas ſibi reſervat, ut ipsô jubente in extremo die ſurgant & ſalutem æternam conſequantur. Mon. p. 225. Decimæ Chriſti.

2. Quòd cùm hic omnia ſint ingrata, nos aliquando ad vocem Redemtoris noſtri Pſal. 90, 3. revertemur, & plenô ore DEUM glorificabimus. Ibid. p. 226.

III. Monitorius.

1. *de DEI ſapientia*. quæ in eo etiam elucet, quòd bonô ſæpè fine nos adfligat; & ſatiùs interdum ſit tolerare crucem, quàm ab eadem liberari. Eſa. 26, 19. & 28, 19. Ingratitudo lepro-ſorum.
2. *De hominum malitia*. quæ in eo ſeſe exſerit, quòd facta CHRISTI calumniari, alioſq; ſeducere ſoleat; utrumq; Sacerdotes feciſſe, veriſimile eſt.
3. *De perſeverantia*, quæ ad ſalutem vel maximè requiritur:
   Non etenim cœpiſſe ſat eſt, juvat uſq; morari.
4. *De hominum ἀχαριστίᾳ*, cumprimis erga miniſterium.

5. De

5. *De Eccleſia*, quæ grex puſillus, Luc. 12, 32. Vide præc. diſpoſ.

Gratitudinis ὁρμητήρια,

6. *De ſtudio gratitudinis*, quod in nobis excitet,

   1. *mandati divini auctoritas*: Pſal. 50, 15. Col. 3, 16. Tob. 12, 20. 1. Theſſ. 5, 17.
   2. *cultûs hujus ſpecioſitas*: Pſal. 50, 23. & 69, 33. Sir. 35, 3.
   3. *ipſa æquitas*: 1. Cor. 4, 7.
   4. *gratitudinis perpetuitas* vel durabilitas: Pſ. 84, 5. Apoc. 7, 12.
   5. *ſumma utilitas*; quia χάρις χάριν τίκτει.
   6. *exemplorum claritas*: Gen. 32, 10. Sir. 47, 9. Marc. 6, 41. Matth. 11, 25. Joh. 6, 11.
   7. *ingratitudinis pravitas* vel fœditas. Modus gratitudinis: fiat
      1. pectore; Pſal. 103, 1. 2. Eph. 5, 19.
      2. Ore; Pſal. 34, 1.
      3. Re. Col. 3, 17.
   8. *pœna gravitas*. Jer. 18, 19. 20. 21. Vide prolixè hanc virtutem commendantem D. Gerh. lib. 5. cap. 19. & 20. Schol. piet.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de fide hiſtorica pro ſalvifica.

Romanenſium, qui fidem hiſtoricam pro fide ſalvifica venditant. Schererus, poſtill. pag. 548. inquit: Daraus denn unwiderſprechlich folget/ (ſcil.) daß der Glaub/den unſere Widerſacher ein Hiſtoriſchen nennen/der recht ſeligmachende Glaube ſey/un ein pur lautere menſchliche Erfindung mit jhren ſpecial Glauben. Errat Jeſuita ſi ita credit; totis enim caſtris à ſe diſſident fides hiſtorica, & fides juſtificans vel ſalvifica. Illâ credimus vera eſſe, quæ in verbo DEI revelata ſunt: hac ſalvamur; eſt enim fiducialis apprehenſio divinæ miſericordiæ propter CHRISTUM promiſſæ. Novimus Bellarminum eandem ſtatuere fidem hiſtoricam & promiſſionum ſalvificam, quem errorem communem ſibi facit Schererus; cui ſententiæ cum D. Gerhardo, Tom. 3. L. C. pag. 1182. hoc opponimus argumentum:

Quorum unum ab altero abeſſe poteſt, ea non ſunt eſſentialiter unum:
Atqui à fide hiſtorica abeſſe poteſt fides juſtificans:
Ergò fides hiſtorica & juſtificans (ut & miraculoſa) non ſunt eſſentialiter unum.

Minoris veritas eſt manifeſta, quoad utramq; partem. Etſi enim fides juſtificans prærequirat notitiam & aſſenſum, ſive fidem hiſtoricam; tamen à fide hiſtorica abeſſe poteſt fides juſtificans, ut patet exemplô

hypo-

hypocritarum, qui nôrunt & profitentur Evangelii veritatem, nec tamen fiducialiter adprehendunt CHRISTUM. Vide d. l. plura

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Principalis hujus Evangelii locus practicus eſt de gratitudine pro beneficiis collatis, DEO Benefactori, & CHRISTO Soſpitatori noſtro declaranda. Eò itaq; collineantes διὰ βραχέων delibabimus *cauſas gratitudinis debitæ impellentes, monſtratô ſimul modô virtutis hujus exercendæ legitimô.* Gratitudinis cauſæ impellentes.

'Εξήγησις.

Cauſas impellentes omnes recenſere nimis & operoſum & prolixum foret: eas itaq; ſolummodò conſiderabimus, quas hodierna nobis Evangelii lectio ſuppeditat: harum verò

I. prima eſt, *miſericordiæ divinæ magnitudo*, hanc demonſtrat CHRISTUS dupliciter:

1. clementiſſimô ſuô ad nos acceſſu. Non enim ſolùm Samaritanis, ſed nobis quoq; illuxit Oriens ex alto. Luc. 1, 78. Pſal. 36, 10. Mal. 4, 2. Eſa. 60, 1. & ſeqq. Pſal. 147, 20. Miſericordiæ Chriſti demonſtratio.

2. Promtiſſimo ad opem ferendam adflictu. Pſal. 50, 15. & 91, 14. 15. Joh. 6, 37. Matth. 11, 28.

II. *Miſeriæ noſtræ multitudo.* Ea verò animis & oculis noſtris dejicitur in imagine decem leproſorum. Lepra in Moſe adſignatur triplex: Lepra triplex.

1. hominum;

2. veſtium;

3. ædium Levit. 13 & 14. capp. Ita per peccatum homo non ipſe ſaltem, corpore & anima conſtans, ſed omnia quoq; creata, quibus homo utitur, vanitati ſunt ſubjecta. Rom. 8, 20. Peccat homo corpore; peccat anima; peccat ſuperbia in veſtitu; peccat faſtu in ſplendidis ad luxum ſæpè & voluptatem erectis ædificiis. De lepræ cum miſeria noſtra comparatione diximus in præcedentibus. Ab omnibus verò iſtiusmodi miſeriis ac peccatis, cùm ſolus nos DEI Filius liberaverit, quid quæſo aliud, quàm perpetua beneficiorum recordatio ac grata deprecatio requireb atur? Pſal. 116, 12.

III. *Ingratitudinis turpitudo* Ethnicis, a vera veri DEI cognitione alienis, vitium iſthoc turpiſſimum extremè erat & inviſum & odioſum: hinc veterum dicteria: *Ingratum dixeris, omnia vitia dixeris*. *Ho-* Ingratitudo ut turpe.

 mine

mine ingratô terra nil pejus alit. Ingratus enim duplex committit peccatum:

Ingratus peccat dupliciter.

1. peccat *mentiendo*, beneficium ſeſe accepiſſe vel oblitus, vel non magni illud æſtimans,
2. *Injuſtitiam exercendo.* Nihil enim tàm eſt ſecundum juſtitiam, quàm ſuum cuiq; tribuere. Negligit hoc ingratus, gratitudinem benefactori ſuo nullam referens & exhibens. Prov. 17, 13. Sap. 16, 29.

IV. *Gratitudinis pulcritudo.* Vide præced.

Ceterùm cùm gratitudinis exercendæ modus, vel non omnibus ſatis innoteſcat; vel à plerisq; ſtudiô fiat hypocriticô, ſimul illud h. l. addiſcere poterimus, gratitudinem noſtram DEO gratam fore & acceptam;

Gratitudinis ergà DEUM modus.

1. *noſtrâ ad CHRISTUM acceßione:* Matth. 18, 20. & 28, 20.
2. *morbi h. e. peccati agnitione & deteſtatione:* 1. Joh. 1, 9.
3. *ingenuâ CHRISTI confeßione:* Matth. 10, 32. Rom. 10, 10. Pſal. 116, 10. Benè hoc in loco Theophylactus: *Procul ſtabant, utpote propter immunditiam, quæ in eis adparebat, erubeſcentes, neq; audebant adpropiare, putantes, quòd abominabiles eſſent eis, ſicut & aliis. Et locô quidem procul ſtant, oratione autem prope fiunt. Propè enim eſt Dominus omnibus, invocantibus ſe in veritate. Et non ſimpliciter orant, ut hominem, ſed ut eum, qui ſupra hominem.*
4. *Ardenti precatione:* Luc. 24, 29. Matth. 7, 7. & 18, 19. Joh. 16, 24. *Praeceptorem nominant*, ait Theophylactus, *h. e. Dominum, curatorem, id quod eſt, putare illum prope DEUM.*
5. *Miniſterii veneratione:* Sir. 7, 33. Gal. 6, 6. 1. Theſſ. 5, 12. 1. Timoth. 5, 17.
6. *Verâ animi humiliatione:* Pſal. 113, 5. & 115, 1. 1. Pet. 5, 5.
7. *Carnis noſtra repreßione:* 2. Cor. 10, 4. Jon. 2, 5. 2. Reg. 5, 13. Rom. 4, 18.
8. *Firmâ fidei ad finem usq; retentione.* Novem ingrati πρόσκαιροι habebant fidem; unus Samaritanus in fide perſeverans finem fidei ſalutem animarum reportat. 1. Pet. 1, 9. Colophonis locô libet adſcribere Allegoriam elegantem, quam Theophylactus conſignavit, his verbis: *Inſinuat hoc miraculum & communem totius humani generis ſalutem fieri. Decem enim leproſi omne genus hominum ſignant, leprâ malitiæ infectum, ac turpitudinem peccati circumferens, & extra regni cœlorum civitatem propter immunditiam conſtitutum, proculq; à DEO ſtans. Et iſtud ipſum procul ſtare ſup-*

plicat;

plicandi ſpeciem habet. Miſericordi enim & valenti omnibus benefacere, magna occaſio eſt ad miſerendum, videre in nullo participem ſuæ bonitatis: propter hoc enim revelavit ſe, ut ſanaret eos, qui tàm malè habebant. Quamvis enim omnem naturam ſanaverit leprâ infectam, pro omnibus & incarnatus & mortuus: attamen Judæi, quamvis à Domino mundati fuiſſent, ab immunditiis leproſi peccati ingrati fuerunt: & non reverſi ſunt à via vanitatis ſuæ, ita ut darent gloriam ei, qui ſalvos eos fecerat, h. e. ut crederent ei, quòd cùm DEUS eſſet, extremam paſſionem tulerit. Hæc enim eſt gloria DEI, caro & crux. Hi igitur incarnatum & crucifixum Dominum gloriæ non ſunt confeſſi. Alienus autem populus gentilium, agnovit eum qui mundaverat, & glorificavit eum credendo, quòd tàm miſericors, & tàm potens ſit Dominus, ut & propter nos viliſſima tulerit, id quod eſt miſericordia: & cùm pertulerit, nihil inde incommodi accepiſſe, id quod potentiæ eſt. Hæc ille; nos concludimus cum Eccleſia ſupplicantes: *Cuſtodi quæſumus Domine Eccleſiam tuam propitiatione perpetuâ: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis & abſtrahatur à noxiis, & ad ſalutaria dirigetur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XV. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 6. à verſ. 24. ad finem uſq.

24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει· οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ.

25. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φαγητε, καὶ τί πίητε, μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν, τί ἐνδύσησθε, οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος;

26. Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ

24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget: aut huic adhærebit, & alterum negliget: non poteſtis DEO ſervire & mammonæ.* Luc. 16, 13.

25. *Propterea dico vobis, ne ſitis ſoliciti animæ veſtræ, quid eſuri ſitis, aut bibituri: neq; corpori veſtro, quibus indumentis uſuri. Nonne anima pluris eſt quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum?* Luc. 12, 22. 1. Pet. 5, 7. Pſal 55, 23. Phil. 4, 6. 1. Tim. 5, 8.

26. *Vertite oculos ad volatilia cæli; quia non ſerunt, neq; metunt, neq; convehunt in horrea: & Pa-*

Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν;

27. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;

28. Καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει.

29. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο, ὡς ἓν τούτων.

30. Εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

31. Μὴ οὖν μεριμνήσητε λέγοντες, τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν, ἢ τί περιβαλώμεθα;

32. Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ· οἶδε γὰρ ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος, ὅτι χρῄζετε τούτων ἁπάντων.

33. Ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς· ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

ter veſter cæleſtis alit illa: nonne vos longè præcellitis illa.

27. Quis autem ex vobis ſolicitè cogitando poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

28. Ac de indumento quid ſoliciti eſtis? Cognoſcite lilia agri, quomodo creſcant: non laborant, neque nent.

29. Attamen dico vobis, ne Salomonem quidem in univerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe, ut unū ex his.

30. Quòd ſi gramen agri, quod hodiè cùm ſit, cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit: annon multò magis vobis (id faciet) ô parùm fidentes?

31. Ne ſitis igitur ſoliciti, dicentes: quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur?

32. Nam omnia iſta gentes exquirunt; Novit enim Pater veſter cæleſtis, quod opus habeatis his omnibus.

33. Quin potiùs quærite primùm regnum DEI, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

34. Ne ſitis igitur ſoliciti in craſtinum: nam craſtinus dies curam habebit ſui ipſius: ſufficit ſua diei adflictio.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

EVangelium hocce præſens merè eſt *συμβουλευτικὸν*, pertinens ad genus cauſarum Deliberativum; verſaturque *tùm* in diſſuadendo avaritiam, curamque victûs ac rerum terrenarum noxiam, quô morbô verè-epidemicô omnes fermè homines laborare conſpiciuntur; *tùm*

in ſua-

in ſuadendo veram & conceſſam, in quærendis bonis cœleſtibus curam ac ſolicitudinem. Partes Evangelii monſtrantur tres: Audiemus enim hic CHRISTUM

- *I. à mammonæ ſtudio dehortantem;*
- *II. puſillanimes conſolantem;*
- *III. conſilium fidelibus ſalutare ſubminiſtrantem.*

PARS I.

Propoſitio primæ partis, in textu deliteſcens, eſt: Avaritia à verè fidelibus debet eſſe quam alieniſſima: Vel, pii opibus corradendis non debent inhiare.

Argumentum diſſvaſionis eſt unicum, deſumtum ἐκ τῶν ἐναντίων, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, à pugnantib9 vel ab impoſſibili, & concluditur ita:

Duobus dominis diverſa & contraria præcipientibus ac prohibentibus, ſervire eſt impoßibile:

Jam autem DEUS & Mammona ſunt duo domini, diverſa ac contraria ſtudia præcipientes ac prohibentes: Mammon enim præcipit ſolicitudinem de victu & amictu, jubet divitiis colligendis inhiare, quod DEUS prohibet:

Ergò utrisq; ſimul & ſemel, pari mentis intentione, ſervire eſt impoßibile.

Majoris Proſyllogiſmus eſt, à conſequentibus contrariis. Contrariorum enim contraria ſunt conſequentia; nimirùm diligere & odiſſe, adhærere & negligere; quæ in uno & eodem ſubjecto ſimul & ſemel ineſſe non poſſunt. Ut rectiùs mentem Salvatoris adſequamur, ſciendum,

1. *Vocabulum Mammon* (Hebraicè מָמוֹן, Syriacè præfixô מ, Mammon quid. Mammon, & in fine addita literâ א Mammona, ſicut apud Evangeliſtas legitur;) ſignificare cujuslibet rei copiam & multitudinem, ac proin etiam divitias, Pſ. 37, 16. Ezech. 29, 19. Dn. D. Chemnit. harm. cap. 51. ait: Mammona Syriacè idem eſſe, quod Græcè theſaurus.

2. Tenendum etiam, quid ſit ſervire Mammonæ. CHRISTUS enim dicit, eum, qui Mammonæ ſervit, non poſſe DEO ſervire. Eſt itaque ſervire Mammonæ, interprete jam dictô D. Chemnitiô Mammonæ ſervire quid.

1. divitias per fas & nefas more gentium ſectari, & in illis ſummum bonum conſtituere:
2. ſolicitudinibus ex diffidentia ſe & alios turbare:
3. non primùm quærere regnum DEI, ſed illud propter opes vel negligere, vel abjicere:

 4.

4. ita ſtudere divitiis accumulandis, ut propterea mandata DEI violentur;
5. opibus acquiſitis cor adponere:
6. divitias ita diligere, ut malis mandatum DEI contemnere, quàm eas ſecundum DEI voluntatem diſpenſare.

Breviter ſtrictimque loquendo, phraſis iſta indicat, ſtudere pecuniæ nihil eſſe aliud, quàm ſe illi in ſervitutem dedere, præ qua non poſſis vel DEO ſervire, vel cœleſtia ſectari, vel animæ conſulere.

ἀντέχεσθαι. 3. *Græcum* ἀντέχεσθαι idem eſſe, quod tenaciter rei alicui adhærere, ut non ſinas te ab eadem avelli; operam dare, addictum eſſe alicui vel perſonæ, vel rei.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Avaritia vitium peſſimum. I. Avaritia eſt vitium peſſimum, in homine Chriſtiano maximè deteſtandum, & peccatum grande, quod cœleſtis regni hereditate cultores ſuos excludit, Eph. 5, 5. Col. 3, 5. Sir. 31, 1. & ſeqq. Job. 31, 24. Pſ. 39, 8. Eccl. 6, 1. & ſeqq. Sir. 14, 6. 1 Corint. 6, 10. Gal. 5, 20. Matth. 19, 23. Pſ. 119, 36. 1 Tim. 6, 7. 8. Luc. 21, 34. Pſal. 37, 19. & 55, 23. & 127, 3. Prov. 10, 3. & 11, 26. & 13, 25. & 30, 15. Amos 8, 5.

Avari idololatræ. II. Avari Mammonem pro DEO colunt, & ex re corruptibili, ærugini tineisque obnoxia, furibus item expoſita, ſibi faciunt idolum: ſunt itaque idololatræ, Phil. 3, 19. Eph. 5, 5. Col. 3, 5.

Servitur Deo quadrupliciter III. In Scriptura ſacra ſervitus, quæ DEO fit, quadruplex eſt: Vide D. Finck. Cent. 3. can. 63.

IV. Nomen ſervi in Scripturis tributum fidelibus, valdè honorificum eſt. Ibid. can. 70.

V. Quia ergo in Scriptura ſacra paſſim DEI vocamur ſervi ac famuli, meminerimus itaque ipſi ſoli verô cultu inſervire. Vide D. Theodor. pag. 651.

Serviendū Deo & cur. VI. Debemus DEO hoc ſervitium, ratione

1. *creationis*; Pſal. 100, 2. & 116, 16. Eſa. 44, 21.
2. *poſſeſſionis*; 1. Cor. 4, 7. Jac. 1, 17.
3. *obligationis*; factæ in Baptiſmo.
4. *redemtionis*, per Filium unigenitum præſtitæ, 1 Cor. 6, 20. 1. Pet. 1, 18 & 2, 24. Tit. 2, 14
5. *ſanctificationis*; Joh. 17, 17. Eph. 5, 26
6. *recompenſationis*, Eſ. 43, 22. Matth. 20, 28.

VII.

VII. Deo ſervire libertas eſt; diabolo contrà & Mammonæ ſervire, mancipium eſt ejusdem eſſe miſerum, Johan. 8, 34. 36. Coloſſ. 1, 12.13.

IIX. Serviamus bono iſti Domino, prout Ambroſio dicitur, *Serviendi Deo modi.*

1. reverenter, in timore filiali, Pſ. 2, 11.

2. fideliter, 1. Cor. 4, 2. Matth. 25, 21.

3. ſingulariter, h.e. ipſi ſoli, 1 Reg. 7, 6. Matth. 4, 10

4. integraliter, h.e. corde perfectô, Joſ. 24, 23.

5. unanimiter, Soph. 3, 9 Act. 4, 32

6. alacriter, ſpiritu ſpontaneô, Pſ. 110, 3 Eph. 6, 7

7. ſinceriter, ſanctô ac mundô Spiritu; Luc. 1, 74 Levit. 11, 44

8. ſapienter, Rom. 12, 1

IX. Diabolo non eſt ſerviendum, ſed is potiùs odio habendus & contemnendus eſt: quia ſervitus ipſius eſt. *Servitus Diaboli.*

1. viliſſima;

2. vitioſiſſima;

3. duriſsima;

4. nocentiſſima. D. Theodor. pag. 652. 653.

X. In religione ſua non poteſt quilibet ſalvari. Ib. p. 653

XI. Improbantur proverbiali hac locutione homines ambidextri, ſeu ἐπαμφοτερίζοντες, qui in religionis negotio neq; calidi ſunt, neque frigidi. Duobus enim Dominis ſervire eſt impoſſibile, 1 Reg. 18, 12 Apoc. 3, 15. Ibid. p. 654. *Tepidi in religione.*

XII Religionis & fidei contrariæ confeſſiones conciliari nullô modô poſſunt. Huc refer Irenica Calviniſtarum. Ib. *Irenica Calviniſtica.*

XIII Quemadmodum Deo & Mammonæ: ſic Deo & Papæ ſervire ſimiliter eſt impoſſibile. Eſt enim Papa in omnibus Deo non ſubordinatus, ſed planè contrarius, ideoque Antichriſti nomen jure pridem obtinuit, 2 Theſſ. 2, 4. 1 Joh. 2, 18. 2. Joh. verſ. 7. *Papæ ſervire impoſſibile.*

XIV. In Dei judicio, Deum contemnere, immò odiſſe judicatur is, qui mandatis ipſius poſthabitis, Mammonæ adhæret, vel aliâs voluntati ipſius in verbo revelatæ adverſatur; aliàs enim nemo facilè ſe Deum odio habere fatebitur, Exod. 20, 3 Eſa. 55, 8 *Dei oſores & contemtores.*

XV Tractari h. l. commodè poteſt doctrina de uſuris, in Scriptura ſacra nuſpiam præceptis, ſed prohibitis.

XVI De idolo Mammonæ fugiendo, avari enim peccant contra omnia præcepta Decalogi, quod ad oculum demonſtat D. Theod. pag. 655. 656 *Avari peccant contra omnia Decalogi præcepta.*

XVII

X. II. Cultus DEI ſit integer, non diviſus, aut mutilus. Vide Thold. p. 881. 882.

PARS II.

Propoſitio ſecundæ partis ἀποτρεπτικὴ, explicitè poſita talis eſt; Chriſtiani non ſint nimiùm ſoliciti de cibo, potû & veſtitu: verbis; Ne ſitis ſoliciti animæ veſtræ: ubi ex mente Auguſtini, per animam, phraſi Scripturæ uſitatâ, vita ipſa intelligitur, Matth. 10, 39. & 16, 25.

Anima pro vita.

Ceterùm προτινόμενον iſthoc per ἀνακοίνωσιν Rhetoricam aliquoties repetitur; nim. verſ. 28. ac de indumento quid ſoliciti eſtis? Ubi figuratur propoſitio ἐρώτησει, non absque ſingulari emphaſi; ponitúrque peculiare verbum μεριμνᾷν, quod ſolicitudinem hanc vetitam depingit. Cenſent enim Grammatici, dictum eſſe μεριμνᾷν, quaſi μερίζειν τὸν νοῦν, quòd mentem nunc huc nunc dividat illuc. Vide plura apud Dn. D. Chemnit. cap. 51. harm.

μεριμνᾷν

Verſ. 31. Ne ſitis igitur ſoliciti, dicentes: quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Quæ verba habent ἐργασίαν, quâ explicat λογισμοὺς curioſorum hominum triplices. Et denique verſ. 34. Ne ſitis igitur ſoliciti in craſtinum. Craſtinum autem, more Scripturæ, non tantùm ſignificat diem, qui mox inſequitur præſentem, ſed tempus futurum, etiam remotius. Hæc propoſitio.

Craſtinum pro futuro

Sequuntur *argumenta* ἀποτροπῆς pondere certè graviſſima:

I. Ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, à majori ad minus, hoc modò:

Quicunq; ex mera miſericordia largitus eſt id, quod majus eſt, is dabit etiam id, quod minus eſt:

Atqui DEUS largitus eſt ex mera miſericordia id, quod majus eſt, animam & corpus, quæ incomparabiliter majora ſunt cibo & veſtitu:

Ergò etiam dabit minus, victum nimirùm & amictum, aliaq; huic vitæ ſuſtentandæ neceſſaria.

II. Ἐκ τοῦ παραδείγματος, ab exemplo, per comparationem majorum, hominum cum volatilibus cœli, hoc ſenſu:

Si Pater cœleſtis creaturas viliores, hominis imperio ſubjectas, aves nimirùm, neq; ſerentes, neq; metentes, neq; in horrea convehentes, liberaliter paſcit; multò magis nobiliſſimam creaturam, hominem, ad DEI imaginem & propter ſe effectum, creaturarum Dominum, benignè etiam alet & ſuſtentabit: *Sed*

Sed verum prius: Ergò & poſterius. Valet argumentum, quia DEUS non eſt Pater volatilium, ſed credentium, qui omnibus volatilibus longè ſunt præſtantiores.

III. Ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἀχρήστου καὶ ματαίου, **ab impoſſibili,** inutili & ſupervacaneo, in hunc modum:

Quicunq; curâ & ſolicitudine ſuâ ſtaturam corporis ſui nec augere, nec minuere poteſt, is abſq; divinâ benedictione victum & amictum ſibi procurare nequit:

Atqui homo curâ & ſolicitudine ſuâ non poteſt ſtaturæ corporis ſui quicquam vel addere, vel demere:

Ergò abſq; benedictione divina idem homo neq; victum, neq; amictum ſibi parare poterit; & per conſequens inutiliter & bis ſtultè faciunt ii, qui ultra demenſum divinitùs decretum, ad ampliores divitias corradendas adnituntur. Sicut enim (addit Dn. Chemnit. d. l.) certus & definitus modus menſuræ in ſtatura cuiq; attributus eſt: ita etiam certam menſuram fortunæ & ſucceſsûs in aliis quoq; negotiis DEUS cuiq; definivit, ultra quam progredi non poteris, utut tumultueris.

IV. Ἐκ τοῦ παραδείγματος **iterum ab exemplo liliorum,** per ſynecdochen ſpeciei pro genere. Argumentum per comparationem minoris cum majori eſt tale:

Quicunq; veſtit & ornat id, quod vilius eſt, veſtiet & ornabit etiam id, quod precioſius eſt:

Atqui DEUS veſtit & ornat id, quod vilius eſt: Ergò.

Minor probatur effectu exemplari, hoc Proſyllogiſmo:

Quicunq; lilia & flores agri, (Græcè dicitur χόρτος, quod non fœnum vel gramen tantùm ſignificat, ſed generalis eſt adpellatio omnium terrâ naſcentium) *ad uſum hominis conditos, veſtit mirificè & exornat ſplendidè, is multò magis veſtiet & ornabit hominem, ipſis longè præſtantiorem:* χόρτος

Atqui DEUS lilia & flores agri, ad uſum hominis conditos, veſtit mirificè & exornat ſplendidè:

Ergò multò magis hominem, ipſis longè præſtantiorem veſtiet & ornabit: & per conſequens omnis cura de amictu vana eſt & otioſa, quia non neceſſaria, & parùm inſuper honeſta.

Amplificatur quartum hoc argumentum

1. collatione minorum; quòd ne Salomon quidem, in omni regio ornatu ſuo, tàm eleganter veſtitus fuerit, ac unus aliquis ex iſtis floribus.

2. Adjunctô, h. e. fragilitate graminis, adſcendendo à ſpecie ad genus.

3. ἐπιφορᾷ, illatione, & emphaticâ interrogatione, quâ pondus adjicit argumento, non ſine exprobatione nobis connatæ diffidentiæ.

V. Ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ, ab indecoro & contrario gentium ſtudio:

Quodcunq; gentes, verum DEUM ignorantes, nec ab illo vitæ hujus ſubſidia exſpectantes faciunt, illud filios DEI dilectos imitari haut decet:

Jam verò gentes, verum DEUM ignorantes, nec ab illo vitæ hujus ſubſidia exſpectantes, hoc faciunt, h. e. externis illis bonis acquirendis & adcumulandis ſunt intentæ, immò ſolicitè nimis deditæ:

Ergò mores iſtiusmodi gentiliū filios DEI dilectos imitari haut decet.

ἐπιζητεῖν. In Græco eſt compoſitum ἐπιζητεῖν, quod auget ſtudium & intentionem inquirendi. Ethnici, quia ſciunt, nec credunt, DEUM vulgares illas œconomicas operas curare, ac manum ſuam aperire, & ſingulis, quæ neceſſaria ſunt diſtribuere, non invocant DEUM, nec poſſunt vera fiducia benedictionem laborum ab illo exſpectare, ſed ſolicitudinibus ſuis tumultuantur, ut quacunq; ratione, ſive per fas, ſive per nefas, diteſcant. Et ſi quid acquiſierint, non benedictioni DEI, ſed ſuæ diligentiæ & prudentiæ tribuunt. Hoc ethnicô modô CHRISTUS ſuos non vult ſectari externa bona; ac pronunciat Ethnicos, non Chriſtianos, eſſe, qui hac ratione dediti ſunt temporalibus.

VI. Ἐκ τῶν πρός τι, ex natura relatorum, quòd DEUS ſit Pater noſter cœleſtis, nos ejus filii: Vel, a providentia divina hoc modô:

DEUS Pater eſt, & quidem cœleſtiū: quin & veſter Pater, qui penuriam & indigentiam veſtram optimè habet cognitam:

Ergò vos ut filios non negliget: Ergò non niſi optima dabit: Ergò non eſt ratio, cur ei diffidatis: Ergò veſtri curam habebit, & in tempore (ἐν καιρῷ) conſulet, ne vitæ hujus adminicula vobis deeſſe queant; quia ipſe novit, quibus rebus opus habeatis. Novit autem, non ſicut dives epulo novit Lazarum egere, non verò curat, neq; ſuccurrit: ſed verba notitiæ apud Hebræos ſimul

Notitiæ verba. etiam adfectum complectuntur. Verbum γινώσκειν complectitur neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, & ſeparat ab illis,

quæ

quæ luxui, ſuperbiæ & oſtentationi non rarò inſerviunt: ſeparat etiam ſuperflua, quæ avaritiæ immenſa cupido expetit.

VII. A ſtulto & ſupervacaneo, in hunc modum ac ſenſum:

Ea quæ ſpontè ſuô tempore veniunt, induſtriâ ſuâ prævenire velle, & curas curis, moleſtias moleſtiis fruſtrà adcumulare ſtultum eſt & ſupervacaneum:

Atqui homines in craſtinum ita ſoliciti, ut de paterna DEI Patris providentia ac cura ambigant, hoc faciunt:

Ergò ſtultè nimis agunt.

Major patet: quia ſufficit ſua cuiq; diei *κακία*, h. e. quælibet dies ſuas ſecum adportat moleſtias, difficultates, curas & ſolicitudines; temerè itaq; accerſendæ non ſunt. *Κακία* h. l. ſignificat, non malum culpæ, ſee malum pœnæ, h. e. adflictionem, ſeu quod durum, aſperum, adverſum & triſte eſt. Eleganter itaq; per *προσωποποιΐαν* facit Salvator ipſum diē quodammodo quiritantem, cùm ſatis alias oneris habeat, quòd præterea à nobis ſuperfluis ſolicitudinibus oneretur & adfligatur. *κακία*

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Cura victûs, cum diffidentia conjuncta, non cura officii eſt prohibita. Rom. 12, 7. Pſal. 128, 2. Prov. 8, 6. Jer. 48, 10. Ezech. 33, 7. Amos. 6, 6. 2. Cor. 12, 14. Eph. 6, 4. 1. Tim. 5, 8. Cura victûs, non officii prohibita.

II. Eſt ergò ſolicitudo vel cura duplex: una officii, ut labores vocationis rectè & diligenter fiant, juſta adhibita circumſpectione, & prudentia, ne quid negligatur: altera diffidentiæ, quæ ſolicitè timet, vel neceſſaria defutura, vel non tantum benedictionis, quantum expetimus, nos habituros. Cura duplex.

III. Ethnica iſthæc diffidentiæ ſolicitudo omnibus averſanda & fugienda. D. Theodor. pag. 662. 663. 664. Thold. p. 885. 886. Cura diffidentiæ fugienda.

IV. Laborem autem ſolicitudo conceſſa non tollit, ſed urget. Vide Domin. 5. poſt. Trin.

V. Errant itaq; cum Anabaptiſtarum cohorte Monachi, hunc locum CHRISTI (ne ſitis ſoliciti) ita depravantes, ac ſi omnis labor & negotiatio ſimpliciter ſit prohibita. 1. Tim. 5, 8. 2. Corinth. 12, 14. 2. Theſſ. 3, 8. 11. Act. 20, 34. 1. Theſſ. 2, 9. & 5. 12. Gal. 2, 10. Labor & negotiatio non prohibita.

VI. Patet ex hoc textu, eſſe providentiam, quam Stoici quondam negabant, DEUMq; rerum omnium Conditorem etiam munu- Providentiam eſſe.

 tiſſi-

tiſſima quæq; curare & conſervare. Joh.12,7. & 38,22. Act. 14, 17. Rom.1,19.20. Matth.10,29. Luc.12,6. Thold.p.886.

VII. Providentia DEI in Scriptura ſacra triplex eſt: (1) ſecundum omnium rerum & creaturarum gubernationem: (2) ſecundum beneplacitum, & (3) permiſſionem. Triplex, inquam, eſt, ratione adminiſtrationis; & quidem (1) univerſalis ſuper omnes res & creaturas; (2) ſuper res tantùm bonas; (3) circa actiones etiam malas. D.Finckius centur.3.can.41.

Providentia præſupponit præſcientiam. IIX. Providentia illa DEI præſupponit præſcientiam; novit enim Pater cœleſtis, quibus rebus indigeamus. Vide locos Theologicos, cumprimis egregium D.Hunnii p. m. libellum, de hac materia ſeorſim editum.

IX. Hominis dignitas in Scriptura ſacra eſt excellentiſſima. D.Finck.cent.4.can.21.

Conſervatio rerum. X. Divinâ DEI providentiâ omnium rerum natura in eo, quem voluit, ſtatu, etiamdum conſervatur, regitur & ſuſtentatur. Joh.5,7. Pſal.36,7. 1.Cor.9,10.

Brutorum informatio. XI. In Scriptura ſacra etiam bruta animantia docent, inſtituunt, conſolantur, arguunt, reprehendunt. D.Finck.cent.4.can.3.

XII. Non vult DEUS nos eſſe ocioſos ſpectatores naturæ; de DEO enim illa concionatur. Joh.9,4.5.& 12,7.& 38. per tot.& 39,3. Pſal.104,27.& 145,16.& 147,9.

Notitia naturalis. XIII. Notitiam itaq; naturalem, quantumvis languidam & imperfectam, DEUS tamen non improbat. Rom.1,18.19.20. Actor. 17, 27. *Emicat ex ipſis divina potentia terris;*
Et levis eſt ceſpes qui probet eſſe DEUM.

Veſtitus & victus. XIV. De veſtitu atq; alimento non ſimus more Ethnicorum nimium ſoliciti. Gen.3,21.& 9,3. Prov.10,3.& 13.23.& 15,6. 1.Timoth.6,8. Confer D.Theodor.pag.665.666.

Veſtium luxus. XV. Fugiendus cumprimis luxus & faſtus in veſtitu; eô enim utimur 1. ad neceſſitatem;
2. ad ſcandali devitationem;
3. ad ſexûs diſcriminationem;
4. ad ornatum;
5. ad comminationem: Monet enim tùm de lapſu protoplaſtorum; tùm de veſtimento ſalutis, CHRISTI beneficiô fidelibus acquiſitô. Eſa.61,10.

ἀυτάρκεια. XVI. Diffidentiæ prohibitio ad ſectandam αὐτάρκειαν calcar ac ſti-

ac ſtimulum nobis addat. 1 Reg. 19,6. Deut.8, 4. 1 Timoth.6,6.8.9. Phil.4,12.

XVII Non eſt voluntas Dei, ut quis ſibi temerè accerſat tentationes, curas ac ſolicitudines, Eccl.2,4. & 12,9.

XIIX. Deus potiſſimùm ſalutem noſtram curat & promotam cupit, multò magis itaque curabit neceſſaria vitæ, Pſ.37,5. 1 Petr.5,7. Phil.4,6. 2 Theſſ.3,3. Phil.1,6

XIX. Superſtitioſi ſunt homines, gentilibus haut abſimiles, qui ex genethliaco aſtrorum poſitu divinare, & futura homini prædicere præſumunt: non enim decet Chriſtianum de craſtino adeò ſuperſtitioſè eſſe ſolicitum, Eccl.9,11,12. Pſ.55,23. Eccl.7,14.15. Genethliaci ſuperſtitioſi.

XX. Si de rebus mundanis ſolicitudo ac diffidentia tantopere exoſa & inviſa eſt Deo; dubitationem Pontificiorum de gratia Dei grave & deteſtabile eſſe peccatum, rectè inde, à minori ad majus colligentes, concludimus. ὀλιγοπίστους enim diſertis & expreſſis verbis acriter objurgat. Matth.6,30. Dubitatio Papiſtica.

PARS III.

Propoſitio ultimæ partis eſt: Homines Chriſtianos de rebus cumprimis cœleſtibus vel maximè decet eſſe ſolicitos.

Expendantur duo; mandatum & promiſſio Salvatoris.

I. *Mandatum*, jubet quærere

1. regnum DEI, rerum verò terrenarum curam deponere, vel illi ſolùm committere, qui omnium curam agit. Regnum verò Dei eſt triplex; *1. potentiæ*; *2. gratiæ*; & *3. gloriæ*. Mandatum concernit regnum gratiæ & gloriæ; illud militantis, hoc triumphantis eſt Eccleſiæ. Principaliter autem hoc in loco jubemur quærere regnum gratiæ, in Verbo & Sacramentis, & conſiſtit in remiſſione peccatorum. Hujus regni ſi *γνήσια* fuerimus membra, de altero quod dubitemus, non habemus. Regnum Dei triplex.

2. Juſtitiam DEI, quæ eſt juſtitia fidei, meritò Christi nobis parta, & per fidem imputata; quæ fides per bona opera ſit efficax. Hæc enim juſtitia medium eſt, in regnum Dei cœleſte perveniendi. Juſtitia Dei h. e. fidei.

II. Promiſſio, mandati rationem ſupplens, ſumitur à fine vel ſpe commodi. Cetera omnia, h.e. externa bona, victus, amictus, & quicquid ad vitam hanc ſuſtentandam requiritur, vobis adjicientur; divinâ ſcilicet benedictione. προστεθήσεται adponentur, uti Auguſti-

nus reddidit, & peculiariter de Dei benedictione uſurpatur. Pſal. 115, 14. Deut. 1, 14. Prov. 11, 24. Poteſt itaque explicari, ut cetera ſint ὡς ἐν προσθήκης μέρει, **auctuarii & acceſſorii quaſi locô**, quod gratis datur: eine Zugabe.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Cura Chriſtianorum.

I. Prima ac principalis hominis Chriſtiani cura eſſe debet, ut à regno tenebrarum per pœnitentiam averſus, in regnum dilectionis Filii Dei transferatur, Rom. 5, 1.

II. Malè agunt ac præpoſterè, qui priùs de victu, quàm remiſſione peccatorum ſunt ſoliciti, 1 Tim. 6, 18

Victum acquirendi ratio.

III. Vera autem ratio victum acquirendi monſtratur hoc locô, ſi primò quæramus regnum Dei, Deut. 28, 1. & ſeqq. Eſa. 1, 20. & 30, 20. Oſ. 2, 21. Hagg. 2, 10. Matth. 3, 10.

IV. Extra Eccleſiam non eſt ſalus: extra illam itaque nec regnum Dei quærendum, Eph. 2, 12. 13. 19. 1 Pet. 2, 9. 10. Apoc. 22, 15. Luc. 17, 21.

Facultates tenere licet.

V. Errant cum Anabaptiſtis Monachi in regno Pontificio, (religioſos illi κατ' ἐξοχὴν vocant) **regni Dei inquiſitionem facultatum propriarum poſſeſſionem excludere ſomniantes**, 1 Tim. 5, 8. Rom. 14, 17. 2 Theſſ. 3, 10

Regnum Dei quærendum & cur.

VI. Ad quærendum regnum Dei exſtimulet Chriſtianos

1. *CHRISTI mandantis auctoritas;* Matth. 17, 5.
2. *promiſſionum divinarum veritas;* Deut. 28, 1. & ſeqq. Eſa. 1, 19. & 30, 20.
3. *rei quærendæ pretioſitas;* Matth. 6, 20. & 13, 44.
4. *pœnæ gravitas;* Matth. 21, 43. Act. 13, 46.
5. *temporis oportunitas:* Rom. 13, 11. 2. Cor. 6, 2. Eſ. 55, 6.

Regnum Dei quærendi modus.

VII. Modus quærendi regnum Dei in eo conſiſtit, ut

1. *verè DEI verbo credamus;* Eph. 2, 8.
2. *ardenter pro regni iſtius adventu oremus;*
3. *ſincerè reſipiſcamus;* Sir. 17, 21. 22. 23.
4. *ea quæ à tergo ſunt obliviſcamur,* & ad ea, quæ à fronte ſunt enitamur: Philip. 3, 13. ita fiet, ut præfixum ſcopum & βραβεῖον **ſupernæ vocationis per CHRISTUM adſequamur**.

Digitized by Google

IIX. A bonorum temporalium promiſſionibus, quæ factæ ſunt piis, ad promiſſiones ſpiritualium, valet conſequentia. D. Finck. centur. 2. can. 17.

IX. De legitimo proceſſu impetrandi benedictionem Dei; *Benedictio Dei ut impetretur.*

1. ſoli DEO ſerviendo; h. e. pietatem colendo & templum diligenter viſitando;

2. à curis ſupervacaneis abſtinendo; datur cura quintuplex: *Cura quintuplex.*

- 1. cura ſalutis ſpiritualis;
- 2. cura vocationis ſingularis;
- 3. cura futuri carnalis;
- 4. cura ventris gentilis;
- 5. cura polypragmonica fatualis:

3. nihil diffidendo;

4. regnum DEI quærendo. Confer D. Theod. p. 666. 667.

DISPOSITIO SECUNDA.

Propositio διμερής.

In præcedentibus capitis ſexti ὁμιλίαις, perſtrinxerat Salvator corruptelas doctrinæ Phariſaicæ, moresque Scribarum hypocriticos: In præſenti verò πεϱιλκοπῇ taxat & corrigere ſtudet morbum, omnibus fermè hominibus vulgarem, quô ad rem nimiùm ſunt attenti, de bonis interim ſpiritualibus vel nihil, vel parùm admodum ſoliciti. Duæ autem ſunt Evangelii partes:

I. monſtrantur τὰ φευκτὰ, *fugienda;*

II. τὰ πρακτὰ, *facienda:* ibi habetur ἀποτροπὴ, *dehortatio*, hic ἐπιτροπὴ, *adhortatio.*

PARS I.

Fugienda ad duo reſtringuntur capita, quorum unum dicitur πλεονεξία ſive *avaritia;* alterum μικροψυχία *diffidentia.*

Primum diſſvadetur argumentô

1. ab impoßibili; quia, uti Juvencus ait,

nemo poteſt dominis æque ſervire duobus.

Deus & Mammon ſunt duo Domini; quanquam aliâ ratione Deus, aliâ ratione Mammon, ſit & dicatur Dominus. Ille naturâ, per ſe & verè eſt Dominus reſpectu *Deus eſt Dominus.*

tùm

tùm { *creationis; redemtionis; conſervationis; gubernationis.* }

Mammon Dominus qualis.

Mammon contrà Dominus eſt, non φύσει, non καθ' αὑτὸ, non ἀληθῶς; ſed θέσει, κατὰ συμβεβηκὸς, δοξαστῶς, æſtimatione & opinione hominum, avaritiæ maximè & pecuniæ congerendæ ſtudiô deditorum, quibus quia Plutus adridet, DEUM illum ſuum conſtituunt, colunt & venerantur. Ergò utrisque inſervire eſt impoſſibile. ἔτυμον vocis Mammon pete ex præced. diſpoſ. & Domin. 9. Trin.

2. *A turpi.* vel contrario effectu. Turpe eſt enim & indignum liberô atque ingenuô homine, nedum Chriſtianô, in utrumque latus claudicare, gratiamque hominum adſentando aucupari. Bilingves certè DEO & hominibus cordatis ſunt exoſi. Vel ita: Diligere & odiſſe ſunt contraria, quæ in uno ſubjecto ſimul & ſemel non poſſunt conſiſtere, niſi inſignem quis hypocritam agere velit. Si diligis DEUM, eique ſoli adhæres, odio habebis & contemnes Mammona.

Bilingves exoſi.

Diffidentia diſſvadetur.

Secundum diſſvadet impiam parandi victum & amictum ſolicitudinem: ſolicitudinem puta, non laboris & diligentiæ, ſed metûs & diffidentiæ, quæ μερίζει τὸν νοῦν, & ad quærenda ſubſidia, novasque rei augendæ rationes animum ſubinde impellit, verbis: *Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ*, h. e. pro vita veſtra ſuſtentanda, quid manducetis, & quid bibatis, neque corpori (pro corpore) veſtro, quid induamini. Argumenta diſſvaſionis ſequuntur & multa & evidentia.

1. Ex loco deſumit comparatorum, à majori ad minus procedendo, hoc ſenſu: *Qui ſine ullo tuo merito, cura ac ſolicitudine dedit vitam*, (anima pro vita) *dabit etiam victum, quô vita ad definitum usq; terminum conſervabitur:* Et, qui corpus dedit, dabit etiam amictum, quô corpus honeſtè contegatur. Victus enim requiritur propter vitam, indumentum ad corporis conſervationem. ὁ διδοὺς τὸν βίον, δώσει καὶ πρὸς τὸν βίον. Chryſoſt.

2. A minori ad majus, exemplum avium ad hominem adplicando, Luc. 12, 24. in ſpecie corvi nominantur, ex Job. 39, 3. & Pſal. 147, 9.

Qui paſcit aviculas, multò magis homines paſcet:
Atqui DEUS aviculas paſcit:

Er-

Ergò multò magìs homines. Valet conſequentia,

1. ob hominis præ aviculis eminentiam;

2. ob mediorum reſpectu volucrum deficientiam; non ſerunt, nec metunt, nec congregant in horrea.

3. Ab abſurdo; æquè abſurdum pronunciando, curis ſeſe ob victum & amictum, vel opes terrenas, macerare, ac de ſtatura corporis prolonganda anxiè noctes dieſque cogitare. Valet conſequentia, quia neutrum eſt in hominis poteſtate.

4. Iterum à minori ad majus, exemplum florum, maximeque liliorum ad veſtitum hominis accommodando. Argumentum ita concludit:

Si DEUS veſtit & ornat id, quod eſt minus, veſtiet & ornabit etiam id, quod eſt majus:

At veſtit & ornat lilia agri, multis paraſangis infra hominis conditionem poſita:

Ergò etiam hominem non permiſſurus eſt nudum aut frigore perire, aut ob id aliorum ludibrio exponi.

Acuitur argumentum *αὐξήσει*, incrementò, quando ornatum florum regio, e. g. Salomonis ſplendidiſſimo ornatui præfert. Habitus enim Salomonis tantummodò fuit externus & artificialis, decor autem liliorum eſt internus & naturalis; inter quæ duo ἁπλῶς accepta nulla eſt comparatio, quæ alias eſſe poſſet, ſi decor vel ornatus hominis nativus cum nativo florum ornatu conferatur. Quicquid pulcritudinis liliis ineſt, nativum eſt: at cultus ille Salomonis regius erat ἐπίκτητος factitius & aliunde acquiſitus. Amplificatur hoc argumentum; Salomonis gloria.

1. tranſitione à ſpecie ad genus, h. e. à liliis ad omne herbarum genus:

2. ψόγῳ *reprehenſione* diffidentiæ humanæ *κατ' ἐκφώνησιν*, qua *ὀλιγοπίστους* eos vocat: *parùm fidunt autem omnes ſoliciti. Nam ſi perfectam in DEUM haberent fidem, non tam vacillanter ſoliciti eſſent,* inquit Theophyl.

5. Ab inhoneſto, contrarium Ethnicorum ſtudium producendo. *Anxiè tibi & amictûs curâ torqueri, gentile eſt:* gentes enim, cùm nullam habeant de redemtione & vita æterna notitiam, ſolicitè hic adcumulandis opibus, venandiſque honoribus totas ſe dedere, mirum non eſt:

Digitized by Google

Ergò turpe eſt & indecorum, homines, veram veri DEI cognitionem ac religionem profeſſos, gentilium diffidentiam & ſtudia imitari.

6. A DEI, providentis omnia, benigna & paterna procuratione, hoc ſenſu:

DEUS ſcit, vos temporalibus quoq; indigere:
Ergo ſatis mature de illis vobis proſpiciet.
Pater eſt;
Ergò non deſeret liberos.
Veſter eſt:
Ergò non eſt quòd illi diffidatis.
Cœleſtis eſt;
Ergò non niſi optima dabit. Hæc argumentorum pondera quoad primam Evangelii partem.

Uſus I. Informatorius.

Peccatum circa τὰ ἄλφιτα duplex. Cura triplex. Cura victûs vitanda.

I. Dupliciter potiſſimùm homo circa τὰ ἄλφιτα peccat;

1. per ſolicitudinem & curam immodicam. (Eſt enim cura ſecundum quoſdam triplex (1) *laudabilis*, de anima cuſtodienda; (2) *commendabilis*, de officii ratione rectè inſtituenda; (3) *vituperabilis*, ex inordinato rerum temporalium amore orta.) Ea autem vel ideò homini pio ac fideli ſangvine viperinô cautiùs eſt vitanda;

1. ne DEO majora danti diffidamus;
2. ne à brutis & inanimatis, avibus & floribus e. g. diſcamus;
3. ne benedictionem DEI ludamus;
4. ne à Chriſtianiſmo ad gentiliſmum deficiamus;
5. ne incredulitatem prodamus, & ὀλιγόπιστοι audiamus.

2. Per deteſtandam avaritiam; ubi notetur,

Avaritia.

1. quid avaritiæ nomine veniat, & quomodo in Scripturis definiatur? Illud verò ex dictis ſequentibus ad oculum patet. 1. Tim. 6, 10. 1. Theſſ. 4, 6. Prov. 21, 6. & 23, 4. & 27, 20. & 28, 8. 20. Jerem. 22, 13. Amos 5, 11. Sir. 14, 9. & 31, 1. Pſal. 62, 11. Col. 3, 5.

Avaritiæ pediſſequæ

2. Quos comites vel quas pediſſequas habeat avaritia? Nimirùm
   1. malam concupiſcentiam ſive ſpeciem recti;
   2. mendacia & impoſturas;
   3. furtum;
   4. homicidium; Prov. 1, 19.

Avaritia & diffidentia cur fugienda.

3. Cur fugienda cum avaritia diffidentia? Requirit hoc ipſum,

1. Chri-

Digitized by Google

1. *Chriſtianorum proprietas*; horum enim proprium eſt, Deo ſoli ſervire & fidere;

2. *rei impoßibilitas*;

3. *meliorum bonorum dignitas*:

4. *fidei neceßitas*:

5. *Patris cœleſtis bonitas*;

6. *Pœna gravitas.* Prov. 15, 27. & 21, 6. & 30, 15. 1 Corint. 6, 10. Eph. 5, 5. 1 Tim. 6, 9

II. Nemo Chriſtianorum malis artibus, per fas & nefas, diteſcere debet; hoc enim eſt — Divitiæ non malis artibus quærendæ.

1. turpe, homine & nomine Chriſtianô indignum:

2. impoſſibile;

3. inutile. Inutilitas oritur & dependet

1. *ab imbecillitate*; Mammon neque ſe neque cultores ſuos poteſt tueri;

2. *à fugacitate*; bona hujus mundi aut deſerunt nos, aut deſeruntur;

3. *à rapacitate*; fur eſt Mammon: rapit Deo gloriam; homini cor, fidem, caritatem, famam & ſalutem æternam:

4. *à crudelitate*; tyrannus eſt homicida.

II. Conſolatorius.

1. *Ex* DEI omnia ſolicitè curantis *providentia*; Act. 17, 28.

2. *Ex* DEI *munificentia*, promtuarium habet inſtructiſſimum, unde omnia animantia nutriuntur:

3. *Ex paterna ejus in nos adfectione, clementia & benevolentia.* Luc. 11, 13. Pſal. 103, 13. & 104, 27. 28. & 145. 16. Phil. 4, 6. 1. Petr. 5, 7.

Ne trepidate homines? Vita dator & dator eſca eſt.

Augeat autem fiduciam noſtram — Fiduciæ fulcra.

1. *infinita æterni Patris ſapientia*, quâ novit omnia etiam ea, quibus indigemus;

2. *immenſa* DEI *miſericordia*;

3. *divina ejusdem omnipotentia.* Monr. pag. 229. 230. 231.

III. Monitorius.

1. De vitando Mammonæ ſtudio. Certum enim eſt, eos qui divitias diligunt, & iis tùm colligendis, tùm augendis totos ſeſe tradiderunt, Deum ſeriò non amare aut curare, ſed potiùs in receſſu cordis ſui odio — Mammonis ſtudium fugiendū.

odio habere, Job. 31, 24. Pſ. 39, 8. & 49, 13. & 119, 36. Sir. 14, 3. & 31, 1. ſeqq. Matth. 19, 24. 1. Tim. 6, 9. 10.

Flores quid moneant.

2. Flores monent *1. de vita humanæ fragilitate;*
2. de reſurrectionis veritate;
3. de curarum inanitate & vanitate.

PARS II.

Audivimus fugienda, audiamus etiam *facienda.* Habes

I. Ἐπιτροπὴν, *exhortationem.* geminam. Hortatur enim Salvator *1. ad regnum DEI piâ curâ ac ſolicitudine quærendum.* Notetur quærendi regni

Regnum Dei ut quærendum.

1. locus; regnum dicitur DEI; Ergò ſurſum corda. Ovid.

Pronaq́; cùm ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq́; tueri
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultûs.

Intelligit autem regnum gratiæ ac gloriæ: ad gloriam enim non niſi per gratiam itur & pervenitur.

2. Tempus: πρῶτον, ante omnia. Mundus, inverſô ordine procedens, clamat:

O cives, cives. quærenda pecunia primùm
Virtus poſt nummos.

3. Modus, qui conſiſtit ἐν τῷ ζητεῖν ἢ ἐπιζητεῖν, quod ſtudium requirit indefeſſum. Opponitur autem hæc particula,

1. naturali hominum malitia; Gen. 8, 21.
2. humanæ negligentiæ ac ſocordiæ;
3. imaginationi de regno DEI falſæ: per anguſta ad auguſta.

Juſtitia Dei.

2. *Ad juſtitiam DEI ſalvificam ſectandam.* Intelligitur autem juſtitia
1. meriti CHRISTI imputata! quæ eſt juſtitia fidei:
2. hominis converſi inchoata, quæ eſt juſtitia novæ obedientiæ?

II. Κατασκευὴν, ſive *confirmationem* τῆς ἐπιτροπῆς, ab utili, vel à ſpe præmii, quod futurum *1. amplisſimum:* cetera omnia;
2. acceptisſimum, adjicientur locô προσθήκης;
3. convenientisſimum, vobis.

III. Ἐπίλογον ſive *concluſionem,* quæ continet

1. propoſitionis repetitionem, conjunctam cum quadam ἐπιδηλώσει, ut intelligamus, quid hîc potiſſimùm prohibeatur, & quid ſit τὸ μεριμνᾶν; nihil aliud, niſi curam in craſtinum con-

ti-

tinuare, unde velimus in futurum victum & amictum comparare.

2. *Argumentorum novorum additionem:*
   1. *à ſupervacaneo* & moleſto; craſtina dies ſuam habebit curam, quam anticipare ſtultum eſt & fruſtraneum, immò moleſtum eſt, hodiè curare ea, quæ in craſtinum itidem curanda venient.
   2. *A non neceſſatio*; quia ſua cuiq; diei crux & adflictio, non opus eſt ſuperfluam addere. Agunt hæc verba
      1. de πολυπραγμοσύνη vitanda;
      2. de κακίᾳ officii patienter ferenda.

Uſus I. Informatorius.

1. De hominum perverſitate, qui mala ſibimet αὐθαίρετα ſæpiùs accerſunt, non contenti cujusq; diei κακίᾳ vel adflictione propriâ. Mala αὐθαίρετα.

2. De cauſis penuriæ vel indigentiæ, quæ obtingit nobis vel ob Cauſæ penuriæ.
   - *transgreſſionem pluralitatem*; Deut. 32, 18. 24. Sir. 39, 35.
   - *inſatiabilem temporalium cupiditatem*; Jer. 42, 16.
   - *gratitudinis raritatem. Non* enim *dignus eſt dandis, qui non eſt gratus de datis.* Gregor.

II. Conſolatorius.

1. Ex DEI φιλανθρωπίᾳ; non enim vult curis nos inanibus confici; nec amat anxietatem noſtram; mavult nos hilares, curis vacantes, ſibi reſignare & committere maximam curarum partem. Juvencus: Curæ DEO committendæ.

Ergò cibum, potum, veſtemq; & inania cuncta
Gentibus infidis terrenam linquite curam;
Vos potiùs digne cæleſtia quærite regna,
Juſtitiamq; DEI, ſpontanea cetera current;
Craſtina nec vobis curetur copia rerum,
Quæq; dies ſibimet ſatis eſt pro fraude diurna.

2. Ex DEI ἐπαγγελίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, quòd ſi regnum DEI & juſtitiam ejus ritè quæſiverimus, in hoc totis viribus incumbentes, ut cum DEO peccatis remiſſis reconciliati piè vivamus & tandem beatè moriamur, certè quæſita habebimus & in æternum obtinebimus. Dn. Monr. pag. 232. 238.

III. Monitorius.

Diteſcendi ratio.

Regnum DEI ut acquiratur.

Ut ante omnia de regno DEI inquirendo ſimus ſoliciti. Hæc enim certiſſima eſt & compendioſiſſima diteſcendi & neceſſaria vitæ acquirendi via. Conſequimur autem DEI regnum,

1. *templum frequenter viſitando;*
2. *verbum diligenter audiendo & diſcendo;*
3. *Evangelio firmiter credendo*, ut per fidem in CHRISTUM veram juſtitiam adipiſcamur;
4. *fidem digno Sacramentorum uſu ſæpiſſimè confirmando;*
5. *piè & ſanctè in noſtra vocatione vivendo.* Eccl. 7, 15. Phil. 4, 6.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de notis Eccleſiæ falſis.

Pontificiorum, in quærendo regno DEI ad ſuam Romano-Catholicam Eccleſiam nos alligantium, & nothas Eccleſiæ notas nobis obtrudentium e. g. 1. durationem diuturnam; Schererus p. 563. das Reich Gottes hat vnter andern fürnemlich drey Kenn- vnd Merckzeichen. Erſtlich iſt es vnauffhörlich vnd vnzerſtörlich bis zu der Welt Ende. 2. Multitudinem ſive amplitudinem & varietatem credentium. Schererus d. l. Zum andern das Reich Gottes/ob es wol anfangs klein geweſen/ hat es ſich doch darnach in alle Welt erſtrecken vnd ausbreiten müſſen. 3. Viſibilitatem: Iterum Schererus; Zum dritten das Reich Gottes muß kentlich vnd ſichtbar ſeyn/ dann weil ich ſolches kirchiſch Reich vnd Regiment ſuchen/hören vnd mich demſelben vnterwerffen vnd einverleiben ſoll / wird nothhalben erfordert / daß es kein Nebelkappen auff hab/vnd vnſichtbar ſey/oder ſonſt in der Finſter ſtrebe. Hæc ille cum Stapletono, qui ſimiliter tria hæc requirit, multitudinem, viſibilitatem & perpetuitatem. Reſp. 1. Committitur fallacia conſequentis & petitionis principii: non ſequitur; quærendum eſt regnum DEI; quærenda Eccleſia: Ergò Romana eſt vera Eccleſia: quia à CHRISTO ejusq; regno ad Papam ejusq; regnum Antichriſtianum, nulla ſequela valet. Non eſſe autem Eccleſiam Romano-Catholicam veram CHRISTI in his terris Eccleſiam, oſtendit & probat D. Joh. Giſſen. in Papiſm. pag. 277. & ſeqq. & D. Gerh. Tom. 5. L. C. pag. 870. 2. Prima Schereri nota eſt falſa, nam & ſatanæ ſynagoga eſt diuturna; & diſtinguendum inter Eccleſiam particularem & univerſalem. Vide D. Giſſen. d. l. pag. 265. 266. & D. Gerh. pag. 920. & ſeqq. 3. Secunda Jeſucidæ nota eſt & ipſa ſpuria; quia Eccleſia eſt grex puſillus Luc. 12, 32. & diaboli regnum ſatis eſt ſpatioſum & am-

Digitized by Google

amplum. Vide D.Giſſen. pag. 266. 267. D.Gerhar. p. 945. & ſeqq. 4. Tertia Eccleſiæ nota reſpicit Eccleſiam viſibilem, quæ tamen inviſibili *ἀντιφατικῶς* nullatenus opponitur, ſed eidem ſolummodò ſubordinatur. Vide locum de Eccleſia: Nos ad tertiam properamus diſpoſitionem..

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής*.

Totum hoc Evangelium maximâ ſui parte eſt *παρηγορικὸν*, inſerviens pauperum, & fidelium in genere omnium, contra *μικροψυχίαν* ex victûs cura obortam, conſolationi. Eò itaq; & nos collineantes, *cauſas ſolummodò impellentes conſideravimus, quæ immodicam illam de victu acquirendo ſolicitudinem, immò gentilem potiùs diffidentiam, animis noſtris excutere poſſunt, immò meritò debent.* Curæ ac ſolicitudinis ſive diffidentiæ expellendæ cauſæ.

Ἐξήγησις.

Novimus non omnem ſolicitudinem ac curam eſſe in vitio; ſed eam, quæ à divinis ſervitiis & vera nos pietate avocat. Talis autem ſolicitudo eſt triplex: Cura triplex.

1. *Inordinata ſive præpoſtera*, cùm homines aut non niſi de terrenis, aut de terrenis magis, quàm de cœleſtibus ſunt ſoliciti.
2. *Superflua*, cùm de pluribus ſunt ſoliciti, quàm quibus opus habent; aut de futuris longô pòſt tempore, de quibus hodiè cogitare nihil attinebat: Horat.

   quid ſit futurum cras fuge quærere.
3. *Anxia & timida*, cùm metuunt, ne conſequantur, quod vitæ ſit neceſſarium. Excutiat inanem hanc ſolicitudinem piorum animis ac pectoribus,

I. *debita DEO pietas*; Huic enim ſoli in Baptiſmo nos mancipavimus; alteri igitur ſervitium præſtare ſalvâ pietate illæſaq; conſcientiâ non poſſumus. Nemo enim duobus Dominis poteſt ſervire; aut DEO aut Mammonæ ſerviendum; non huic; delet enim is. Mammonæ nō ſerviendum.

1. *omnem verbi divini memoriam*: Luc. 16, 31.
2. *omnem in DEUM fiduciam*:
3. *omnem erga DEUM obedientiam*: Sir. 31, 5. GOtt dienen / heiſt thun / was er befohlen hat. Luth.
4. *omnem erga proximum miſericordiam*. Luc. 16, 21. Chryſoſt. *avaritia non ſinit homines eſſe homines, ſed mutat in belluas & diabolos.*

Notat

Notat Theophylactus, *ſermonem eſſe CHRISTO, de Dominis duobus, inter ſe contrariis, vel contraria præcipientibus*; idq; ſubjuncta arguit ſive ἐπιφορὰ, ſive ἐκθέσις: non poteſtis DEO ſervire & Mammonæ: ubi Mammon q. idolum quoddam DEO opponitur. *Nos autem*, iterum ait Theophyl. *facimus Dominum noſtrum diabolum, ſicut & ventrem DEUM*. Et iterum: *Vides, quòd non poteſt dives & injuſtus DEO ſervire: abjicit enim divitiarum amor à DEO*. Rectè, ut omnia, Megalander noſter
In poſtill. dom. B.Lutherus: Dem Mammonsdienſt iſt vnſer HErr Chriſtus ſonderlich feind/denn ſonſt kein Laſter iſt/welches das Evangelium mehr hindert/vnd den Chriſten mehr ſchaden thut/als der Geitz/vnd iſt dennoch ſo gemein/daß/wie wir ſehen/die gantze Welt drinnen erſoffen iſt. Denn iedermans gröſte Sorge iſt Tag vnd Nacht/wie er wolle ernähret werden.

II. Vitæ noſtræ melioritas vel dignitas. Qui dat vitam, dabit etiam ſuſtentationem vitæ; qui dedit corpus, dabit etiam indumenta, corpori tegendo neceſſaria. Pſal. 100, 2. Gen. 2, 7. Epheſ. 2, 5. Bene Theophylactus: *Non explodit autem operari, ſed ſeipſos totos curis tradere, & negligere DEUM, hoc eſt quod prohibet: quoniam & agros colere oportet, & vitæ curam habere*. Lutherus iterum: Sind wir nicht heilloſe vnd vndanckbare Leute / da GOTT billich ſolt vber vns zürnen? Bekennen müſſen wir/daß er vns das meiſte vnd gröſſeſte bereit hat gegeben / vnd wollen jhm nicht trawen/ daß Er auch das geringere werde geben. Es ſolte ie einem reichen Manne wehe thun / wenn Er dir tauſent Gülden hette geſchencket/daß du dich nicht ſo viel wolteſt zu jhm verſehen/ daß er dir auch ein par alte Schuhe würde ſchencken.

III. Avium hilaritas. Paſcuntur illæ quotidiè, de alimento ſuo parùm interim ſolicitæ. Urget idem argumentum Scriptura aliis quoq; in locis. Job. 5, 23. Pſal. 147, 9. Matth. 10, 29. *Potuiſſet*, inquit Theophylactus, *adferre in exemplum Eliam, vel Johannem, & meminit avium; ut admoneat, nos etiam illis brutiores eſſe; paſcit autem eas DEUS, qui indidit eis naturalem ſcientiam, ad colligendas eſcas*.

IV. Curarum noſtrarum vanitas. Æquè enim ſtultum eſt, de victu & amictu nimiùm eſſe ſolicitum, & de ſtaturæ ſuæ ſive accretione, ſive acceſſione, anxiâ curâ cor macerare. DEUS enim ſuum cuiq; demenſum pridem adſignavit. Exod. 16, 27. 2. Cor. 5, 15. Prov. 23, 5. & 30, 7. 8. Pſal. 55, 23. Lutherus: Wir ſind doch lauter Narren mit vnſern Sorgen.

V. Liliorum, herbarum & ſtirpium ſpecioſitas, quæ naturaliter ipſis adeſt,

adeſt, ſolius DEI curâ & providentiâ, licèt non adeò duret, ut homo. Eſa.40,6. 1.Pet.1,24.

VI. Ethnicis propria impietas; ſive Chriſtianiſmi atq; gentiliſmi contrarietas. Ethnici in ore ferè tantùm habent illud Epicuri: ***Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.*** 1.Cor.15,32. Phil.3,19. Epheſ.2,12. 1.Theſſ.4,5. Eſa.22,13. Sap.2,6. Alia eſt & eſſe debet Chriſtianorum ratio, qui illud Paulinum aliâ mente repoſtum habent; 2.Cor.4,9. non deſerimur. Habent enim DEUM, Patrem omnipotentem; Pſal. 77,11. & 103,13. CHRISTUM Fratrem φιλόστοργον; Spiritum ſanctum Opitulatorem promtiſſimum. Abſit ergò ab omnibus verè-Chriſtianis gentilis illiusmodi impietas! Hinc verò novum emergit argumentum,

VII. DEI paternitas, vel, Patris cœleſtis benignitas. Pſal.103, 13. Jer.31,20. Baſilius: ***Oculus ille pervigil nunquam dormit.*** Et Ambroſ. ***quoscunq; videt, hos etiam paſcit.***

IIX. Curæ majorũ neceſſitas. Major verò cura impendenda eſt,

1. *animæ*: quæ requirit,

   1. *regni cœleſtis anhelationem*; Matth. 6,19.33. Rom.14,17. Theophyl. ***Omni quærenti ſpiritualia, adduntur etiam corporalia, liberalitate DEI.***

   2. *Juſtitiæ ſalvificæ comparationem*, quæ ex verbo revelato eſt addiſcenda. Lutherus: Gottes Reich heiſt anders nichts/ denn Gottes Wort hören/ vnd dem gläuben/ wo ſolcher Glaube iſt/ da wohnet GOtt/ vnd folget ſo balde die Gerechtigkeit/das iſt Vergebung der Sünden.

2. *Vocationi* vel officio, ubi ordo potiſſimùm præſcriptus obſervandus: præcedat cura regni cœleſtis, ſequatur cura diei cujusq; propria. Rom.12,7. 1.Cor.7,24. Theophylactus ***malitiam diei, afflictionem & calamitatem vocat: ſufficit enim tibi, quòd hodiernâ afflictione obruèris: quod ſi & pro craſtino ſolicitus fueris, quando vacabis DEO, ſemper temetipſum crucians pro corporalibus.***

Atq; hæc ſunt graviſſima illa rationum momenta ac pondera, quæ omnem meritò animi diffidentiam exſtirpare funditùs debebant. At quis credit auditui noſtro?

Et genus, & formam regina pecunia donat.

Rectè iterum B.Lutherus in poſt.dom. Die gantze Welt iſt ein Hauffe verzweiffelter Geitzhälſe/die Gott nicht trawen/Gott nicht die-

 nen/

nen/ſondern dem Teuffel. Denn Mammon iſt der Welt Gott. Mammon heiſt Gut: nun ſucht alle Welt ain Gut/ nicht daß ſie davon eſſen vnd trincken / welches iederman wol were gegönnet / ſondern daß ſie nur viel Geldes haben / vnd den Mammon im Kaſten haben / vnd jhn anbeten: darumb iſt die Welt voll Mammons-Diener. Nos concludimus illô D.Petri: *Omnis cura veſtra conjecta ſit in DEUM: nam illi curæ eſt de vobis.* 1.Pet.5,7. Et alterô illô D.Pauli: *de nulla re ſoliciti ſitis: ſed in omni precatione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud DEUM.* Phil.4,6. Addo preces Eccleſiæ: *Eccleſiam tuam Domine miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalva conſiſtere, tuô ſemper munere gubernetur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 7. à verſ. 11. usq; ad 18.

11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς ἐπορεύετο εἰς πόλιν καλουμένην Ναΐν· καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοὶ, καὶ ὄχλος πολύς.

12. Ὡς δὲ ἤγγισε τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς, υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ· καὶ αὕτη ἦν χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ.

13. Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ Κύριος, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ, μὴ κλαῖε.

14. Καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ· (οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν). καὶ εἶπε· νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι.

15. Καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν· καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

11. ET factum eſt deinceps, ibat in civitatem, quæ vocatur Nain: & ibant cum illo diſcipuli ejus multi, turbaq; copioſa.

12. Cùm autem adpropinquaret porta civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, noli flere.

14. Et acceſſit, tetigitq; loculum: (porrò qui portabant, ſubſtiterunt:) & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

15. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ.

16. Ελα-

Digitized by Google

16. Ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, λέγοντες· ὅτι προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπισκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

17. Καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

16. Accepit autem omnes timor, & glorificabant DEUM, dicentes: Propheta magnus ſurrexit inter nos, & DEUS viſitavit plebem ſuam.

17. Et exiit hic rumor in univerſam Judæam de eo, & omnem finitimam regionem.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

Refertur hoc Evangelium ad genus cauſarum ἐπιδεικτικὸν ſive Demonſtrativum. Continet enim hiſtoriam & miraculum reſuſcitati filii viduæ Nainicæ. Prima hæc fuit mortui in N.T. reſuſcitatio. In V.T. leguntur tres mortui reſuſcitati: (1) filius Sareptanæ ab Elia; 1.Reg.17,22. (2) filius Sunamitidis ab Eliſæo; 2.Reg.4,35.&(3) cadaver hominis mortui projectum in ſepulcrum Eliſæi, quod oſſium Propheticorum contactu revixit. 2.Reg.13,21. In N.T. à CHRISTO reſuſcitati leguntur, (1) filius viduæ hujus: (2) filia Jairi Matth.9,25. (3) Lazarus Joh.11,44. (4) multa corpora Sanctorum. Matth.27,52. Poſt adſcenſionem CHRISTI ad cœlos ab Apoſtolis reſuſcitati ſunt, vidua Dorcas, Act.9,40. à Petro; Eutychus à Paulo; Act.20,10. Nos in prima N.T. reſuſcitatione enarranda, tria nobis proponemus, conſideraturi

Mortui tres in V.T. reſuſcitati.

I. funeris deductionem;
II. miraculoſam defuncti reſuſcitationem; &
III. fructûs vel effectûs conſecutionem.

PARS I.

Primæ partis explicationi ſequentes inſerviunt circumſtantiæ:

I. *Temporis notatio;* tempus verò illud ſubinnuit particula ἐν τῇ ἑξῆς ſcil. ἡμέρᾳ, ſequente die, poſt ſanatum Centurionis famulum, de qua hiſtoria aliô anni tempore edocemur.

II. *Loci determinatio:* Editum eſt enim miraculum hoc in Nain; (נָעִים ſignificat amœnum, jucundum, gratum, à R. נָעַם amœnus, jucundus fuit) q.d. urbem amœnam vel amabilem: ſita enim fuit in tribu Iſſachar, inter montes Palæſtinæ famoſiſſimos & jucundiſſimos, Hermonem & Thaborem: torrens verò Oſon illam alluiſſe dicitur; teſtaturq; Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ſuâ etiamnum ætate oppidulum hoc nomine exſtitiſſe. Ad loci circumſtantiam pertinet

Nain.

 etiam

etiam id, quòd CHRISTUS in funus ſcribitur incidiſſe ad portam civitatis, ubi pro more illius regionis conventûs celebrari ſolebant. Lucas Nain habet, quæ eſt Syriaca terminatio. In hac civitate nihilominus mors dominatur, nec poteſt contra eam tueri loci amœnitas, ſicut nec Capernaumi à morte & morbis homines liberi ſunt, quæ civitas ab eadem radice & à Kaphar compoſita villam notat amœnam.

III. Miraculi occaſio; CHRISTUS enim eò proficiſcens, commodum venit, & adpropinquat portæ civitatis, quando defunctus effertur. Atq; hic dux vitæ occurrit morti, triumphanti & habenti prædam, ſed mox eandem ei eripit Salvator.

IV. Comitatûs deſcriptio, tàm viduæ lugentis, quàm CHRISTI advenientis. Comites enim, tanquam futuri miraculi teſtes, erant tùm proprii, tùm alieni. Proprii erant diſcipuli ἱκανοὶ, videlicet non duodecim ſaltem Apoſtoli, ſed alii quoq;, qui ſe ſectatores CHRISTI profitebantur, ejuſq; doctrinam receperant, cujusmodi fuerunt 70. illi, quorum Luc. 10, 1. fit mentio. Credentes enim initiò dicebantur diſcipuli. Act. 11, 26. Alieni erant πολὺς ὄχλος, magna turba promiſcuæ multitudinis. Dn. D. Chemnitius cap. 54. harm. putat fuiſſe illam turbam, quæ in hiſtoria Centurionis Matth. 8, 1. CHRISTUM ſecuta fuiſſe legitur, ut Capernaum mox alterô die deflexerit verſus tribum Iſaſchar, ubi ſita Naim fuit. Sequebatur autem Dominum JESUM turba multa, vel rei novitate illecta; vel corporalia ab illo beneficia exſpectans.

V. Objecti deſignatio, quod eſt ὁ νεανίσκος τεθνηκὼς, juvenis defunctus, qui jam efferebatur, terræ παμμήτορι, omnium matri committendus. Exaggeratur perſonæ defunctæ conditio,

1. à ſexu, quòd fuerit filius, & quidem adoleſcens, in ipſo ætatis ſuæ flore conſtitutus.
2. A numero, fuit unicus, μονογενὴς, unigenitus; unde colligitur, patrem ſeu viduæ maritum mortuū non in ſenectute, ſed in ipſo flore juventæ, nō diu poſt contractum matrimonium.
3. A parentibus; eſt filius matris viduæ, quæ caret tutore, maritiq; patrociniô; ſpem verò, quā in filio repoſitā habuit unicè, amiſit miſera; hoc itaq; caſu ſupra modū fuit contriſtata.
4. Ab adjuncto, vicinorum & proximorum dilectione. Quia enim funus magnâ civium comitante catervâ deductum fuiſſe adſeritur, vel inde de ipſorum συμπαθείᾳ commiſeratione, animiq; in defunctum propenſione licet facere judicium.

5. A

5. A conſequente vel effectu, luctu nimirùm matris ſubſecuto, quæ flevit, & ad miſericordiam planctu ſuô commovit Dominum JESUM. Naturale hoc eſt, lugere demortuos, maximè propinquos; & nemo hoc nomine reprehendendus, modò ſervetur modus, de quo monet Scriptura Sir. 38, 16, 17. 18. 28 1. Theſſ. 4, 13, 18

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Defunctorum hominum cadavera non ſunt ut brutorum animalium cadavera abjicienda, ſed honeſtâ ſepulturâ terræ matri reddenda; quin mortui quoque decenter lugendi, Sir. 7, 37. & 38, 16. Eccl. 7, 3. Rom. 12. 15. Gen. 23, 35. & 50, 1. ſeqq. 1 Sam. 28, 3. Matth. 27, 60. Joh. 11, 35. Act. 8, 2. Jer. 6, 26. Act. 9, 30. Quibus in ſpecie ceremoniis mortui apud Judæos fuerint ſepulti, explicat D. Theodor. pag. 671. 673. 674. *Mortuis rum cura habenda.*

II. Habuerunt etiam veteres ſua extra mœnia cœmiteria, Gen. 23, 20. & 35, 3. 19. Joſ. 24, 30. 32. Matth. 8, 28. & 27, 60. Johan. 11, 30. *Cœmiteria*

III. In hiſtoria Scripturæ ſacræ probroſum & luctuoſum eſt, carere ordinariâ ſepultura. D. Finck. centur. 3. can. 91.

IV. Monemur de fragilitate & inconſtantia vitæ humanæ, Eſ. 40, 6. Pſal. 90, 11. & 103, 15. & 146, 4. D. Theod. p. 674. *Vitæ humanæ fragilitas.*

V. Propter peccatum morti ſubjicimur, Pſal. 90, 9. Rom. 5, 12. & 6, 23. Sap. 2, 24.

VI. Omnibus proinde hominibus, cujuscunque etiam ſint ordinis, conditionis aut ætatis eſt moriendum, Gen. 3, 19. Job. 14, 1. Sir. 38, 23. & 40, 1. & 41, 5. 6. 7. *Moriendum omnibus.*

Tranſivêre patres, ſimul hinc tranſibimus omnes,
In cœlo patriam qui benè tranſit, habet.

VII. Mors ubique, in locis etiam amœniſſimis, nos exſpectat. Rectè Auguſtinus: *Quòd morieris, certum eſt, incertum ubi & quando: quia igitur mors te ubiq; exſpectat, & tu, ſi ſapis, ubiq; eum exſpectes.*

IIX. In Scriptura ſacra inſigne & extremum pietatis officium eſt, ſi parentibus, propinquis &c. per liberos aut alios conjunctiſſimos claudantur oculi. D. Finck. centur. 2. can. 89. *Oculos claudere defunctis.*

IX. Mulier hæc fuit olim conjugata, nihilominùs CHRISTO grata, licèt communes conjugii ærumnas ferre cogatur. Geneſ. 3, 16. 1. Cor. 7, 28.

Viduitas.

X. Viduitatis calamitas omnium triſtiſſima eſt & miſerrima: hinc viduæ dicuntur perſonæ miſerabiles: Scriptura ponit inter imprecationes & pœnas. Pſ. 109, 9. Thr. 1, 1. & 5, 3.

XI. Scriptura ſacra, inquit D. Finckius cent. 2. can. 46. orphanos, pupillos, viduas conjunctim elegit, deque iis ſingularem & benignam DEI curam eſſe declarat.

Viduarum ſolatium.

XII. Non carent autem viduæ ſolatiô multiplici, legatur Pſal. 68, 9. & 146, 9. Deut. 10, 18. & 14, 29. Exod. 22, 22. Eſa. 1, 17. Jerem. 5, 28. & 22, 3. Thold. p. 901. D. Theol. p. 677.

Juventus mori diſcat.

XIII. Juventus criſtas deponere, & ſecuritate depoſitâ quotidiè mortem exſpectare diſcat: quaſi aquæ enim in terram dilabimur, 2 Sam. 14, 14. Pſal. 119, 9. Eccl. 12, 1. Eſa. 28, 15. Sap. 2, 6. Sir. 7, 40. & 38, 23. Pſal. 90, 10. *Tranſitus celer eſt, & avolamus.*

Et nos floruimus, ſed flos fuit ille caducus.

Juvenes etiam moriũtur, & cur.

XIV. Juvenes etiam per mortem DEUS abripit, tàm malos, in ipſo ætatis flore, ob malitiam aliis nocivam, Gen. 38, 7. 10. Pſal. 55, 24. 2. Sam. 18, 15. 2. Reg. 2, 24. Prov. 2, 22. quam bonos

1. *propter peccati originalis contagium*; Pſ. 51, 7. & 90, 9. Eph. 2, 3 Rom. 5, 14.
2. *propter pietatis incitamentum*; Eccl. 11, 9.
3. *propter inſigne juventutis emolumentum*; Sap. 4, 10. Eſa. 56, 13. 2 Sam. 13, 23
4. *propter parentum delictum.* Exod. 20, 5. 2 Sam. 12, 14. & 21, 1. Confer D. Theod. pag. 676.

Mors utrũ exoptãda?

XV. Quæritur hoc locô, an ſalvâ pietate liceat mortem ſibimet maturam precari & exoptare? Affirmamus, (1) ſuô nobis præeunte exemplô Apoſtolô Paulô, Phil. 1, 23. Rom. 7, 24. (2) ſvadente praxi Patris cœleſtis quotidianâ, quâ plures in limine vel flore ætatis, quam ſenes & decrepitos ſtatione evocat, Marc. 10, 14. Matth. 18, 3. (3) orationem ita Magiſtrô ac Dominô JESU CHRISTÔ informante: (4) quàm plurimis idem urgentibus utilitatibus. Maturè enim qui moritur,

Mortis maturæ commoditates.

1. maturè à vinculis peccati liberatur, Rom. 6, 7.
2. contra hoſtes devictos triumphat, 1 Tim. 1, 19. 2 Tim. 4, 7. Eph. 6, 10
3. ad perfectionem promovetur, Sap. 4, 13.
4. multa pericula, multas curas, pœnas quoque fatales prævertit;

5. onus

5. onus crucis citò deponit;

6. ad conſortium demum Angelorum & beatorum alios antevertit.

XVI. Si legamus Scripturas ſacras, animadvertimus pios non fuiſſe alienos à curis hujus vitæ. D. Finck. cent. 3. can. 89.

XVII. In Scriptura ſacra non aliquis facilè plenus dierum proponitur, niſi is, cujus per eandem Scripturam vita laudatur. Idem ibid. can. 96.

XIIX. Non eſt effœminata mollities, lugere defunctos, quos in vita caros habuimus, quod contra ἀπάθειαν Stoicorum eſt notandum, Matth. 5, 5. Eccleſ. 7, 3. Rom. 12, 15. 16. Geneſ. 23, 1. & 34, 8. Lugere licet defunctos.

XIX. Exemplum etiam turbæ, quæ eſt à parte viduæ, monet, lugendum eſſe cum lugentibus, & funera honeſtè deducenda, ob ſpem reſurrectionis, & quòd piorum corpora ſint Christi membra & Spiritûs S. habitacula, 1 Cor. 6, 15. 19.

PARS II.

Ad ſecundæ praxis explicationem faciunt ſequentia:

I. ***Cauſa impulſivæ adnotatio***, quæ gemina:

1. ***mulieris adflictæ viſio***; hæc προκαταρκτική:

2. ***intima & quaſi visceralis miſeratio***, expreſſa verbô emphaticô, ἐσπλαγχνίσθη, de quo aliàs diximus; hæc cauſa προηγουμένη.

II. ***Matris conſolatio.*** Qui enim anteà, cùm in morbo filii ægrotantis invocaretur, fuit quaſi qui non audiret; nunc tacente & gementе tantùm viduâ, ipſe ultrò eam alloquitur: *Noli flere*, inquiens; hoc ipsô jubens, ut fletum ſiſtat, & ſpem injiciens auxilii inexſpectati: non reprehendens interim maternum adfectum, ſed mœrentem erigens, & reipsâ efficaciam conſolationis oſtendens, filium ſuſcitatum reſtituendum matri: q. d. Juſtæ quidem ſunt cauſæ mœroris ac luctûs tui; ſed juſtior eſt cauſa abjiciendi mœroris: Siſte ergò lacrymas, mox præſtò futurum eſt auxilium inſperatum.

III. ***Miraculi ipſius operatio***, h. e. mortui juvenis exſuſcitatio; in cujus deſcriptione occurrit

1. ***acceſſus***; quô ſignificat, ſe præſens adferre auxilium.

2. ***Attactus***; tangit enim loculum, ſiſtens hac ratione pompam mortis, & totam proceſſionem funebrem. Subſtiterunt enim qui

qui portabant, & ſimul, ut dubium non eſt, totus reliquus comitatus. Oſtendit quoque hac ceremonia, deſtructionem mortis & reſtitutionem vitæ eſſe virtutem atque opus ſuæ perſonæ, h.e. θεανθρώπȣ, proprium.

3. *Modus*, qui conſiſtit in verbi omnipotentis pronunciatione, eò ipsô docens, medium ſeu ὄργανον beneficia ſua in nos conferendi, eſſe verbum ipſius. Ita autem mortuum inclamat: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*, ſcil. à morte, ſuſcitare: ita enim verbum ἐγείρεσθαι uſurpatum legitur Matth. 11, 5. & 14, 2. & 16, 21. Fuerunt hæc non verba precantis, qualibus Elias & Eliſæus olim in mortuorum reſuſcitatione uſi leguntur; ſed cum potentia imperantis, & voce ſuâ mortuum ex morte in vitam evocantis. Sequitur ergò illicò

4. *Effectus*, qui verbum vel præceptum iſthoc excepit. Ille enim, qui verè mortuus erat, tot & tam diverſis teſtibus exſpectantibus, verè revocatur, vi hujus verbi in vitam, terrenam nimirùm hanc, temporalem & animalem; ſuô enim tempore ipſi rurſus fuit moriendum. Signa verò vitæ verè reſtitutæ certiſſima & infallibilia fuerunt;

   1. *mortui erectio* ſpontanea, & ſeſſio; reſedit enim, qui in loculo portabatur mortuus;

   2. *ejusdem locutio*; cœpit iterum loqui, ut verè vivum, & ſanum inſuper ac ſalvum coràm viderent & intelligerent, quicunque præſentes aderant;

   3. *filii excitati reſtitutio*; Reddit enim matri mœſtiſſimæ filium unigenitum, ut apud eandem iterum viveret, & pro luctu ac mœrore gaudium haberet; idque longè majus & ſublimius fuit, quàm ſi a morbo & morte præſervatus fuiſſet filius. Recepit ergò mater vidua filium, ſumma omnium cum congratulatione. Quid verò putamus locutum ipſum fuiſſe, quando redivivus primam edidit vocem? Hoc certè ſilentio involvit Evangeliſta, cui ſatis fuit deſcripſiſſe, quòd Dominus JESUS divina ſuâ potentiâ in vitam revocaverit mortuum, & lugentem viduam filii reſtitutione exhilaraverit. Noluit enim, quod potuiſſet, facere ſibi diſcipulum,

Po-

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Rebus deſperatis omnibus CHRISTUS adflictis præſtò eſſe ſolet, Pſal. 9, 10. & 91, 15. Eſ. 65, 24.

II. Habemus itaque hoc quoq; locô inſigne teſtimonium miſericordiæ & φιλανθρωπίας CHRISTI, de qua aliquoties diximus. Hebr. 2, 17. 18. & 4, 15. Jer. 31, 20. Pſ. 56, 9. & 103, 6. 11. Exo. 34, 6. Thren. 3, 23. Sir. 18, 1. & ſeqq. Mich. 7, 18. 1. Cor. 10, 13. φιλανθρωπία Chriſti.

III. Viduarum curam exemplô ſuô CHRISTUS nobis vel maximè recommendavit, Pſal. 68, 6. & 72, 12. & 82, 4. & 146, 9. Exod 22, 22. Eſa. 1, 23. Jer. 22, 3. Ezech. 22, 8. Sir. 35, 18. Jac. 1, 27. 1. Timot. 5, 15. Confer D. Theodor. pag. 678. Viduarum cura.

IV. Monemur de vi & efficacia verbi CHRISTI, contra mortem, & in ipſa etiam morte efficaciſſimi, Joh. 5, 28. & 8, 51. Vide Domin. Judica. Verbi Chriſti vis.

V. Monemur item de fine incarnationis vel adventûs Filii DEI in hunc mundum: venit enim, non ut politicam dominationem exerceret, ſed ut morte deſtructâ vitam, à qua abalienati fueramus, poſtliminiô reſtitueret, Joh. 18, 36. Luc. 19, 10. Matth. 20, 28. Joh. 10, 10. 1 Joh. 3, 8. Heb. 2, 14. Incarnationis finis

VI. Τυπικῶς ſignificatur, quomodo CHRISTUS hominem, in peccatis ſpiritualiter mortuum, vitæ ſpirituali reſtituat, Joh. 6, 40. Eph. 2, 1. & ſeqq. Col. 3, 3. Joh. 3, 36.

VII. CHRISTUS-Homo, voce ſuâ humanâ mortuum inclamans, & inclamando in vitam revocans, omnipotentiæ, humanæ naturæ verè ac realiter communicatæ, ſpecimen edidit infallibile. Johan. 5, 8. Matth. 28, 20. Omnipotentia Chriſti.

II Patet inde quoque, hunc JESUM, mortuos reſuſcitantem, eſſe verum DEUM, ac proin naturalem, ſubſtantialem & coæternum DEI Patris Filium, idq; αὐτοκρατορικὴ imperandi poteſtas luculenter probat. Apoc. 1, 18. D. Theod. p. 681. 682. Chriſtus verus Deus

IX. Interim una natura agit cum communicatione alterius, quod cujusq; eſt proprium, in iis nimirùm ἀποτελέσμασι, quæ officium CHRISTI concernunt.

X. Hinc corpus CHRISTI eſt vivificum: caro enim ipſius, eſt ipſius τοῦ λόγου caro, cui vis illa vivificandi expreſſè adſcribitur. & factô ipsô h. l. declaratur, Marc. 5, 30. Johann. 6, 48. & ſeqq. D. Theod. p. 681. Caro Chriſti vivifica.

Notat Theophylactus, *ſermonem eſſe CHRISTO, de Dominis duobus, inter ſe contrariis, vel contraria præcipientibus*; idq; ſubjuncta arguit ſive ἐπιφορᾷ, ſive ἐκθέσεις: non poteſtis DEO ſervire & Mammonæ: ubi Mammon q. idolum quoddam DEO opponitur. *Nos autem*, iterum ait Theophyl. *facimus Dominum noſtrum diabolum, ſicut & ventrem DEUM.* Et iterum: *Vides, quòd non poteſt dives & injuſtus DEO ſervire: abjicit enim divitiarum amor à DEO.* Rectè, ut omnia, Megalander noſter

In poſtill. dom. B. Lutherus: Dem Mammonsdienſt iſt unſer HErr Chriſtus ſonderlich feind/denn ſonſt kein Laſter iſt/welches das Evangelium mehr hindert/und den Chriſten mehr ſchaden thut/als der Geitz/und iſt dennoch ſo gemein/daß/wie wir ſehen/die gantze Welt drinnen erſoffen iſt. Denn iedermans gröſte Sorge iſt Tag und Nacht/wie er wolle ernähret werden.

II. Vitæ noſtræ melioritas vel dignitas. Qui dat vitam, dabit etiam ſuſtentationem vitæ; qui dedit corpus, dabit etiam indumenta, corpori tegendo neceſſaria. Pſal. 100, 2. Gen. 2, 7. Epheſ. 2, 5. Bene Theophylactus: *Non explodit autem operari, ſed ſeipſos totos curis tradere, & negligere DEUM, hoc eſt quod prohibet: quoniam & agros colere oportet, & vitæ curam habere.* Lutherus iterum: Sind wir nicht heilloſe und undanckbare Leute/ da GOTT billich ſolt uber uns zürnen? Bekennen müſſen wir/daß er uns das meiſte und gröſſeſte bereit hat gegeben/und wollen jhm nicht trawen/ daß Er auch das geringere werde geben. Es ſolte ie einem reichen Manne wehe thun/ wenn Er dir tauſent Gülden hette geſchencket/daß du dich nicht ſo viel wolteſt zu jhm verſehen/ daß er dir auch ein par alte Schuhe würde ſchencken.

III. Avium hilaritas. Paſcuntur illæ quotidiè, de alimento ſuo parùm interim ſolicitæ. Urget idem argumentum Scriptura aliis quoq; in locis. Job. 5, 23. Pſal. 147, 9. Matth. 10, 29. *Potuiſſet*, inquit Theophylactus, *adferre in exemplum Eliam, vel Johannem, & meminit avium; ut admoneat, nos etiam illis brutiores eſſe; paſcit autem eas DEUS, qui indidit eis naturalem ſcientiam, ad colligendas eſcas.*

IV. Curarum noſtrarum vanitas. Æquè enim ſtultum eſt, de victu & amictu nimiùm eſſe ſolicitum, & de ſtaturæ ſuæ ſive accretione, ſive acceſſione, anxià cura cor macerare. DEUS enim ſuum cuiq; demenſum pridem adſignavit. Exod. 16, 27. 2. Cor. 5, 15. Prov. 23, 5. & 30, 7. 8. Pſal. 55, 23. Lutherus: Wir ſind doch lauter Narren mit unſern Sorgen.

V. Liliorum, herbarum & ſtirpium ſpecioſitas, quæ naturaliter ipſis adeſt,

adeſt, ſolius DEI curâ & providentiâ, licèt non adeò duret, ut homo. Eſa.40,6. 1.Pet.1,24.

VI. Ethnicis propria impietas; ſive Chriſtianiſmi atq; gentiliſmi contrarietas. Ethnici in ore ferè tantùm habent illud Epicuri: *Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.* 1.Cor.15,32. Phil.3,19. Epheſ.2,12. 1.Theſſ.4,5. Eſa.22,13. Sap.2,6. Alia eſt & eſſe debet Chriſtianorum ratio, qui illud Paulinum aliâ mente repoſtum habent; 2.Cor.4,9. non deſerimur. Habent enim DEUM, Patrem omnipotentem; Pſal. 77,11. & 103,13. CHRISTUM Fratrem φιλόστοργον; Spiritum ſanctum Opitulatorem promtiſſimum. Abſit ergò ab omnibus verè-Chriſtianis gentilis iſtiusmodi impietas! Hinc verò novum emergit argumentum,

VII. DEI paternitas, vel, Patris cœleſtis benignitas. Pſal.103, 13. Jer.31,20. Baſilius: *Oculus ille pervigil nunquam dormit.* Et Ambroſ. *quoscunq; videt, hos etiam paſcit.*

IIX. Cura majoris neceſſitas. Major verò cura impendenda eſt,

1. *animæ*: quæ requirit,
   1. *regni cœleſtis anhelationem*; Matth. 6,19.33. Rom.14,17. Theophyl. *Omni quærenti ſpiritualia, adduntur etiam corporalia, liberalitate DEI.*
   2. *Juſtitiæ ſalvificæ comparationem*, quæ ex verbo revelato eſt addiſcenda. Lutherus: Gottes Reich heiſt anders nichts/ denn Gottes Wort hören/ und dem gläuben/ wo ſolcher Glaube iſt/ da wohnet GOtt/ und folget ſo balde die Gerechtigkeit/das iſt Vergebung der Sünden.
2. *Vocationi* vel officio, ubi ordo potiſſimùm præſcriptus obſervandus: præcedat cura regni cœleſtis, ſequatur cura diei cujusq; propria. Rom. 12, 7. 1.Cor. 7, 24. Theophylactus *malitiam diei, afflictionem & calamitatem vocat: ſufficit enim tibi, quòd hodiernâ afflictione obrueris: quod ſi & pro craſtino ſolicitus fueris, quando vacabis DEO, ſemper temetipſum crucians pro corporalibus.*

Atq; hæc ſunt graviſſima illa rationum momenta ac pondera, quæ omnem meritò animi diffidentiam exſtirpare funditùs debebant. At quis credit auditui noſtro?

Et genus, & formam regina pecunia donat.

Rectè iterum B. Lutherus in poſt.dom. Die gantze Welt iſt ein Hauffe verzweiffelter Geitzhälſe/die Gott nicht trawen/Gott nicht die-

 nen/

nen/ſondern dem Teuffel. Denn Mammon iſt der Welt Gott. Mammon heiſt Gut: nun ſucht alle Welt am Gut/ nicht daß ſie davon eſſen vnd trincken / welches iederman wol were gegönnet / ſondern daß ſie nur viel Geldes haben / vnd den Mammon im Kaſten haben / vnd jhn anbeten: darumb iſt die Welt voll Mammons-Diener. Nos concludimus illô D.Petri: *Omnis cura veſtra conjecta ſit in DEUM: nam illi curæ eſt de vobis.* 1.Pet.5,7. Et alterô illô D.Pauli: *de nulla re ſoliciti ſitis: ſed in omni precatione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud DEUM.* Phil.4,6. Addo preces Eccleſiæ: *Eccleſiam tuam Domine miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalva conſiſtere, tuô ſemper munere gubernetur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 7. à verſ. 11. usq; ad 18.

11. ΚΑὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς ἐπορεύετο εἰς πόλιν καλουμένην Ναΐν· καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοὶ, καὶ ὄχλος πολύς.

12. Ὡς δὲ ἤγγισε τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς, υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ· καὶ αὕτη ἦν χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ.

13. Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ Κύριος, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ, μὴ κλαῖε.

14. Καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ· (οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν). καὶ εἶπε· νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι.

15. Καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν· καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

11. *ET factum eſt deinceps, ibat in civitatem, quæ vocatur Nain: & ibant cum illo diſcipuli ejus multi, turbaq; copioſa.*

12. *Cùm autem adpropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.*

13. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, noli flere.*

14. *Et acceſſit, tetigitq; loculam: (porrò qui portabant, ſubſtiterunt:) & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.*

15. *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ.*

16. Ἐλα-

16. Ελαβε δὲ φόβος ἅπαντας καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, λέγοντες· ὅτι προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

17. Καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ιουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

16. Accepit autem omnes timor, & glorificabant DEUM, *dicentes: Propheta magnus ſurrexit inter nos, &* DEUS *viſitavit plebem ſuam.*

17. Et exiit hic rumor in univerſam Judæam de eo, & omnem finitimam regionem.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

Refertur hoc Evangelium ad genus cauſarum ἐπιδεικτικὸν ſive Demonſtrativum. Continet enim hiſtoriam & miraculum reſuſcitati filii viduæ Nainicæ. Prima hæc fuit mortui in N.T. reſuſcitatio. Mortui
In V.T. leguntur tres mortui reſuſcitati: (1) filius Sareptanæ ab Elia; tres in V.
1.Reg.17,22. (2) filius Sunamitidis ab Eliſæo; 2.Reg.4,35. & (3) cadaver hominis mortui projectum in ſepulcrum Eliſæi, quod oſſium Propheticorum contactu revixit. 2.Reg.13,21. In N.T. à CHRISTO reſuſcitati leguntur, (1) filius viduæ hujus: (2) filia Jairi Matth.9,25. (3) Lazarus Joh.11,44. (4) multa corpora Sanctorum. Matth.27,52. Poſt adſcenſionem CHRISTI ad cœlos ab Apoſtolis reſuſcitati ſunt, vidua Dorcas, Act.9,40. à Petro; Eutychus à Paulo; Act.20,10. Nos in prima N.T. reſuſcitatione enarranda, tria nobis proponemus, conſideraturi

T. reſuſcitati.

I. funeris deductionem;
II. miraculoſam defuncti reſuſcitationem; &
III. fructûs vel effectûs conſecutionem.

PARS I.

Primæ partis explicationi ſequentes inſerviunt circumſtantiæ:

I. *Temporis notatio;* tempus verò illud ſubinnuit particula ἐν τῇ ἑξῆς ſcil. ἡμέρᾳ, ſequente die, poſt ſanatum Centurionis famulum, de qua hiſtoria aliô anni tempore edocemur.

II. *Loci determinatio:* Editum eſt enim miraculum hoc in Nain; Nain.
(נָעִים ſignificat amœnum, jucundum, gratum, à R. נָעֵם amœnus, jucundus fuit) q.d. urbem amœnam vel amabilem: ſita enim fuit in tribu Iſſchar, inter montes Palæſtinæ famoſiſſimos & jucundiſſimos, Hermonem & Thaborem: torrens verò Oſon illam alluiſſe dicitur; teſtaturq; Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ſuâ etiamnum ætate oppidulum hoc nomine exſtitiſſe. Ad loci circumſtantiam pertinet

etiam id, quòd CHRISTUS in funus ſcribitur incidiſſe ad portam civitatis, ubi pro more illius regionis conventûs celebrari ſolebant. Lucas Nain habet, quæ eſt Syriaca terminatio. In hac civitate nihilominus mors dominatur, nec poteſt contra eam tueri loci amœnitas, ſicut nec Capernaumi à morte & morbis homines liberi ſunt, quæ civitas ab eadem radice & à Kaphar compoſita villam notat amœnam.

III. Miraculi occaſio; CHRISTUS enim eò proficiſcens, commodum venit, & adpropinquat portæ civitatis, quando defunctus effertur. Atq; hic dux vitæ occurrit morti, triumphanti & habenti prædam, ſed mox eandem ei eripit Salvator.

IV. Comitatûs deſcriptio, tàm viduæ lugentis, quàm CHRISTI advenientis. Comites enim, tanquam futuri miraculi teſtes, erant tùm proprii, tùm alieni. Proprii erant diſcipuli *ἱκανοὶ*, videlicet non duodecim ſaltem Apoſtoli, ſed alii quoq;, qui ſe ſectatores CHRISTI profitebantur, ejusq; doctrinam receperant, cujusmodi fuerunt 70. illi, quorum Luc. 10, 1. fit mentio. Credentes enim initiò dicebantur diſcipuli. Act. 11, 26. Alieni erant πολὺς ὄχλος, magna turba promiſcuæ multitudinis. Dn. D. Chemnitius cap. 54. harm. putat fuiſſe illam turbam, quæ in hiſtoria Centurionis Matth. 8, 1. CHRISTUM ſecuta fuiſſe legitur, ut Capernaum mox alterò die deflexerit verſus tribum Iſaſchar, ubi ſita Naim fuit. Sequebatur autem Dominum JESUM turba multa, vel rei novitate illecta; vel corporalia ab illo beneficia exſpectans.

V. Objecti deſignatio, quod eſt ὁ νεανίσκος τεθνηκώς, juvenis defunctus, qui jam efferebatur, terræ παμμήτορι, omnium matri committendus. Exaggeratur perſonæ defunctæ conditio,

1. à ſexu, quòd fuerit filius, & quidem adoleſcens, in ipſo ætatis ſuæ flore conſtitutus.
2. A numero, fuit unicus, μονογενὴς, unigenitus; unde colligitur, patrem ſeu viduæ maritum mortuũ non in ſenectute, ſed in ipſo flore juventæ, nõ diu poſt contractum matrimonium.
3. A parentibus; eſt filius matris viduæ, quæ caret tutore, maritiq; patrocinio; ſpem verò, quã in filio repoſitã habuit unicè, amiſit miſera; hoc itaq; caſu ſupra modũ fuit contriſtata.
4. Ab adjuncto, vicinorum & proximorum dilectione. Quia enim funus magnâ civium comitante catervâ deductum fuiſſe adſeritur, vel inde de ipſorum συμπαθείᾳ commiſeratione, animiq; in defunctum propenſione licet facere judicium.

5. A

5. A conſequente vel effectu, luctu nimirùm matris ſubſecuto, quæ flevit, & ad miſericordiam planctu ſuô commovit Dominum JESUM. Naturale hoc eſt, lugere demortuos, maximè propinquos; & nemo hoc nomine reprehendendus, modò ſervetur modus, de quo monet Scriptura Sir. 38, 16, 17. 18, 28 1. Theſſ. 4, 13, 18

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Defunctorum hominum cadavera non ſunt ut brutorum animalium cadavera abjicienda, ſed honeſtâ ſepulturâ terræ matri reddenda; quin mortui quoque decenter lugendi, Sir. 7, 37. & 38, 16. Eccl. 7, 3. Rom. 12. 15. Gen. 23, 35. & 50, 1. ſeqq. 1 Sam. 28, 3. Matth. 27, 60. Joh. 11, 35. Act. 8, 2. Jer. 6, 26. Act. 9, 30. Quibus in ſpecie ceremoniis mortui apud Judæos fuerint ſepulti, explicat D. Theodor. pag. 672. 673. 674. Mortuoi rum curam habenda.

II. Habuerunt etiam veteres ſua extra mœnia cœmiteria, Gen. 23, 20. & 35, 3. 19. Joſ. 24, 30. 32. Matth. 8, 28. & 27, 60. Johan. 11, 30. Cœmiteria

III. In hiſtoria Scripturæ ſacræ probroſum & luctuoſum eſt, carere ordinariâ ſepultura. D. Finck. centur. 3. can. 91.

IV. Monemur de fragilitate & inconſtantia vitæ humanæ, Eſ. 40, 6. Pſal. 90, 11. & 103, 15. & 146, 4. D. Theod. p. 674. Vitæ humanæ fragilitas.

V. Propter peccatum morti ſubjicimur, Pſal. 90, 9. Rom. 5, 12. & 6, 23. Sap. 2, 24.

VI. Omnibus proinde hominibus, cujuscunque etiam ſint ordinis, conditionis aut ætatis eſt moriendum, Gen. 3, 19. Job. 14, 1. Sir. 38, 23. & 40, 1. & 41, 5. 6. 7. Moriendum omnibus.

Tranſivêre patres, ſimul hinc tranſibimus omnes,
In cælo patriam qui benè tranſit, habet.

VII. Mors ubique, in locis etiam amœniſſimis, nos exſpectat. Rectè Auguſtinus: *Quòd morieru, certum eſt, incertum ubi & quando: quia igitur mors te ubiq; exſpectat, & tu, ſi ſapis, ubiq; eum exſpectes.*

IIX. In Scriptura ſacra inſigne & extremum pietatis officium eſt, ſi parentibus, propinquis &c. per liberos aut alios conjunctiſſimos claudantur oculi. D. Finck. centur. 2. can. 89. Oculos claudere defunctis.

IX. Mulier hæc fuit olim conjugata, nihilominùs CHRISTO grata; licèt communes conjugii ærumnas ferre cogatur. Geneſ. 3, 16. 1. Cor. 7, 28.

Digitized by Google

Viduitas.

X. Viduitatis calamitas omnium triſtiſſima eſt & miſerrima: hinc viduæ dicuntur perſonæ miſerabiles: Scriptura ponit inter imprecationes & pœnas. Pſ. 109, 9. Thr. 1, 1. & 5, 3.

XI. Scriptura ſacta, inquit D. Finckius cent. 2. can. 46. orphanos, pupillos, viduas conjunctim elegit, deque iis ſingularem & benignam Dei curam eſſe declarat.

Viduarum ſolatium.

XII. Non carent autem viduæ ſolatiô multiplici, legatur Pſal. 68, 9. & 146, 9. Deut. 10, 18. & 14, 29. Exod. 22, 22. Eſa. 1, 17. Jerem. 5, 28. & 22, 3. Thold. p. 901. D. Theol. p. 677.

Juventus mori diſcat.

XIII. Juventus criſtas deponere, & ſecuritate depoſitâ quotidiè mortem exſpectare diſcat: quaſi aquæ enim in terram dilabimur, 2 Sam. 14, 14. Pſal. 119, 9. Eccl. 12, 1. Eſa. 28, 15. Sap. 2, 6. Sir. 7, 40. & 38, 23. Pſal. 90, 10. *Tranſitus celer eſt, & avolamus.*

Et nos florumus, ſed flos fuit ille caducus.

Juvenes etiam moriũtur, & cur.

XIV. Juvenes etiam per mortem Deus abripit, tàm malos, in ipſo ætatis flore, ob malitiam aliis nocivam, Gen. 38, 7. 10. Pſal. 55, 24. 2. Sam. 18, 15. 2. Reg. 2. 24. Prov. 2, 22. quam bonos

1. *propter peccati originalis contagium*; Pſ. 51, 7. & 90, 9. Eph. 2, 3 Rom. 5, 14.
2. *propter pietatis incitamentum*; Eccl. 11, 9.
3. *propter inſigne juventutis emolumentum*; Sap. 4, 10. Eſa. 56, 13. 2 Sam. 13, 23
4. *propter parentum delictum.* Exod. 20, 5. 2 Sam. 12, 14. & 21, 1. Confer D. Theod. pag. 676.

Mors utrũ exoptãda?

XV. Quæritur hoc locô, an ſalvâ pietate liceat mortem ſibimet maturam precari & exoptare? Affirmamus, (1) ſuô nobis præeunte exemplô Apoſtolô Paulô, Phil. 1, 23. Rom. 7, 24. (2) ſvadente praxi Patris cœleſtis quotidianâ, quâ plures in limine vel flore ætatis, quam ſenes & decrepitos ſtatione evocat, Marc. 10, 14. Matth. 18, 3. (3) orationem ita Magiſtrô ac Dominô Jesu Christô informante: (4) quàm plurimis idem urgentibus utilitatibus. Maturè enim qui moritur,

Mortis maturæ commoditates.

1. maturè à vinculis peccati liberatur, Rom. 6, 7.
2. contra hoſtes devictos triumphat, 1 Tim. 1, 19. 2 Tim. 4, 7. Eph. 6, 10
3. ad perfectionem promovetur, Sap. 4, 13.
4. multa pericula, multas curas, pœnas quoque fatales prævertit;

5. onus

Digitized by Google

5. onus crucis citò deponit;

6. ad conſortium demum Angelorum & beatorum alios antevertit.

XVI. Si legamus Scripturas ſacras, animadvertimus pios non fuiſſe alienos à curis hujus vitæ. D.Finck. cent. 3. can. 89.

XVII. In Scriptura ſacra non aliquis facilè plenus dierum proponitur, niſi is, cujus per eandem Scripturam vita laudatur. Idem ibid. can. 96.

XIIX. Non eſt effœminata mollities, lugere defunctos, quos in vita caros habuimus, quod contra ἀπάθειαν Stoicorum eſt notandum, Matth. 5, 5. Eccleſ. 7, 3. Rom. 12, 15. 16. Geneſ. 23, 1. & 34, 8. Lugere licet defunctos.

XIX. Exemplum etiam turbæ, quæ eſt à parte viduæ, monet, lugendum eſſe cum lugentibus, & funera honeſtè deducenda, ob ſpem reſurrectionis, & quòd piorum corpora ſint CHRISTI membra & Spiritûs S. habitacula, 1 Cor. 6, 15. 19.

PARS II.

Ad ſecundæ praxis explicationem faciunt ſequentia:

I. Cauſa impulſiva adnotatio, quæ gemina:

1. mulieris afflictæ viſio; hæc προκαταρκτική:

2. intima & quaſi viſceralis miſeratio, expreſſa verbô emphaticô, ἐσπλαγχνίσθη, de quo aliàs diximus; hæc cauſa προηγουμένη.

II. Matris conſolatio. Qui enim anteà, cùm in morbo filii ægrotantis invocaretur, fuit quaſi qui non audiret; nunc tacente & gemente tantùm viduâ, ipſe ultrò eam alloquitur: *Noli flere*, inquiens; hoc ipsô jubens, ut fletum ſiſtat, & ſpem injiciens auxilii inexſpectati: non reprehendens interim maternum adfectum, ſed mœrentem erigens, & reipsâ efficaciam conſolationis oſtendens, filium ſuſcitatum reſtituendum matri: q. d. Juſtæ quidem ſunt cauſæ mœroris ac luctûs tui; ſed juſtior eſt cauſa abjiciendi mœroris: Siſte ergò lacrymas, mox præſtò futurum eſt auxilium inſperatum.

III. Miraculi ipſius operatio, h.e. mortui juvenis exſuſcitatio; in cujus deſcriptione occurrit

1. acceſſus; quô ſignificat, ſe præſens adferre auxilium.

2. Attactus; tangit enim loculum, ſiſtens hac ratione pompam mortis, & totam proceſſionem funebrem. Subſtiterunt enim qui

qui portabant, & ſimul, ut dubium non eſt, totus reliquus comitatus. Oſtendit quoque hac ceremonia, deſtructionem mortis & reſtitutionem vitæ eſſe virtutem atque opus ſuæ perſonæ, h.e. θεανθρώπου, **proprium.**

3. *Modus*, qui conſiſtit in verbi omnipotentis pronunciatione, eò ipsô docens, medium ſeu ὄργανον **beneficia ſua in nos conferendi, eſſe verbum** ipſius. Ita autem mortuum inclamat: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*, ſcil. à morte, ſuſcitare: ita enim verbum ἐγείρεσθαι **uſurpatum legitur Matth. 11, 5. & 14, 2.** & 16, 21. Fuerunt hæc non verba precantis, qualibus Elias & Eliſæus olim in mortuorum reſuſcitatione uſi leguntur; ſed cum potentia imperantis, & voce ſuâ mortuum ex morte in vitam evocantis. Sequitur ergò illicò

4. *Effectus*, qui verbum vel præceptum iſthoc excepit. Ille enim, qui verè mortuus erat, tot & tam diverſis teſtibus exſpectantibus, verè revocatur, vi hujus verbi in vitam, terrenam nimirùm hanc, temporalem & animalem; ſuô enim tempore ipſi rurſus fuit moriendum. Signa verò vitæ verè reſtitutæ certiſſima & infallibilia fuerunt;

1. *mortui erectio* ſpontanea, & ſeſſio; reſedit enim, qui in loculo portabatur mortuus;

2. *ejuſdem locutio;* cœpit iterum loqui, ut verè-vivum, & ſanum inſuper ac ſalvum coràm viderent & intelligerent, quicunque præſentes aderant;

3. *filii excitati reſtitutio*; Reddit enim matri mœſtiſſimæ filium unigenitum, ut apud eandem iterum viveret, & pro luctu ac mœrore gaudium haberet; idque longè majus & ſublimius fuit, quàm ſi a morbo & morte præſervatus fuiſſet filius. Recepit ergò mater vidua filium, ſumma omnium cum congratulatione. Quid verò putàmus locutum ipſum fuiſſe, quando redivivus primam edidit vocem? Hoc certè ſilentio involvit Evangeliſta, cui ſatis fuit deſcripſiſſe, quòd Dominus JESUS divina ſuâ potentiâ in vitam revocaverit mortuum, & lugentem viduam filii reſtitutione exhilaraverit. Noluit enim, quod potuiſſet, facere ſibi diſcipulum,

Digitized by Google

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Rebus deſperatis omnibus CHRISTUS adflictis præſtò eſſe ſolet, Pſal.9,10. & 91,15. Eſ.65,24.

II. Habemus itaque hoc quoq; locô inſigne teſtimonium miſericordiæ & φιλανθρωπίας CHRISTI, de qua aliquoties diximus. Hebr.2,17.18. & 4,15. Jer.31,20. Pſ.56,9. & 103,6.11. Exo. 34,6. Thren.3,23. Sir.18,1. & ſeqq. Mich.7,18. 1.Cor.10,13. *φιλανθρωπία Chriſti.*

III. Viduarum curam exemplô ſuô CHRISTUS nobis vel maximè recommendavit, Pſal.68,6. & 72,12. & 82,4. & 146,9. Exod 22,22. Eſa.1,23. Jer.22,3. Ezech.22,8. Sir.35,18. Jac.1,27. 1.Timot. 5,15. Confer D. Theodor.pag.678. *Viduarum cura.*

IV. Monemur de vi & efficacia verbi CHRISTI, contra mortem, & in ipſa etiam morte efficaciſſimi, Joh.5,28. & 8,51. Vide Domin. Judica. *Verbi Chriſti vis.*

V. Monemur item de fine incarnationis vel adventûs Filii DEI in hunc mundum: venit enim, non ut politicam dominationem exerceret, ſed ut morte deſtructâ vitam, à qua abalienati fueramus, poſtliminiò reſtitueret, Joh.18,36. Luc.19,10. Matth.20,28. Joh.10,10. 1 Joh.3,8. Heb.2,14. *Incarnationis finis.*

VI. τυπικῶς ſignificatur, quomodo CHRISTUS hominem, in peccatis ſpiritualiter mortuum, vitæ ſpirituali reſtituat, Joh. 6,40. Eph.2,1. & ſeqq. Col.3,3. Joh.3,36.

VII. CHRISTUS-Homo, voce ſuâ humanâ mortuum inclamans, & inclamando in vitam revocans, omnipotentiæ, humanæ naturæ verè ac realiter communicatæ, ſpecimen edidit infallibile. Johan. 5,8. Matth.28,20. *Omnipotentia Chriſti.*

II Patet inde quoque, hunc JESUM, mortuos reſuſcitantem, eſſe verum DEUM, ac proin naturalem, ſubſtantialem & coæternum DEI Patris Filium, idq; αὐτοκρατορικὴ imperandi poteſtas luculenter probat. Apoc.1,18. D.Theod. p.681.682. *Chriſtus verus Deus*

IX. Interim una natura agit cum communicatione alterius, quod cujuſq; eſt proprium, in iis nimirùm ἀποτελέσμασι, quæ officium CHRISTI concernunt.

X. Hinc corpus CHRISTI eſt vivificum: caro enim ipſius, eſt ipſius τοῦ λόγου caro, cui vis illa vivificandi expreſsè adſcribitur. & factô ipsô h.l. declaratur, Marc.5,30. Johann.6,48. & ſeqq. D.Theod.p.681. *Caro Chriſti vivifica.*

XI. **Habet autem ζωοποιητικὴν iſtam δύναμιν non ex ſua** natura, ſed ex Unionis perſonalis gratia; quia cum vivificante Verbo conjuncta, tota effecta eſt vivifica, uti B. Cyrillus loquitur.

Calvinianiſmus de carne Chriſti in miraculis.

XII. Graviter itaq; halucinantur λόγου ἐνσαρκωθέντος, καὶ ἀνθρώπου ὑψωθέντος **hoſtes Calviniani**, qui carnem Christi in miraculoſis iſtiusmodi actionibus conſtituunt αὐτενέργητον; **cùm ſit potiùs Divinitatis** τοῦ λόγου ὄργανον ἐνυπόστατον, εὔχρηστον, ἐνεργητικόν. **Ita enim** λόγος **humanā naturam adſumſit, ut jā ſit** μέρος, pars perſonæ ſuæ, uti Damaſcenus loquitur, ad integritatem nimirùm perſonæ Verbi incarnati pertinens.

XIII. Potentia Dei, deſcripta in ſacris literis, non pendet ab inſtrumentis. D. Finck. centur. 2. can. 41.

XIV. Quando verò Christus incarnatus fecit miracula, & potentiam declaravit ſuam, utraq; natura egit cum communicatione alterius, & quando adhibuit contactum, vocem, flatum, participaverunt illa virtutem divinitatis, ut poſſet ſanare, mundare, vivificare: per ſe enim hoc humanæ carnis contactus non habet.

Danæus de carne Chriſti.

XV. Erubeſcant ergò, qui cum Danæo adſerunt, Christi carnem in miraculis nihil plùs operatam fuiſſe, quam baculum aut virgam Moſis.

XVI. Christus cum mortuo, tanquam dormiente loquens, oſtendit, mortuos in conſpectu Dei vivere, Matth. 9, 24. Joh. 11, 43. 1 Cor. 15, 6. 1 Theſſ. 4, 13.

Reſurrectio mortuorum.

XVII. Principalis hujus Evangelii locus eſt, de mortuorum reſurrectione, cujus aliquot h. l. theoremata confirmantur:

1. *certò illam ſuô tempore futuram*; Eſa. 25, 8. & 26, 19. Ezech. 37, 5. & ſeqq. Dan. 12, 2. Act. 13, 8. Matth. 22, 31. Rom. 8, 11. 1. Theſſ. 4, 14. & ſeqq.
2. *Reſurrectionem illam fore catbolicam,* Dan. 12, 2. Joſ. 5, 28. 29. Matth. 25. 32. 41. Act. 24, 15.
3. Illis, qui vitam ſuam usque ad diem extremum perducent, *decretam eſſe* ἀλλαγὴν, μεταβολὴν **ſeu immutationem quandam** ſubitaneam, 1. Cor. 15, 52. 1. Theſſ. 4, 15.
4. *In reſurrectione quemlibet recepturum ſuos.* Actor. 3, 21. Gen. 15, 15. Deut. 32, 50. 2. Sam. 12, 23. Luc. 16, 23. D. Theoe. p. 682.
5. *Beatos ſeſe mutuò ſtatim cognituros,* Matth. 17, 4.

PARS

PARS II.

Vidimus miraculum; reſtat miraculi effectus. Is verò conſpicitur in hominibus partim præſentibus, partim abſentibus.

In præſentibus notatur

1. *admiratio* vel ſtupor; ob potentiam & majeſtatem CHRISTI, ſolò verbò & nutu mortuum vitæ reſtituentis. Quòd enim dicitur, ſpectatores timore fuiſſe occupatos, non eum habet ſenſum, quòd tam horribile fuerit ſpectaculum reſuſcitationis, ſed timor innuitur ortus ex magnitudine miraculi, reiq; admirabilis novitate, quòd vulgus hoc miraculum, propter inſolitam ejus gloriam & ſublimitatem non potuerit ita leviter negligere, nec Phariſæi, ut cetera, calumniari. Primum autem hoc exemplum eſt reſuſcitationis mortuorum in N.T. & inter tria illa, quæ tempore miniſterii CHRISTI ſunt edita; ac fuit ſpectatum cum ſtupore omnium.
2. *DEI glorificatio*; non ideò tantùm, quòd virtutem divinam in hoc miraculo agnoſcerent; ſed & judicarent hoc miraculum eſſe teſtimonium, quòd DEUS vel inſignem aliquem Prophetam, vel Meſſiam miſiſſet. Duplicem enim hanc in populo fuiſſe de miraculo ſententiam, arguit geminum ὅτι.
3. Hinc enim publica ſequitur apud cordatos *de CHRISTO confeſſio*, quòd DEUS plebem ſuam viſitaverit, Deut. 18, 15. 18.
4. *Gratiarum actio*, ob paternam iſtam & gratioſam viſitationem, quam per Meſſiam futuram Deus olim promiſerat.

Abſentes fama de CHRISTO & tanto miraculo perceptâ, longè lateq; nomen ejus propagant, & haut dubiè plurimi ad illius agnitionem pervenerunt, converſi & ſalvati ſunt. Non enim eſt dubium, quin multi ex vicinis locis advenerint, & viſò adoleſcentulò reſuſcitatò, totaq; rei veritate, uti in ejusmodi operibus DEI fieri ſolet, diligenter exploratâ, Meſſiam hunc verè crediderint. Annis enim fermè nongentis poſt Eliſæum tale nihil in Iſrael contigerat.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Opera & miracula Dei non pecudum inſtar intueamur, ſed inde Dei potentiàm & majeſtatem agnoſcere, exempló populi, diſcamus, Pſ. 32, 9. Eſa. 5, 12. 2. Pet. 2, 3. 4. Opera Dei.

II. Beneficia Dei gratô animô & ore ſunt prædicanda. Vide Dom. 14. poſt Trinit. & D. Theod. p. 683.

Beneficia Dei prædicanda.

III. Prædicatione præ ceteris vel maximè digna eſt gratioſa Dei viſitatio, quâ miſsô in mundum Filiô unigenitô, ſalutem noſtram operatus eſt.

Viſitatio Dei duplex.

IV. Viſitatio Dei eſt vel iræ, vel gratiæ; illâ punit impios; Exod. 20, 5 hac beat pios. Luc. 1, 68. 78. Vide Dom. 10. Trinit.

V. Danda eſt nobis opera, ne gratiâ illâ, quâ per prædicationem verbi Deus nos benignè viſitavit, per ingratitudinem indignos nos reddamus, 2 Theſſ. 2, 11.

Officium Chriſti Propheticum.

VI. Habemus doctrinam hoc locô, de officio Christi Prophetico, cui ille divinitùs deſtinatus eſt, Deut. 18, 18. Act. 2, 22. & 7, 38 Eſ. 33, 22. & 55, 4. Fungitur autem officiô hoc Propheticô,

1. de futuris vaticinando; Joh. 2, 25. & 13, 21. 37. 38. 39. & 16, 2. 3.

2 voluntatem Patris revelando; Joh. 1, 18.

3. Evangelium pauperibus annunciando; Eſa. 61, 1. 2. 3. Matth. 11, 5. & 15, 24.

4. miniſterium docendi inſtituendo. Matth. 28, 19, 20.

VII. Exiit rumor de Christo etiam ad nos, & hodieque inter nos ejus beneficiô conſervatur: ſimus igitur grati, agnoſcamus Dominum Jesum, quòd Salvator noſter, inque ejus fide usque ad vitæ finem piè ambulando perſeveremus.

Judæi ἀναπολόγητοι.

IIX. Judæos, qui iſta omnia cum Christo neglexerunt, celebritas illa miraculorum reddet ἀναπολογήτους ſive inexcuſabiles, & erit eis in die illo παντοκρατικῷ gravioris condemnationis occaſio.

DISPOSITIO SECUNDA.

Propositio διμερής.

Rectè, ut omnia, Salvator noſter θυμηρέστατος Jesus Christus Matth. 5, 4. *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient.* En tibi veritatem dicti in præſentis Evangelii hiſtoria! Vidua luget filium; ſed mox filiô a mortuis, voce Christi vivificâ, reſuſcitatô, ſolatiô repletur ineffabili. Duo itaque jam nobis proponimus:

I. Vi-

I. Viduam lugentem; &

II. CHRISTUM conſolantem.

PARS I.

Luget mater defunctum filium. Expendatur

I. Perſona lugens. prout ille verſatur

1. in ſtatu gratioſo vel glorioſo, quò ſpectat id, quòd

1. civis oppidi Naim: benè ibi conſtitutam fuiſſe Rempub. vel inde liquet, quòd in funeris deductione omnia εὐτάκτως fieri conſpiciantur.
2. Maritum habuit, virum inter ſuos honoratum & valdè conſpicuum, idq; ex comitatûs frequentia colligere promtum eſt. Ii enim fermè hodie ſunt mores hominum, quos vetus olim Poëta notavit:

Cùm moritur dives, concurrunt undiq; cives;
Cùm moritur pauper, praſtò eſt vix unus & alter.

3. In conjugio non planè ſterili vixit, facta mater filii unici. Quæ omnia non in poſtrema felicitatis externæ parte ſunt collocanda.

2. In ſtatu calamitoſo & luctuoſo, quatenus

1. maritô orbatur; &.

2. filiô inſuper unicô ſpoliatur: Nulla enim calamitas ſola.

II. Perſona moriens, quæ deſcribitur

1. à patria, quæ ab amœnitate loci nomen habet. Vide præced. diſpoſ.
2. ab ætate; fuit juvenis:
3. à communi ſorte; moritur, ſed in ipſo ætatis juvenilis flore:
4. ab adjuncto; fuit filius unicus matris ſuæ. Filii ſunt parentum ſolatia, quemadmodum de Ænea Poëta refert:

Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis:

ſi decedant, vel aliò abeant, baculus ſenectutis corruiſſe videtur. Ubi verò plures ſunt, eò faciliùs toleratur mors liberorum.

Uſus I. Informatorius.

1. De felicitatis humanæ inſtabilitate. Namq; quod Poëta ait, *ipſa dies quandoq; parens, quandoq; noverca eſt:* Prov. 27, 1. Eccl. 1, 2. Sir. 18, 25. — Felicitatis humanæ inconſtantia.

2. De vitæ humanæ fragilitate & fugacitate. Job. 14, 1. Pſal. 39, 7. — Vitæ humanæ fragilitas.

Digitized by Google

39,7. & 102,4. & 103,15.& 109,23. & 90,6.11.& 141,4. Eſa.40,6. 1.Par.30,15. Gen.47,9. Ergò

Cùm fex, cùm limus, cùm res viliſſima ſimus,
Unde ſuperbimus, qui in terram terra redimus?

Moriendũ omnibus. 3. De mortis univerſitate: Job.1,21. Pſal.89,49.& 146,4.Sir. 14,12.19. 2.Sam.14,14. 1.Reg.2,2. Hebr.9,27. Omnibus hominibus eſt moriendum. Unde hoc?

1. *A peccati corruptione*: Rom.5,12.&7,24.Sap.2,23.Rom.6,23.
2. *A Legis maledictione & exſecutione.* Gen.2,17. 1.Cor.15,22.

II. Conſolatorius.

1. Quòd CHRISTUS in tempore adflictis veniat auxiliator. Vide D.Bald.poſt.pag.856.

Mors finis malorum. 2. Quòd pia mors ſit meta & finis omnium malorum & hoſtis ultimus. 1.Cor.15,26. Vide Monr.theſ.pag.250.

III. Monitorius.

Defuncti quomodo tractandi. 1. De rectè curandis & tractandis defunctorum noſtrorum exuviis. Sunt enim mortui in Domino beati: Apoc.14,13. ideoq;

1. *modeſtè lugendi;* Sir.22,10.& 38,16. Eccl.3,4. Zach.12,10.
2. *honeſtè ſepeliendi;* Sir.38,18.19. Tob.4,3.
3. *concionibus etiam funeralibus cohoneſtandi;* illæ enim ſunt

Funebres conciones.

1. *teſtimonium defunctorum;* Pſal.112,6.
2. *ſolatium propinquorum;* 1.Theſſ.4,18.
3. *eruditivum aliorum.* Sir.38,23. Hebr.9,27. Placet illud Auguſtini: *ſepulturæ officium, eſt bona vita teſtimonium.* Item; *ceremoniæ funebres magis ſunt vivorum ſolatia, quàm mortuorum ſubſidia.*

2. De digna ad pium obitum præparatione. Vide Dn.Monrad. theſ.pag.245.246.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de ſanctorum invocatione. Pontificiorum, qui hoc quoq; in Evangelio invocationem Sanctorum SUORUM immiſcent, hunc in modum ſcriptitante Scherero pag.593. Es iſt auch in ſolchen vnd dergleichen Fällen/ der lieben Heiligen Fürbitt nicht auszuſchlagen. Dann Gott erzeiget vnd beweiſet vns Menſchen groſſe Wolthaten vmb ſeiner Auserwehlten willen / die er auch hiedurch ehret vnd groß machet. Verùm planè extra oleas vagatur

Digitized by Google

gatur Jeſucida; nihil enim hic quicquam de ullius hominis vel vivi, vel defuncti interpellatione legitur. Honor invocationis, ſoli DEO debetur: Deut. 6, 13. Matth. 4, 10. Pſal. 50, 15. nemo etiam invocandus, in quem non credimus: Rom. 10, 14. quin & ſancti demortui nos noſtrasq; neceſſitates in particulari non nôrunt; neq; ullum extat in ſacris teſtimonium perſpicuum, vel exemplum certum ac probatum, illos pro nobis in particulari orare. Eſa. 63, 16. Eccl. 9, 5. Confer D. Meelführ. Vindic. th. 124. & ſeqq. Ita nos contemplati fuimus *viduam miſerabiliter lugentem.* **Mortui nō invocandi.**

PARS II.

Jam contemplabimur CHRISTUM *amicabiliter conſolantem.* Solatur verò mœſtiſſimam ſimul & adflictiſſimam viduam,

1. λόγῳ, *verbo*; noli flere: q. d. eſto bonô animô, ego opem feram: quam vocem, ſolatii efficaciſſimi plenam ipſi extorſit,
   1. *benignus adſpectus*; &
   2. *interior miſericordiæ adfectus.*
2. Ἔργῳ, *factô*: Ipſius enim dicere eſt facere. Factum iſtud oſtendit nobis, 1. *Medicum*; 2. *Populum.*

Medicus adparet viduæ, ut

1. *opportunus opitulator*; non enim niſi defunctô filiô adeſt, ſed admodum εὐκαίρως:
2. *fidelis miſerator*; tangitur enim viduæ miſericordiâ:
3. *dulcis conſolator*:
4. *mortis perdomitor*; audacter enim loculum, defuncti receptaculum, adprehendit, cum morte quodammodo dimicaturus: *Mors & vita duellô conflixêre mirandô:*
5. *vitæ reparator ac ſalutis auctor*: eam autem nudô attactu ac verbô reſtituit.

Theophylactus ita: *Non ſolùm verbô facit miraculum; ſed & loculum tangit, ut diſcamus, quòd corpus ejus corpus vivificum ſit. Quoniam enim caro ejus facta eſt propria Verbi omnia vivificantis, propterea vivifica eſt & ipſa, tollitq; mortem & corruptionem.* Porrò veritatem reſuſcitationis probat,

1. mortis fuga;
2. adoleſcentis motus;
3. loquela; unde conſtabat omnibus, verè illum vivere. *Reſedit mortuus* (iterum Theophyl. ait) *& cœpit loqui, ut ne adparenter tantùm*

quibus-

Digitized by Google

quibusdam ſuſcitatus videatur Nam verè reſurrectionis ſignum fuit, reſidere & loqui. Inanimatum enim corpus neq; reſidere, neq; loqui poteſt.

Populus deſcribitur ab effectus variis: Nam

1. funus curat;
2. factum vel miraculum miratur;
3. DEUM glorificat;
4. miraculum evulgat.

Uſus I. Informatorius.

Auxilium in Chriſto quærendũ.

1. De certiſſimo in omnibus vitæ mortisq; anguſtiis auxilio, quærendo, non in hominum *amore*; non in mortuorum *honore*; ſed in ſolius CHRISTI *favore*. Is enim

   1. *juſtò tempore opitulatur*; Thr. 3, 33. Pſal. 30, 6. Eſa. 54, 7. Rom. 8, 28.
   2. *mirabilia operatur*; Pſal. 77, 15. Eph. 3, 20.
   3. *morti etiam ipſi dominatur.* Oſe. 13, 14. Pſal. 68, 21. Job. 19, 25. Joh. 5, 24. & 6, 40. 1. Sam. 2, 6. 7.

Diei noviſſimi præludium.

2. De inſigni diei noviſſimi ſive typo ſive præludio. Ibi enim CHRISTUS

   1. veniet ſimiliter αὐτοπροσώπως; Act. 1, 11. & 10, 42.
   2. veniet improviſus; ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in ictu vel momento oculi; 1. Cor. 15, 52. 1. Theſſ. 5, 3. Luc. 21, 35.
   3. veniet ſtipatus multis comitum millibus; Matth. 25, 31.
   4. propè aderit nobis; videbimus enim eum facie ad faciem; 1. Cor. 13, 12. Joh. 17, 24. 1. Joh. 3, 2.
   5. intuebitur nos oculis gratiæ;
   6. miſerebitur noſtri;
   7. ſolabitur nos; Luc. 16, 26. Eſa. 66, 13.
   8. abſterget lacrymas ab oculis noſtris; Eſa. 35, 10. Apoc. 21, 4. Pſal. 126, 2.
   9. inclamabit mortuos; Joh. 5, 28.
   10. ſtabunt portatores, mors enim non erit ampliùs; 1. Cor. 15, 55. Apoc. 21, 4.
   11. fiet reſtitutio omnium; Act. 3, 21.
   12. loquentur electi magnalia DEI;
   13. plenò ore glorificabunt DEUM Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Eſa. 6, 3. Vide Monr. p. 252. 253.

II. Con-

Digitized by Google

II. Conſolatorius.

Conſolatio eſt tùm generalis, tùm ſpecialis.

1. *Generalis* profluit ex *1. futura mortuorum reſurrectione;*
2. bonorum amiſſorum recuperatione;
3. luctûs in gaudium, mortis in vitam commutatione.

2. *Specialis* eſt pro viduis, perſonis, uti JCtis dicuntur, miſerabilibus. Vidua vocatur q. dividua, à marito quippe diviſa. Benè & verè Poëta, (experto, mi Lector, crede Ruperto) — *Viduarum ſolatium.*

Non dolor eſt major, quàm cùm violentia mortis
Unanimi ſolvit corda ligata fide.

Ruth. 1, 10. DEUM verò paternam viduarum agere curam, oſtendit — *Viduarum curam DEUS agit.*

1. *adpellatione peculiari;* Judicem ſeſe viduarum conſtituens; Pſal. 68, 6.
2. *mandatô ſpeciali:* Exod. 22, 22. Eſa. 1, 17. & 10, 2. Jac. 1, 27.
3. *exemplis ſingularibus.* Ruth. 1, 16. 1. Reg. 17, 9. & ſeqq. 2. Reg. 4, 1. & ſeqq.

III. Monitorius.

1. Ut CHRISTUM ſequamur, in vita & morte, ſuperna deſiderantes; ubi noſtrum Naim.
2. Ut ſurgamus à morte peccati.
3. Ut piè ac modeſtè lugeamus defunctos; ſintq́; verba CHRISTI; *noli flere*, nobis inſtar ſtrophioli. Monr. p. 248.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, de miraculis multa h. l. temerè & falsò deblaterantium. Schererus notam inde facit Eccleſiæ, pag. 599. ita ſcribens: Wolan / die Todten ſeynd nach Chriſti vnd der Apoſtel Zeit / nirgend zum Leben erwecket worden / denn allein in der Catholiſchen Kirchen / vnd von Catholiſchen Gliedmaſſen / daraus dann vnwiderſprechlich geſchloſſen wird / daß allein die Catholiſche altglaubige Kirch / die wahre Kirch / vnd der Catholiſch Glaub / der wahre vnfehlbare Glaub ſey. Scire autem debebat Eſauvita; 1. per miracula non poſſe probari oracula: 2. Miracula non eſſe Eccleſiæ propria; nam & Ethnici & hæretici interdum miracula, cooperante ſatana, feciſſe leguntur, quod probat D. Gerh. Tom. 5. L.C. pag. 1226. & ſeqq. 3. Miracula Eccleſiæ non convenire ſemper ac perpetuò; quod probat idem Gerh. d. l. pag. 1236. — *Miracul… cleſia no… the*

1236. & ſeqq. 4. Miracula ſine doctrina vera apodicticè nihil probare: ibid. p. 1241. & ſeqq. Quid autem ſentiendum de mendacibus & Antichriſtianis Papatûs miraculis, idem auctor docet pag. 1256. quibus adde D. Meelführ. th. 127. & ſeqq.

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio μονομερής.

Homo in ſtatu triplici.

Homo naturaliter etiam conſideratur in ſtatu triplici; ſanitatis, ægritudinis & mortis. Sanus eget victu & amictu, de quo ritè & legitimè parando Magiſtrum ac Dominum noſtrum concionantem ſuperiori Dominicâ audivimus. Ægrè ſi habet, requirit Medicum, qui leproſos, h. e. morbos incurabiles, immò omnem animi & corporis ægritudinem ſublevare & curare poteſt; ſolus is eſt Christus, in περικοπῇ Domin. 13. poſt Trin. monſtratus. Mors ſi ingruat, εὐθανασία h. e. arte benè beateq; moriendi opus habet: illam verò præſens nobis ob oculos ſtatuit Evangelium. Ingruunt haut rarò morbi epidemici, lues potiſſimùm peſtifera, quæ his quoq; annis (1625. 1626. 1636.) paſſim locorum ingentem edidit hominum ſtragem. Animus itaq; eſt, oſtendere *regimen peſtilentiale, quô uſi, & ſecundum bonam* DEI *voluntatem placitè, ſi res ita ferat, ex mundi hujus turbulentiſſimi pelago enatare vel emigrare; & tranquillè ſub umbra ac tutela Altiſſimi, illæsâ conſcientiâ vivere queamus.*

Peſtilentiale regimen.

Ἐξήγησις.

Philoſophorum Magiſtri ſuam quoq; profitentur ſcientiam, vulgatô nomine Philoſophiam dictam, μελέτημα τοῦ θανάτου, mortis meditationem olim vocârunt. Vita hominis Chriſtiani veriùs ita nuncupabitur, luctuoſis maximè peſtis deſævientis temporibus. Peccatur a multis multifariam, aliis ad dextram καθ' ὑπερβολὴν, aliis ad ſiniſtram κατ' ἔλλειψιν exorbitantibus. Tu ut mediô tutiſſimus eas,

I. *CHRISTUM in omni vita vitaq; actione ſolum comitare*, exemplô diſcipulorum & turbæ in præſente Evangelio. Is enim eſt Medicus

Chriſtus Medicus & qualis.

1. *experientiſſimus*, qui omnia novit; Coloſſ. 2, 9. Johan. 2, 25. & 16, 30.
2. *feliciſſimus*; poteſt enim omnia, quæ vult, facere: Pſal. 115, 3. & 135, 15. Eph. 3 c 20.
3. *fideliſſimus*, quia ornat nos. Deut. 33, 2. Jerem. 31, 20. Johan. 13, 1.

Ad hunc itaq; Medicum in præſenti neceſſitate eſt adcurrendum, hic eſt unicè conſulendus; ſic corpore & animâ ſanabimur. Exod. 15, 26. Eſa. 63, 1. Jer. 17, 14. Pſal. 6, 3. & 41, 5. Luc. 17, 13. Audi etiam modum inveniendi. Ita ergò age: Chriſtus Medicus ut inveniatur.

1. *verbum ejus diligenter audito;* Joh. 8, 47.
2. *in ipſum firmiter credito;* Joh. 3, 36. & 5, 24. & 6, 40. 68. & 8, 51. & 11, 25.
3. *piè ac decenter vivito;* Jac. 1, 22. Luc. 1, 75. Matth. 5, 16.
4. *crucem patienter ferto.* Luc. 9, 23. Matth. 10, 38. Hebr. 10, 36. Thr. 3, 26. Detinet te Nain terreſtre ſoli? Reſpice Nain cœleſte poli. Col. 3, 2. Heb. 13, 14. Phil. 3, 20.

Reſpice mens ſurſum, terreſtres abjice curas.

II. *Mortem tuam ſubinde meditare* cujus imago in juvene Nainico ob oculos ponitur. Eſt autem *mors* (quia campum mortis ingreſſi ſumus) *in homine quadruplex:* Mors quadruplex.

1. *Mors animæ.* Moritur anima hominis, quando per & propter peccatum DEUS, qui eſt vita animæ, diſcedit. Auguſtinus: *dum homo peccavit, anima obiit.* Gen. 2, 17. Epheſ. 2, 3. & 4, 18. Col. 2, 13. Luc. 15, 24. 1. Tim. 5, 6. Hac morte qui moriuntur, ad ſui vivificationem propriis viribus nihil quidquam conferre poſſunt. Quemadmodum enim homo naturaliter mortuus ad ſui reſuſcitationem nihil planè facere poteſt; Ita homo ſpiritualiter mortuus ad ſui converſionem nihil conferre valet. Expellitur mors illa, ſi CHRISTUS vita noſtra per fidem & verbum cor hominis ingrediatur, quam ad rem ſeriâ & quotidianâ opus eſt pœnitentiâ. Joh. 1, 4. & 11, 25. & 14, 6. Epheſ. 3, 17. 2. Cor. 2, 16. Joh. 8, 51. Mors animæ.

2. *Mors culpæ*, quando pii per pœnitentiam ſeriam peccato moriuntur. Rom. 6, 11. 1. Cor. 15, 31. Cor. 3, 6. Gal. 5, 24. & 6, 14. Baſilius: *moriamur, ut vivamus.* Gal. 2, 20. Apoc. 20, 6. Mors culpæ.

Vive DEO gratus, toti mundo tumulatus.

3. *Mors corporis*, quæ definiente Auguſtinô, eſt ſeparatio corporis & animæ. Eſt definitio Scripturæ *ἀνάλογος*. Luc. 12, 20. Moritur ita omnis homo, quanquam *κατὰ μέρος* ſaltem, una ſui parte; anima enim eſt ſpiritus immortalis. Eccl. 12, 7. Rom. 6, 12. Mors corporis.

4. *Mors æterna*, quæ certò comitatur mortem animæ ſpiritualem, diciturq; mors ſecunda, h. e. damnatio æterna. Apoc. 20, 14. & 21, 8. Eſa. 66, 24. Pſal. 49, 15. Prov. 11, 7. Hoc in loco potiſſimùm agitur de morte corporis, h. e. communi mortalitate, quæ animis ocu- Mors æterna.

Digitized by Google

liſq; noſtris nunquam excidat; ſcimus enim omnibus eſſe moriendum. Jer.9,21. Job.3,19. & 14,1. Hebr.9,27. Sir.7,40. Pſal.90,12. ſic ambulabis corde ſapienti. Ambroſ. *Vita hujus exordium, mortis principium eſt. Mors ſervat legem tollit cum paupere Regem.*

Eſt commune mori, mors nulli parcit honori.

III. *Ordinem ſectare*, qui inter cives Naimicos eleganter conſpicitur. Tu tempore hoc calamitoſô ordini ſtudeas divinitûs præſcripto. Avertitur vel præcavetur malum peſtilens,

Peſtis præcavetur & quomodo.

1. *verè pœnitendo:* jam purgantur corpora; tu magis animam purga: Eſa.1,16. Jerem.18,7.8. Num.14,12. 2.Sam.24,10. Jon.3,10.
2. *temperanter vivendô;* bona diæta plurimùm facit ad contagii declinationem: Luc.21,34. Rom.13,13. Eph.5,18.
3. *fidem conſervando:* Cor adverſus veneni inſultûs præmunitur; tu utere dignè S.S. συνάξει; quia ſecundum Chryſoſtomum, *ubi Dominicum ſanguinem vident dæmones, ibi fugiunt:*
4. *ardenter orando:* ſuffitûs fiunt tempore peſtis, manè cumprimis & veſperi: Num.16,47. Pſal.141,2. Apoc.5,8. ara noſtra JESUS CHRISTUS: Joh.16,23.
5. *cautè agendo.* Sir.3,28.

Defunctorum cura.

IV. *Defunctos ne adſpernare:* exemplum quod imiteris habes in præſenti Evangelio, quô nobis oſtenditur

1. *digna prò homine condolentia;* de qua præcedentia conſule:
2. *ſepulturæ honorificentia.* Officium iſthoc eſt μνημόσυνον
   1. *comminationis divinæ;* Gen.2,17.
   2. *reſurrectionis futuræ.* Siracides cap.38,17. & ſeqq. compendium rei faciens, tria, quæ hac in parte fieri debent, præcipit;
      1. *defuncti deplorationem;* Rom.12,15.
      2. *corporis involutionem;*
      3. *inhumationem.* Sir.7,37.
3. *Exſequiarum vel comitatûs frequentia.* Eccl.7,3.

V. *Animum triſtem ac perturbatum conſolare.* Intuere CHRISTUM fontem omnis conſolationis; is te quoq; ſolabitur,

1. *tempeſtivè accedendo;* veniet
   1. ante mortem, mala omnia pro bona voluntate avertendo; Pſal.9,10.& 41,4.& 91,10. 2.Par.20,12.
   2. In morte, per beatam ἀνάλυσιν ſtatione te tuâ evocando.

Eſa.

Digitized by Google

Eſa.26,23. Ambroſ. *Mori non metuo, quia bonum Dominum habemus.*

3. Poſt mortem;

  1. omnia oſſa tua cuſtodiendo; Pſ.34,21.

  2. animam ſedibus beatorum reponendo; 1.Sam. 25, 29. Sap.3,1.

2. *Benignè adſpiciendo*; Exod.33, 14. 15. Geneſ.32,30. Pſal.4,7. & 80,4.

3. *paternè commiſerando*; Pſal.103,13. Jer.31,20.

4. *humaniter compellando*; Pſ.60,8. & 119,92. Eſa.66,13. Matth. 11,28. Joh.6,68.

5. *omnipotentiam ſuam declarando,* & cruci immò morti demum ipſi imperando; Pſ.68,21. & 77,11. 1 Cor.10,13.

6. *gaudiô cor noſtrum exhilarando*; ſicut matrem viduam reſtitutione filii exhilaravit, Pſ.84,2. & 126,2. Eſa.35,10. Matt.17,4. 1 Cor.2,9.

Finem facio, cum Eccleſia orando: *Tua Domine quæſumus gratia ſemper præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter nos præſtet eſſe intentos, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, Amen.*

DOMINICA XVII POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Luc. 14. à verſ. 1. usq; ad 12.

1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων τῶν φαρισαίων σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον· καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν·

2. Καὶ ἰδοὺ, ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς ἔμπροσθεν αὐτοῦ.

3. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ φαρισαίους, λέγων· εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν;

4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν. καὶ ἐπιλαβόμενος ἰάσατο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσε.

1. *ET accidit, ut introiret in domum cujuſdam principis Phariſæorum ſabbato, ad capiendum cibum: & ipſi obſervabant eum.*

2. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

3. *Et reſpondens JESUS dixit ad Legisperitos & Phariſæos, dicens: num licet ſabbato ſanare?*

4. *At illi tacuerunt. Ipſe verò adprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit.*

Digitized by Google

5. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς, εἶπε· τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου.

5. *Et reſpondens ad illos, dixit: Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?*

6. Καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα.

6. *Et non poterant ad hæc reſpondere illi.*

7. Ἔλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν, ἐπέχων πῶς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς·

7. *Dicebat autem ad invitatos parabolam intendens quomodo primos accubitûs eligerent, dicens ad illos:*

8. Ὅταν κληθῇς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, μήποτε ἐντιμότερός σου ᾖ κεκλημένος ὑπ' αὐτοῦ.

8. *Cùm invitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco: ne quando honoratior te ſit invitatus ab illo:*

9. Καὶ ἐλθὼν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας, ἐρεῖ σοι, δὸς τούτῳ τόπον· καὶ τότε ἄρξῃ μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν·

9. *Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi; da huic locum: & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.*

Prov. 25,7. 10. Ἀλλ' ὅταν κληθῇς, πορευθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἔσχατον τόπον· ἵνα ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκώς σε, εἴπῃ σοι Φίλε, προσανάστηθι ἀνώτερον· τότε ἔσται σοι δόξα ἐνώπιον τῶν συνανακειμένων σοι.

10. *Quin potiùs cùm vocatus fueris, vade, accumbe in noviſſimo loco: ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, adſcende ſuperiùs: tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.*

Luc. 18. 14. Matth. 23. 5. 11. Ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

11. *Quia omnis, qui ſe extollit, dejicietur; & qui ſe dejicit, extolletur.*

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PEricopen præſentis Evangelii diſpeſcimus in tria peculiaria membra; quorum continet

1. *inſtitutum in domo Phariſæi convivium;*
2. *divinum ſanati hydropici miraculum;*
3. *ſalutare CHRISTI, de ſervando in conviviis decoro, præceptum.* Unde

pa-

patet concurrere in hoc Evangelio tria cauſarum genera. Prima pars ex genere demonſtrativo deſcribit convivium; ſecunda ex genere Judiciali, de jure ſanationis die ſabbathi quærit; tertia ex genere deliberativo dehortatur ab ambitione, & ad ſtudium humilitatis ſeriò hortatur.

PARS I.

Convivium à Luca deſcribitur certis circumſtantiis, quarum

1. eſt *hoſpes activus*, quis convivator; princeps Phariſæorum, juratiſſimus Salvatoris hoſtis.

2. *Locus*, ubi convivium fuerit agitatum; in domo cujusdam Phariſæorum Principis.

3. *Tempus*; fuit prandium hoc inſtitutum ſabbato: tunc enim vivebant lautiùs Judæi; & putant etiam moderni Judæi, pertinere ad ſabbati religionem, ut epulæ ſint inſtructiores. **Sabbato Judæi lautiùs vivunt**

4. *Finis*; ad capiendum cibum, quod Lucas dicit, panem edere, intelligitur autem per ſynecdochen Hebraicam totum convivium, Exod. 18, 12. Marc. 3, 20. & 7, 2. Hunc enim morem tum temporis Judæi obſervabant; diebus ſabbati ingrediebantur ſuas ſynagogas, cultumque divinum exercebant, quô peractô, ſolebant amici convenire, convivia inter ſeſe agitare, & partes etiam mittere egentioribus, ſive his, qui non præparaverant, uti videre eſt Nehem. 8, 10. Tob. 2, 1. **Panem edere.**

5. *Convivæ*, ſive perſonæ ſimul convivantes, qui fuerunt Phariſæi & alii. Facta eſt autem ab illis tùm invitatio, tùm congregatio animô non candidô, unde dicuntur *παρατηρούμενοι αὐτὸν*, **obſervantes illum, h. e. malitioſè** & inſidioſè attendentes, an ex dictis vel factis CHRISTI aliquid deprehenderent vel captarent, quod carpere & calumniari poſſent. Intelliguntur hoc nomine architecti hypocriſeωs. Et hoc fit apud principem Phariſæorum, h. e. apud ejusmodi hominem, qui inter reliquos verſipelles quadruplatores facilè primas obtinuit. **παρατηρεῖσθαι.**

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Convivia honeſta inſtituere, illisque intereſſe licitum eſt, ſi modus ſervetur; idque exemplô ſanctorum, immô CHRISTI ipſius: quia **Convivia licita.**

quia non tantùm τῇ φύσει homo eſt ζῶον πολιτικὸν, animal ſociabile; ſed & Deus amicis congreſſibus gaudet; & in his occaſio datur, ad multa pietatis exercitia, veluti ad ineundas & confirmandas amicitias inter bonos; itemque ad prædicandum beneficia Dei; ad gratiarum actionem, ad mutuam conſolationem, & ut alter alterum exemplô & ſermone exhilaret & ædificet: & hoc poſtremum ubiq; ſpectavit Dominus, quoties conviviis hominum interfuit; ideoq; nec Phariſæorum prandia, quando invitabatur, detrectavit, Geneſ. 18,3. & 21,8. & 26,30. Heb. 13,2. 2 Sam. 3,20. 1 Reg. 3,15. Job. 1,4. Neh. 8,10. Tob. 2,1. Exod. 18,12. Matth. 9,10. Luc. 19,7. De modo autem inſtituendorum & agitandorum conviviorum, vide D. Theodor. pag. 690. 691. 692. 693. 694. 695. & Thold. p. 914.

Conviviorũ tempus. II. Diebus feriatis inſtituta convivia damnanda non eſſe, ſuô inſuper Christus exemplô nos edocet. Quia verò rarò intra terminos efferata hominum libido ſeſe continet, conſultiùs (neque immeritò) Theologis quibusdam videtur, aliô potiùs, quam ſacris deſtinatô die convivia inſtituere. Vide conſilia Theol. D. Felicis Bidemb. Decad. 6. conſ. 10.

Conviviorum finis. III. In conviviis honeſtis duo potiſſimùm ſpectentur:

1. honeſta animi recreatio;

2. amicitiæ bonæ plantatio Eccleſ. 2,24. & 3,4. & 7,15. Sir, 9,22. & 30,22. & ſeqq. Ubi verò modus exceditur, ibi convivia exſecratur Deus. 1 Sam. 24,36. Dan. 5,2. 2. Sam. 13,28. Matth. 14,5.6.

Convivia mala. IV. Pii itaque & cordati Chriſtiani meritò abhorrent à conviviis *1. vitioſis*, 1. Cor. 15,33.

2. convitioſis;

3. rixoſis;

4. ſeditioſis;

5. inſidioſis; Sir. 19,23.

6. invidioſis.

Hypocritæ V. Phariſæi ſpeculum ſunt & idea omnium hypocritarum, aliud ore loquentium, aliud corde ſentientium & occultantium, Pſal. 5,10. & 28,3. & 34,14. & 55,24. & 62,4. & 64,4. Job 13, 16. & 15,34. Matth. 9,22.23. Luc. 9,62. Prov. 11,9. Talis erat Joab, 2 Sam. 3,27. & 20,9.

Converſatio malorum. VI. Cum infidelibus, hæreticis, impiis & profanis hominibus converſari non prohibemur, modò opera eorum non imitemur, 1 Corint. 5,9.10. Vide D. Theod. pag. 689. & Thold. p. 915.

VII.

VII. Dicta 1 Cor.5,12. & 2 Theſſ.2,14. & 2. Joh.verſ.10. adſertioni huic nihil officiunt. Nam (1) Chriſtiani duplicem agunt in hoc mundo vitam: Eccleſiaſticam ſeu ſpiritualem; & politicam ſeu externam. Priori averſantur impios & infideles; poſteriori cum hominibus etiam malis & diverſæ religioni addictis, quoad cibum, potum, contractûs, liberè, ſed cautè tamen converſantur. (2) CHRISTUS Phariſæorum converſationem non adpetit, ab ipſis verò invitatus, converſationem ſuam non denegat. (3) Converſamur itaque cum illis, quoties gloria DEI illuſtrari, impiorum vel ſalus quæri ac promoveri, vel malitia confundi poteſt. **Chriſtiani vita in mundo duplex.**

IIX. Non probamus tetricam Monachorum hypocriſin, qui regulis ſuis ſuperſtitioſis adſtricti, honeſta convivia publica prorſus refugiunt, Heb.13,2. Levit.6,16. & 10,13.14. & 22,29. & 23,40. Deut.12,12. & 14,26. & 16,11. & 26,11. Nehem.8, 12. **Monachorum auſteritas.**

IX. Sycophantæ ſpecie amoris & favoris piis inſidias multoties ſtruunt; exemplô olim erant Phariſæi, hodiè nobis Pontificii, ſuperſtitionis ſectatores. D.Theod.pag.698.Thold.p.916.

X. Monemur de cautione adhibenda, quâ opus eſt homini Chriſtiano inter tot falſos amicos & mundi inſidias. Novit autem eas omnes Dominus JESUS, qui convertit tandem hoſtium ſuorum conſilia in proprium ipſorum opprobrium: ita & nunc pro grege ſuo vigilare poteſt, quando nos ipſi committimus, & noſtræ cautionis ipſi non obliviſcimur. **Inſidiæ cavendæ.**

PARS II.

Miraculum quod ſpectat, conſiderationem accuratam meretur,

I. *Objecti deſcriptio,* quod eſt homo hydropicus, qui ἦν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, **erat coram illo, vel ante illum, h.e. vel adſtabat,** vel adſidebat, vel decumbebat & tacebat: propria enim conſcientia ipſi obſtabat, quò minùs clamaret, vel expreſsè opem CHRISTI imploraret. Ceterùm hydrops morbus habetur apud Medicos incurabilis; & quanquam ex aliis quoque cauſis exſiſtere queat, ut temperantiſſimè etiam viventes nonnunquam evadunt hydropici: communiter tamen & plerunque oritur ex inordinata vita ac diæta, quando homines gulæ indulgentes ventriculum nimiùm onerant, & reliqua viſcera interiora debilitant. Et idem abſque dubio huic quoque hydropico accidit.

II. *De jure ſanationis quæſtio.* Cùm enim capere hac ratione JESUM vellent, (ſi enim ſanâſſet, violati ſabbati debebat accuſari; ſi non

Digitized by Google

ſanáſſet, immiſericordiæ eum volebant inſimulare, atq; ita populum in ipſum univerſum concitare;) ideoq; veniam quaſi præfatus, quærit, utrum liceat ſabbatô ſanare. Tacitè hoc ipsô occaſionem quærens

Sabbati quæſtio ſexies Chriſto mota.

hydropicum ſanandi. Obſervárunt eruditi, ſexies a Phariſæis motam, & à Salvatore expeditam, quæſtionem de ſabbatho: (1) Matth. 12, 2. cùm diſcipuli in via evellerent ſpicas die ſabbati & comederent. (2) In Synagoga, cùm manum aridam reſtitueret, Matth. 12, 10. (3) Cùm ſanaret triginta octo annorum paralyticum, Joh. 5, 10. (5) Cùm ſanaret mulierem infirmam, annos octodecim curvam, Luc. 13, 14. (5) Cùm ſanaret cœcum natum, Joh. 9, 14. (6) Deniq; hoc quoq; in loco eadem quæſtio inter CHRISTUM & Phariſæos mota & ventilata eſt.

Sabbati Judaici opera.

Tria autem in ſabbato Judæis ſecundum legem præſcriptam erant peragenda: (1) quieſcendum à laboribus conſvetis, propter refectionem corporis, & in recordationem quietis, poſt ἑξαήμερον creationis. (2) **Vacandum divino cultui, precibus,** ſacrificiis & auſcultationi verbi, in publica congregatione, ad hominis totius ſanctificationem. (3) Benefaciendum egenti proximo & eleemoſynæ clargiendæ. Huc pertinet inprimis cura ægrotorum, & ſi qua ratione his potuit ſubveniri, illud à ſanctificatione ſabbathi nullatenus fuit alienum, quemadmodum Phariſæi turpi inſcitiâ decepti, pium iſthoc officium in peccatum rapuerunt, multoties à CHRISTO hoc nomine reprehenſi.

III. *Propria Phariſæorum confeſſio*, quam tacendo produnt. Qui enim tacet, conſentire videtur. Aſtutè hoc fit & inſidioſè à Phariſæis. Si enim dixiſſent licere, pugnáſſent cum propriis ſuis obſervationibus; ſi dixiſſent non licere, reprehenſionem, quam metuebant, apud CHRISTUM incurriſſent.

IV. *Ipſa hydropici curatio*, quæ attactu perficitur. Adprehenſum enim ſanavit ac dimiſit. His tribus verbis, ſic conjunctim poſitis, facilitas ſanationis judicatur, & quòd absq; mora CHRISTUS eximium hocce beneficium in miſerum iſtum hominem contulerit. Nam bis dat, qui citò dat. Sanatum dimiſit ad ſuos, non ſecum detinuit, oſtentationis causâ, nec ſibi ad ſervitium reſervavit, D. Chemn. harmon. cap. 119.

V. *Facti vel miraculi defenſio*, continens adfirmativæ rationem, deſumtam ex judicato, per comparationem minoris ad majus, hoc ſenſu: Si aſinum vel bovem, in puteum prolapſum, ſabbatô liberare licitum eſt; multô magis hominem in vita conſervare conceſſum eſt;

ejus-

ejuſmodi enim operibus ſabbatum non violatur. Hypocriſin itaque Phariſæorum arguit poſitô ob oculos jumentô, de quo juvando etiam ſabbatô cogitare non dubitabant; in hominem autem tale beneficium conferre pro piaculo habebant.

VI. Turpis hoſtium Phariſæorum confuſio, qui firmamentum cauſæ nullum poſſunt opponere. Præmium itaque falſitatis ac doli ferunt confuſionem propriam, quòd reſpondere non poſſent.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. Admonent morbi de mortalitate communi; ſunt enim mortis prodromi, exſuſcitantes ad maturam præparationem, ne mors inopinatos invadat & abripiat. [**Morbi mortis prodromi.**]

II. Exemplô hydropici deterriti diligenter caveamus, ne crapulâ, intemperantiâ vel aliis peccatis *πήματα ἑκούσια καὶ αὐθαίρετα*, mala voluntaria ſeu ſpontè accerſita, morboſque nobis attrahamus, Sir. 21, 2. & 38, 15. [**Morbi non attrahendi**]

III. Monendi ſunt itaque homines, ut valetudinis curam ac rationem habeant, & maximè ſibi caveant ab intemperantia. Naturæ enim vim infert, qui intemperanter vivit, & peccatur ab homine in proprium corpus. [**Valetudinis ratio habenda.**]

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

IV. Hydropicus hic typus eſt totius generis humani, carnalium præſertim voluptatum ac deſideriorum. Notetur comparatio hydropis cum peccato, ratione [**Hydropis cum peccato comparatio.**]

1. *originis*; hydrops oritur ex inordinata diæta: peccatum ex protoplaſtorum ingluvie ortum in totum mundum eſt introductum, Gen. 3, 6. Joh. 15, 16. Rom. 5, 12.
2. *totalis corruptionis*; hydrops totum hominem occupat, & habitum ejus univerſum immutat, adeò ut priorem hominem nullô modô referat: Ita peccatum totum hominem, corpore & animâ corrupit, ut poſt lapſum primævæ imagini, adeoque ſibi ipſi non ſit amplius ſimilis:
3. *ſitis indeſinentis*; hydropis proprium eſt, ſiti perpetuâ adfligi, ſecundum πολυθρύλλητον illud Poetæ:

quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Eadem eſt ratio ſingulorum peccatorum, ſi in mores nonnihil abierunt, ut remediis locus difficulter inveniatur.

4. *Sanationis*; hydrops ubi vires acquiſivit, ἀνίατος, inſanabilis eſt ſecundum verſum;

hydrops, quartana Medicorum ſcandala plana;

tandem mortem etiam accelerat: Ita peccati ſtipendium mors eſt, & niſi in hac vita idonea ſanationis media adhibeantur, in æternam mortem hominem præcipitat.

5. *Medicationis:* hydropicus CHRISTO ſeſe offerens vel oſtendens ſanatur: Sic optimus animarum Medicus eſt CHRISTUS, à cujus conſpectu quisquis ſeſe ſubduxerit, is ſanitatem animæ nunquam recuperabit. Confer D. Theodor. pag. 697. 698. & Thold. p. 911. 916. 917.

Miracula teſtes divinitatis & majeſtatis communicatæ.

V. Teſtimonium habemus in hoc miraculo; ut & in aliis omnibus, tùm divinæ CHRISTI naturæ, operoſæ per carnem adſumtam, quæ ditata virtute vivificandi, efficaciâ attactûs ſui, morbum & omnẽ intemperiem in momento dispellit, ſanam ex adverſo conſtitutionem omnium artuum ac membrorum extemplò introducit, quod non niſi omnipotenti virtute fieri potuit, & Dominum JESUM eſſe Auctorem vitæ, naturæ Dominum & rerum omnium effectorem, ipsô factô apertiſſimè demonſtrat, licet cæci Phariſæi id videre aut obſervare noluerint; tùm majeſtatis omnipotentis virtutisque vivificæ carni reverà communicatæ.

VI. Idem miraculum de ſumma CHRISTI φιλανθρωπίᾳ & bonitate nos reddit quàm certiſſimos.

Salvator qualis Chriſtus.

VII. Patet inde, qualem Salvatorem nos habeamus: talem nimirùm, qui intimâ noſtri miſericordiâ movetur, & omnibus ad ſe converſis opem ferre ſolet, Oſe. 11, 9. Eſa. 42, 3. Jerem. 31, 20. Hebr. 4, 15.

IIX. Locus principalis partis ſecundi eſt, de ſabbati & ſanctificatione & violatione, de qua conſulantur libelli methodici & Catechetici. D. Theod. pag. 698. 699. 700. 701.

Sabbatum ut ſanctificetur.

IX. Sabbatum ex præſcripto divino rectè ſanctificatur, ſi

1. *verbum DEI ſedulò ac diligenter audiamus*; Act. 15, 21.
2. *Sacramenta divinitùs inſtituta dignè uſurpemus*; 1 Cor. 11, 20.
3. *Orationi & precibus, pro publica & privata ſalute vacemus*;

4. In

4. *In eleemoſynis erogandis aliisq; operibus miſericordiæ nos exerceamus;* Eſa.58,7. 1.Cor.16,2.

5. *Domeſticas verbi meditationes aliaq; pietatis exercitia nō negligamus:*

6. *De æterno Sabbato nos ipſos ſubinde commonefaciamus:* Eſa.66,23.

7. *A laboribus etiam corporis quieſcamus.* Sex enim diebus eſt laborandum: ſeptimus dies quieti, non animi ſolùm, ſed & corporis eſt deſtinatus. Thold. p.918.

X. Violatur ſanctificatio Sabbati multis modis; **Sabbati violatio ac profanatio.**

1. *verbi divini contemtu & neglectione;*
2. *operum ſervilium & aliorum tractatione,* quibus cultus DEI impeditur;
3. *peccatorum contra primam & ſecundam Decalogi tabulam perpetratione;*
4. *ebrietate & comeſſatione.* Non violatur
   1. *operibus caritatis,* quibus gloria DEI illuſtratur, & proximo vita conſervatur;
   2. *caſu neceſſitatis,* quæ legem non habet. Conſule de his omnibus Scripturam, Exod.16,29.& 20,8.& 23,12.& 31,14.& 34,21. Levit.19,3. Deut.5,12. Eſa.56,2. & 58,13. Jer.17,21. Ezech.20,3. Num.15,30.&c. Thold. p.919.

XI. Notandum, quædam opera manuaria in V. etiam T. ſabbatô fuiſſe licita, ea nimirùm (1) quibus ad ſanctificationem ſabbati carere non poterant: (2) quæ neceſſitate inevitabili urgebantur: (3) quæ caritas imperabat. Huc refer circumciſionem, ſacrificiorum mactationem, & alia.

XII. In caſu enim neceſſitatis præcepta quædam ſacra licet nonnihil inflectere. D.Finck.centur.3.can.17. **Caſus neceſſitatis inflectit præcepta.**

XIII. Quæritur hoc locô, quô fine Sabbatum à DEO fuerit inſtitutum? Et reſpondetur, (1) ut eſſet tempus certum, cultui divino conſecratum: (2) ut quieti & refectioni tàm hominum, quàm jumentorum aliquid tribueretur: (3) ut eſſet Sabbatum ſignum **Sabbati inſtituti finis.**

1. *creationis;* Gen.2,2.
2. *redemtionis;*
3. *ſanctificationis;* Exod.31,13.
4. *noſtræ mortificationis;* Eſa.58,13.
5. *futuræ quietis.* Hebr.4,6.

XIV. Quæritur ulteriùs de cauſis mutati Sabbati Judaici? Et reſpondetur, quià omne, quod umbræ rationem habuit in politia Judaica, illud per N.T. debuit aboleri. Heb.10,1. Col.2,17. **Sabbati Judaici immutati cauſæ.**

Digitized by Google

Dominica dies.

XV. Succeſſit in N.T. dies Dominica, quam Apoſtoli ex libertate ea, quam in CHRISTO habemus, feriari cœperunt, in memoriam glorioſiſſimæ reſurrectionis Domini; unde etiam dies Dominicus adpellatur. Apoc. 1, 10. Col. 2, 17.

XVI. Omnis cultus ſuperſtitioſus eſt vitandus. Thold. p. 917.

XVII. Miracula CHRISTI ſunt actiones θεανδρικαί. D. Theod. pag. 702.

XIIX. Brutis etiam animantibus opera humanitatis ſunt exhibenda; quantò major proximi cura habenda. Ibid.

XIX. Non valet ſapientia vel conſilium adverſus Dominum. Prov. 11, 21. & 21, 30. Exod. 1, 12. Eccl. 3, 11. Job. 5, 12. & 18, 7. Pſal. 2, 1. & 21, 12. & 33, 10. Eſa. 8, 10. & 17, 3. & 29, 7. & 33, 11. Jer. 19, 7. 2. Cor. 10, 4.

XX. Impii, quæ aliis parârunt mala, ipſi patiuntur. Pſal. 7, 16. & 9, 16. & 34, 8. & 36, 14. Prov. 26, 27. Sir. 10, 8. & 27, 28. 29. 30. Eſa. 13, 1. Jer. 48, 1. Dan. 3, 22. & 6, 24. 1. Sam. 17, 42.

PARS III.

Priusquam diſcumberet, hoc edidit Salvator in hydropico miraculum; ſed cùm jam accumberet, & intenderet (ἐπέχων) h. e. attentè obſervaret & conſideraret Phariſæorum faſtum & ſuperbiam, hoſce illum inſperſiſſe ſermones convivales conſentaneum eſt. Notetur autem

ἐπέχω

1. *ἀφορμὴ occaſio*, continens cauſam impulſivam concionis hujus, quam præbuit CHRISTO φιλαυτία & ambitio Phariſæorum, in πρωτοκλισίαις locisq; honoratioribus eligendis conſpicua.

2. Νουθεσίας vel *ἐπανορθώσεως ſcopus & propoſitio*: ne accumbas in primo loco; quod eſt τὸ φευκτὸν, fugiendum.

3. *Propoſitionis ratio*, eaq; gemina; quarum deſumta eſt

   1. ἀπὸ τοῦ ἐκβησομένου, ab eventu; quia fieri poteſt, ut honoratior te accedat, cui neceſſariò ſit cedendum.
   2. ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ, à turpi: Judicium hoſpicis poteſt tibi adverſari, ut maximè nolis locum dare honoratiori, tamen juſſus cogaris id facere, cum magno tuo dedecore.

4. *Amplificatio* ab ἀντιθέσει vel contrario τοῦ πρακτοῦ, quid fieri CHRISTUS in conviviis velit: Accumbe in noviſſimo loco: αἰτιολογία additur ab honeſto: cum gloria poteris, juſſus ab hoſpite, ad locum honoratiorem adſcendere. Adpoſitè admonitio de non captando

primo

primo accubitu ad faſtuoſos accommodatur Phariſæos. Etſi enim Domino non præcipuè curæ eſt ordo ſeſſionis in conviviis; parabola tamen directa eſt in genere, ad perſtringendam præſumtuoſam Phariſæorum ambitionem, quâ non tantùm cum dedecore ſeſe proſtituebant coram hominibus; ſed & coram DEO turpiter ſe efferebant, ad exemplum illius, Luc. 18, 9. Phariſæorum ambitio.

5. *Epiphonematica concluſio* θετικὴ, continens locum communem de humilitate, additis contrariis effectis, ſuperbiæ & humilitatis. Vide Prov. 25, 6. 7. Ezech. 21, 26. ex quibus locis ſententia iſthæc eſt petita.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Non decet homines pios & liberaliter educatos, in publicis congreſſibus, ex ambitione loca ſuperiora magnopere curare & captare. Thold. pag. 821.

II. Interim uni præ altero plùs honoris ac reverentiæ in vita communi debetur. 1. Tim. 5, 1. 7.

III. Damnantur Anabaptiſtæ cum ſua ἰσοτιμίᾳ, nullum debere inter Chriſtianos eſſe perſonarum reſpectum. Nam & honorum dignitatumq; gradûs, & politicam morum civilitatem DEO probari, hac CHRISTI concione manifeſtè probatur. Anabaptiſtarum ἰσοτιμία.

IV. Nihil præter officium, nihil contra dilectionem & moderationem Chriſtianam facit Eccleſiæ miniſter, qui quamvis occaſionem captat, vitia hominum ex verbo DEI juſtô zelô impugnandi. Eſa. 58, 1. Tit. 2, 15. 2. Tim. 4, 2. Thold. p. 820. Vitia taxanda.

V. Quomodo verò peccata, nævi & vitia proximi ſint redarguenda, explicat D. Theodor. pag. 704.

VI. Perperam ſentiunt politicorum nonnulli, qui zelum ejuſmodi improbantes, putant, perſonalia hoc modô tractari, & ex adfectu & ſtudio offenſionis hæc omnia proficiſci. Quis enim adeò oculatos illos fecit, ut quô animô, quô adfectu Concionator peccata redarguat, nôrint? Politici zelum cōcionatorū vituperāt.

VII. Morales pro concione doctrinæ pari, ſi non majori, cum articulis fidei diligentiâ ſunt tractandæ. Morales doctrinæ.

IIX. Notetur inprimis præceptum morale vel convivale, de non venandis πρωτοκλισίαις. Prov. 25, 6. 7. & 30, 13. Rom. 12, 3. 10. 16. Phil. 2, 3. Prov. 13, 10. Sir. 32, 1. & ſeqq. D. Theodor. p. 705. πρωτοκλισία.

IX. Diſcamus fugere omnem oſtentationem, & ſuperbiam, Ambitio vitanda.

& va-

& vanam honoris captationem. Quod enim Phariſæis vertitur vitio, id nobis decori eſſe non poteſt; & non minùs hodiè, quàm ante tot ſecula deformat ſuperbia, & in odium adducit eos, qui eâ inflati intumeſcunt.

Honores ante tempus non adfectādi. X. Ad honores præterea & officia non properemus ante tempus, ſed in humilitate exſpectemus juſſionem ejus, qui unumquemq; in ſtatione collocat, ut dicatur nobis per legitimam vocationem; amice adſcende ſuperiùs: tunc inquit CHRISTUS, erit tibi gloria: qui ſecùs faciunt, cum rubore ſæpè deponuntur. Luc. 1, 52. Sed de deteſtando ſuperbiæ vitio diximus Domin. 11. & 12. poſt Trinit.

Humilitatis ſectandæ cauſæ. XI. Docere hac concione CHRISTUS in genere voluit, per omnem vitam, ubiq;, in omnibus & ſemper ſectandam eſſe humilitatem, propter

1. *mandantis DEI auctoritatem;* 1. Pet. 5, 6.
2. *pœnæ atrocitatem;*
3. *noſtram vilitatem;* Sir. 10, 9.
4. *exempli CHRISTI & aliorum conformitatem;* Phil. 2, 5.
5. *noſtram utilitatem.* Luc. 1, 52. 1. Pet. 5, 6. 7.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Pro meliori præſentis Evangelii declaratione, duo conſiderabimus κεφάλαια, contemplaturi CHRISTUM

I. *ut acerrimum ſanati hydropici & Sabbathi propugnatorem;*
II. *ut graviſſimum humilitatis Doctorem.*

PARS I.

Quoad primum tractationis inſtitutæ κεφάλαιον, conſiderationem vel maximè meretur,

I. *CHRISTI ad convivium acceſſio.* Venit eò, non niſi à principe Phariſæorum peculiariter invitatus. Conſtat aliàs ex hiſtoria Evangelica, qualiter erga CHRISTUM adfecti ſemper fuerint Phariſæi: tamen quæ ipſius eſt φιλανθρωπία, comitas, manſuetudo, & ſaluti hominum, etiam inimiciſſimorum, inſerviendi promtitudo, lubens eos accedit, cibum cum eis capiens.

Phariſæorum erga Chriſtum adfectio.

II. *Malitioſa CHRISTI obſervatio.* CHRISTUS ad homines, hoſtes etiam Phariſæos venit, ut benefaciat; illi conveniunt, ut malefaciant. Similes ſunt Phariſæi Domitiano, de quo hiſtoriarum monumenta

Domitianus.

menta referunt, quòd nulli magis creàvit periculum, quàm illi, quem amicè invitâſſet. Obſervabant ipſum, ex dictis vel factis illius captaturi, quod reprehendere & calumniari apud alios poſſent. Non modò impium hoc; ſed & valdè incivile fuit, in convivio, ubi candor & hilaritas locum habere debent, hoſpitum dicta & facta inſidioſè attendere, eô fine, ut pejorem in partem rapiantur. Rectè veteres foribus ſuis inſcribere ſolebant: *per has ſermo nullus egrediatur.*

III. *Fraudulenta hominû hydropici productio.* Putant enim interpretum non pauci, eam ſolùm ob cauſam hydropicum fuiſſe in conſpectum CHRISTI adductum, vel ſubornatum potiùs, ut laqueos adverſariorum incautus incurreret.

V. *Artificioſa hoſtium deluſio.* CHRISTUS enim hoſtium caſſes ſapienter admodum & cautè devitat,

1. *quæſtionem de curatione, die Sabbati inſtituenda, proponendo.* Voluit autem ipſis hac interrogatione os ſtatim obturare, ne poſt editum miraculum factum hoc ſuggillare præſumerent. Illi verò, cùm quid reſponderent non invenirent, (curationem enim in Sabbato neq; adprobare, neq; damnare jure poterant) tacuerunt, in conſcientia quippè ſua convicti, benè operando ſanctificationem Sabbati nullô modô violari.

2. *Quæſtionem propoſitam realiter ſolvendo:* ſolô enim attactu hydropem curat. *Cùm enim hi ſcientes, quò tenderet interrogatio, ſilerent, CHRISTUS quod ſuum erat facit, & contactu ſanat hominem.* Theophylactus.

3. *Apologiam facti ſui perverſis hoſtium cogitationibus ac molitionibus opponendo.* Argumentatur à minori ad majus hoc modô: Si veſtrô etiam judiciô, in die Sabbathi licet ſuccurrere animali irrationali, quod periclitatur; quomodo non liceret homini miſero Sabbathô opem ferre?

4. *Obſervatores ſuos hac ratione turpiter confundendo.* Non enim poterant ei reſpondere quidquam. Qui autem alios malitioſè confundere ſtudent, ipſi confunduntur.

Uſus I. Informatorius.

1. De ſumma hominum miſeria, quòd omnes ſint ſpiritualiter hydropici, qui peccatum ceu aquam ingurgitaverunt. Monr.pag. 269. *Miſeria hominum.*
2. De CHRISTI καρδιογνωσία. Ibid.
3. De Sabbathi ſanctificatione; is enim principalis eſt hodierni Evangelii locus. Conſideretur autem

Sabbathũ quid.

1. τὸ ἔτυμον ex lingua ſancta, ubi שַׁבָּת quietem notat. Eſt enim Sabbathum dies quietis, ein Ruhe-oder Feyertag.

Sabbathũ quintuplex.

2. Τὸ ὁμώνυμον; eſt enim vulgò Sabbathum quintuplex:
   1. *Creationis;* Gen. 2, 2.
   2. *Moſaicæ inſtitutionis;* quod fuit Sabbathum legale vel ceremoniale;
   3. *redemtionis;*
   4. *renovationis;*
   5. *conſummationis.* Vide præc. diſp. & libellos Catecheticos.

Sabbathi ſanctificatio externa;

3. Τὸ πρέπον, oſtendens veram celebrandi vel obſervandi Sabbathi rationem. Sanctificatio autem Sabbathi eſt gemina, externa una; alterna interna. *Externa* conſiſtit in
   1. *congreſſuum publicorum frequentatione:* Levit. 23, 3. Joël. 2, 15. Hebr. 10, 24.
   2. *pura verbi prædicatione,* & attenta ejusdem auſcultatione: Levit. 10, 11. Luc. 4, 16. & 10, 42. Act. 13, 28. & 20, 7.
   3. *legitimâ Sacramentorum diſpenſatione:* In V. T. ſacrificia erant inſtituta; in N. T. ſacrificium noſtrum CHRISTUS eſt, in ara crucis Patri cœleſti oblatum; in ἀνάμνησιν iſtius ſacrificii inſtitutum eſt Sacramentum, quod vocamus, altaris: Johan. 1, 29. Eph. 5, 3.
   4. *publicâ invocatione:* eſt enim templum precationis domus: Luc. 19, 46. Eſa. 56, 7.
   5. *eleemoſynarum erogatione:* Deut. 16, 17. Eſa. 58, 13. 1. Cor. 16, 2.

Interna.

Internè ſanctificamus Sabbathum,
   1. *ab operibus carnis ceſſando;*
   2. *animam in DEO quietando;*
   3. *beneficia DEI meditando;*
   4. *æternum Sabbathum deſiderando & exſpectando.* Lutherus in poſtil. dom. Den Sabbath heiligen/heiſt Gottes Wort hören/ vnd heilige Werck thun/ den Neheſten lieben/ vnd jhm thun/ was er bedarff/ gehorſam ſeyn/ barmhertzig/ hülfflich/ rhätlich vnd thätlich ſeyn/Eſſen vnd Trincken geben ꝛc. Solches ſoll man auch am Sabbath thun/ denn GOtt hats geboten. Item: Gottes Wort iſt das rechte Heiligthum/ welches alles/was es rühret heilig machet. 1. Tim. 4,

Sabbathi violatio.

4. Τὸ ἐναντίον. Violatur ſanctificatio Sabbathi, per
   1. *opera manuaria tractantes;* 2. *cul-*

Digitized by Google

2. cultum publicum negligentes & quoquò modò impedientes;
3. dormientes, heluantes, ludentes &c.
4. hypocriticè colentes.

5. Τὸ *αἴτιον κινητικόν*. Moveat & impellat nos ad Sabbathi ſanctificationem *1. præcepti divini auctoritas*; Exod. 16, 28. & 20, 8. & 31, 13. & 35, 2. & 34, 24. Deut. 5, 15. — Sabbathi ſanctificandi cauſæ impell.

2. ipſa æquitas; Exod. 20, 9. Deut. 5, 13. 14.
3. neceſſitas; Exod. 31, 13.
4. utilitas, & huic conjuncta.
5. promiſſionis largitas; Levit. 26, 4. Eſa. 56, 5. & ſeqq. Jer. 17, 24.
6. comminationis ſeveritas; Exod. 31, 14. Jerem. 17, 27. Amos. 8, 5. & ſeqq.
7. exemplorum claritas. Vide D. Gerh. Schol. piet. part. 3. cap. 25.

II. Conſolatorius.

1. Ex CHRISTI φιλανθρωπίᾳ & in juvando homine calamitoſo προθυμίᾳ.

2. Ex futura noſtri ἀποκαταστάσει, quòd in noviſſimo die adparebimus ab omni infirmitate liberati, CHRISTOq; Medico in integrum reſtituemur. Monr. theſ. p. 275. — ἀποκατάστασις.

3. De Sabbathi in vita æterna continuatione & perpetuitate. Eſa. 66, 23. Ibid. pag. 275. 276.

III. Monitorius.

1. De cavendis ſtudioſè peccatis, ne iisdem morbos & alia mala ſpontè nobis accerſamus. Huc facit collatio peccati cum hydrope, quæ conſiſtit *1. in voluntaria acquiſitione*; — Peccati cum hydrope comparatio.

2. in ſitis augmentatione;
3. in mortis acceleratione;
4. in impoſſibili curatione. Vide præced. diſp.

2. De conviviis piè ac honeſtè tranſigendis. Vide Monr. p. 271.
3. De die Sabbathi ritè ſanctificando: ibid. p. 272. 273.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, ex hoc Evangelio probare conantium, quòd non debeamus in omnibus expreſsô DEI verbô niti: Si enim pro Sabbatho, quod tamen ſeveriſſimô DEI mandatô injunctum fuit, licuit ſubſtituere diem primum ſeu Dominicum absq; mandato, non neceſſe eſt — Papiſmus, quòd non debeamus in omnibꝰ expreſſum DEI verbũ urgere.

eſt pro ſingulis expreſſum DEI verbum allegare. Schererus ita proponit hoc argumentum pag. 607. Dem H. Geiſt vnd der Catholiſchen Kirchen hat es bald im Anfang gefallen/ den Sabbath in den Sontag zuverändern / vnangeſehen / daß die H. Schrifft nirgends meldung thut/ daß man den Sontag für den Sonnabend oder Sambſtag feyren ſoll. Dieſer Veränderung vnterſchreiben auch die Lutheriſchen/ Calviniſchen vnd viel andere Secten/ vnd ſtoſſen damit vmb jhr eigen Regel/ daß man nemlich nichts halten oder annehmen ſoll/ es ſey dann in der Schrifft lauter begriffen vnd verordnet. Wie man nun der Authoritet der Kirchen in dem folget / alſo ſoll man jhr auch in andern Stücken folgen etc. Reſponſio autem (verba refero D. Meelführ. theſ. 144.) in propatulo eſt. Confunduntur enim ea, quæ ad cultum DEI & ad ſubſtantiam, ut ita loquar, religionis & pietatis pertinent, cum adiaphoris ritibus & ſanctionibus: ad cenſum poſteriorum refertur Dominicæ receptio & obſervatio, quoad determinationem certi diei: Jam ab his poſterioribus procedit propoſitio ad priora, pro quibus ſolis teſtimonia Scripturæ requirimus; ideoq; conſequentia vitioſa meritò repudiatur.

PARS II.

Christus eſt humilis corde: Matth. 11, 29. Cùm ergò videret faſtum Phariſæorum, gravi eos redarguere concione coactus fuit. Notetur concionis propoſitio gemina:

1. *Una eſt dehortatoria;* ne accumbas primô locô. Ratio petita
   1. ab eventu;
   2. à turpi.
2. *Altera adhortatoria ἀντιϑετική:* cujus ratio ſumitur,
   1. ab honeſto;
   2. à γνώμῃ proverbiali, quæ in populo DEI, uti colligere eſt ex Ezech. 21, 26. tum temporis fuit trita & uſitata.

Uſus I. Informatorius.

Convivales regulæ. Præſcribuntur Chriſtianis hoc locô regulæ quædam convivales:

1. Conſanguinei, amici, collegæ, vicini &c. conveniant; quia quod Philoſophus olim dicebat, *ἀπροσηγορία πολλὰς φιλίας διέλυσεν.*
2. *De prece principium, de prece finis erit:*
3. Ad menſam tanquam ad aram; cogitemus nos coram Domino epulari:

4. Fru-

4. Frugalitati ſtudendum; quia natura paucis contenta; ſufficit
Si dat oluſcula menſa minuſcula, pace repleta.
5. Honeſtati in omnibus opera danda.
6. Maturè domum redeundum. Ejusmodi convivia ſunt pia, licita & conceſſa: CHRISTUS novies conviviis interfuiſſe legitur. Johann. 2. & 6. Marc. 8. Luc. 7. Matth. 9. & 26. Luc. 14. & 19.

II. Conſolatorius.

Quòd ſi in vera animi humilitate DEO nos ſubjecerimus, in vitâ cœleſti cum Angelis & Electis exaltabimur. D. Monr. p. 277.

III. Monitorius.

1. De civilitate morum in externa cum aliis converſatione ſectanda. Eſt enim & ipſe DEUS auctor & amator ordinis & εὐσχημοσύνης, 1. Cor. 14, 33. 40. Phil. 4, 8. Civilitas morum.
2. De vitanda ſuperbia, DEO & hominibus maximè exoſa. Obſervavit B. Lutherus quadruplicem in Scripturis ſuperbiam: Superbia quadruplex.
   1. puerilem, quia pueri nil niſi crepundia ſua jactant;
   2. muliebrem;
   3. ſubruſticam;
   4. ſpiritualem, quæ omnium eſt peſſima & nocentiſſima, Proverb. 16, 18. Rectè Innocentius: *Unde homini faſtus & ſuperbia? Cùm in principio eſt ſperma fœtidum, in medio ſaccus ſtercorum, in fine cibus vermium.* Et Poeta eleganter:

Si tibi copia, ſi ſapientia, formaq; detur,
Sola ſuperbia deſtruit omnia, ſi comitetur.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Matth. 11, 29. Salvator noſter θυμηρέστατος exemplum ſeſe imitationis ſuis proponit fidelibus, inquiens: *Diſcite à me, quia mitis ego ſum & humilis corde.* Habemus quæ diſcamus a Magiſtro CHRISTO, manſvetudinem & humilitatem. *Quibus verò in partibus vel operibus CHRISTI illa, tùm manſvetudo; tùm humilitas, ad imitationem nobis propoſita, ſeſe exeruerit, agite chariſſimi, ex præſenti Evangelio παραδειγματικῶς percipiemus.* De Chriſti manſvetudine & humilitate.

Ἐξήγησις.

Emicat CHRISTI manſvetudo & profunda humilitas in infinitis aliàs operibus; hoc verò locò conſpicitur

I. *In conviviis hypocritici viſitatione.* Amicè ipſum, quanquam ſubdolè, Phariſæi invitabant: in menſa verò omnia illius dicta & facta inſidioſè obſervabant. Habuit enim optimus Servator, uti D. Bernhardus loquitur, *in verbis obſervatores, in factis calumniatores, in paſſionibus illuſores.* Emergit inde locus communis de ἐχθροφιλία, piis omnibus ſtudioſè imitanda, Matth. 5,44. Rom. 12,14. Ubi tamen Chriſtiana non prohibetur prudentia, de qua Salvator Matth. 10,16. Theophylactus: *Vides, inquit, cœnas CHRISTI, quales ſint, nempè in utilitatem animæ, & non in ſatietatem ventris vertuntur. Ecce enim ſanavit hydropicum; docuit Phariſæos, quòd bonum ſit, in Sabbatho benè facere. Et poſteà videns eos de primo accubitu tumultuari, ſanat & hanc adfectionem, quæ non à parva incipit cauſa, ſed magna & vix effugabili, inani gloria inquam.*

ἐχθροφιλία

II. *In fraudis & inſidiarum voluntaria perpeſſione.* Noverat corda hominum, Johan. 2,24.25. noverat quò ergà ſe animò eſſent adfecti; potuiſſet juſtiſſimam de inſidiatoribus ſuis vindictam facili negotiò ſumere: ſed tolerat falſitatem & malignitatem eorum, quod inſignis eſt manſvetudinis τεκμήριον. Et nos cum patientia poſſideamus animas, quando inter falſos ejusmodi fratres degere ac vivere ipsâ neceſſitate inevitabili compellimur. Durum quidem, ſed levius fit patientiâ, quicquid corrigere eſt nefas. Pſal. 35,15. & ſeqq. & 38,14. & 41,7. & ſeqq. & 42,11. & 120,6.7. Jerem. 11,18. & ſeqq. Sir. 19,19. *Dominus,* inquit Theophylactus, *ſatis ſciens Phariſæorum moroſitatem, ingreditur in eorum domûs. Cura enim ei erat animarum utilitas, & propterea ingreſſus eſt. Potuiſſent enim vel ex doctrina & ſermone, vel ex oſtenſione miraculorum utilitatem percipere ſiquidem voluiſſent.*

III. *In benigna hominis miſeri ſuceptione ac miraculoſa curatione.* Ipſe eſt Medicus noſter, Exod. 15,26. Dominus ſalvationum, Pſal. 68,21. ſanans omnes infirmitates noſtras, Pſal. 103,3. benignè omnes ad ſe venientes admittens, Eſa. 42,3. Matth. 11,28. Johann. 6,37. Et nos diſcamus adflictis & pauperibus benè facere, eò potiſſimùm tempore, quô in Domino epulari contingit, Eſa. 58,7. Pſal. 48,1. & ſeqq. 2. Cor. 8,14. Hebr. 13,16. Theophylactus: *Hydropicus eſt & omnis, qui per diſſolutam vitam & lubricam animâ ſuî graviter ægrotat; qui & indiget CHRISTO, & ſanabitur planè, ſi ante CHRISTUM fuerit.* Nam qui ante

Adflictis & pauperibus benefaciendum.

ante CHRISTUM fuerit, cogitans ſemper, quomodo ab ipſo videatur, minimè peccabit. "

IV. *In modeſta operis ſui defenſione vel excuſatione*, ubi ſimul doctrina, de legitima Sabbati ſanctificatione, inſpergitur, de qua videantur præced. diſpoſ. Modeſtia iſta imitatione non minùs digna eſt, Prov. 15, 1. Phil. 4, 5. *Arguit autem.* Theophylactô interprete, *inſipientiam eorum, qui reprehenſuri erant, ideoq; interrogat: licetné Sabbato ſanare?* Et iterum: *Nonné manifeſtè irridet eos, ut inſipientes? ſiquidem cùm DEUS Sabbathum benedixerit, ipſi benefacere prohibent in eo, & per hoc faciunt omninò maledictum. Non enim benedictus eſt dies, in quo nihil boni fieri ſolet. Phariſæos itaq; admonet, q. talia diceret eis: Si prohibuiſſet Lex miſereri in Sabbatho, non curæ tibi fuiſſet, ſi filius tuus periclitatus fuiſſet in Sabbatho? Et quid dico filius? Neq; bovem reliquiſſes absq; adjutorio, ſi periclitantem vidiſſes. Quomodo igitur non ſtultum fuerit, quòd obſervatis ſanationem hydropici in Sabbatho?*

V. *In amica convivarum inſtitutione*, quâ à ſuperbia, vitio omnium peſtilentiſſimo eos avocare, & ad humilitatis Chriſtianæ ſtudium incitare conatur. *Oportebat enim*, uti Theophylactus cenſet, *humilitatis Doctorem, & Principem, & Conſummatorem CHRISTUM, omnes ramos inanis gloriæ amputare.* Superbiam autem exoſam nobis reddat, **Superbiæ vitandæ cauſæ.**

1. *deteſtandus ejus ortus, vel in mundum introitus*, qui diabolo transſcribitur, Sap. 2, 24. Sir. 10, 14.
2. *horrendus ſuperborum exitus:* illi enim excidunt tandem
   1. *DEI gratiâ;*
   2. *propriâ ſapientiâ;* Dan. 4, 30.
   3. *omni felicitate*, Prov. 15, 25. & 16, 5. 8.

Humilitatem contrà nobis commendet **Humilitatis ſectandæ cauſæ.**

1. *divinus ejus in mundum ingreſſus;* de cœlo enim deſcendit, Phil. 2, 5. 6. 7.
2. *glorioſus illius exitus:* qui enim ſeſe dejicit, extolletur. Matth. 5, 3. Concludimus orantes: *Da quæſumus Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum DEUM purâ mente ſectari, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, Amen.*

DO-

DOMINICA XIIX POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 22. à verſ. 34. ad finem.

Marc. 12, 28 34. ΟΙ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες, ὅτι ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους, συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό.

34. *Phariſæi autem cùm audiſſent, quòd obturâſſet os Sadducæis, convenerunt in unum.*

35. Καὶ ἐπηρώτησεν εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς, πειράζων αὐτὸν, καὶ λέγων.

35. *Et interrogavit (eum) unus ex eis Legis doctor quiſpiam, tentans eum, & dicens:*

36. Διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ.

36. *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege?*

Deut. 6, 5. Luc. 10, 27. 37. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.

37. *Ait illi JESUS: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

38. Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή·

38. *Hoc eſt primum & magnum mandatum.*

Levit. 19, 18 Marc. 12, 31 39. Δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς σεαυτόν.

39. *Secundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum perinde atque teipſum.*

40. Ἐν ταύταις δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται.

40. *In his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.*

Marc. 12, 35 Luc. 20, 41 41. Συνηγμένων δὲ τῶν Φαρισαίων, ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς,

41. *Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos JESUS,*

42. Λέγων· Τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; τίνος υἱός ἐστι; λέγουσιν αὐτῷ, τοῦ Δαβίδ.

42. *Dicens: Quid vobis videtur de CHRISTO? cujus Filius eſt? Dicunt ei, David.*

43. Λέγει αὐτοῖς· πῶς οὖν Δαβὶδ ἐν πνεύματι Κύριον αὐτὸν καλεῖ, λέγων·

43. *Ait illis; quomodo ergò David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens:*

Pſal. 110, 1. 44. Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου;

44. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſubſellium pedum tuorum?*

45. Εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν Κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι;

46. Καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο αὐτῷ ἀποκριθῆναι λόγον· οὐδὲ ἐτόλμησέ τις ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτῆσαι αὐτὸν οὐκέτι.

45. Si ergò David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?

46. Et nemo poterat ei reſpondere quicquam: neque auſus fuit quiſquam ex eo die eum amplius interrogare.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

PErtinet hoc Evangelium ad genus cauſarum Didaſcalicum & Demonſtrativum. Tractat enim & explicat duo præcipua & ſumma doctrinæ Chriſtianæ capita, Legem & Evangelium, idque in forma colloquii vel diſputationis. Lex habet *τὰ πρακτὰ, facienda*; Evangelium continet *τὰ πιστευτὰ, credenda.* Fides verò requirit proprium & adæquatum objectum, quod eſt CHRISTUS, cujus perſona & officium ex Pſalmi 110. allegatione evidenter adſeritur. Inde partes emergunt tres:

I. *De Legis divinæ integritate*;
II. *De Evangelii dignitate*;
III. *De Meſsia & regni ejus Majeſtate* diſſerit.

PARS I.

Primæ partis διέξοδον ingrediuntur tria:

1. circumſtantiarum notatio;
2. à Phariſæo propoſita quæſtio;
3. nervoſæ quæſtionis ſolutio.

In cenſu circumſtantiarum ſunt, I.

1. cauſæ principales. ſive perſonæ, quibus cum CHRISTO Salvatori res eſt; Phariſæi, iterum cum ipſo congreſſuri.

2. Tempus, ex quo pendet occaſio, deſumta à cauſa προκαταρκτικῇ, impulſiva externa, Sadducæorum confuſione. Audiverant enim Phariſæi, ex aliorum haut dubiè, qui colloquio, cum Sadducæis habito, interfuerant, relatione, quòd CHRISTUS in diſputatione, de mortuorum reſurrectione, Sadducæis os obturâſſet, immò planè elingves eos reddidiſſet. Græcum ἐφίμωσε eſt emphaticum. φιμὸς φιμίον enim eſt vinculi genus, quô ferarum canumque ora obligantur, ne mordeant; & ſenſus eſt, quòd CHRISTUS perſpicua argu-

menti objecti ſolutione, & doctrinæ de mortuorum reſurrectione, ex Moſe petitâ, confirmatione, tàm ſolidè confutaverit Sadducæos, articulum iſtum negantes, ut velut capiſtrô quodam injectô os eis planè occluſerit, eosque tacere coegerit, cùm quod regererent, nihil quidquam invenirent.

3. *Modus*; dicuntur enim conveniſſe ἐπὶ τὸ αὐτὸ, **in unum, in idem; quâ circumſtantia duplex** eorum congregatio notatur;

1. quòd convenerint in loco concilii, deliberaturi, quâ ratione ignominiam, ſibi ſuisque contribulibus illatam à CHRISTO, vindicarent: **hoc enim vult vocabulum** συνάγεσθαι:
2. quòd ad CHRISTUM magnô numerô, & q; agmine factô, convenerint, idque ideò, ut
   1. ſuffragiorum & votorum numerô vincerent, quem rationibus non poterant vincere;
   2. terrorem CHRISTO aliquem incuterent;
   3. ſubdelegato ſuo ſuppetias irent;
   4. CHRISTUM, ſi minùs aptè reſponderet, unâ irriderent.

Etſi enim in doctrina cum Sadducæis non facerent: ægrè tamen ferebant, à CHRISTO eos debellari, metuentes ne ſuæ quoq; exiſtimationi inde aliquid detraheretur.

4. *Ὄργανον, vel cauſa inſtrumentalis.* Ut enim feliciùs omnia conſilia procedant, νομικόν τινα **eligunt, quem ſummæ rei præficiunt.** Deſcribitur autem ille,

1. **quòd fuerit** εἷς ἐξ αὐτῶν, **unus ex illis, ſectæ Phariſæorum** & ipſe addictus:.
2. **quòd fuerit** εἷς τῶν γραμματέων, **unus ex Scribis, qui ex** Scripturarum peritia nomen adepti fuerant: illud profeſſionem, hoc officium deſignat: — *Scribæ.*
3. **quòd fuerit** νομικὸς, **legalis, legis peritus. Specialiter** ita dicebantur illi Scribæ, qui fuerunt non modò Legis Doctores & interpretes, ſed etiam Synedrii Hieroſolymitani Adſeſſores. — *νομικός.*

5. *Cauſa finalis* vel ſcopus negotii, qui eſt πειραστικὸς, **idque ad Phariſæos potiùs eſt referendum, quàm ad Scribam.** Is enim, uti ex Marci deſcriptione colligere promtum eſt, etſi initiò & ipſe non diſcendi, ſed tentandi cauſâ venerat; poſteà tamen auditô ſapientiſſimô CHRISTI reſponſô, benè erga ipſum erat adfectus.

Quæ-

Quæſtionem quod ſpectat, tanquam materiam ad diſputandum propoſitam, habet illa, II.

1. προσφώνησιν, compellationem, uti videtur, amicam: Διδάσκαλε, Magiſter; q. d. video te eſſe magnum Doctorem, in Lege divina verſatiſſimum, & omnibus accuratè reſpondere; exime ergò & mihi eum ſcrupulum, qui me adfligit, & eris mihi magnus Διδάσκαλος.

2. Ζήτησιν ipſam, quæ eſt de mandato magno, h. e. omnium maximo in Lege: quia poſitivus more Hebræis uſitatô ponitur pro Superlativo. Marco dicitur primum omnium, non ordinis, ſed dignitatis ratione.

3. Σύγκρισιν. Non enim quærit ſimpliciter, quod ſit magnum in Lege mandatum, quippe in qua nihil eſt parvum; ſed κατὰ λόγον συγκρίσεως, comparatè quærit, quodnam collatione omnium præceptorum præ reliquis ſit maximum, religioſeque ab hominibus obſervandum. Quæſtio erat non utilis modò & neceſſaria; ſed difficilis quoq; & intricata. Ad ejus enim ſolidam explicationem ac deciſionem neceſſaria erat mandatorum omnium notitia. Judæi numerabant 613 præcepta Legis. Ex tanto verò numero proferre omnium maximum, non erat cujusvis, ſed illius tantùm, qui in Lege erat exercitatiſſimus.

Solutio quæſtionis, vel reſponſio CHRISTI, ad quæſtionem propoſitam eſt promtiſſima; *tùm* ut ſuam in Lege peritiam demonſtraret; *tùm* ut ad docendum rudiores ſe paratum oſtenderet; *tùm* ut populo auſcultanti conſuleret; *tùm* ut adverſariis ſuis os obſtrueret. Ceterùm reſponſio CHRISTI tria continet: III.

1. Mandati maximi recitationem, quæ habet

1. πρότασιν, ſive τὸ ὅτι, hoc ſenſu; mandatum dilectionis DEI eſt omnium primum & maximum.

2. κατασκευὴν, quæ declarat

1. τὸ διότι, cauſas impulſivas; &

2. τὸ πῶς, modum diligendi DEUM. *Cauſæ* impellentes ad DEI dilectionem exprimuntur illis verbis: quia eſt DEUS & Dominus tuus: Ergò eum diliges. Futurum ἀγαπήσεις ex idiotiſmo Hebraico ſumitur pro Imperativo. Significatur autem, ideò DEUM diligendum eſſe, quia multis in nos collatis beneficiis oſtendit, ſe eſſe noſtrum DEUM, ut non tàm à nobis amari, quàm redamari jubeatur.

Modus diligendi DEUM eſt, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute. Cordis nomine intelligitur voluntas, quæ tota in DEUM ferri debet; notat etiam adfectûs cordis, qui requiruntur puri, ſancti & in DEUM unicè directi. Anima ſignificat vitam ſenſitivam, ſive adpetitum ſenſitivum, qui DEO unicè debet adhærere: ſignificat etiam vitam ipſam, Exod. 4, 19. & 21, 23. Deut. 16, 16. totam enim vitam noſtram, non aliquam ejus partem, DEO conſecrare debemus. Mentis nomine venit intellectus, & interiores hominis cogitationes, quæ ad DEI dilectionem omnes dirigantur. Per virtutem intelliguntur omnes animæ corporisq; vires, quæ in DEI dilectione ſimiliter requiruntur. Notetur & illud, quòd diligere DEUM jubemur, non ſolùm ex corde, ex anima, ex mente; ſed additur inſuper **τὸ ὅλον, totum; requirit enim Lex divina totum hominem**, cum omnibus animæ facultatibus, & omnibus corporis membris ac viribus; & opponitur totum cor, tùm cordi diviſo, tùm cordi remiſſo. Atq; hoc dicit CHRISTUS mandatum eſſe inter omnia Legis divinæ mandata maximum:

Cor pro voluntate & adfectu. Anima pro vita & adpetitu. Mens pro intellectu & cogitatione. Virtus pro viribus. Lex totum requirit hominem.

Quodcunq; enim mandatum totum hominem requirit, illud haut dubiè eſt primum & maximum:

Atqui mandatum de diligendo DEO requirit totum hominem:

Ergò haut dubiè omnium erit primum & maximum.

2. *Mandati ſecundi (ſive maximo proximi) adjectionem.* Non erat de hoc rogatus; addit tamen ἐκ περιουσίας; quia

1. dilectio DEI & proximi nexu indivulsô cohærent, 1. Johan. 4, 20.
2. Legis totius epitomen vel ſummam recitare voluit; &
3. ſimul adverſariorum hypocriſin haut obſcurè perſtringere. Notanda hoc quoque locô

1. πρότασις, continens τὸ ὅτι, hoc ſenſu: Mandatum ſecundum, primo vel maximo, proximum, eſt, diliges proximum tuum. Ubi proximi nomine intelligitur quivis homo alius, etiam vilis, etiam ignotus, etiam inimicus.

Proximus quis.

2. Κατασκευὴ, habens

1. τὸ διότι, cauſam impulſivam; ab objecto deſumtam; quia eſt tuus proximus, tuus ſocius, unius naturæ communione tibi conjunctus, eſt id, quod tu es.

2. Tò

2. Τὸ πῶς, modum diligendi proximum, ſicut teipſum. Syrus reddidit, ſicut animam tuam. Particula ſicut reſpicit.

Sicut, particula quid notet,

1. *dilectionis finem;* ſicut teipſum diligis propter DEUM, h. e. propter DEI mandatum, & juxta ejus voluntatem.
2. *Dilectionis formam;* non diligis te hypocriticè, ſed verè, ſincerè, ardenter, conſtanter.
3. *Dilectionis materiam*, quæ poſita eſt in boni electione & operatione, & mali averſione. Obſervetur autem & hoc, quando præcipitur dilectio proximi, non excluſam, ſed incluſam eſſe ordinatam ſui ipſius dilectionem. Ordinatam dico, h. e. honeſtam legiq; divinæ conformem. Eſt enim amor ſui poſt lapſum inordinatus, quando homo ſeipſum diligit, quatenus eſt corruptus, h. e. quatenus vitioſas carnis concupiſcentias ſectatur, ſua duntaxat commoda quærendo, proximum verò negligendo. Atq; hoc mandatum dicitur ſecundum, vel maximo proximum, ſc. ratione ordinis; quia dilectioni DEI proxima eſt dilectio proximi; unde iterum colligitur:

Quodcunq; mandatum ad ſummam ſimiliter ſe habet, illud ejusdem eſt cum eo conditionis:

Atqui mandatum de dilectione proximi eſt ejusmodi:

Ergò ejusdem eſt cum ſummo, primo vel maximo conditionis; & per conſequens, ſuô modô etiam eſt ſummum & primum mandatum, vel, ut Salvator loquitur, ſimile primo. Simile eſt autem ſecundum primo, ratione

1. auctoris;
2. ſententiæ decretoriæ;
3. obligationis;
4. modi, quòd utrumq; totum hominem requirat, & ὑπόκρισιν reſpuat. Confer D.Gerh.harm. Chemnitio-Lyſer. part.1.pag.1327.1328.

3. *Utriusq; mandati commendationem.* Commendatur autem

1. *à magnitudine;* Nam, ut Marcus habet cap.12,31. majus his aliud præceptum non eſſe CHRISTUS adfirmat. Vide D. Gerh. pag.1346.
2. *Ab amplitudine;* in his duobus mandatis univerſa Lex & Prophetæ pendent; q. d. quicquid mandatorum divinorum in ſcriptis Moſis legalibus & Propheticis exſtat, illud omne his duobus mandatis ſummatim comprehenditur. pag.1347.

Digitized by Google

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Contro-verſiæ in Eccleſia.

I. Controverſiæ in religione, de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, nunquam deerunt. Matth. 13, 30. 1. Cor. 11, 19. Jud. 3, 1. 2. Theſſ. 2, 11. 1. Tim. 1, 20. 2. Tim. 4, 3. 1. Joh. 2, 18. Apoc. 2, 15. Matth. 24, 5. 24. 2. Petr. 2, 1. & 3, 3. D. Theodor. pag. 714.

Hoſtium natura & indoles.

II. In Phariſæis depingitur ingenium hoſtium veritatis, in quibus deprehenditur,

1. pertinax malitia & impudentia;

2. invidia & ſuperbia;

3. aſtutia, tûm in conſultando, tûm in conſpirando.

III. In actionibus autem & operibus divinis judicandum eſt, non mathematicè, ſed phyſicè. D. Finck. centur. 3 can. 82.

Diabolus Chriſti doctrinam & perſonam impugnat.

IV. De ſtudio diaboli indefeſſo, in oppugnanda doctrina & perſona CHRISTI. D. Theodor. pag. 713.

V. Habemus in Phariſæis etiam inſigne exemplum cæcitatis deteſtandæ & ſtupendæ, quà ſperant illum confundere, qui eſt ipſa ſapientia. 1. Cor. 1, 24.

Legis Doctores.

VI. Videmus quoq; eos, qui ſe Doctores & Interpretes legis profitentur, legis interdum ſcopum ignorare. Rom. 2, 20. & 10, 3.

VII. De ſumma legis perfectione, diximus Dominic. 13. poſt Trinit.

Bona opera ex lege.

IIX. Extra legem non ſunt quærenda bona opera DEO grata & placentia. Matth. 15, 9. & 19, 17.

Chriſtus non novus legislator in N. T.

IX. Falſum eſt figmentum Papiſtico-Photinianũ, quòd CHRISTUS in N. T. novas condiderit leges; vel perfectiorem legem DEI effecerit. Perfecto nihil poteſt addi.

X. Verè-bona opera ſunt, diligere DEUM & proximum, ubi DEUS contentus eſt bonô initiô ac propoſitô. Mich. 6, 8.

Dilectionem DEI quid ſuadeat.

XI. Ad DEUM diligendum hominem impellat

1. præcepti divini tùm authoritas, tùm facilitas: Mich. 6, 7.

2. cordis noſtri proprietas; non poteſt eſſe ſine amore:

3. dilectionis dignitas & neceſſitas: 1. Cor. 13, 2.

4. amoris utilitas. Joh. 14, 23. Vide D. Gerh. harm. p. 1315. 1316.

XII. Quando DEUM ex toto corde diligere jubemur, non propterea excluditur proximus. Nam dilectio proximi non eſt ἀποςερητικὴ divinæ, ſed ejusdem συμπληρωτική. Et arbor non eſt ſine fructu.

XIII.

XIII. Cùm tanta ſit dilectionis amplitudo, legem itaq; DEI perfectè implere nemo poteſt. Prov. 20, 9. *Legis impletio impoſſibilis.*

XIV. Habet tamen lex DEI ſuos etiam ſive usûs ſive fructûs & fines; non renatos etiam in diſciplina externa coërcet; renatis peccatum & naturalem infirmitatem oſtendit & manifeſtat; nec non bonorum operum normam præſcribit; & deniq; damnando, accuſando, terrendo ad CHRISTUM ducit. Videantur ea de re libelli methodici. *Legis uſus.*

XV. Proximum diligamus ſicut nos ipſos. Rom. 13, 10. 1. Johan. 3, 17. 18. & 4, 7. & ſeqq. D. Theodor. p. 717. *Proximi dilectio.*

XVI. Præceptum de dilectione proximi excludit hoſtile ejusdem odium, & omnem vindictæ cupiditatem. Levit. 19, 17. 18.

XVII. Tollit idem præceptum αὐτοφονίαν, quocunq; illa fiat modô. Col. 2, 23.

XIIX. Ad diligendum proximum inſtiget nos *Dilectionem proximi quid ſuadeat.*

1. *præcipientis auctoritas*; Levit. 19, 18. Rom. 13, 8.
2. *noſtra cum DEO conformitas*; 1. Joh. 4, 16. Matth. 5, 44.
3. *ſpiritualis vitæ proprietas*; Joh. 13, 35. Jac. 2, 26.
4. *caritatis neceſſitas & dignitas*; 1. Cor. 13, 7. & ſeqq. Col. 3, 14.
5. *dilectionis utilitas*. 1. Joh. 3, 14. Vide D. Gerh. harm. p. 1339. 1340. 1341.

XIX. Ex CHRISTI reſponſione & illud liquet, inter præcepta DEI primas partes deberi, non legibus forenſibus, vel ceremonialibus, ſed legi morali, quæ eſt æterna & immota juſtitiæ regula in DEO. Oſe. 6, 7. Matth. 9, 13. & 12, 7. *Lex moralis.*

XX. Hoc ipsô legis divinæ rigore, de diligendo DEO ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus; de diligendo item proximo, ut nos ipſos diligimus, omnes nos peccati convincimur. Rom. 7, 14. *Legis rigor peccati nos convincit.*

XXI. Sed illud ſolatio noſtro vel maximè inſervit, quòd ſciamus, CHRISTUM præceptô de dilectione DEI & proximi, noſtri locô ex aſſe ſatis feciſſe, cujus obedientia & juſtitia per fidem nobis imputatur. Rom. 8, 3. & 10, 4.

XXII. Juſtitia operum & perfecta legis impletio, fermentum eſt utrumq; Phariſaicum. Vide D. Theod. pag. 718. *Legis impletio fermentum Phariſaicum.*

XXIII. Omnes controverſiæ fidei ex una & ſola Scriptura & poſſunt, & debent decidi. Thold. p. 937.

PARS

PARS II.

Ad ſecundæ partis enarrationem itidem initiò ſpectant,

I. *Circumſtantiæ*, cujusmodi ſunt,

1. ἀφορμὴ ſive *occaſio* quæſtionis movendæ; hanc præbuit CHRISTO Phariſæorum congregatio, vel potiùs conſpiratio. Voluit autem CHRISTUS hoſtibus ſuis Phariſæis hanc de Evangelio quæſtionem proponere, (1) ut ſe καρδιογνώςην (DEUM) ipſis oſtenderet; & (2) ut ipſorum in rebus divinis ἀπειρίαν tantò magis confunderet; (3) nec non ſanam Evangelii doctrinam ſub vitæ finem repeteret.

2. *Cauſa efficiens*; quis quærat: nimirùm ipſe CHRISTUS, qui anteà reſpondentis partes ſuſtinuerat, jam munus opponentis, vel examinatoris ſuſcipit.

Phariſæi legales.

3. *Objectum*, quem quærat; Phariſæos, quibus par pari hoc modò referre voluit. Et quia præ reliquis ſingulariter in lege divina docti videri & haberi volebant; erant præterea ordinarii Doctores, in cathedra Moſis ſedentes; Matth. 23, 2. ideò ſpecimen jam ſuæ eruditionis publicum edere debent, quò reliqua etiam auditorum turba erudiatur.

4. *Locus*, ubi contigerit: In templo Hieroſolymitano, cùm ſuò docendi munere CHRISTUS fungeretur.

II. *Materia colloquii* vel ipſa quæſtio, Phariſæis à CHRISTO propoſita, quæ ita habet: *Quid vobis videtur de CHRISTO? cujus eſt Filius?* Quærit non animò diſcendi, ſed inquirendi: illorum enim prolicere & audire cupit de hac materia confeſſionem. Quærit in præſenti, non in futuro, præſtò eſſe Meſſiam innuens. Quærit generaliter de CHRISTO ſive Meſſia, (adpellativè ſumtò vocabulò) ne calumniandi anſam arriperent. Quærit autem cujus ſit filius, h. e. ex qua tribu aut familia ſit naſciturus; an hominis tantùm, an DEI etiam futurus ſit Filius?

Quæſtio ergò eſt, de perſona CHRISTI vel Meſſiæ, Judæis peculiariter promiſſi. Hanc verò quæſtionem propoſuit,

1. ut Phariſæorum negligentiam, & in tractandis Scripturis perverſitatem oſtenderet;
2. ut de officio ſuo, gratiâ cujus in mundum venerat, auditores ſuos erudiret;
3. ut ſummam ſalutis non in operibus legis, ſed vera Meſſiæ cognitione conſiſtere doceret;

4. ut

Digitized by Google

4. ut CHRISTUM ſcopum eſſe totius Scripturæ ſignificaret;

5. ut deniq; Meſſiam *θεάνθρωπον* eſſe debere demonſtraret.

III. Phariſæorum ad propoſitam quæſtionem reſponſio; quòd Davidis ſit Filius. Quà quidem reſponſione puram & meram ejus humanitatem adſtruunt. Reſponſio eſt petita.

1. ex ipſis Scripturarum Propheticarum oraculis: 2.Sam.7,12. 1,Par.18,11. Pſal.89,4.& 132,11. Eſa.11,1. Jer.23,5.

2. ex communi Eccleſiæ Iſraeliticæ conſenſu: Joh.7,42. Matth. 9,27.& 15,22.& 20,30.31.

Davidis Filium Meſſiam dicunt, quia huic poſtremò locô facta promiſſio, quòd ex ipſius familia Meſſias ſit naſciturus. Rectè quidem hæc dicebantur, ſed inſufficienter. Meſſiam enim DEUM, vel DEI quoq; Filium futurum, ex multis Scripturæ locis ſcire poterant. Pſal. 2,7.& 89,30.37. Eſa.7,14. 2.Sam.7,14. Jer.23,6. Meſſias Davidis filius.

IV. Reſponſionis Phariſaicæ oppugnatio vel confutatio, ex ſtatu *τῆς ἀντινομίας*, à relativè pugnantibus. Vis illationis eſt iſta: *Filius, præſertim nondum natus, non ſolet à Patre vocari Dominus:*

Meſſias à Davide patre vocatur Dominus:

Ergò non eſt ejus filius; vel habebit naturam aliquam longè præſtantiorem, gratiâ cujus à Patre vocatur Dominus.

Major ex lege divina & naturali comprobata per ſe eſt manifeſta. Minor probatur ex Pſal.110,1. ubi David in Spiritu, h. e. Spiritûs ſancti impulſu Meſſiam ſuum vocat Dominum, cujus dicti enodatio tertiæ reſervatur parti. Sequitur

V. Utriusq; diſputationis eventus, cumprimis ex parte Phariſæorum, qui hac CHRISTI inſtantiâ ita ſunt confuſi, ut (1) non potuerint quidquam ad hoc *ἀνυπόλυτον* reſpondere, tantùm abeſt, ut plenam argumenti propoſiti explicationem adgredi auſi fuerint. Carebant enim miſeri ſcientiâ myſterii, de CHRISTI perſona; de duabus in ipſo naturis, & duarum iſtarum naturarum, divinæ & humanæ, unione perſonali. Si enim Divinitatem Meſſiæ vel noviſſent, vel credidiſſent, ad argumentum CHRISTI facillimò negotiò reſpondiſſent.

(2) Ut non fuerit auſus quiſquam poſthac contra hiſce, multò minùs Salvatorem diſputando adgredi ac laceſſere.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Eccleſia gloriatio inanis.

I. Non omnes, qui Eccleſiam jactitant, ejusdem nomine conveniunt, ſed falſam ſæpenumerò & malignantium ſeſe Eccleſiam produnt & demonſtrant. Pſal. 26, 5. & 64, 3.

II. Quæſtiones in Eccleſia non futiles; ſed utiles & neceſſariæ ſunt proponendæ. 1. Tim. 1, 4. & 6, 4. 2. Tim. 2, 23. Tit. 3, 9.

φιλανθρωπία Chriſti.

III. Inſigne φιλανθρωπίας CHRISTI exemplum eſt, quòd ipſe eorum ſalutem quærat, à quibus ad mortem quærebatur. Matth. 20, 28. Luc. 9, 56. & 19, 10.

Notitia Chriſti.

IV. Notitia de CHRISTO eſt omnibus ad ſalutem neceſſaria. Joh. 17, 3. Act. 4, 12.

Chriſtus Scripturæ ſcopus.

V. Eſt enim is totius Scripturæ ſcopus & epitome, à quo omnia incipiunt, & in quo omnia deſinunt. Pſal. 40, 8. Hebr. 10, 7. & 12, 2. Apoc. 22, 22.

Syllogiſtica forma.

VI. Non opus eſt, omnia in rerum ſacrarum diſſertationibus redigi ad formam ſyllogiſticam: CHRISTUS per quæſtiones & reſponſiones agit. Matth. 12, 3. 11. 24. & 15, 3. & 16, 2. & 19, 4.

VII. Satanas totis viribus omniq; conatu hoc agit, ut doctrinam de perſona CHRISTI corrumpat, quâ corruptâ, totius ſalutis noſtræ fundamentum corruiſſe novit. 1. Cor. 3, 11.

Scripturæ commendatio.

IIX. Scripturæ ſacræ auctoritas hoc in loco non tantùm adſeritur, ſed nobis etiam de meliori commendatur, quippè cujus ſolius cenſura CHRISTUS ipſe in articulis fidei controverſiis uſus eſt. Matth. 9, 13. Luc. 10, 26. 2. Sam. 23, 2. Joh. 5, 39. 2. Pet. 1, 21. Luc. 24, 44. Act. 2, 30. Heb. 4, 12.

IX. Prophetæ locuti ſunt inſtinctu Spiritûs ſancti. Luc. 1, 70. 2. Tim. 3, 16. 1. Pet. 1, 21. 2. Pet. 1, 21. 2. Sam. 23, 2. Pſal. 45, 2. Act. 4, 25.

Incarnationis myſterium.

X. Myſterium Incarnationis & unionis perſonalis in CHRISTO, eſt myſterium humanæ rationi abſconditum. 1. Tim. 3, 16.

XI. Verbum DEI tandem omnes veritatis hoſtes confundit. 2. Cor. 10, 4. 1. Sam. 5, 3.

Phariſæi.

XII. Adparet ex hoc conflictu inſignis Phariſæorum hypocriſis ac ſuperbia, cum inexpugnabili pervicacia & malitia conjuncta, quâ ipſi impulſi, neceſſaria ad ſalutem ſuam ignorare maluerunt, quàm interrogando addiſcere.

XIII. Quæritur hoc locô, ſi CHRISTUS hominum ſalutis, hoſtium etiam ſuorum cupidiſſimus, cur non ipſe argumenti nodum ſolve-

ſolvere, atq; ita errantes rectiùs erudire voluerit? Certis hoc de cauſis factum eſt.

1. Indigni erant Phariſæi, qui myſterium iſthoc audirent; à CHRISTO enim doceri & diſciplinam adprehendere nolebant, conſilium DEI adverſus ſeipſos contemnentes. Luc. 7, 30.
2. Habebant Moſen & Prophetas, unde colligere id ipſum, & addiſcere, ſi vellent, potuiſſent.
3. Noluit occaſionem blaſphemiæ & odii majoris præbere.
4. Nondum aderat temp9 palàm & publicè prædicandi CHRISTI Divinitatem: ſuô verò locô & tempore per Apoſtolos ad hanc quæſtionem ſufficientiſſimè reſpondit. Matth. 17, 9. Marc. 9, 9.

PARS III.

De Meſſia regniq; Meſſiani conditione diſſeritur in allegato ex Pſal. 110, 1. teſtimonio Davidico. Confertur h. l. regia dignitas in Meſſiam, Filium DEI incarnatum. Ubi tria perpende; Regia dignitas

I. *Collatorem*, tanquam feudi Dominum, qui dicitur Jehovah. Christo collata. Proprium hoc eſt nomen ſolius veri DEI; hoc tamen locô non *οὐσιωδῶς*, ſed *ὑποστατικῶς*, de prima Divinitatis perſona, DEO Patre, Rege regum & Domino dominantium accipitur. Innuitur hoc ipsô legitima Meſſiæ ad officium vocatio. Pſal. 2, 7. Eſa. 48, 16. & 61, 1. 2. Johan. 5, 30. & 6, 40. Jehovah.

II. *Vaſallum*, vel perſonam inauguratam, expreſſam voce, Domino meo. In Hebræo habetur nomen Adon, cum adfixo jod relativo: dixit Dominus Ladonai (לַאדֹנִי) Domino meo; quæ relatio importat quandam Meſſiæ ſuperioritatem ſupra Davidem, & ſuum quidem nominat Dominum, cùm nondum in carne eſſet exhibitus. Eſt ergò Davidis Dominus, Adonai.

1. reſpectu divinæ Naturæ, quam in Meſſia HieroPſaltes agnovit: Pſal. 24, 10. & 45, 8. & alibi. Chriſtus Davidis Dominus.
2. ratione officii, quatenus ipſum liberavit à peccato, morte & poteſtate ſatanæ.

III. *Formalia collationis.* Singula verba, ſingula pondera. *Dixit*, vel dictum Jehovæ. Significatur hac voce

1. æternum DEI Patris decretum, de mittendo in plenitudine temporum Filio, ut is adſumtâ humanâ natura opus τῆς ἀπολυτρώσεως arduum maximè ſuſciperet & perficeret.

2. Decreti illius promulgatio, facta in tempore, tùm immediatè, Gen. 3, 15. tùm mediatè, per os ſanctorū Prophetarum ſuorū.

Quid ergò dixit Dominus Jehovah, ad Dominum Davidis, Filium Meſſiam.

Sedere h.e. regnare. *Sede.* Notatur hac voce poteſtas ſeu majeſtas regia. In Scripturis enim, in hac præſertim materia, ſedere eſt regnare, quod patet ex collatione dictorum Scripturæ. 1. Cor. 15, 25. Marc. 16, 19. Epheſ. 4, 16. 1. Pet. 3, 22. Aliàs ſedere in Scriptura ſacra DEO tributum, ſignificat judiciariam ejus poteſtatem. D. Finck. cent. 3. can. 12.

Dextra DEI. *A dextris meis.* Habes ſellam quoq; regiam. Eſt autem hæc DEI dextra non corporeum quid; (DEUS enim eſt ἀσώματος, Spiritus, corpus, carnem & oſſa non habens. Joh. 4, 24. Luc. 24, 39.) multò minùs certus aliquis cœli locus; ſed æterna, infinita & planè divina DEI potentia, quæ ad dominium creaturarum omnium ſeſe extendit. Unde colligitur, ſedere ad dextram DEI ſignificare communicatæ divinæ poteſtatis & majeſtatis plenariam uſurpationem, in potentiſſimo ac præſentiſſimo cœli terræq; dominio.

Sedere ad dextram DEI.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Particula donec ita ponit tempus præſens, ut non excludat ſequens vel futurum; quaſi tempus aliquod ſit futurum, quô non ſeſſurus ſit ad dextram DEI: regnum enim ejus eſt æternum. Dan. 7, 14. Luc. 1, 34. Pſal. 45, 7. Hebr. 10, 12. Quòd Patri tribuitur hoſtium ſubjugatio, non excluſivè, ſed incluſivè eſt accipiendum. Ita autem loquitur Spiritus ſanctus, ut Patris Filiiq; ὁμουσίαν, & in domandis ſubjugandisq; hoſtibus ὁμοδυναμίαν ſignificet. Confer 1. Cor. 15, 25.

Patri hoſtium ſubjugatio tribuitur non excluſivè.

Hoſtes Chriſti. Inimici CHRISTI ſunt corporales & ſpirituales, intelliguntúrq; omnes, qui quocunq; modô CHRISTO & regno ejus, quod eſt Eccleſia, adverſantur. Hi fient ſcabellum pedum CHRISTI, h.e. plenariè & perfectiſſimè ipſi ſubjicientur, ut pro arbitrio eos pedibus conculcet & puniat. Indicatur abjectiſſima ſubjectio. Eſt modus loquendi à regibus terrenis deſumtus, qui hoſtibus devictis pro ſcabello nonnunquam uſi fuiſſe leguntur.

Scabellum pedum Chriſti.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Habetur h.l. doctrina de perſona CHRISTI, & reali idiomatum divinorum communicatione, de qua conſulantur libelli methodici, cumprimis aureus D. Chemnitii liber, de duabus in CHRISTO naturis. D. Theodor. pag. 721. & ſeqq. II. Ar-

Digitized by Google

II. Articulus iſte in Eccleſia diligenter tractandus; quia in illo ſalutis noſtræ cardo vertitur.

III. Athenæ autem hic nihil habent commune cum Hieroſolymis; h. e. ex principiis Philoſophicis non judicandum de articulis fidei tam arduis. D. Finck. centur. 3. can. 17. Philoſophia cum Theologia permiſcenda

IV. Scopus Moſis, Prophetarum & Pſalmorum, h. e. totius Scripturæ ſacræ, eſt CHRISTUS cum toto ſuo officio. Ibid. can. 71. Chriſtus ſcopus Scripturæ.

V. Habemus teſtimonium SS. Trinitatis. Jehovah (DEUS Pater) loquitur ad Dominum; (Filium ſuum) David in Spiritu vel adflatus a Spiritu ſancto hæc protulit. Gen. 19, 24. Eſa. 47, 16. Jer. 23, 5. 6. Trinitas.

VI. Occurrit h. l. etiam doctrina de dextra DEI, ad quam CHRISTUS eſt evectus. Exod. 15, 6. Pſal. 18, 36. & 44, 4. & 108, 7. & 63, 9. & 118, 16. & 77, 11. & 139, 10. Hebr. 1, 3. & 8, 1. & 12, 2. Matth. 26, 31. & 26, 64. Luc. 22, 69. Vide D. Theodor. pag. 726. & ſeqq. Dextra DEI.

VII. In hac quoq; doctrina à foro ad chorum non valet conſequentia. Vide adplicationem apud D. Finck. cent. can. 26.

IIX. In Scriptura ſacra per promiſſiones ſeſſionis, thronorum, felicitas aliàs æterna ſignificatur. Idem cent. 2. can. 51.

IX. Quæritur, cui naturæ in CHRISTO dictum ſit: ſede à dextris meis? Non utiq; divinæ, uti volunt Calviniani, qui perſonæ hæc dici ajunt. Rectè hoc quidem, ſed ſano ſenſu. At nos quærimus ſecundùm quam naturam? Hic aqua ipſis hæret, & cum Phariſæis ſubmuſſitant. Divina certè natura exaltari non poteſt: Eſt enim ipſa Exaltator, ipſa DEI dextra, ſecundum Athanaſii illud? *Non Excelſum, ſed caro Excelſi exaltatur.* Seſſio ad dextram cujus naturæ.

X. *Quæcunq; enim dicit Scriptura accepiſſe DEI Filium, ſive quod glorificatus vel exaltatus ſit Filius, ratione humanitatis ipſius, non Deitatis loquitur.* D. Finck. cent. 3. can. 47.

XI. Competere ergò ſeſſionem ad dexteram DEI Patris CHRISTO ſecundum humanam naturam, patet Seſſio ad dextram DEI competit H. Næ.

1. ex natura Deitatis, uti jam modò dictum;
2. ex tempore collocationis; in tempore factum: Matt. 26, 64.
3. ex deſcriptione collocationis, quæ exſtat Eph. 1, 19.
4. ex dominii collatione: Act. 2, 36. Pſal. 8, 8. Hebr. 2, 6.
5. ex exinanitionis & exaltationis dependentia. Pſ. 110, 2.

XII. Quæritur de momento vel tempore, quando CHRISTUS ad dextram DEI ſedere cœperit? Reſpondent Theologi noſtrates, & Seſſionis momentũ.

„ rectè, poſt depoſitam ſervi formam, h.e. poſt ſtatum exinanitionis.
„ Nam Scriptura (uti D. Gerh. loquitur, harm. pag. 1400.) ſeſſionem
„ ad dextram DEI perpetuò ponit tanquam conſequens exinanitionis.
„ Propriè igitur & accuratè loquendo, per ſeſſionem ad dextram DEI
„ non intelligitur ipſa Incarnatio; vel divinæ poteſtatis communicatio;
„ ſed poteſtatis communicatæ plenaria uſurpatio, quæ exinanitionem
„ ſecuta eſt & in reſurrectione atq; aſcenſione ad cœlos initium acce-
„ pit. Marc. 16, 19. Eph. 1, 20. Heb. 1, 3. 1. Pet. 3, 22.

XIII. CHRISTUS eſt verus DEUS & homo; item Rex & Dominus ſecundum utramq; Naturam. Act. 2, 36. Matth. 28, 18.

XIV. In Scriptura ſacra honor Patris tranſit in Filium, & rurſus honor ſive gloria Filii in Patrem. D. Finck. cent. 3. can. 48.

Infiniti & finiti proportio.

XV. In divinis inter infinitum aliqua datur proportio. D. Finck. centur. 4. can. 76.

XVI. CHRISTI regnum nunquam eſt in hac vita ſine hoſtibus, qui tandèm ſubjicientur plenariè in extremo judicio. 1. Cor. 15. v. 24.

Christus Dominus noſter.

XVII. CHRISTUS eſt Dominus noſter, etiam in ſtatu exinanitionis, D. Finck. cent. 4. pag. 322. duplici autem jure, & creationis & redemtionis.

XIIX. Quæritur, an CHRISTUS in toto exinanitionis ſuæ ſtatu, ſecundum carnem, ſemper, inceſſanter & potenter gubernaverit cœlum & terram? R. Negatur; quia adſumtio humanitatis non eſt ipſa exaltatio; Phil. 2, 7. & ſeqq. & ſtatus exinanitionis a ſtatu exaltationis in Scripturis accuratè eſt diſtinctus. Eph. 1, 21. & 4, 10. Marc. 16, 19. Joh. 17, 5. D. Finck. cent. 3. pag. 58.

XIX. CHRISTUS victoriæ ſuæ, adverſus hoſtes obtentæ, etiam fideles ſuos efficit participes; ipſi gloria in ſecula. Rom. 16, 20.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Præclarum hoc eſt Evangelium, accuratâ διασκέψει vel maximè dignum. Breviter enim & tanquam in tabella nobis ob oculos ponit univerſam Scripturam V. & N. T. verbum legis Evangelii. Phariſæi enim de Lege, CHRISTUS verò de Evangelio interrogat. Duo itaq; continet principalia capita:

I. agitur

I. agitur *de Legis divinæ tenore & rigore*;

II. *de Evangelii honore & decore.* Illud *verum* nobis monſtrabit *Legis intellectum*; *hoc proprium & adæquatum Evangelii objectum.*

PARS I.

In prioris capitis vel partis expoſitione attendenda eſt

I. *Occaſio*, quæ inde orta, quòd CHRISTUS ἐφίμωσε, os obduraverit Sadducæis, eosq; elingues reddiderit, Sadducaiſmus.

1. reſurrectionem mortuorum negantes;

2. animæ mortalitatem ſtatuentes;

3. Vitæ æternæ præmia, damnatorumq; pœnas inficiantes;

4. Angelos nullos credentes.

Joſephus lib. 18 c. 2. antiq. D. Oſiand. Cent. 1 pag. 3.

II. *Partis adverſæ conſultatio.* Etſi enim Phariſæi ex ſilentio Sadducæis impoſito facilè conjecturam capere poterant, parùm ſeſe diſputando adverſus CHRISTUM effecturos: ipſi tamen inſidiari neq; hac ratione ceſſàrunt; quin de novis potiùs ſtruendis inſidiis cogitàrunt, habitô, ſi fortè aliquid in ſermone ejus captare, illumq; in contemtum & odium vulgi adducere, morti tandem deſtinare poſſent præſentiſſimæ.

III. *Ipſa diſputatio*, in forma colloquii habita. Ubi notetur

1. *quis opponens*; dicitur is νομικὸς, Legisperitus vel Doctor, qui νομικὸς cæteris in ſacra Scriptura peritior Theologiam publicè profitebatur. γραμματεὺς Marcus vocat γραμματέα, Scribam; quibusdam enim Scriba ſive Legis interpres, & Phariſæus idem eſt: Alii autem (inter quos præcipuè eſt Dn. D. Chemn. & Dn. D. Gerhard. in harm. pag. 1276. 1277.) accuratiùs rem penſitantes, aliquod inter ipſos diſcrimen ſtatuunt, quod alibi monſtravimus. Amplificatur autem 1. fine oppoſitionis, qui fuit πειραστικὸς. Colloquium vel diſputatio, quantum ex parte hoſtium, inſtituitur fine non bonô, ſed malô; omnia ſiquidem fiunt ſtudio non diſcendi, ſed tentandi. Hinc Theophylactus: *Ex immodicâ*, inquit, *invidia accedit tentans: quia enim viderant Sadducæos confuſos, & laudatum Dominum accedunt tentantes, ſi adponat aliquid mandato primo, q. Legem corrigens, & inveniant contra ipſum anſam.*

2. Modò opponendi, qui eſt in ſpeciem ἐπιεικὴς, cum apparente quadam benevolentia conjunctus. Huc ſpectat

1. προσφώνησις, *compellatio* honorifica; Magiſter: diſcipulum ſeſe CHRISTI profitetur. Si Marcum inſpiciamus, rem ſeriam hunc νομικὸν egiſſe (licèt apud ſuos diſſimularet) certum eſt.

Mon-

Digitized by Google

Monſtratæ enim veritati non pertinaciter ſeſe opponit, ſed lubens cedit, comprobatâ & collaudatâ CHRISTI reſponſione. Unde encomium ab ipſo ſalvatore reportavit, quòd non procul abſit à regno DEI. Alii ſentiunt, eum, qui ſub initium tentaturus acceſſerat, poſtea auditô reſponsô animum mutâſſe, & in admirationem ac laudem CHRISTI fuiſſe abreptum.

2. *πρότασις, quæſtionis propoſitio.* Interrogant de maximo Legis mandato, cujus nim. obſervatio præ reliquis ſit neceſſaria, ad ſalutem æternam adſpiranti. Etſi enim DEO obedire in omnibus mandatis teneantur; aliud tamen aliô majus eſt mandatum, & res majores à nobis exigit.

2. *Quis reſpondens.* Phariſæi putabant, cum ψιλῷ ἀνθρώπῳ ſibi rem eſſe; at eventus comprobavit cum θεανθρώπῳ, atq; adeò ipſo Filio DEI, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi latent, Col. 2, 3. ſibi eſſe negotium. Reſpondet autem CHRISTUS non modò ſufficienter, ſed & ſuperabundanter; oſtendens illis, de quo quæſitum fuerat, maximum mandatum, vel uti textus habet, primum & ſecundum. Potuiſſet ſuis ipſius verbis reſpondere; ſed quia cum hoſtibus agit, maluit ex Moſe, Deut. 6, 5. & Levit. 19, 17. reſponſionem repetere: is enim apud Judæos etiam erat omni exceptione major. Nullô itaq; prætextu reſponſionem datam, vel elevare, vel repudiare poterant, multò minùs calumniari, ut qui novam adferret doctrinam, & auditores ſuos à Lege DEI abduceret.

Maximum ergò inter omnia mandata dicit eſſe præceptum de diligendo DEO, non ore, ſed corde quidem non dimidiatô, ſed totô; non ſuperficialiter, ſed ex tota anima; non hypocriticè, ſed ex tota mente, ita ut omnes vires ſuas in dilectione DEI homo expediat, omneſq; nervos intendat, ut tota anima, totum cor, tota mens amore DEI ſincerô ſit occupata, nihil cogitans, nihil deſiderans, nihil probans, quod DEUS nolit; nihil quantumvis grave ac moleſtum recuſans, quod DEUS velit.

Dilectio DEI mandatum maximũ vel primum & cur?

Quæritur hoc locô, cur maximum hoc, vel primum dicatur de dilectione DEI mandatum? Et reſpondetur, fieri hoc, propter

1. *objecti ſublimitatem*; quia DEO nihil majus, nihil ſublimius, nihil prius, nihil antiquius:

2. de-

2. *debiti vel obligationis neceſſitatem*; quia præ ceteris omnibus ab homine DEUS dilectionem requirit, & homo debet:
3. *difficultatem*; quia difficilius eſt DEUM, quàm hominem diligere: 1. Joh. 4, 20.
4. *materia dignitatem*; dilectio enim DEI omnibus virtutibus longè eſt præſtantior: Rom. 13, 8. 1. Cor. 13, 13.
5. *ordinis naturalis habilitatem*; quia dilectio DEI præcedit dilectionem proximi:
6. *capacitatem*, quia mandatum de dilectione DEI omnia mandata reliqua ambitu ſuô continet, & requirit inſuper totum hominem:
7. *finis nobilitatem*; quia omnia mandata huc, tamquam ad finem ultimum reſpiciunt: 1. Tim. 1, 5.
8. *perpetuitatem*, nunquam enim eſt deſitura dilectio DEI. Huc ſpectat illud Theophylacti: *Dominus invu'gans illius* (Scribæ) *malitiam, quòd non ad diſcendum veniſſet, ſed vacuus caritate invideat & æmularetur, oſtendit caritatem inter mandata præcellere.*

Secundum mandatum, vel maximo proximum eſt mandatum, de diligendo proximo. Secundum hoc dicit, non ordine legiſlatoris, vel Scripturæ, ſed

Dilectio proximi mandatum ſecundū & quomodo.

1. *ordine dignitatis*; ut enim DEUS prior & præſtantior eſt proximo, ita mandatum illud hoc prius eſt & præſtantius.
2. *Ordine naturæ*; quia DEUM primò diligimus, poſtea etiam proximum propter DEUM.
3. *Quantitate*; quia DEUM plus diligere debemus quàm proximum:

In textu additur (1) norma vel modus diligendi proximum, ſicut teipſum, h.e. ita ut omnia ea humanitatis officia proximo exhibeas, quæ ab aliis exhiberi tibi poſtulas; & ab omnibus illis abſtineas, quæ à proximo fieri tibi nolles. (2) Præcepti ſecundi encomium, quòd ſit ſimile primo, ideòque non minus obſervandum, quàm primum. Simile dicitur, non æquale, quia ut diximus, ratione dignitatis primô eſt inferius, unde dilectio proximi cedit dilectioni DEI.

Dilectio proximi cur ſimile dicatur præceptū primo, de dilectione DEI.

Quæritur, cur ſimile primo ſtatuatur? Et reſpondetur fieri,

1. *ob cauſæ efficientis & materiæ identitatem*; quia utriusq; præcepti auctor DEUS; utrumq; dilectionem requirit.

2. *Ob amoris qualitatem ſive ſinceritatem*; utrobiq; enim adfectus requiritur verus, ſincerus & perfectus.

3. *Ob univerſalitatem*; omnia enim ſub ſe continet mandata, quæ de officiis proximo debitis agunt. Rom. 13, 8. Loquimur de univerſalitate *1. obligationis*; obligantur omnes homines; *2. maledictionis*; damnantur omnes inobedientes.

4. *Ob amplitudinem vel capacitatem ſuam*; ſicut enim primum comprehendit omnia, quæ DEO debentur: Ita hoc ſecundum complectitur ambitu ſuô omnia officia, quæ proximo debemus.

5. *Ob durabilitatem*; quia utraq; dilectio manebit etiam in vita æterna. 1.Cor.13,13.

6. *Ob neceſſitatem*; non minùs enim neceſſaria ſunt officia ſecundæ tabulæ, quàm opera primæ.

7. *Ob difficultatem*, quia æquè difficile eſt proximum diligere ac DEUM.

8. *Ob cohæſionis firmitatem*; qui enim diligit DEUM, diligit etiam proximum. 1.Joh.4,20. Hinc Theophylactus: *Secundum excitat nos ad faciendum, quæ ſunt juſta homini. Duo enim nos ad interitum ducunt, mala doctrina, & corrupta vita. Ut igitur non incidamus in impia dogmata, diligendus eſt DEUS; ne autem ſit vita perverſa, diligendus eſt proximus. Qui autem diligit proximum, omnia mandata implet, & qui implet mandata, diligit DEUM.* Et in Marc. cap. 12. *Quomodo autem ſimile? Eò quòd ſimul inter ſe connexa ſunt. Qui enim diligit DEUM, diligit & facturam ejus. Homo autem maximè propria factura DEI: & ita qui diligit DEUM, diligit etiam omnes homines: & dum proximum diligit, multò magis DEUM diligit. Nam ſi homines diligit, qui multas ſæpè ſcandalorum occaſiones & odia ferent, quantò magis DEUM, qui ſemper benefacit.*

Dilectio DEI qualis eſſe debeat. IV. *Utriuſq; mandati exaggeratio*, ab adjuncto; quòd ab his duobus mandatis univerſa Lex & Prophetæ dependeant.

Uſus I. Informatorius.

1. De dilectione DEI: diligendus eſt DEUS
   1. *ardenter*, h.e. ex toto corde; Matth.6,21. Jer.17,7.10.
   2. *Conſtanter*, ex tota anima; Sir.2,2. Jac.1,6.
   3. *ſapienter*, ex tota mente; Joh.3,16. Eph.1,6. 1.Joh.4,10.
   4. *fortiter*, ex tota virtute. Vel ut alii loquuntur, diligendus eſt

eſt DEUS 1. *ſuper omnia*, nihil ei in amore præferendo vel exequando:

2. *per omnia*, ipſum propter ſeipſum, & omnia propter ipſum amando.

3. *omni tempore*: eſt enim amor DEI ignis ille, quem DEUS in altari ſemper ardere volebat. Omni tempore, intellige, in proſperis & adverſis rebus.

2. De dilectione proximi. Debet autem dilectio proximi eſſe — Dilectio proximi qualis.

1. *vera & ſeria*; Rom. 12, 9. DEUS enim omnem hypocriſin extremè deteſtatur:

2. *gratuita*, ſine aliquo τῆς ἰδιωφελείας reſpectu: Luc, 6, 32.

3. *compaſſionis ſocia*: Rom. 12, 15.

4. *actuoſa*; 1. Joh. 3, 18.

5. *conſtans, invicta & perpetua.* Diligendus eſt igitur proximus,

1. *corde*, pro ipſo etiam vota faciendo; 1. Tim. 2, 1. Jac. 5, 16.

2. *ore*, Rom. 12, 16. benè ipſi precando; Rom. 13, 14.

3. *opere*, benè faciendo. Pſal. 41, 1. & ſeqq. Rom. 12. v. 13. Gal. 6, 9. 10. 1. Joh. 3, 17.

II. Conſolatorius.

1. Quòd DEUS ſit DEUS viventium. Confer Monr. theſ. p. 286.

2. Quòd in vita æterna nullus erit de conjugio iterando ſermo, nullæ de ſecundis nuptiis contentiones, nec carnalis cohabitatio. Ibid.

III. Monitorius.

1. Lex moralis per CHRISTUM non eſt abolita, nec diſſoluta. Matth. 5, 17. 18.

2. Lex Phariſaicè non eſt extenuanda, quaſi propriis eam viribus implere queamus.

3. Lex non eſt, ut inutilis abjicienda. Vide Monr. theſ. p. 284.

4. Ut inflammatô ſtudiô DEUM ſupra omnia diligamus; — Diligendus DEUS ſuper omnia.

1. *verbo ejus adhærendo; ſic pauci Chriſtiani:*

2. *miniſterium audiendo, amando, promovendo;*

3. *voluntatem DEI faciendo;*

4. *timorem ſervilem excutiendo;*

5. *proximum diligendo;*

6. *crucem patienter ferendo;*

7. *voluptates carnis ſternendo.*

Digitized by Google

IV. Refutatorius.

Papiſmus de lege ſervatu poſſibili & facili.

Pontificiorum, legem ſervatu poſſibilem, immô facilem eſſe, ſed ἄτερ γραφῶν, ſtatuentium; habuit pro hoc falſo dogmate adſtruendo integram concionem Jeſucida Schererus, quam vide pag. 619. & ſeqq. Falſus enim eſt Canon Concilii Tridentini: Si quis dixerit, homini renovato & in gratia DEI conſtituto, legem DEI ſervare eſſe impoſſibile, anathema ſit. Contrà *Hieronymus, maledictum pronunciat eum, qui dixerit, Legem eſſe homini poſſibilem.* Dantur autem varii in Scriptura modi impoſſibiles, vel τοῦ non poſſe fieri, quos videat, qui volet apud D. Finck. centur. 2. can. 70. Primus eſt (huc ſpectans) per privationem *ἱκανότητος* ſive identitatis ad agendum aliquid, Matth. 26, 40. 1. Cor. 3, 2. Act. 15, 11. 2. Cor. 3, 5. Nos adſerimus, Legem in nativa illa ſua *ἀκριβείᾳ* in hac vita à nemine hominum poſſe impleri, idq; probamus

1. *ex hac ipſa* CHRISTI *adſeveratione*; cui adſtipulantur infinita alia Scripturarum teſtimonia: Proverb. 20. verſ. 9. Job. 14, 4. &c.
2. *ex horrenda naturæ noſtræ corruptione:* Eph. 2, 1. 1. Cor. 2, 14. Rom. 8, 7. Gen. 6, 5. & 8, 21.
3. *ex renovationis imperfectione;*
4. *ex peccati inhabitatione;*
5. *ex imaginis divinæ privatione;* (11.
6. *ex parallela dictorum aliorum allegatione:* Rom. 8, 3. Act. 15, 10.
7. *ex exemplorum productione:* Rom. 4, 2. & ſeqq. & 7, 18. Eſa. 64, 6. Dan. 9, 7. Pſal. 143, 2.
8. *ex Filii DEI miſſione.* Matth. 3, 15. Gal. 2, 21.

PARS II.

Lex non poteſt ab homine impleri.

Poſterius caput quod ſpectat, agitur jam de Evangelio, hoc eſt, de CHRISTO mundi Redemtore, Legisq; divinæ conſummatore, quem Judæi ſuâ linguâ Meſſiam dicebant. Duo in ejusdem *διεξόδῳ* membra veniunt in conſiderationem, quorum

1. *Ipſum actum ſeu conflictum* CHRISTI cum Phariſæis;
2. *Effectum ſive exitum* conflictûs complectitur.

I. *In conflictu ἀξιοσημείωτον* eſt.

1. *à* CHRISTO *mota quæſtio*, quam vice verſâ Phariſæis ipſe pro-

Digitized by Google

proponit. Tentaverunt Dominum Phariſæi; jure itaq; ſuô viciſſim opponentis partes ſibi ſumit, & de Meſſia profert quæſtionem non inſidioſam, non otioſam; ſed fructuoſam & ſcitu adprimè neceſſariam. Quæſtio in formalibus ſuis habet ita: *Quid vobis videtur de* CHRISTO? q. d. quid de promiſſo Meſſia ſentitis? *Cujus filius eſt?* Proponit autem hanc potiſſimùm ipſis quæſtionem; ut parùm prodeſſe legem, ex qua peccati ſaltem & miſeriæ noſtræ agnitio, ſine Meſſiæ notitia doceat; & ex Pſal. 110. demonſtret, non nudum ſeſe hominem, Davidis filium, ſed Davidis quoq; Dominum, h. e. verum ab æterno DEUM ſe eſſe probet, cui ſeſſio ad dextram Patris, h. e. ἰσοτιμία καὶ ἰσοδοξία, par gloria & poteſtas competat.

2. *Quæſtionis ſolutio* partialis. Dicunt illi, Davidis eſſe filium Meſſiam. Huic enim promiſerat Dominus, fore, ut in temporis plenitudine ex ſtirpe ipſius Meſſias eſſet naſciturus. Rectè hoc quidem, ſed non ſufficienter reſpondent; quippe qui in CHRISTO nihil homine majus exſpectabant. Cauſa erroris erat Meſſias Davidis filius.

1. craſſa Scripturarum ignorantia; &
2. animi maligni pervicacia

3. CHRISTI *replicatio*, ex Pſal. 110, 1. deſumta, quâ per φαινομένην ἀντίφασιν ipſos reſponſionis inſufficientis arguit & convincit. Senſus ἐνστάσεως vel inſtantiæ eſt;

Si Meſſias eſt filius Davidis, non eſt ejus Dominus:
Atqui verum prius, ex veſtra reſponſione:
Ergò etiam poſterius. Si hoc? qui factum, quòd David in Spiritu Meſſiam ſuum, non filium, ſed Dominum vocet? q. d. Abſurdum & inauditum eſt, Regem-Patrem filium ſuum vocare Dominum. Filius quidem Regis parentem forſan ſuum rectè Dominum vocaret, ſed nō contrà. Vult nimirùm Salvator hæc duo à Phariſæis conciliari, quomodo Meſſias ſit Davidis filius & Dominus, ad dextram Patris collocatus? Utrumq; quidem verum eſt, ſed καθ᾽ ἄλλο. Verùm quia illi præconceptum errabant errorem, de Meſſia nudo homine, mirum itaq; non eſt, adparentis contradictionis nodū ipſos ſolvere non poſſe.

II. Hinc itaq; ſequitur alterum membrum συῤῥάξεως, conflictûs vel concertationis hujus *effectus*, turpe cum exiſtimationis Phariſaicæ jactura conjunctum ſilentium. Quia enim CHRISTO reſpondere ad inſtantiam nequeunt, hærent ut mus in pice, in omni ſua ſapientia confuſi, adeò ut ex illo die non ampliùs auſint cum ipſo congredi Phariſæi, animum interim à diſputationibus ad crudelitatem convertentes.

Uſus I. Informatorius.

Perſona Chriſti.

1. De Perſona CHRISTI: (1) quòd non ſit nudus homo, ſed verus etiam DEUS. Deitas ejus probatur irrefutabiliter, ex Majeſtatica ad dextram Patris ſeſſione. Contigit quidem ea ſeſſio CHRISTO, quâ homo eſt: obtingere tamen ei nunquam potuiſſet, niſi Perſona, cujus caro vel humanitas propria eſt, verè & naturâ eſſet DEUS. Firmiſſimè enim tenenda eſt regula: *Majeſtas divina communicata naturæ adſumtæ, ſemper præſupponit Perſonæ Divinitatem.* Hinc Theophyl. hoc locô: *Quoniam*, inquit, *purum hominem CHRISTUM eſſe putabant, ſubvertit eorum opinionem, & docet veritatem per David Prophetam, divinitatem ſuam prædicans.*

Seſſio probat Deitatem Chriſti.

(2) Quòd CHRISTUS verè ſit Dominus, quemadmodum Davidis; ita in genere omnium abſolutè hominum, non ſecundum divinam duntaxat, ſed & ſecundum humanam naturam: ibi eſt genitus; hic factus Dominus. Dicitur autem Davidis Dominus, ratione

Chriſtus Davidis Dominus.

1. *Divinitatis*, quatenus eſt verus cum Patre & Spiritu S. DEUS:
2. *Officii*, quatenus eſt Redemtor Davidis, & totius humani generis. Inde enim Dominus dicitur, quia nos, per peccatum in poteſtatem ſatanæ redactos, potenti manu liberavit, ſibiq; jure redemtionis nos adſeruit.
3. *Exaltationis*, quatenus ſecundum humanam naturam eſt collocatus ad dextram Patris. Phil. 2, 6. & ſeqq. Act. 2, 36. Pſal. 8, 7. Joh. 17, 2.
4. *Subjugationis hoſtium*, quatenus in exaltatione ſua omnes hoſtes ſuos pedibus ſubjectos habet.
5. *Judicationis*. Act. 10, 42. & 17, 31.

2. Quòd JESUS CHRISTUS, Davidis juxta carnem Filius, receptus ſit in conſortium S.S. Trinitatis.

II. Conſolatorius.

1. *Ex CHRISTI ad dextram Patris ſeſſione.* Doctrina hæc paſſim eſt obvia. Vide præter alios Dn. D. Hunn. Comm. in Matth. pag. m. 743. & D. Schroderi Thronum regalem.

2. *Ex carnis noſtræ exaltatione:*

3. *Ex precum noſtrarum firmatione.* Eſt enim CHRISTUS ad dextram Patris ſedens

1. precum noſtrarum στερέωμα;
2. ſpei noſtræ baſis ac fundamentum: Habemus ipſum Regem

1. poten-

1. *potentiſſimum;*
2. *clementiſſimum;*
3. *ditiſſimum;*
4. *humaniſſimum:* Beati omnes, qui confidunt in eo. Pſ. 2, 12.

4. *Ex hoſtium noſtrorum devictione & confuſione.* Pſ. 2, 4. Job. 5, 12. Eſa. 8, 9. 10. Vide Monr. theſ. p. 287.

III. Monitorius.

Ut cognitô ex lege peccatô ad CHRISTUM confugiamus. Vide Monr. theſ. pag. 284. 285.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Dum in his terris verſaretur Salvator noſter JESUS CHRISTUS, ἀκατάπαυστον cum ſatana & organis ejus gerebat bellum. Patet rei veritas ex præſenti Evangelio, ubi cum duplici adverſariorum agmine ipſi eſt dimicandum. Non fuit hæc de lana caprina contentio, ſed de rebus maximi momenti ac ponderis, quæ ſalutem hominis ſempiternam concernunt. Nos unicam ex textu hoc Evangelico eliciemus & conſiderabimus doctrinam, audituri *veram atq; infallibilem ſalutis viam, quam inſiſtentes rectô & inoffensô pede ad portum vitæ æternæ exoptatum pertingere queamus.* Via ſalutis vera.

Ἐξήγησις.

Quicunq; ergô vult ſalvus eſſe, rectamq; ſalutis viam tenere, illi duo potiſſimùm ſunt attendenda:

1. *carnis rationisq; humanæ refrenatio;* &
2. *recta Scripturas ſacras interpretandi ratio.*

I.

Quoad primum, nullus in rebus ſalutis carni & rationi humanæ locus eſt reliquus. Matth. 16, 17. Rom. 8, 7. 1. Cor. 2, 14. & 15, 50. Exemplo nobis eſſe poſſunt in hoc Evangelio Sadducæi, quibus eam ob cauſam os obturâſſe CHRISTUS legitur, quòd in erroris ſui patrocinium, argumenta ex rationis humanæ pharetra depromerent. Ut rudiores intelligant, quomodo & qua in controverſia os Sadducæis obturatum fuerit, ſciant duplicem CHRISTO Matth. 22. cum ipſis fuiſſe controverſiam. Ratio in negotio ſalutis. Sadducæorum errores.

1. *De mortuorum reſurrectione*, quam ipſi ſimpliciter negabant; CHRISTUS ex adverſo dupliciter probat,

1. *ex ſacra Scripturæ ſententia*; Exod. 3, 6.

2. *Ex DEI omnipotentia*: erratis, inquiens, neſcientes Scripturas & virtutem DEI. Luc. 1, 37. Gregorius: *difficilius eſt creare, quæ non fuerunt, quàm reparare, quæ priùs fuerunt.*

2. *De vita æternæ conditione.* Putabant Sadducæi, in vita æterna, ſi qua futura & ſperanda, opus fore conjugiô, quæ Mahometiſtarum hodieq; eſt impietas. CHRISTUS contra oſtendit, in vita æterna deſiturum matrimonium; futuros enim electos DEI *ἰσαγγέλους*, non quoad corporum in Spiritûs, vel ſpirituales eſſentias mutationem, ſed

Conjugium in vita æterna nullum. *ἰσάγγελοι* electi & quomodo.

1. *quoad corporum glorificationem*; Phil. 3, 21. 1. Cor. 15, 44. 53.
2. *quoad perfectam & ſolidam DEI cognitionem*: 1. Joh. 3, 2.
3. *quoad noſtram cum ſanctis Angelis conſociationem.* Hebr. 12, 22.

Atq; ita rationis humanæ deliria confundendo, os illis obturaverat CHRISTUS, ut ne hiſcere quidem contra veritatem auderent ampliùs. Non ergò rationis dictamen, ſed Spiritûs ſancti, in Scripturis loquentis, moderamen prævaleat neceſſum eſt. Pſal. 119, 105. Eſa. 8, 20. Luc. 16, 29. & 24, 26. Joh. 5, 39. 2. Tim. 3, 16. 2. Pet. 1, 19.

II.

Scriptura in legem & Evangelium diviſa.

Quoad ſecundum tota Scriptura dividitur q. in duas partes, legem & Evangelium. Duo hæc religionis ac fidei Chriſtianæ capita ratione *θεωρίας* accuratiſſimè & exactiſſimè abs ſe invicem ſunt diſtinguenda; ſed in *πράξει* debent eſſe conjunctiſſima. Utriusq; & legis & Evangelii ſumma hoc locô, *ὡς ἐν ἐπιτομῇ* nobis proponitur.

Legis ſumma.

Summa legis continetur in iis verbis: Diliges Dominum DEUM tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Circa hanc doctrinæ Chriſtianæ partem notetur

Legis perfectio & integritas.

1. *ſumma legis integritas, & extrema hominum imbecillitas.* Lex enim

1. non externam tantùm, ſed & internam requirit obedientiam. Matth. 5, 21. 27. 33.
2. Talem autem obedientiam nemo hominum in hac vita præſtare poteſt. Pſal. 14, 2. Gen. 6, 5. & 8, 21. Job. 14, 4. & 15, 17. Rom. 7, 14. Pſal. 51, 7. & 130, 3. & 143, 3.
3. In hac itaq; legis doctrina ſalus & vita æterna nec quæri debet, nec inveniri poteſt. Gal. 2, 16. & 3, 11. Eſa. 64, 6. Luc. 17, 10.

2. *Maxima legis utilitas.* Etſi enim per legem vitam æternam conſequi ſit impoſſibile: non tamen ſuô deſtituitur fructu multiplici. Data eſt enim illa à DEO,

Legis uſ9.

1. ut

1. ut ex lege peccata agnoſcamus; Rom. 3, 20. & 7, 7.
2. ut ſit noſter Pædagogus ad CHRISTUM; Gal. 3, 24.
3. ut renatis monſtret, quæ opera & qui cultûs DEO placeant. Cultus autem DEI verus conſiſtit in dilectione DEI & proximi. Vide præced. diſpoſ. plura.

Evangelium, ſummatim dicendo, eſt doctrina de CHRISTO, de quo Phariſæi interrogati frigidè, inſufficienter & imperitè reſpondent. In CHRISTO verò ſolo vita æterna nobis eſt quærenda, repoſita quoq; unicè. Joh. 14, 6. Rom. 10, 4. Act. 4, 12. Joh. 17, 3. 1. Cor. 3, 11. 1. Joh. 5, 20. Qui ergò vult ſalvus eſſe, ante omnia teneat neceſſe eſt. *Evangelii ſumma.* *Chriſti agnitio eſt vita æterna.*

1. *Perſonæ CHRISTI majeſtatem & unitatem*, quam Phariſæi non intelligebant. Nos rectiùs edocti ſcimus, CHRISTUM eſſe

1. verum DEUM, unde dicitur Dominus: Mich. 5, 1. Pſal. 2, 7. Jer. 23, 6. Rom. 9, 5.

2. verum etiam hominem; hinc filius audit Davidis. Pſal. 110, 1. Hebr. 2, 14. 16. & 4, 15. Neq; tamen ſunt duo Domini, ſed unus eſt Dominus, ſecundum divinam & humanam naturam. Carni enim dictum eſt, ſede à dextris meis. Matth. 11, 26. & 28, 18.

2. *Officii dignitatem*, de quo ſonant verba; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Hebr. 2, 14. 1. Joh. 3, 8. Oſe. 13. 14. Orandus eſt DEUS, ut noſtros quoq; hoſtes, corporales & ſpirituales maximè, ſub pedibus noſtris conterat, per meritum, paſſionem & mortem Domini noſtri JESU CHRISTI, cui cum Eccleſia vota nuncupamus dicentes: *Dirigat corda noſtra quæſumus Domine tuæ miſerationis operatio; quia tibi ſine te placere non poſſumus, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 9. à verſ. 1. ad 9.

1. Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.	1. *Et ingreſſus navem, trajecit: & venit in ſuam civitatem.*
2. Καὶ ἰδοὺ προσέφερον αὐτῷ πα-	2. *Et ecce adduxerunt illi pa-* Marc. 2, 3.

Qqq ραλυ-

Luc. 5, 18. παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον· καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ· θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

3. Καὶ ἰδού τινες τῶν γραμματέων εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, οὗτος βλασφημεῖ.

4. Καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν· ἱνατί ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;

5. Τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι· ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι καὶ περιπάτει;

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας· (τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ) ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

7. Καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

8. Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν, τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις.

ralyticum in lecto decumbentem: cumq́ue vidiſſet JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Bonô animô eſto fili, remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam è Scribis dicebant intra ſeſe, hic blaſphemat.

4 Et cùm vidiſſet JESUS cogitationes illorum, dixit: quare vos cogitatis mala in cordibus veſtris?

5. Utrum enim eſt facilius, dicere, remittuntur tibi peccata: an dicere, ſurge & ambula?

6. Ut autem ſciatis, quod poteſtatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata: (tunc dicit paralytico:) Surge, tolle tuum lectum, & abi domum tuam.

7. Et ille ſurrexit, abiitq́ue domum ſuam.

8. Turbæ verò quæ viderant admiratæ ſunt, & glorificaverunt DEUM, qui dediſſet poteſtatem talem hominibus.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

REfertur hoc Evangelium partim ad Genus Demonſtrativum, partim ad genus Judiciale. Ad demonſtrativum quidem, quatenus miraculum in ſanatione hominis paralytici perpetratum deſcribit; ad judiciale verò, quatenus continet defenſionem Salvatoris maſculam & intrepidam, accuſationi & calumniæ hoſtium Phariſæorum virulentiſſimæ oppoſitam. Nos in tres Evangelium partes diſtribuemus, quarum

I. *τὰ περιστατικὰ circumſtantias comprehendens, ad miraculum acceſſum parat;*

II. *τὰ πραχθέντα, ipſum CHRISTI factum ſive miraculum conſiderat;*

III. τὰ

III. *τὰ ἐκβάντα habens, de miraculo judicium revelat.* Ita conſiderabimus in prima parte *ægrotum*; in ſecunda *Medicum*, & in tertia *populum*.

PARS I.

Acceſſum ad ſubſequens miraculum quod attinet, obſervetur

1. *Temporis ſignificatio;* factum eſt eô tempore, quô CHRISTUS â Gergeſenis exire juſſus, alium docendi & miracula edendi locum quæſivit, ideoq; navim ingreſſus trajecit iterum lacum Galilææ Genezareth.

2. *Loci notatio;* venit in civitatem ſuam, unde nimirùm priùs ſolverat. In Græco dicitur *ἰδία πόλις*, propria CHRISTI civitas. Quæ verò illa? Hieronymus, Benedictus Arias Montanus, & hos ſecuti nonnulli alii, Nazaretham intelligi volunt, eò quòd ibi ſit educatus. Verùm quia Nazaretha non ad mare ſita erat, ſed in mediterraneis, rectiùs cum Chryſoſtomo facimus, ſtatuentes, *ἰδίαν* CHRISTI *πόλιν* dici Capernaum, *tùm* quia mox poſt miniſterii ſui exordium habitationem ſuam eò transtulit; Joh. 2, 12. & Luc. 4, 31. *tùm* quia multùm ibi verſatus; *tùm* quia domum ibi habuit conductitiam; Matth. 17, 24. *tùm* quia jus quoq; civitatis ibi habuiſſe creditur; *tùm* deniq; quia plures ibi habuit conciones, & maximè ſtupenda edidit miracula, quæ etiã cauſa fuit, ut in cœlum uſq; exaltata diceretur. Matth. 11, 23. Capernaum Chriſti civitas.

3. *Paralytici adportatio.* Παράλυτις dicitur ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, à reſolvendo, unde etiam Lucæ vocatur *παραλελυμένος*, reſolutus, quia ex remiſſione ac reſolutione nervi ac muſculi officium ſuum, in ciendis corporis motibus ac ſenſibus, non faciunt. Medicis dicitur *ἡμιπληγία*. Quemadmodum enim *ἀποπληξία* eſt, quando in toto corpore, reſolutione nervorum ac muſculorum, ſenſûs & motûs impediuntur: Ita *ἡμιπληγία* eſt, quando idem contingit, vel in aliqua corporis humani parte, vel in uno latere: quanquam Celſus dicat, utrumq; morbum vocari quandoq; *παράλυσιν*. Eſtq; morbus iſte utplurimùm incurabilis, vel certè lentiſſima ejus curatio, reſtitutio nunquam plena. παράλυσις quid. Apoplexia

Tali morbô incurabili adfectum h. l. habemus, cujus membra gravi *παραλύσεως* malô ſic luxata, ſic diſſoluta erant, ut officium ſuum, propter reſolutionem nervorum, facere non poſſent; ideoq; opus habebat adportari ad CHRISTUM ab aliis bajulis, quibus, cùm propter multitudinem hominum, CHRISTO imminentium, non pate-

Digitized by Google

ret ad Medicum aditus, ut per januam lectulum cum paralytico incumbente inferre poſſent, ſcalis admotis ſuper tectum domûs paralyticum ſuum cum lectulo ſublevârunt, ac inde tectô perfoſsô vel denudatô, funibus in lecto decumbentem ad pedes CHRISTI demiſerunt, uti legitur Marc. 2, 4. & Luc. 5, 19. Quæ res magnô labore, difficultate & moleſtiâ haut caruit. Tantum erat & tàm fervens in bajulis iſtis caritatis ſtudium. Notandum autem eſt & illud, quòd cùm in hominum oculis deſperatum eſſet, itum ſit ad JESUM, qui tot hactenus documentis demonſtratum dederat, ſibi nullum morbum eſſe incurabilem. Spes itaq; de CHRISTI bonitate, cum pari potentia conjuncta, concepta animavit eos, ut vel invito obtulerent ægrum ſuum, non attendentes in officio alio CHRISTUM jam eſſe occupatum. Sedebat enim, Marcô teſte, in domo, & habebat circa ſe circumfuſam auditorum turbam. Poſtquam enim cognitum fuit, quòd in oppidum rediiſſet, & eſſent in domo congregati protinus multi, adeò ut jam nō caperent illos nec ea loca, quæ erant circa januam. Atq; inter hos auditores fuerunt etiam, referente Lucâ, ſedentes Phariſæi ac Legis Doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Hieruſalem. Quia enim JESUS primô annô miniſterii ſui Hieroſolymis, & in tota Judæa, & jam ſecundô annô per totius Galilææ Synagogas doctrinam, à receptis Phariſæorum traditionibus diſſentientem, magnô populi adplauſu tradiderat: Phariſæi & Legisperiti undiq;, non ex civitatibus tantùm, ſed ex omnibus etiam vicis Galilææ, Judææ & Hieruſalem, frequentes convenerant Capernaum, ubi ipſum habitationem habere ſciebant, ut captatô prætextu aliquô ſpecioſô, ipſum opprimere, doctrinam ejus exſtinguere, & ſtudia populi ab ipſo avertere poſſent: cumq; reliqua multitudo ſtaret, Phariſæis reverentiæ gratiâ locum præbuerunt, ut ſederent. Porrò Dominus JESUS propter ipſorum præſentiam, obſervationes & captiones non ſubduxit ſe à docendo, ſed locutus eſt eis ſermonem, i. e. propoſuit doctrinam de regno DEI, & ad doctrinæ inſuper confirmationem addidit miracula, de quibus Lucas dicit: *Virtus Domini erat ad ſanandum eos*, i. e. exſerebat divinam ſuam potentiam ad ſanandum, quotquot aderant opis egentes.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Civitatum ornatus optimus.

I. De vero civitatum ac provinciarum ornatu, qui conſiſtit in eo unicè, ſi CHRISTUM cum verbi & Sacramentorum miniſterio admit-

admittat. Quæcunq; ergò civitas habet verbum DEI ſincerum & incorruptum, illa eſt ἰδία CHRISTI πόλις. Pſal.46,6.& 48,2.9. Matth. 5,35.Eſa.31,9. Vide Thold.p.955.

II. Dent itaq; operam ſingulæ civitates, oppida, vici & pagi, ut præſentiam CHRISTI gratam habeant, nec per ingratitudinem & contemtum verbi & miniſterii eâdam iterum indignos ſeſe efficiant. Joh.1,11. Matth.11,23. Civitates Chriſti.

Namq; ubi CHRISTUS adeſt, nobis vel aranea muro eſt:
Aſt ubi CHRISTUS abeſt, & murus aranea fiet.

III. Ordinaria media à DEO deſtinata, ſi adſint, non ſunt temerè negligenda. Vide D.Theodor.pag.733. Media non negligenda

IV. A Gergeſenis CHRISTUS ejicitur, â Capernaitis cum gaudio excipitur: Sic omni loco & tempore invenit, qui eum recipiant, 1.Reg.19,18. Rom.11,4. Eſa.1,8. Matth.28,20. Act.13,46.

V. Capernaum civitatem quoq; evertendarum eſt exemplar. Vide D.Theodor. pag.734. Capernaū exemplar urbiū evertendarum.

VI. De morborum in genere humano graſſantium varietatê. Vide Theold. pag.956.

VII. Ut verò mortis; ita omnium morborum cauſa caputq; eſt peccatum, id quod hic præcipuê oſtendit methodus curandi. Sir. 38,15. Vide Dominic.14. poſt Trinit. Peccatum cauſa morborum & mortis.

IIX. In bajulis caritatis Chriſtianæ ſtudiū, omnibus piis ſedulò imitandum, proponitur. Lev.19,18. Oſe.6,6. Mich.6,8. Joh.13,34.35. & 15,12.17 Rom.12,9.& 13,8. 1.Cor.13,1.& ſeqq. Gal.5,14. 1.Th. 4,9. Heb.13,1. 1.Joh.4,20. 1.Pet.2,14& 4,8. 1.Tim.1,5. 1.Joh.2,10.

IX. Fides in Scriptura ſacra duos habet oculos; alterô reſpicit CHRISTUM, alterô proximum. D.Finck.cent.4. pag.31. Fidei oculi duo.

X. Chriſtianæ dilectionis eſt, proximi calamitates piis precibus ad pedes CHRISTI projicere. Jac.5,16. 1.Tim.2,1. Quæ nunquā irritæ Pſ.50,15.& 34,5.& 145,19. Pro.15,29. Eſ.40,19. Sir.35,21. Matt.7,3. 7.& 18,19. Joh.16,23. Sir.2,11. 2.Cor.1,10. Gen.18,19.20. Dilectionis eſt orare pro aliis

XI. Paralyticus eſt naturæ depravatæ typus, de quo vide D. Theodor.pag.734,736.736. Paralyticus typus miſeriæ.

XII. Ægris quid faciendum, idem demonſtrat. p.737.

XIII. Proximo in caſū neceſſitatis ſuccurrendum, (1) ob ſocietatem; (2) ob fraternitatem; (3) ob remunerationis largitatem. Ib. & Theold. pag.956.957. Proximo ſuccurrendum.

XIV. De ἰδίαις CHRISTI πόλεσιν. Civitates CHRISTI propriæ ſunt, Civitates Chriſti.

1. *verbum diligenter audientes & recipientes;*
2. *CHRISTUM hoſpitio excipientes & diligentes.*
3. *CHRISTO benè cupientes & facientes, aliàs mox recedit;*
4. *Pœnitentes; Capernaum agrum ſonat pœnitentiæ;*
5. *Credentes;*
6. *Mutuò ſe diligentes.*

PARS II.

In facti ipſius expoſitione occurrunt tria:

1. *Cauſa in CHRISTO impulſiva προηγουμένη*, quæ eſt benignus ejus adſpectus, φιλανθρωπίαν CHRISTI nobis commendans.

2. *Cauſa impulſiva προκαταρκτικὴ*, quæ fuiſſe dicitur, fidei conceptus quem ex antegreſſis miraculis tùm paralyticus ipſe, tùm bajuli hauſerant. Inde enim Evangeliſta ait: *videns fidem eorum.* Hæc verba nonnulli itaq; accipiunt, quòd CHRISTUS, licèt ipſi nihil dicerent vel peterent, fidem tamen in cordibus latentem ut DEUS viderit & cognoverit. Alii volunt, CHRISTUM ex facto, h.e. laborioſo illo portantium conatu, & ex paralytici patientia fidem animadvertiſſe. Fides enim conſpicitur, quando per caritatem operatur. Atq; ita ex hoc facto JESUS dicitur vidiſſe illorum fidem, evidenti nim. hoc documento ſeſe coram omnibus manifeſtantem, quæ etiam paralytico ſanitatem impetravit.

Fides videtur.

3. *Effectus*, vel ipſum factum conſiſtens in ſpirituali ægri ſanatione. Quia enim paralyticus non corpore ſolùm, ſed & anima laborabat, corpus παραλύει, animam peccatô adfligente; iccircò fontem prius obturat, & cauſam omnis mali removet, ut ceſſante cauſa ceſſet effectus. Ablatô ergò homine paralyticô, JESUS vidit illorum fidem; & ibi tum primum hoc fuit, quòd dicit ei: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* Apud Lucam homo dicitur, quæ vox eſt miſerationis; q. d. tu miſer. Nomen verò filii, quo cum Matthæo Marcus etiam utitur, eſt verbum favoris & ſimul conſolationis. Digna eſt autem hæc ſententia, cujus vocabula ſingula probè expendantur; ſunt enim valdè emphatica.

Homo vox miſerationis.

1. Non acriter objurgat, ſed amicè eùm compellat; τέκνον, inquit, fili mi: quâ quidem adpellatione ſuaviſſimâ promtum animi ſui adfectum & juvandi προθυμίαν oſtendere voluit.

θαρσεῖν.

2. Deinde ait, θάρσει, confide: θαρσεῖν enim propriè ſignificat, animum ſumere, ſe colligere, præſenti animo eſſe, fiduciam

Digitized by Google

ciam habere in ſpem certam ſeſe erigere, Utramq; itaq;, & luctam & fidei confirmationem innuere voluit.

3. Cauſam addit; quia remittuntur tibi peccata tua. Nam *cui remiſſa ſunt peccata, ille confidere & bonô animô eſſe poteſt: Paralytico remiſſa ſunt peccata: Ergò bonô animo eſſe poteſt, immò debet.* Græcum ἀφέωνται nonnulli exponunt optativè; remittuntur tibi. Sed non convenit cum eo, quòd CHRISTUS dixerat; Confide fili. Alii explicant per futurum, remittentur tibi. Eraſmus dicit, imperativè hæc dici, volo vel jubeo, ut remittantur tibi.

Verùm rectiùs faciamus attendentes ad Græcæ linguæ *ἰδίωμα*, ubi deprehenditur, præteritum Atticum ἀφέωνται dici pro ἀφεῖνται remiſſa ſunt. Quæ ideò obſervanda ſunt, ut ſciamus, CHRISTUM hodieq; per miniſterium non tantùm optare, ſed certò conferre remiſſionem peccatorum, D. Chemn. harm. Evang. cap. 43. Uſus eſt autem hac προθεραπείᾳ Dominus, Remiſſio peccatorũ confertur per miniſterium.

1. ut erigeret fidem paralytici, quam poterat in ipſo languidam reddere, *tùm* conſcientia vitæ anteactæ, quòd per intemperantiam fortè malum iſthoc ſibi accerſiviſſet, & indignus eam ob cauſam haberi poſſet, cui opem Dominus ferret; *tùm* metus offenſæ, ne vitio verteretur ipſi iſta importunitas, quâ ante JESUM per tegulas fuerat demiſſus. Ad hunc igitur metum eximendum, commodùm audivit ex ore CHRISTI hanc vocem: Confide fili &c.
2. Ut tangeret ipſum morborum fontem & pœnarum ſimul omnium, qui eſt peccatum.
3. Ut adduceret præſentes auditores, ad agnoſcendum proprium CHRISTI officium, & primarium ejus beneficium, quod eſt, promereri & conferre remiſſionem peccatorum, atq; ita non corporis tantùm, ſed animæ inprimis Medicum ac Salvatorem agere. Tandem timori, trepidationi, conſternationi & morſibus conſcientiæ opponit τὸ θαρσεῖν; dubitationi vocabulum filii; particularitati pronomina, Tua & tibi remittuntur peccata.

Poriſ-

Digitized by Google

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Fides aliena. I. De fide aliena, quid quantumq; illa proximo conferat, ac impetret: non quidem ſalutem ac juſtitiam; Hab. 2,4. Rom. 1,17. Gal. 3,11. Joh. 3,16. Heb. 10,38. ſed poteſt intercedendo ſanitatem, converſionem, beneficia corporalia; propriamq; fidem impetrare. 1. Joh. 5,16. Jac. 5,14. D. Theodor. p. 739.

Morbis impliciti Chriſtum quærunt. II. Morbis impliciti verum ac cœleſtem medicum CHRISTUM ante omnia quæramus. Sir. 3,8. & 48,9. 2. Par. 16,12.

III. De fide, in omni precatione neceſſaria. Jer. 5,3. Marc. 11. v. 22. 24.

φιλανθρωπία Chriſti. IV. Teſtimonium φιλανθρωπίας CHRISTI erga calamitoſos & peccatores habemus. Eſa. 42,2. & 61,1.2. Matth. 9,13, & 18, 11. 1. Tim. 1,15. Joh. 2,2.

Chriſtus pater. X. CHRISTO competere paternitatem, non ὑποστατικῶς, ſed οὐσιωδῶς ob adfectum erga nos paternum, &c. ex eo liquet, quòd paralyticum filium ſuum nominat. Pſal. 103,13. Eſa. 46,15.

VI. Quæritur hoc locô, cur ſanationi corporis peccatorum remiſſionem CHRISTUS promiſerit? Reſp. ideò factum, ut

Remiſſio peccatorũ morbi curationi cur præmiſſa.

1. verum miraculorum ſuorum uſum oſtenderet, quòd venerit in mundum, ut Medicus animæ, in id à Patre cœleſti miſſus, ut tolleret peccata mundi.
2. Ut de peccato nos omnes admoneret: morbi enim à peccato ortum & originem trahunt.
3. Ut in calamitatibus de remiſſione peccatorum primò omnium cogitandum nobis eſſe innueret.

VII. De remiſſione peccatorum; quam ut CHRISTUS monſtrat eſſe neceſſariam; ita ſciendum eſt, quod impetretur; ſecundum illud Auguſtini: *peccata quotidie dimittuntur, ſi quotidie deplorantur.*

IIX. De hac verò doctrina tenenda ſunt quatuor:

Remiſſio peccatorũ qualis.

1. Qui remittit peccata DEUS eſt: hunc enim peccata offendunt, & ab hoc condonationem oportet proficiſci, teſte Pſal. 51 & 130. Eſa. 43,25. Exod. 34,7. Mich. 7,18,19.
2. Remittit DEUS peccata ex gratia, per & propter CHRISTI meritum, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, eaq; ſangvine ſuô expiavit, factus pro nobis peccatum h. e. victima pro peccato. 1. Pet. 2,24. Eſa. 53,5. 2. Cor. 5,21.

Fide-

Fide igitur in CHRISTUM petenda eſt remiſſio, quod ipſe ſit noſtrum propitiatorium. Rom.3,25.

3. Ad annunciandum autem remiſſionem peccatorum CHRISTUS ordinavit verbum Evangelii & ſacramenta, deditq; hanc poteſtatem miniſterio.

4. Oportet in eo, qui petit remiſſionem peccatorum, eſſe veram & conſtantem reſipiſcentiam.

IX. CHRISTUS deſideria & gemitûs cordis noſtri videt ac novit Pſal.38,10 & 145.19. Rom.8,27.

Gemitus cordis. Chriſto noti.

X. Sola fides eſt ὄργανον δεκτικὸν remiſſionis peccatorum, juſtitiæ & vitæ æternæ. Gen.15,6. Act.13,39. Rom.3.13.& 10,4. Matth.1,20. Marc.9,23. Luc.7,50. Joh.5,24.& 6,40. Act.10,43. & 16,31.

XI. Methodum medendi veram & probatam monſtrat exemplô ſuô CHRISTUS. Jac.5,14. Joh.5,14. Sir.38,9.10. & ſeqq.

Medendi methodus.

XII. Morbi à DEO, uti Beda habet, referente D. Chemnitiô, immittuntur quintuplici de cauſa;

Morbi cur immittũtur.

1. propter peccata hominum; Num.12,10.
2. ad probationem fidelium; Job.2.
3. ad reprimenda peccata; 2.Cor.12,7.
4. ad gloriam DEI; Joh.9,3
5. ad initium æternæ pœnæ ut Herodi.

XIII. CHRISTUS confidere paralyticum jubens, oſtendit fidem rectè à nobis definiri fiduciam firmam, adprehendentem Evangelicas promiſſiones de gratuita peccatorum remiſſione. Act.10,43. Hebr.13,1. D.Theodor.p.741.

Fides eſt fiducia.

XIV. Damnatur itaq; ac rejicitur meritò Stoica Pontificiorũ dubitatio, veræ fidei è diametro oppoſita. Ezech.33,11. Rom.8,15. 1.Joh.5,10. Jac.1,6.7. Vide D.Theod.p.742. D.Finck.cent.1.can.89.

Dubitatio Papiſtica.

XV. Dum CHRISTUS θάρσει, fiduciam vel confidentiam à paralytico requirit, non propterea abſolutionem, quam vocant, privatam, in Eccleſiis noſtris uſitatam, ſublatam voluit; quod Calvinianorum quidam admodum ἀλόγως καὶ ἀσυστάτως colligunt. Subordinata hæc ſunt, non oppoſita. Exoſa eſt Calvinianis Confeſſio & abſolutio privata, propter horrendum illud dogma, quod de abſoluto DEI decreto fovent.

Abſolutio privata nõ tollitur.

XVI. Habet autem illa ſuas quoq; utilitates. Inſervit enim 1. *rudiorum explorationi & examinationi;* 1.Cor.11,28. Matth.7,6.

Abſolutionis privatæ utilitas.

2. *adflictorum conſolationi.* 1. Theſſ. 5, 14. Eſa. 40, 1. Reliquas utilitates, quære in libellis methodicis & catecheticis.

XVII. Neq; tamen inde ſtabilitur Papiſtica conſcientiarum carnificina, quæ omnium ac ſingulorum peccatorum exactam confeſſionem rigidè urget. Pſal. 19, 15.

XIIX. Remiſſio peccatorum à ſolo CHRISTO dependet. D. Theod. p. 742.

PARS III.

Tandem ἐκβάσεως & conſequentia facti hujus quod ſpectat, duplex in textu ſeſe offert auditorum & ſpectatorum judicium: unum *ſiniſtrum*, improborum & impiorum; alterum *rectum* proborum & piorum hominum. Pravum & perverſum judicium vel præjudicium potiùs, eſt Scribarum & Phariſæorum, qui frequenter ex omnibus locis Capernaumi convenerant, ubi Dominum habitationem habere ſciebant. Obſerventur quatuor.

1. *Mala de CHRISTO operibusq́; illius cogitatio.* Neq; enim palàm ipſi contradicere audebant, ſed tacitè apud ſe mala de ipſo cogitabant.

2. *Frivola ejusdem CHRISTI accuſatio & condemnatio.* Auditó enim hoc verbô, remittuntur tibi peccata tua, cœperunt intra ſe cogitare, eſſe hanc vocem blaſphemam, & vergere ad diminutionem honoris divini, cùm nemo poſſit peccata remittere, niſi ſolus DEUS. Quare cùm hic JESUS ſibi uſurpet poteſtatem remittendi peccata, manifeſtum hoc eſſe crimen læſæ majeſtatis divinæ, & arrogantiam non tolerandam. Viſi igitur ſibi ſunt aliquid arripuiſſe, (nam hanc in finem acceſſerant) quo poſſent optimò jure totum CHRISTI miniſterium infamare, & ipſum inſuper, tanquam blaſphemum, in vitæ periculum adducere. Malas itaq; mentis ſuæ cogitationes tandem apud ſe eructant, dicentes: hic blaſphemat. Marc. 2, 7. cum vehementia quadam dicunt: Quid hic ſic loquitur blaſphemias? quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus DEUS? Idem habet Lucas c. 5, 21. Blaſphemiæ arguunt, nec addunt rationem, cur & quomodo blaſphemet. Calumniantur igitur, & ſumma calumniæ eſt, uti ex Evangeliſtarum harmonia colligitur.

Peccata remittere, eſt opus ſolius DEI proprium: Pſal. 32, 2. Eſa. 43, 25. *Hic JESUS non eſt DEUS:*

Blaſphemia quid. *Ergò peccata remittere, quod ſolius DEI proprium, non poteſt, niſi blaſphemus audire velit.* Blaſphemia enim eſt, quando homo ſibi arrogat,

gat, quod DEO competit. In hoc argumento neganda eſt minor quippè manifeſtè falſa. Meminiſſe enim debebant, Meſſiæ in Prophetis etiam mundationem à peccatis adſignari. Dan. 9, 24. Eſa. 43, 25.

3. *CHRISTI depulſio vel defenſio*, quâ ſe cauſamq; ſuam tuetur. Reſpondet autem per inficiationem minoris; probando contrarium, ſe nimirùm eſſe Deum, argumentô apodicticô triplici. Deſumit autem Chriſtus DEUM ſe probat tripliciter.

1. à *καρδιογνωσία*: non proferebant calumniatores animi ſui cogitata in publicum, ſed tacitè ſecum ita muſſitabant: ſed ecce introſpici: CHRISTUS corda eorum, mentisq; cogitata abſcondita, non ex ſignis certis, nec ex aliena relatione, ſed propriô ſuô divinô Spiritu vidit, quid in intimis cordis ſui receſſibus cogitarent, cumq; illud etiam ſolius DEI ſit *ἰδίωμα* proprium, falſas eorum cogitationes diluendo avertit, dicens, quare vos cogitatis mala in cordibus veſtris: Concludit contra adverſarios ſuos ita:

Quicunq; ἐνθυμήσεις & intimas hominum cogitationes videt ac novit, ille eſt verus DEUS:

Ego video ἐνθυμήσεις cogitationes cordis veſtri malas:

Ergò verus ego ſum DEUS, corda & renes ſcrutans. Pſal. 7, 20.

2. Ex curandi *ἐξουσία*; verbis: *utrum facilius eſt dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, ſurge & ambula?* q. d. Vosne interpretamini blaſphemiam, quôd dixi, remittuntur tibi peccata tua? An non putatis me habere hanc poteſtatem? Atqui majorem habeo ego poteſtatem, præſtandi etiam id, quod vobis ipſis teſtibus eſt difficilius, præcipiendi nim. paralytico, ut ſurgat & ambulet, i. e. abigendi unô verbulo lethalem morbum, quô hic homo detinetur, & reſtituendi ſanitatem ac vires corporis integras in momento. Collectio eſt talis:

Quisquis ſolô verbô ſanare morbosq; abigere poteſt, is eſt naturâ DEUS:
Ratio, quia DEI dicere eſt facere: & præterea ita ſanare, non minoris eſt difficultatis, quàm peccata remittere:

Jam verò ego ſolô verbô poſſum ſanare & abigere morbos:

Ergò ſum naturâ DEUS.

Vel ita, à pari:

Quicunq; habet poteſtatem ſanandi verbo, ille etiam habet poteſtatem remittendi peccata: par enim utrobiq; vis requiritur:

Atqui ego poteſtatem habeo verbô ſanandi paralyticum:

Ergo poteſtatem quoq; habeo remittendi peccata.

3. Ab ipſa αὐτοψίᾳ & exſecutione experimentali, quâ docet, ſe non blaſphemare, ſed opus verè ſibi proprium facere remittendo peccata, ideóq; per ἀποστροφὴν ſeſe ad paralyticum convertens tria dicendo mandat: 1. ut ſurgat à morbo;
2. ut tollat lectum, in ſanitatis reſtitutæ viriumquè priſtinarum reductarum τεκμήριον.
3. ut abeat in domum ſuam, in teſtimonium conſtantis ſanitatis.

4. *Effectus conſecutio;* nam uti juſſerat CHRISTUS, ita in momento contigit. Qui enim paulò ante erat ἀκίνητος, is ad verbum vel mandatum CHRISTI, ſtatim, quaſi nullam unquam ſenſiſſet, παράλυσιν, 1. ultrò ſeſe erigit;
2. ſine ullius auxilio ſurgit;
3. in pedes ſeſe projiciens ambulat;
4. lectum ſuum, in quo ægrè habens decubuerat colligit, & cum lectica lætus domum deportat. Hoc unum.

Rectum piorum & bonorum *judicium* reſtat, quod continet.

ἐξίστασθαι. 1. *populi ſtuporem & admirationem.* Significat enim Græcum ἐξίστασθαι quando præ vehementi admiratiône homo attonitus, extra ſe raptus, vel non apud ſeipſum eſſe videtur.

2. *DEI glorificationem;* populus enim hoc viſo & auditô tribuit DEO gloriam, laudem & gratiarum actionem debitam.

3. *Utriusq; & admirationis & glorificationis rationem,* propter conceſſam homini poteſtatem, & ſanandi, & peccata remittendi in terra. Quæ particula (uti annotat Dn.D. Chemnitius) ſi referatur ad præcedentia, ſenſus erit: quòd Filius Hominis, licèt in terra & ſummâ tùm in exinanitione verſaretur, habuerit tamen illam poteſtatem: multò igitur magis nunc in cœlo, ad dextram DEI exaltatus, illam habet. Vel, ſi referatur ad ſequentia, CHRISTUS poteſtatem habeat remittendi peccata in terra.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Calumnia. I. Optima CHRISTI & piorum omnium facta, calumniandi ſtudiô, in deteriorem partem rapi ſolent: Diabolus enim eſt calumniator. Luc. 11, 15. Joh. 10, 31. & 15, 20. Matth. 5, 11. & 10, 25. Eſ. 51, 8. Gal. 1, 10. Vide D.Theodor. pag. 746.

Cogitationes malæ peccata & concupiſcentia. II. Cogitationes malæ à CHRISTO taxantur: Ergò peccata ſunt

ſunt damnabilia, ac proin ſtudioſè vitentur. Eſa.1,16. Mich.2,1. Sap. 1,3. Matth.15,19. D.Theod.p.749.

III. Jam ſi cogitationes malæ ſunt peccata; peccatum itaq; erit & concupiſcentia mala, quæ veluti mater mala tales cogitationes malas progignit.

IV. Interim ab execrationibus & blaſphemiis nobis omnibus cavebimus ſedulò. D.Theod.p.747.

V. CHRISTUS JESUS eſt verus DEUS, idq; ex hoc Evangelio probari poteſt tripliciter: Chriſtus eſt DEUS.

1. *Omniſcientiæ majeſtate*, quæ in eo elucet, quòd
   1. cor bajulorum introſpicit; &
   2. hoſtium cogitationes novit, & in apricum producit. Pſal.7,10. & 94,9. Jer.11,20. Act.1,24. 1.Cor.2,11. Johan.1,47. Apoc.2,23.
2. *Remittendi peccata poteſtate*, non ut miniſter, ſed ut Filius, Mediator & Dominus; non alienâ, ſed propriâ poteſtate: Mich.7,18. 2.Cor.2,10.
3. *Miraculi dignitate*, quòd hominem deſperatè laborantem ſanitati reſtituit, atq; ita propriâ virtute miracula edidit. Pſal.72,18. 2.Reg.5,7. Joh.3,2.

VI. CHRISTUS peccata remittit tripliciter, Peccata Chriſtus remittit tripliciter.

1. meritò, quatenus paſſione & morte ſuâ peccata hominum expiavit: Eph.1,7. Hebr.12,27.
2. auctoritate & poteſtate, quam à Patre ſuo accepit: Joh.5,22. & 17,2. Pſal.130,4.
3. Deitate, quatenus eſt verus DEUS.

VII. Exercet autem CHRISTUS poteſtatem illam remittendi peccata, vel immediatè, ut hoc locô; vel mediatè, per miniſterium Evangelii, cui ille verè adeſt. Matth.18,18. Joh.20,23. 2.Cor.2,10. & 13,3. Rom.15,18.

IIX. Peccata homini remittuntur in terra: hic eſt locus veniæ, ibi retributionis.

IX. Peccatorum remiſſio eſt planè gratuita. Eſa.55,1. Ad orcum itaq; damnantur Pontificiorum nundinationes, quibus, uti Poeta loquitur, cœlum venale DEUSq;. Remiſſio peccatorũ gratis.

X. Meritum CHRISTI retrò etiam ante paſſionem fuit efficax; eô enim tempore, quô paralytico remiſſionem peccatorum denunciavit, nondum paſſus fuerat. Apoc.13,8. Meritum Chriſti valet retrò.

Digitized by Google

Communicatio idiomatū. XI. Filio-Hominis etiam divina idiomata communicata eſſe, ex hoc Evangelio liquet. Vide locos, & D.Theod.pag.751.

XII. CHRISTI omniſcientia ſolatio eſt piis; Jer. 20,13. terrori impiis. Jer.13,10. & 17,10.

Præſentia Chriſti. XIII. Si Filius-hominis habet poteſtatem remittendi peccata in terris: Ergò non abeſt, ſed præſentiſſimus adeſt, quando peccata pœnitentibus remittuntur.

XIV. Gratias agamus DEO, pro remiſſione peccatorum tùm mediata, tùm immediata. Eſa.1,18. & 43,25. & 44,22. Joh.20,23. Matth.16,19.

Miraculorum uſus. XV. De vero miraculorum uſu, qui debet eſſe agnitio CHRISTI, confirmatio fidei, & glorificatio DEI per CHRISTUM.

XVI. In exemplo paralytici oſtenditur, quid fieri conveniat ab iis, qui per DEI gratiam ex morbis quibuscunq; convaluerunt: agant nimirùm DEO gratias, operas vocationis deinceps fideliter urgeant, atq; à peccato diligentiùs poſthac ſibi caveant. Joh.5,14.

XVII. DEUS plus vult dare, quàm nos accipere. D.Theod.p.752. & Thold.p.959.

XIIX. DEO pro omnibus beneficiis agendæ ſunt gratiæ. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO *διμερής*.

Commemorat Evangeliſta miraculum CHRISTI planè divinum, de ſanato homine paralytico, condonatis illi priùs peccatis, quô nomine blaſphemiæ à Phariſæis, Legisperitis & Scribis, ſed falsò inſimulatur. Nos *διέξοδον* illius duabus abſolvemus partibus, conſideraturi *I. perſonas*; &
II. res, de quibus textus Evangelicus diſtinctè agit.

PARS I.

In perſonarum cenſu ſunt *1. bajuli*;
2. homo ægrotus; &
3. Medicus.

I. In conſideratione bajulorum notetur (veluti futuri in Capernaum miraculi *ἀφορμὴ* ſive occaſio)

1. CHRISTI è finibus Gergeſenorum vel Gadarenorum expulſio. Gadarenos enim *χοιροφίλους μᾶλλον ἢ χριστοφίλους* fuiſſe unanimi conſenſu teſtantur Evangeliſtæ. Matth.8. Marc.5. Luc.8.capp.

2. Se-

2. *Secunda* CHRISTI *navigatio*. Præcedente capite infelicem ejus navigationem Matthæus narraverat; jam ſubſequitur alia commodior ac felicior, cujus

1. terminus à quo fines fuerunt Gadarenorum;
2. terminus per quem, mare Galilææ, quod transfretâſſe dicitur;
3. terminus ad quem, Capernaum, quæ propria ejus vocatur civitas, non quòd propriam CHRISTUS tenuerit civitatem; neq; enim habebat, ubi caput reclinaret ſuum; ſed quòd frequenter ibi degerit, eamq; urbem præclaris concionibus ac miraculis quàm plurimis illuſtriorem reddiderit. Hinc Theophylactus ait: *Suam civitatem Capernaum dicit, illic enim habitabat: Bethlehem enim peperit, Nazareth educavit, Capernaum præbuit domicilium.* Hinc nonnulli patriam quoq; ipſius vocare non dubitârunt. Sic enim Sedulius, lib. 3. Carm. pag. m. 97. Capernaum Chriſti civitas.

Hinc alias Dominus pelagi delatus in oras,
Intravit natale ſolum, quò corpore naſci
Se voluit, patriamq; ſibi Pater ipſe dicavit.

Et Juvencus Presbyter lib. 2. de Evangel. hiſtor.

Inde domum repetit terrarum lumen Jēſus.

3. *Paralytici ad pedes* CHRISTI *oblatio:* quomodo verò iſtud factum ſit, ex Marc. 2. & Luc. 5. capp. præcedente diſpoſitione dicebamus. Morbô enim ille impeditus, non niſi alienâ operâ ad CHRISTUM deferri potuit.

II. Quoad paralyticum ipſum, putant nonnulli, fuiſſe illum eundem, de quo Joh. 5. legitur. Verùm contradicit huic opinioni Theophylactus, inquiens: *Paralyticus ille alius eſt, quàm is apud Johannem: ille enim erat in probatica piſcina, in Hieruſalem; hic autem in Capernaum. Et ille quidem non habuit hominem; hic autem à quatuor portatur, & per tectum demittitur.* Morbus ejus quis fuerit, ex prædictis itidem conſtat. Juvencus ita deſcribit:

Ecce revertenti juvenis torpentia (h. e. contracta) *membra,*
Officium quorum morbus diſſolverat acer,
Ante pedes ponunt, tepidô recubantia lectô.

Sedulius ita:

Ecce aderant vivum portantes jamq; cadaver
Bis binâ cervice viri, lectoq; cubantem
Vix hominem, cui vita manens ſine corporis uſu,
Mortis imago fuit, reſolutaq; membra jacebant,
Officiis deſerta ſuis, fluxosq; per artus
Languida demiſſis pendebant vincula nervis.

III. Æ-

Digitized by Google

III. Ægrum excipit *Medicus*. Is verò JESUS CHRISTUS, mundi Salvator, qui conſpectâ miſeria hominis, benignè illi ſuccurrit. Benignum illum & juvandi cupidum animum deprehendere licet,

1. *ex benevola inſpectione.* Vidiſſe enim dicitur fidem illorum. Quæ verò fides illa? Hieronymus cum quibusdam aliis fidem intelligit portitorum tantùm. Sed Chryſoſtomus κατὰ συνεκδοχὴν decumbentem etiam ipſum notari tradit. Niſi enim paralyticus credidiſſet, demitti profectò non voluiſſet. Pontificii alienâ fide ſanatum eſſe volunt, ut inde fictam ſanctorum invocationem eorundemq; opitulationem adſerere valeant: ſed fruſtra; juſtus enim fide ſua vivet. Hab. 2,4. Unde & CHRISTUS ſpecialem ac propriam ab ipſo fidem, uti mox audiemus, requiſivit, ſine qua remiſſio peccatorum adprehendi nequit.

Fides aliena.

2. *Ex humana compellatione*, vel efficaciſſima adflictæ conſcientiæ conſolatione. Fundamentaliter enim ægrum ſanare volens, ab anima curationis facit initium, inquiens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Filium vocat* (uti h. l. Theophylactus ait) *vel ut creaturam DEI, vel ut eum, qui crediderat. Declarans autem, quòd paralyſis ex peccatis eſſet, primùm peccatum ſolvit. Radicem enim priùs morborum exſtirpare, quàm ſanitatem conferre oportebat.* uti gloſſ. ordinar. habet. Et Sedulius inquit:

Hunc ubi virtutum Dominus conſpexit egentem
Robore, peccatis primùm mundavit ademtis,
Quæ generant augmenta malis &c.

Uſus I. Informatorius.

Sanitatis recuperandæ ratio.

1. De modo recuperandi in morbis priſtinam vel amiſſam ſanitatem. Conſiſtit ille

1. *in veniæ, vel remiſſionis peccatorum impetratione:* neq; enim priùs de corporis, quàm animæ incolumitate nos decet eſſe ſollicitos. Sir. 38,9. & ſeqq.

2. *In voluntatis divinæ agnitione*, humanæ verò cum divina conformatione. 2. Sam. 15,25. Matth. 8,2.

Abſolutio quid ſit?

2. *De abſolutione*, vel gratuita peccatorum remiſſione. Præcipuus hic eſt Eccleſiarum noſtrarum articulus, immò theſaurus omnium verè-fidelium precioſiſſimus. Quatuor verò ſunt h. l. ἀξιόσκεπτα.

1. *Quid ſit Abſolutio?* Eſt hominis peccatoris, de peccatis ſuis ſeriò dolentis, eorundemq; veniam humiliter petentis, in gratiam receptio, facta à DEO vel mediatè, vel immediatè, quâ ipſi, promiſſio-

nibus

Digitized by Google

nibus verbi firmiter innitendi, gratis propter CHRISTI meritum ac ſatisfactionem omnia pèccata condonantur, ut pax conſcientiæ perturbatæ reſtituatur, & animus de DEI reconciliatione, juſtitia & vita æterna certò perſuadeatur ac confirmetur, in DEI ipſius gloriam, & hominis peccatoris ſalutem.

2. *Quotuplex ſit Abſolutio?* Duplex, publica & privata. Conſulantur libelli methodici & Catechetici. Quemadmodum & confeſſio peccatorum eſt duplex: una fit coram DEO; Pſal. 32, 5. & 38, 19. & 51, 5. Dan. 9, 5. Jon. 3, 9. Nehem. 9, 33. Luc. 5, 8. & 18, 13. 1. Tim. 1, 15. Altera coram hominibus, vel Eccleſia; eaq; vel univerſali, vel partiali, ſcil. coram Eccleſiæ miniſtro. Num. 21, 7. 2. Sam. 12, 13. 2. Cor. 7, 7. Abſolutio quotuplex.

3. Ubi theſaurus iſte Abſolutionis vel remiſſionis peccatorum inveniatur? Pontificii ad certa loca & opera eam alligare præſumunt; ſed fruſtrà, præter & extra omnem Scripturam. Habetur & invenitur theſaurus iſte longè pretioſiſſimus, Abſolutio ubi inveniatur?

1. in verbo; Luc. 24, 47. &

2. in Sacramentis. De Baptiſmo Catechiſmus noſter ita: *Operatur condonationem peccatorum, liberat à morte & diabolo, & donat æternam beatitudinem omnibus, qui credunt hoc, quod verba & promiſſiones divinæ pollicentur.* De uſu Cœnæ ita: *Id indicant nobis hæc verba, pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum. Nempè quod nobis in Sacramento condonatio peccatorum, vita & juſtitia per hæc verba tribuuntur. Ubi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi eſt & vita & juſtitia.*

4. Cur ſæpiùs Abſolutio à miniſtro Eccleſiæ petenda? Abſolutione ſæpiùs utendum.

1. Propter DEI mandatum, de verbo ejus frequenter audiendo, ſive illud prædicetur & annuncietur publicè, ſive privatim. Matth. 17, 5. Luc. 10, 16.
2. Propter uſum vel commodum: eſt enim B. Lutherô teſte, Abſolutio recurſus ad Baptiſmum.
3. Propter exemplum aliorum:
4. Propter inſigne conſcientiæ ſolatium. Plura qui ea de re deſiderat, is adeat & conſulat libellos Catecheticos.

II. Conſolatorius.

1. Quòd remittantur nobis gratis debita noſtra. Vide Monſ. theſ. pag. 292. 293.

2. De certitudine remiſſionis peccatorum: habet enim illa fundamenti locô Remiſſio peccatorũ certa.

1. *certum & infallibile* DEI *Verbum:* omne autem promiſſum cadit in debitum. Eſa.1,18. & 43,25. & 44,22. Ezech.33,12.
2. *Sacroſanctum* DEI *juramentum:* Eſa.45,23. Ezech.33,11. Hebr. 6,18.
3. *Solidum* DEI *pactum & teſtamentum:* Jer.31,33.34.
4. *Precioſiſſimum* JESU CHRISTI *meritum:* Rom.3,25.
5. *Æternum ejuſdem ſacerdotium;* Pſal.110,4. cujus pars eſt interceſſio pro miſeris peccatoribus, nunquam inefficax. Rom.5, 8.9. & 8,34. 1.Joh.2,1.2.
6. *Geminum verbo adpenſum ſigillum.* Act.2,38. 1.Pet.3,21.
7. *Omnium converſorum exemplum.* Lutherus in poſtill. domeſt.

h. l. ait: Du ſolſt mit aller Macht ſolcher Zuſagung gläuben/ vnd dich ehe zureiſſen laſſen/ denn daß du daran zweiffeln wolteſt. Denn ſo du zweiffelſt/ hilfft dich die Abſolution nichts/ wenn gleich Gott mit allen ſeinen Engeln ſolche Abſolution ſelber vber dich ſpreche.

III. Monitorius.

Mala quomodo avertantur.

Ut de malis, quæ nos tam publicè, quàm privatim premunt, avertendis rectam viam incedamus;

1. *ad* CHRISTUM *adcurrendo;* non alibi, neglecto DEO, quæramus remedia, ne audire cogamur illud Eſa.1,5. & 9,13. Jer.5,3.
2. *cum vera cordis fiducia accedendo;*
3. *abſolutionem vel reconciliationem cum* DEO *quærendo;*
4. *patientiam præſtando, benè interim ſperando.* Plorando, querulando, flocci faciendo malum nihil proficitur.

IV. Refutatorius.

Calvinianiſmus de abſolutione privata. Abſolutio privata cur retineatur.

1. Calvinianorum, quibus privata Eccleſiarum noſtrarum Abſolutio exoſa eſt & tantùm non abominabilis. Sanè cum Papiſtarum carnificina, de ſingulorum peccatorum enumeratione πελασγικῇ, nihil omninò nobis eſſe commercii, disertè profitemur: Liberè autem retinemus privatam abſolutionem, non certè in Papæ, aut alterius hominis gratiam; ſed

1. *in ſimpliciorum explorationem & informationem;*
2. *in indignorum ab uſu S. Cœnæ ſequeſtrationem;*
3. *in adflictorum deniq; conſolationem efficaciſſimam.*

Papiſmus de dubitatione.

2. Pontificiorum, qui 1. ſuâ de dubitatione portentosâ & impiâ doctrinâ conſcientias miſeras immane quantum vexant & adfligunt, quibus opponitur unicum vocabulum θάρσει, confide. 2. Ut fidei hoſtes

hoſtes accerrimi in negotio ſalutis & juſtificationis noſtræ fidei opera immiſcent & urgent, hunc in modum ſcribente Tonſore illô Eſauvi- ticô: Zu mercken/daß Jeſus ja ſein Aug auff den Glauben hab/inmaſſen der Prophet Hieremias auch bezeugt vnd ſpricht: O HERR deine Augen ſchawen auff den Glauben / aber er ſihet auch auff die Wercke; id quod è diametro cum hoc textu pugnat; ubi ita legitur; cùm vidiſſet JESUS fidem illorum; ubi nulla ullius operis fit mentio, ſecus atq; Svita mentitur. Videt autem etiam opera? Concedo providentiæ ſuæ oculô, at non in articulo & negotio ſalutis noſtræ arduo, unde totâ Scripturâ V. & N. T. eliminantur. Quod ſpectat inſtantiam Jeſucidæ, (dann da die Niniviter mit faſten/beten vnd andern Bußwercken ſich zu Gott bekehreten/ſagt die Schrifft/Gott hab die Wercke der Niniviter angeſehen/ Jon. 3, 10.) committitur fallacia compoſitionis & diviſionis, dum ea conjunguntur & confunduntur, quæ neceſſariò ſunt diſtinguenda, aut ea ſeparantur, quæ ſunt conjuncta; ut Jon. 3, 10. Vidit DEUS opera eorum, ubi fides, quæ ad veram pœnitentiam requiritur, nullatenus eſt excludenda. Et præterea agitur h. l. tantùm de ſerio pœnitentiæ ſtudio, hoc ſenſu; vidit DEUS Ninivitas non ſimulatè, ſed ſeriò agere pœnitentiam: ideoq; illis propter Meſſiam tũ venturum, peccata condonavit, & pœnas remiſit. Addo quod verbum videndi notitiam hoc in loco ſaltem innuat, cùm vidiſſet h. e. probâſſet DEUS opera eorum, quibus fidem & pœnitentiam veram, certis & manifeſtis ſignis verſ. 6. 7. 8. 9. teſtatã feciſſent, uti exponit D. Tarnov. Comm. in Jon. pag. 111. Huc refer quæ D. Gerh. habet Tom. 3. L. C. pag. 758. Fructus ſalutaris pœnitentiæ eſt reconciliatio cum DEO, & averſio vel certè mitigatio pœnarum, non ratione contritionis, ſed reſpectu fidei in CHRISTUM, quâ ſolâ juſtificati pacem habemus. Rom. 5, 1. Deſcribitur ergò qualitas eorum, quorum miſertus eſt Dominus, quòd fuerint corde contritô & humiliatô, quòd converſi ſint de via ſua mala; deſcribitur ordo, quem DEUS in miſerando ac ſanando obſervet, non autem meritum vel cauſa, propter quam DEUS miſeretur & peccata remittit. Si enim eſt ex gratia, non ex operibus &c. Rom. 11, 6. Addendum tamen, quòd per contritionem, etiam fide deſtitutam, mitigatio pœnarum temporalium impetrari poſſit, ut docet exemplum Achabi. 1. Reg. 21, 27. perinde ut bona opera non renatorum præmiis temporalibus à DEO remunerantur; ſed gratuitam peccatorum remiſſionem ac juſtitiam DEO placentem, ſine vera in CHRISTUM fide, nemo conſequitur.

De bonis operibus.

PARS II.

Fuit perſonarum conſideratio : Sequitur rerum hoc in Evangelio mirabilium contemplatio. Res iſtæ complectuntur duo :

1. CHRISTI miraculum ; &

2. de miraculo factum judicium.

I. Miraculum efficitur verbô, tùm Abſolutionis, de quo jam modò egimus ; tùm ſanationis, quod mox ſequitur.

II. *Judicium de miraculo* fertur tùm malè, tùm benè. *Malè* & ſiniſtrè judicant quidam ex Scribis, tacitè blaſphemiæ CHRISTUM inſimulantibus, quod ſolius DEI ſit, peccata propriâ auctoritate remittere. Præcipitanter nimis judicant, nondum cognitâ rectè perſonâ CHRISTI, cujus Divinitatem impiè ſimul ac blaſphemè & negabant, & impugnabant, ipſi potiùs blaſphemi.

Refutat ἔγκλημα hoc Salvator, reali Divinitatis ſuæ demonſtratione ; quâ demonſtratâ, ſimul poteſtas remittendi peccata eſt evicta. Probat autem ſeſe verum DEUM,

DEUM ſe Chriſtus probat.

1. *juſtâ cordium humanorum perſcrutatione.* Nam non ſolùm quâ DEUS, ſed & quâ Homo, corda hoſtium intuebatur, abſcondita eorum in lucem manifeſtam producens. Theophyl. *Vel ex hoc, quòd cogitationes reſcivit, oſtendit ſe eſſe DEUM.*

2. *Miraculosâ ſanatione.* Argumentatur ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, à majori ad minus, hoc modô :

Qui poteſt præſtare majus, vel æquè magnum, is etiam præſtare poteſt minus :
Ego poſſum præſtare majus, vel æquè magnum opus :
Ergò etiam poſſum præſtare minus.

Adſumtio probatur ; quia poſſum verbô ſanare. Jam verò in oculis veſtris majus eſt, propriâ auctoritate & potentiâ hominem tàm miſerum & morbô planè exhauſtum, ſubitò valetudini priſtinæ ſolô verbô reſtituere ; quàm homini perturbato peccata dimittere. Illud divinæ potentiæ argumentum ultrò ſtatuitis : Ergò & hoc : pari enim paſſu utrumq; ambulat. Theophyl. ita : *Vos quidem putatis me blaſphemum, eo quòd pollicear, me remittere peccata, id quod magnum quidem eſt. Videtur autem vobis, quòd ego per hoc effugium quæram, ut non reprehendar. Ego igitur & ex corporis cura fidem vobis facio, quòd animas ſanem. Per rem minorem quidem, ſed quæ difficilior videatur confirmans & peccatorum remiſſionem, quæ magna quidem eſt, ſed facilior vobis videtur, eò quòd minor appareat.*

3. *Experimentali rei excuſatione.* Jubet enim hominem paralyticum 1. ſurgere ;

2. le-

Digitized by Google

2. lectum tollere; &
3. domum abire; & prout jubetur, ita facit paralyticus. Inde texitur Syllogiſmus practicus in hunc modum;

Qui verum ſeſe DEUM declarat, is habet poteſtatem in terris remittendi peccata:
Ego verum me DEUM declaravi, hominem morbo incurabili laborantem ſanum & valentem reddendo:
Ergo habeo poteſtatem in terris remittendi peccata.

Benè de hoc CHRISTI facto judicat populus, qui
1. ob miraculum obſtupeſcit; &
2. ob gratuitam peccatorum remiſſionem DEO gratias agit, quam ſingulare eſſe DEI donum ac beneficium ſpontè agnoſcit.

Uſus I. Informatorius.

Habemus hoc locô cauſas CHRISTUM tùm exturbantes, tùm conſervantes. Exturbat CHRISTUM, ex *ἰδίᾳ* etiam πόλει, (Chriſtus ejicitur & quomodo.)

1. **hominum** *κακία*; deteriores ſunt Sodomitis; Matth. 11. v. 23. 24.
2. *ἀχαριστία*, quæ Gergeſenorum facta propria; jam Germanorum.
3. **temporalium** προτιμία; quid Judæis cum ſuibus? Et tamen Gergeſeni χοιρόφιλοι μᾶλλον, ἢ χριστόφιλοι. **Nos** CHRISTUM jubemus exire, non verbis, ſed factis; alimenmenta miniſterio ſubducendo & deferendo.

Conſervat vel retinet CHRISTUM φιλάνθρωπον (Chriſtus retinetur & quomodo.)

1. *audientia, vel in cultu DEI viſitando frequentia,*
2. *pœnitentia*; Capernaum eſt ager pœnitentiæ, quæ apud noſtrates nulla: *Bella docent homines peccare &c.*
3. *Fidei confidentia:*
4. *patientia*, quam caro difficulter admittit.

II. Conſolatorius.

1. Ex CHRISTI divinitate; novit cogitationes hoſtium; conſilia eorum producit, revelat, confundit: peccata etiam remittit: hinc credimus remiſſionem peccatorum. Monr. theſ. p. 292.

2. Ex diei noviſſimi beneficiis; ibi enim ad vocem & mandatum CHRISTI ſurgemus de lecto ſepulcri, DEUM in æternum glorificaturi. Ibid. p. 297. 298. (Diei noviſſimi beneficia.)

III. Monitorius.

1. Ne in rebus magnis præcipites ſimus ad judicandum. Sir.6,2. & 11,7. & 33,4.

2. De vitanda calumnia & obtrectatione. Lev.19,16. Pſal.50,20. Jer.9,8. Sir.5,16. 1.Pet.2,1. Hab.3,5.

3. De gratitudine, DEO pro gratuita peccatorum remiſſione declaranda. Pſal.103,1.2.3.

DISPOSITIO TERTIA.

Propositio μονομερής.

Methodus medendi corporis & animæ.

Benignum habemus Dominum, qui plùs dat, quàm petimus. Exemplo nobis luculento eſſe poteſt paralyticus in præſenti Evangelio, qui corpore & animâ à Christo ſanatur. Nos itaq; praxin Evangelii attendentes, rectam inde medendi methodum diſcemus, percepturi, *quô pacto & corpori & animæ rectiſſimè conſulere queamus, ita, ut utrumq; benè habeat, corpus morbis aliiſq; malis, quibus divexatur miſerè omnibus, anima verò peccatô liberetur.*

Ἐξήγησις.

Corpus in hac vita circumferimus *νοσερὸν*, morbidum, variis ægritudinibus obnoxium: Paulus *σῶμα τῆς ταπεινώσεως*, corpus humile vocat, Phil.3,21. (Lutherus reddidit, einen nichtigen Leib.) Animam in corpore habitantem, labe peccati infectam. Ut utrique optimè per gratiam DEI conſulatur, rectâ quoq; viâ ac methodô eſt procedendum. Si corpus laborat aut adfligitur.

Corpus quomodo ſanetur.

I. *de noſtra miſeria ſeriò eſt cogitandum.* Docebit nos verbum DEI revelatum, à peccato omnia in nos mala eſſe derivata. Jer.2,19. Rom.6,23. Job.33,20. Pſal.107,17. Sir.38,15. Pſ.39,13. Joh.5,14. Monebit nos hæc conſideratio

Mortis præparatio.

1. *de pœnitentia maturanda:* Eſa.1,16. Matth.3,2

2. *de præparatione ad mortem tempeſtivè inſtituenda:* Hebr.13,14.

non quidem
- 1. *animum abjiciendo;*
- 2. *plorando & ejulando;*
- 3. *mortem flocci pendendo;*
- 4 *mortuos invocando: ſed*

1. *DEO & proximo reconciliando:* Sir.38,9.10.11.

2. *mediis legitimis utendo.* Sir.38,1.2.

II. Cru-

II. *Crucis onus patienter ferendum, & benè interim ſperandum.* Patientiam iſtam plantat ſanctus DEI Spiritus: caro enim in ærumnis admodum eſt impatiens. Sir. 1, 34. Thr. 3, 26. Ezech. 39, 26. Mich. 7. v. 9. Luc. 21, 19. Rom. 5, 4. & 12, 12. Hebr. 10, 36. Rom. 15. v. 5. Phil. 1, 29. Patientia in cruce.

III. *Ad CHRISTUM unicum ſalutis fontem eſt recurrendum.* Exod. 15, 26. Eſa. 63, 1. Matth. 11, 28. Oſe. 6, 1. Gregorius: *Mala, quæ nos hic premunt, ad CHRISTUM ire compellunt.*

IV. *Verâ cordis fiduciâ ipſi ſoli eſt adhærendum.* Fidem enim eorum, h. e. & paralytici & bajulorum h. l. intuetur CHRISTUS. Jer. 5, 3. Hebr. 11, 6. Habac. 2, 4. Matth. 9, 22. Luc. 7, 50. & 17, 19. Fides autem ſit Fide Chriſto adhærendum. Fidei qualitas.

1. *in corde radicata*: Rom. 10, 10.
2. *operibus ornata*, declarata: Matth. 5, 15. Gal. 5. v. 16. Jac. 2, 18. Sic videmus bajulos proximo condolere; ad CHRISTUM humeris ſuis eundem portare; & pro ægro interpellere. Eſa. 58, 7. Rom. 12. v. 13. Col. 3, 12. Jac. 5, 16.
3. *In anguſtiis probata*: nam

— — — non qui certamina ſegnes
Aſpiciunt, ſed qui pugnant, meruere coronam.

Anima ſi anguſtiis & ærumnis conſtringatur, liberari ab iisdem commodè poterit, Animæ curandæ ratio.

1. *Suggeſtionibus Satanæ reluctando.* Malas CHRISTUS hoſtium cogitationes intuitus, ut quid, ait, cogitatis mala in cordibus veſtris? Vult itaq; malas cordis cogitationes, quas vel caro, vel diabolus ſuggerit, reprimi, ne in incendium manifeſtum erumpant. Matth. 15, 19. & 16, 23. Gen. 4, 7. Rom. 6, 12. Gal. 5, 24. Mich. 2, 1. Cogitationes malæ reprimendæ.

2. *Rationem captivando*, id quod à Scribis neglectum videmus, dum CHRISTUM paralytico peccata dimittentem blaſphemiæ falsò accuſant. Vide præced. diſpoſ.

3. *In terra remiſſionem peccatorum maturè quærendo.* Hic enim vita aut retinetur, aut amittitur. Sir. 5, 8. & 18, 22. Pſal. 95, 8. 2. Cor. 6, 2. Auguſt. de vera & falſ. pœnitent. cap. 8. *Adſiduè peccantibus adſiduè neceſſaria eſt pœnitentia; quia in multis offendimus omnes: quæ quotidie remittuntur, ſi quotidie deplorantur.*

4. *CHRISTUM ſolum Mediatorem agnoſcendo.*

5. *Gratitudini ſtudendo.* Pſal. 66, 13. & 103, 1. 2.

6. *De lecto peccatorum ſurgendo;* 1. Pet. 4, 3. Præſtet nobis hanc gratiam

ter

8. Τότε λέγει τοῖς δούλοις αὐτοῦ· ὁ μὲν γάμος ἕτοιμός ἐστιν, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.

8. Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Πορεύεσθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, καὶ ὅσους ἂν εὕρητε, καλέσατε εἰς τοὺς γάμους.

9. Ite ergò ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Καὶ ἐξελθόντες οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι εἰς τὰς ὁδοὺς συνήγαγον πάντας ὅσους εὗρον, πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς· καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων.

10. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes, quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus.

11. Εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους, ἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου.

11. Ingreſſus autem Rex, ut videret diſcumbentes, ubi vidit illic hominem, non veſtitum veſte nuptiali;

12. Καὶ λέγει αὐτῷ ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; ὁ δὲ ἐφιμώθη.

12. Ait illi: amice quomodo huc intráſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Τότε εἶπεν ὁ βασιλεὺς τοῖς διακόνοις· δήσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

13. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite & mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.

14. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

14. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

Pericope præſentis Evangelii refertur ad genus cauſarum Didaſcalicum: continet enim doctrinam, de extrema gentis Judaicæ contumacia, aliorumq; erga Evangelium contemtu & ingratitudine, propoſitam & declaratam in parabola de nuptiis Filio Regis factis. Summam Evangelii monſtrat nobis in fine annexum Epiphonema: multi vocati, pauci verò electi. Nos pro more τειχοτομίας faciemus, tres Evangelii conſtituentes partes, contemplaturi.

I. *Summam Regis cœleſtis in nuptiis adparandis induſtriam*, quæ *de benevola hominum, Judæorum cumprimis, ad regnum cœlorum invitatione nos erudiet:*

II. *Summam invitatorū in ſpernendis nuptiis malitiam & ἀχαριςίαν quæ de malevola eorundem adfectione monebit:*

III. *Summam Regis, in puniendis ingratis & contemtoribus iracundiam, quæ de ſevera eorum punitione verba faciet.*

PARS I.

Deus vocat omnes homines. Regnum cœlorum.

Prima pars ſummam DEI *φιλανθρωπίαν* **commendat,** quà ille motus omnes homines ad regni cœlorum participationem admittit, immò ſeriò vocat. Novimus ſanè, in Scripturis, N. cumprimis T. per regnum DEI intelligi quandoq; regnum gratiæ, ſive Eccleſiam in his terris adhuc militantem; quandoq; regnum gloriæ, h.e. Eccleſiam in cœlis triumphantem.

Regnum cœli pro cœleſti ratio nominis.

In hac verò parabola intelligitur ſolùm regnum gratiæ, & complectitur ambitu ſuo omnia beneficia, quæ ad regnū gratiæ pertinent, videlicet gratiam DEI, gubernationem & defenſionem Eccleſiæ, peccatorum remiſſionem, Spiritûs ſancti donationem, verbum DEI, juſtitiam, fidem & vitam æternam. Regnum dicitur cœli vel cœlorum, phraſi Hebraica, pro cœleſti; omnia enim in hoc regno ſunt cœleſtia & ſpiritualia: habemus cœleſtem Regem CHRISTUM, in cœlis ad dextram Patris ſui ſedentem; habemus cœleſtes leges, doctrinam Evangelii, ex ſinu Patris æterni cœlitùs delatam: cives hujus regni *γνήσιοι* quærunt cœleſtia: Phil. 3, 20. Col. 3, 1. datæ ſunt eis promiſſiones cœleſtes; & DEUS modò in eis regnat cœleſti.

Porrò ad regni hujus conſortium ſeriò DEUM vocare omnes, probatur diviſione totius in partes, vel generis in ſpecies; quia Judæi & gentes ad DEI regnum vocantur. In hos namque duos cœtûs totum genus hominum dividi ſolet. Actor. 19, 19. Rom. 1, 16. & 2, 9. & 3, 9.

I. *In Judæorum vocatione* ſequentes conſiderentur circumſtantiæ:

Homo Rex Deus Pater,

1. *Vocantis Majeſtas*, qui dicitur *ἄνθρωπος βασιλεὺς*, homo Rex, totius

Digitized by Google

totius univerſi. Deut. 10. verſ. 17. Pſal. 95. verſ. 3. 1. Timoth. 6. v. 15. Homo vocatur, propter ſummam in nos φιλανθρωπίας.

Sponſus Filius DEI. Chriſtus Rex.

2. *Sponſi ſublimitas*, qui eſt Filius Regis, cui parantur nuptiæ. Intelligitur unigenitus Patris cœleſtis Filius, ex ſubſtantia ejus ante ſecula genitus. Pſal. 2. v. 6. 7. Rex eſt, tùm ſecundum divinam Naturam, Patri ἰσόθεος καὶ ὁμοδύναμος; tùm ſecundùm humanam naturam, ex regia Davidis proſapia oriundus. Luc. 1. verſ. 32. Joh. 18, 37. Heb. 7, 14. Apoc. 19, 16.

Nuptiæ Chriſti perſonales & ſpirituales.

3. *Nuptiarum ſolennitas.* Intelliguntur nuptiæ Filii DEI tùm *perſonales*, inter Λόγον & adſumtam naturam humanam, quam veluti dilectam Sponſam perſonali fœdere ſibi ἀδιαλύτως, ἀσυγχύτως, ἀσπάστως καὶ ἀχωρίστως copulavit: Joh. 1, 4. tùm *ſpirituales* ac myſticæ, inter CHRISTUM & Eccleſiam, immò quamvis fidelem animam. Oſe. 2, 19. Cenſet cum Dn. D. Chemnitio Dn. D. Johan. Gerhardus, principaliter in hac parabola ſermonem eſſe, de nuptiis perſonalibus; rationes aſſertionis habet cap. 153. harm. Chemnitiô Lyſer. part. 1. pag. 987. Ubi ſimul evolvitur quæſtio, cur unio perſonalis nuptiis ſive conjugio conferatur.

Sponſa Chriſti.

4. *Sponſæ venuſtas.* Expreſſa quidem Sponſæ nulla fit mentio; quia relatorum unô poſitô, ponitur etiam alterum. Intelligendum autem ex præcedentibus relinquitur, Sponſam in his nuptiis eſſe, non tantùm adſumtam humanam naturam; ſed & Eccleſiam & viva illius membra, ſeu quamvis fidelem animam.

Convivium Chriſti nuptiale.

5. *Convivii nuptialis ubertas.* Veniunt hoc nomine beneficia illa ampliſſima, quæ DEUS in Eccleſia per prædicationem Evangelii, Sacramentorumquè diſpenſationem offert, ac diſtribuit, quæque Sponſus CHRISTUS nuptiis iſtis perſonalibus promeruit.

Proxenetæ vel miniſtri Chriſti.

6. *Proxenetarum vel miniſtrorum invitantium auctoritas.* Rex enim emittit ſervos ſuos. Per ſervos hoſce priores, Judæos vocantes, nonnulli intelligunt Patriarchas ac Prophetas in Vet. Teſtam. Sed qui ἀκριβεστέρως textum premunt, intelligi dicunt,

1. Johannem Baptiſtam;

Digitized by Google

2. Apoſtolos, quos CHRISTUS in diebus carnis ſuæ ablegavit, ad perditas oves domûs Iſrael; Matth. 10. verſ. 7. & 15. verſ. 24.

3. Septuaginta diſcipulos & alios, Luc. 10, 1. 9. qui poſt exhibitum Meſſiam, in primordio N.T. vixerunt, ac docuerunt. Ratio eſt, quia h.l. agitur de illis ſervis, qui ablegati fuêre, cùm nuptiæ jam eſſent paratæ, h.e. Filius DEI incarnatus, atq; ita Meſſias exhibitus.

Hoſpites Chriſti

7. *Hoſpitum vel vocandorum dignitas.* Servi jubentur vocare τὺς κεκλημένυς, invitatos, quâ adpellatione Judæos notari, extra omnem controverſiæ aleam eſt poſitum.

Vocatio Dei ſeria probatur tripliciter.

8. *Vocationis ſeveritas.* Rem enim maximè ſeriam agere Regem benigniſſimum & φιλανθρωπότατον, patet non ſolùm

1. *ex ſervorum emiſſione*, de qua jam modò dictum: ſed etiam

2. *ex vocationis repetitione.* Venire enim recuſantes denuò vocari curat, miſſis aliis ſervis. Obſervant h.l. eruditi trinam, Judæis oblatam, vocationem. Prima facta eſt temporibus V.T. ante Meſſiæ adventum & Incarnationem; quô ſanè reſpectu dicuntur κεκλημένοι, vocati, in ſuis ſc. majoribus vita functis. Secunda vocatio facta eſt initiò N. Teſt. cùm jam paratæ eſſent Filio Regis nuptiæ. Tertia contigit poſt CHRISTI paſſionem, mortem & reſurrectionem per ἄλλυς δύλυς, alios ſervos, h.e. eosdem, Apoſtolos, (& Apoſtolicos viros) ſed per virtutem Spiritûs ſancti in viros alios mutatos, quibus alii ſubinde acceſsêre ſervi.

Vocatio Judæorum trina.

3. *Ex ſpeciali & ſingulari inſtructione*, cujus obſervetur,

δεῦτε.

γάμος.

1. *propoſitio.* venite ad nuptias. Δεῦτε, agite, eſt particula amicè invitantis & exhortantis. γάμος ſignificat non nuptias ſaltem, ſed & convivium nuptiale.

2. *Confirmatio*, rationes vocationis producens. Earum verò

Dicere pro præcipere.

1. deſumitur *à præcipientis potentia.* Dicite invitatis, Ich laſſe jhnen ſagen oder gebieten / more Hebræis uſitato, quibus dicere ſæpius idem eſt quod præcipere. 1. Reg. 11, 18. 1. Par. 20, 17. Jon. 2, 11. Matth. 4, 3.

2. *A convivii eminentia;* meum eſt hoc prandium, non hominis ſed Regis.

3. *A neceſſitatis evidentia;* tauri & altilia mea ſunt mactata;

Digitized by Google

ctata; convivium non poteſt differri, quia cibi ad illud parati non diu poſſunt adſervari.

4. *A rerum omnium ſufficientia;* Omnia ſunt parata: h.e. per Meſſiæ mortem omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria, ſunt acquiſita. Sic ergò vocati ſunt Judæi. Verùm quia illi etiam poſt tertiò iteratam vocationem venire renuebant, gentibus etiam ad nuptias regias aditus eſt patefactus. Hanc gentium vocationem ingrediuntur tria.

1. *Vocationis ἀφορμὴ ſive occaſio,* quam præbuit priorum, h.e. Judæorum pertinacia & contemtus. *Τότε* tunc, cùm ſcilicet Rex audiviſſet, invitatos Judæos nolle venire.

2. *Mandati, ſervis dati, qualitas ſive conditio.* Rex dicit ſervis ſuis, illis ipſis videlicet, quorum operâ antehac in invitandis Judæis fuerat uſus. Ceterùm poſterior hæc vocatio ad univerſum hominum genus ſeſe extendit, quod patet Vocatio totius humani generis.

1. ex eo, quòd ſervi mittantur ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, ad exitûs vel tranſitûs viarum, quod anteà non licebat. Matth. 10,5. Nonnulli reddunt compita, ſuntq; loca, quæ per diverſas adeuntur vias, cujusmodi ſunt bivia, trivia, & quadrivia, in quibus multi ſolent reperiri, ex diverſis viis illuc confluentes.

2. Quòd vocare debeant, quoscunq; invenerint; invenerunt autem omne hominum genus. *ὅσους* enim utrumq; ſignificat, & quoscunq;, & quotcunq;, h.e. cujuscunq; ſint conditionis, & quantocunq; numerò inveniantur. Senſus itaq; eſt: quòd ſine locorum & populorum diſcrimine in mundum univerſum exeuntes, Evangelium omni creaturæ prædicare, & per illud quosvis ad nuptiarum cœleſtium gaudia invitare debeant.

3. Ex mandati exſecutione, quòd bonos & malos inventos congregaverint in domum regiam. In Græco eſt *τὸ συνάγειν*, quod plùs ſignificat, quam *τὸ καλεῖν*; nimirùm quod in medium adlatis rationibus ipſis perſuaſerint, ut ad convivium nuptiale venirent, h. e. Eccleſiæ CHRISTI ſeſe adgregarent. Bonos dicit, non quòd tales ante vocationem fuerint; Pſal. 14,3. Rom. 3,23. ſed quòd vocati, & vocationi obtemperantes, tales facti fuerint, per pœnitentiam, fidem in CHRISTUM & vitæ emendationem. Malos vocat hypocritas, converſionem ſimulantes & inconſtantes, qui in

συνάγειν. Boni qui. Mali qui.

bono propoſito non firmiter perſtiterunt, ſed ad malum iterum defecerunt & declinârunt.

3. *Effectûs conſecutio;* impletæ ſunt nuptiæ convivis diſcumbentibus. Γάμος per metonymiam ſignificat locum, convivio nuptiali deſtinatum. Innuitur autem, tantô numerô á ſervis hoſpites fuiſſe adductos & congregatos, ut tandem arx regia fuerit impleta convivis nuptialibus. Impletio illa ſequetur in fine ſeculi, quando ad Eccleſiæ conſortium adducti fuerint omnes, quos DEUS ad illam adgregandos eſſe ab æterno prævidit & decrevit, uti d. l. exponit Dn. D. Gerhardus.

γάμος pro loco convivii nuptialis.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

DEI φιλανθρωπία.

I. In frontiſpicio Evangelii Jaſpidis inſtar fulget inexhauſta DEI miſericordia, & erga genus humanum φιλανθρωπία; quòd Filium ſuum unigenitum Sponſum fecerit, & eidem Sponſam, non ex Angelis, ſed ex genere humano elegerit. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5. Eph. 1, 5. Luc. 1, 78. Hebr. 2, 16. Pſal. 40, 6. Vide de his D. Theodor. pag. 761.

Nuptiæ licitæ.

II. Nuptias & convivia nuptialia celebrare Chriſtianis licitum eſt & conceſſum. Idem. p. 758.

III. De ſpiritualibus inter CHRISTUM & Eccleſiam nuptiis, ibid. p. 759.

Homo non poteſt ſe præparare.

IV. Errant, qui docent, poſſe hominem ſeſe præparare vel adplicare ad gratiam DEI. Rom. 9, 16. Phil. 2, 13.

DEUS vult ſalutem omnium.

V. DEUS ſeriò vult omnes homines ſalvos fieri, idq; teſtatum fecit.

1. ſplendidô nuptiarum adparatu, qui ſe univerſaliter ad omnes extendit: Joh. 3, 16. 1. Joh. 2, 2. 2. Pet. 3, 9.
2. ſedulâ invitatione, & aliquoties iteratâ invitatorum vocatione:
3. miniſtrorum in orbem univerſum emiſſione Matth. 28, 19.

Vocatio & voluntas DEI univerſalis.

VI. Patet inde, vocationem DEI, ut & voluntatem ejus eſſe univerſalem & ſeriam; loquimur de voluntate antecedente. Ezech. 18, 23. & 33, 11. 1. Tim. 2, 2. 2. Pet. 3, 9. Marc. 16, 15. Eſa. 65, 2. Matth. 11, 28. Act. 17, 30. 1. Tim. 4, 10. Tit. 2, 11. Pſal. 19, 5. Rom. 10, 19. & 15, 19. D. Theod. p. 762.

VII. DEUS per verbum & Sacramenta, h. e. per miniſterium nos vocat ad nuptias Filii ſui. 2. Cor. 5, 20. Actor. 20, 24. Gal. 4, 14. 19. 1. Tim. 4, 16.

IIX. Offeruntur nobis per prædicationem Evangelii μέγιστα καὶ τίμια

ἐπαγγέλματα, maxima & pretioſiſſima promiſſa ſive beneficia; 2.Pet.1,4. miſericordia DEI Patris; CHRISTUS cum univerſo ſuo merito; conſolatio Spiritûs ſancti; communio omnium Sanctorum, ipſum DEI regnum & vita æterna. Joh.3,16.&6,55.&10,10. 2.Timoth.1,9. Col.1,13. Fercula à Chriſto adpoſita.

IX. Commendatur miniſterium; hoc enim eſt audiendum. Non certè per raptûs immediatos, vel adflatûs cœleſtes; ſed per præcones Evangelii beneficia regni ſui nobis offerre voluit. Luc.10,16. & 24,47. Act.19,4.&26,18. 1.Cor.1,21. 1.Tim.4,16. Miniſterii audiendū.

X. Vocatio hominum ad nuptias cœleſtes merè eſt gratuita; quia ſine ullo ſuo merito convivæ invitantur. Joh.3,16.&5,24.&6,27.40.Rom.6,23. Epheſ.1,5.&2,4.5.7.8.9. Eſa.55,1. 1.Johan.2,25. Apoc.22,17. Vocatio gratuita.

XI. In CHRISTO nobis omnia, ad ſalutem neceſſaria, ſunt parata. Joh.1,29. 1.Cor.1,30.&5,7. Matth.23,36. Joh.4,14.&6,33. Pſal.16,4. Eſa.55,2. D.Theod.p.761.

XII. Nihil enim intermittit DEUS omnium, quæ ad ſalutem noſtram faciunt. Pſal.23,5. Matth.23,37. & 25,34. Joh.14,2. Eſa. 55,1. & ſeqq.

XIII. Neceſſitas miniſterii vel inde conſpicitur, quòd ejuſdem operâ tam ad Judæos, quam ad gentes DEUS uſus fuerit, hodieq; utatur. Act.16,17. Rom.10,14. Miniſterii neceſſitas.

XIV. DEUS in N.T. nulli vel genti, vel populo eſt alligatus. Eſa.65,1. Oſe.1,11. Matth.21,43. Act.10,34& 13,46.

XV. Verbi miniſtri dicuntur DEI ſervi, non generali illâ ratione, quâ omnes alias pii DEI dicuntur ſervi; 1.Pet.2,16. ſed ratione planè ſingulari, quatenus in vocandis ad cœleſtes nuptias hominibus fidele DEO ſervitium præſtant. Rom.1,1. Gal.1,10. Tit.1,1. 1. Cor.4,1. 2.Tim.2,24. Verbi miniſtri DEI ſervi.

XVI. Servi ergò DEI cùm ſint atq; Eccleſiæ; 2.Cor.4,5. nullum ipſis competit ſeculare dominium; Luc.22,25.26. 2.Cor.1,24. 1.Pet.5,4. id quod Papam Rom. negligere videmus; ita autem ipſiſſimum ſe probat & prodit Antichriſtum. Papa Antichriſtus.

XVII. Neq; tamen inde contemtus miniſterii ſequatur: non enim mundi, impiorum, illuſorum; ſed DEI, CHRISTI & Eccleſiæ dicuntur ſervi & miniſtri. Miniſtri verbi DEI non hominum ſervi.

XIIX. DEUS etiamnum hodie ad nuptias ſuas nos vocari curat. D. Theodor.pag.764.765.766.

XIX.

Vocatio gentium unde.

XIX. Judæorum incredulitas, & oblatæ in Evangelio gratiæ contemtus, fuit occaſio vocationis gentium. Rom.11,12. Matth.21, 43. Act.13,46. Rom.3,29. Gal.3,28. Eph.4,6.

XX. Interim hominum incredulitate DEI fides nec frangitur, nec evacuatur. Rom.3,3. 2.Tim.2,13.

XXI. Caveamus itaq;, ne noſtra incredulitate & ingratitudine regnô DEI indignos nos reddamus.

Gentium multitudo.

XXII. Locus hic habetur claſſicus, de multitudine gentilium ad Eccleſiam N.T. atq; ita ad regnum CHRISTI vocandorum. Gen. 22,18.& 49,10. Pſal.2,8.& 72,11. Eſa.2,2.3.& 25,6.& 49,18.& 60, 4.5. Mich.4,1. Matth.8,11. & alibi paſſim. D.Theod. p.771.772.

XXIII. De perpetua Eccleſiæ in hoc mundo conſervatione.

XXIV. Ab oblatione gratiæ DEI ad ejus collationem non valet conſequentia. D.Finck.cent.4.can.58.

Boni & mali præmixti.

XXV. In Eccleſia viſibili ſemper boni & mali ſunt permixti. D.Theodor.pag.773.

PARS II.

Vidimus ſummam DEI in curanda hominum ſalute tùm φιλανθρωπίαν, tùm προθυμίαν & induſtriam: quæritur jam, quales ſeſe homines ſuô locô erga tam benevolam invitationem geſſerint? Hic verò deteſtanda & deploranda ſeſe prodit cum ſumma malitia conjuncta ἀχαριϛία. Reperiuntur ex utraq; parte tàm Judæorum, quàm gentium defectûs inexcuſabiles.

Judæorum ingratitudo & contemtus.

I. Quantum ad Judæos, trinæ eorum vocationi, trina opponitur ingratorum & contemtorum cohors. In prima acie collocantur

Epicuræi verbi contemtores.

1. *nolentes*, de quibus textus ait: *& nolebant venire*, regias nuptias invitationemq; toties repetitam planè non curantes. Hi ſunt Epicuræi verbi contemtores & contumaces peccatores, qui noluerunt in CHRISTUM credere, nedum pro Meſſia eum recipere, multò minùs Eccleſiæ ejus inſeri, & fide beneficia illius ſibi adplicare. Horum damnatio juſta eſt.

2. His quaſi ſuccenturiati in ſecunda cohorte ſuccedunt *negligentes*; non quidem ſimpliciter venire recuſantes, ſed ex incuria & negligentia, ob interventum aliorum negotiorum, vocationi morem non gerentes. Additur ἐξήγησις προφάσεων ſive prætextuum. Abierunt, quaſi qui non vocati eſſent; vel vocationis obliti; alius ad villam ſuam, h. e. ad rei familiaris procurationem; alius ad negotiationem

ſuam,

Digitized by Google

ſuam, lucrum & pecuniam quærens. Intelliguntur in ſecunda hac claſſe illi, qui honores, opes, voluptates & alia ſecularia vocationi ad cœleſtes nuptias præferre ſolent.

3. Tertiâ cohorte militant *perſequentes*, triplici potiſſimùm injuriâ emiſſos ſervos adficientes:

1. violenter *capiunt & comprehendunt* eos, carceribusq; incluſis docendi & vocandi vim adimunt, quibus poſſunt modis illos prementes, opprimentes & ſubjugantes.
2. Omnis generis *contumeliis adficiunt*, hæreſeos, ſeditionis & aliorum ſcelerum reos ipſos peragentes.
3. *Occidunt*, à verbis ignominioſis ad verbera & cædem progreſſi.

Ita Judæi malè-grati Meſſiam ſuum ejusq; miniſtros audire recuſarunt. Quod tamen non accipiendum eſt de illis, qui vixerunt ante Meſſiæ adventum: pleriq; enim eorum maximô deſideriô futuras illas nuptias exſpectârunt: ſed de iis, qui poſt CHRISTI adventum in carnem vixerunt. Illi enim nolebant venire, h.e. CHRISTUM fide recipere: ſed temporalia ſua commoda ac negotia regno DEI longè præferebant: Matth. 23,6.14. Luc. 11,43. & 16,14. quin manûs inſuper violentas injiciebant, Johanni Baptiſtæ, ipſi CHRISTO, Stephano, Apoſtolis & aliis viris Apoſtolicis. Matth. 14,10. & 23,33. Act. 4,1.2.3. & 5,17.18.33.40. & 7,59. [illegible]2,7. &c.

II. Jam quoad gentiles, neq; hîc omnia ſana & juſta ſunt, ſed bonis mali quoq; non pauci ſunt admixti. Notetur hoc locô

1. *Convivarum ex Judæis & gentibus congregatorum luſtratio*, eô fine inſtituta, ut videat Rex cœleſtis, an omnes regalibus hiſce nuptiis dignè interſint, & quales in convivio nuptiali ſeſe gerant.

2. *Defectûs deprehenſio.* Animadverſi ſunt inter præſentes malè veſtiti incedentes; vel, ut cum parabola loquamur, veſte nuptiali carentes. Unus nominatur, ſed per ſynecdochen unius exemplô omnes hypocritæ intelliguntur. De veſte verò hac nuptiali variæ ſunt Interpretum opiniones, quas vide, ſi libet, apud D. Gerhard. d. l. Conſule etiam Vindicias D. Meelführeri, theſ. 171. & ſeqq. D. Gerh pag. 1042. ait: Per hanc veſtem nuptialem vel unicè, vel præcipuè vera fides in CHRISTUM intelligitur. Unicè quidem, ſi per veſtem nuptialem intelligere velimus eam, quæ nos Regi & Patri cœleſti gratos & acceptos reddit, & coram ipſius judicio conſiſtit, juſtitiam; juſtitiam. nim. CHRISTI, verâ fide nobis imputatam: Præcipuè verò & principaliter, ſi per veſtem nuptialem intelligere velimus totum ornatum

Veſtis nuptialis.

Vuu & de-

& decorem ſpiritualem, qui in renatis conſpicitur: vera enim fides non eſt otioſa & mortua, ſed efficax per caritatem. Gal. 5, 6. Et pag. 1044. Veſtis nuptialis CHRISTUS eſt, qui & Sponſus & cibus etiam eſt in his nuptiis. CHRISTUM autem induimus, tùm fide ejus meritum adprehendendo, ut nuditas noſtra coram DEI judicio ipſius juſtitiâ, tanquam precioſâ veſte tegatur. Gal. 3, 26. 27. tum ſanctâ vitæ converſatione, quâ ipſius veſtigiis inſiſtimus. D. Meelführerus verò ita: Perſpicuè, inquit, reſpondemus, veſtem nuptialem eſſe juſtitiam CHRISTI, perfectâ ipſius obedientiâ & paſſione acquiſitam, ſed fide adplicatam & quaſi indutam. Operosè ab utroq; d. L. ſententia iſthæc probatur & confirmatur; ibi ergò require.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Ingratitudo erga verbum DEI.

I. De execrabili mundi erga DEI verbum ingratitudine. Eſa. 1, 2. 3. & 5, 4. Amos. 1, 9. Matth. 11, 21. Luc. 10, 13. Hebr. 3, 10. Luc. 4, 29. & 9, 53. & 20, 11.

Vocavit DEUS ter totum genus hominum.

II. DEUS tribus diſtinctis vicibus totum genus humanum per verbi prædicationem, ad regni cœleſtis beatitudinem vocavit: 1. In Adamo poſt lapſum: 2. in Noacho, poſt diluvium; & 3. per Apoſtolos poſt Meſſiæ adventum. Pſal. 19, 5. Matth. 8, 19. Col. 1, 6.

Epicuræi contemtores.

III. Ideam præbent nolentes Epicuri de grege porcorum, qui manifeſtè & adverſâ fronte media ſalutis excutiunt. Joh. 3, 19. Matth. 23, 36. Luc. 19, 14. Jer. 44, 16. Joh. 1, 11.

IV. Homines terrena præferunt cœleſtibus, caduca & tranſitoria æternis. Gen. 25, 34. Matth. 16, 24. & 19, 23. Luc. 14, 18. & 21, 34. Pſ. 62, 11. Luc. 14, 26. 33.

Sors doctorum Eccleſiæ.

V. Monemur de ſorte fidelium Eccleſiæ Doctorum, quod pro ſummo beneficio peſſimam illi à mundo reportent gratiam. Vide D. Theodor. pag. 767. Thold. p. 985.

VI. Etſi enim non omnes ab auditoribus ſuis violentâ manu è medio tollantur; tamen adhuc alia ſunt mortis genera, quibus pii Eccleſiarum Doctores enecantur. 2. Pet. 2, 8. Hebr. 13, 17. Pſal. 57, 5. Jerem. 18, 18. Matth. 5, 12. Apoc. 1, 9.

VII. Caveant pii auditores, ne perſecutionum auctori diabolo operam ſuccentariatam præſtent; impunè enim ferunt nunquam, qui

qui Regis cœleſtis miniſtris moleſtias creant. Luc. 10, 16. Matth. 23, 35.

IIX. Solatio eorum inſervit, quòd Dominus ejusmodi ſervorum ſuorum ſortem in hoc mundo videat & audiat. 2. Par. 24, 22. Pſal. 10, 13. & 105, 15. Gen. 4, 10. Apoc. 6, 10. **Solatium præconum verbi.**

IX. DEUS exactè obſervat, quomodo vocatio ad regnum cœleſte ab hominibus excipiatur. Hebr. 4, 13. Ezech. 33, 31. Pſal. 7, 10.

X. De paucitate ſalvandorum, & cauſis particularitatis non in DEO, ſed in hominibus quærendis. Matth. 21, 23. & 23, 37. Actor. 13, 46. Gal. 3, 27. Oſe. 13, 9. Ezech. 33, 11. D. Theod. p. 764. **Paucitas ſalvandorum.**

XI. Eccleſia in hac vita militans habet ſemper bonis admixtos malos & hypocritas. Matth. 13, 25. 47. 1. Johan. 2, 19. D. Theodor. pag. 773. **Eccleſia habet malos bonis permixtos.**

XII. Errant itaq; cum Novatianis & Donatiſtis Anabaptiſtæ, qui Eccleſiam ex omni parte puram, immò angelicam ſibi imaginantur. **Novatiani & Anabaptiſtæ.**

XIII. Hypocritas & malos in externa Eccleſiæ ſocietate DEUS tolerat, impietatem occultam non ſemper in lucem apricam producens, ſed ſpacium pœnitentiæ concedens. Pſal. 50, 21. 2. Petr. 3, 9. Rom. 9, 22. **DEUS tolerat malos & cur.**

XIV. Caveamus autem nobis, quantò fieri poteſt, ſtudiô maximô, ab hypocriſi & inani fidei perſuaſione, nec non ab omni impietate & peccato. 2. Tim. 3, 5. Tit. 1, 16. Matth. 7, 21. Job. 15, 34. Pſal. 34, 14. Matth. 23, 27. 33. Eſa. 29, 13. **Hypocriſis & impietas vitanda.**

XV. Sequetur enim viſitatio, luſtratio & ſeparatio bonorum à malis in extremo die ac judicio. Act. 10, 42. & 17, 31. Apoc. 19, 7. & 21, 27. & 22, 15. Joh. 5, 22. & 8, 50. Dan. 7, 9. 1. Pet. 2, 23. Matth. 3, 12. & 13, 30. 41. 42. & 25, 32. 34. 46.

XVI. Danda eſt nobis opera ſedulò, ut veſtem nuptialem conſervemus & immaculatam cuſtodiamus, **Veſtis nuptialis cuſtodienda.**

1. *diabolo, mundo & carni renunciando;*
2. *pravis carnis concupiſcentiis totis viribus reſiſtendo;*
3. *dominium peccato non concedendo;*
4. *lixiviô pœnitentiæ maculas abſtergendo.* Apoc. 16, 15. 1. Joh. 1, 7. Apoc. 7, 14. 2. Cor. 5, 3. Apoc. 3, 5. & 19, 7. & 21, 2.

XVII. Veſti nuptiali carentes ſunt hypocritæ: D. Theod. pag. 774. quomodo veſtis illa induatur internè & externè, idem docet, p. 775. **Hypocritæ.**

Damnationis cauſa. XIIX. Cauſa damnationis hominum eſt contemtꝰ verbi DEI, inobedientia & ingratitudo hominum. Thold. p. 982.

PARS III.

Reſtat ultimum, de contemtorum & ingratorum ultione: continet illa pœnam, partim temporalem, partim æternam. Ad pœnam *temporalem* ſpectat,

1. *Ingratitudinis ac contemtûs relatio.* Rex enim audivit, vel per conſervos eorum, qui occiſi ſunt ab invitatis, vel ab aliis, crudelitatis teſtibus atq; ſpectatoribus; vel per omniſcientiæ oculum vidit ac cognovit, tùm vocationis contemtum, tùm ſervis illatam injuriam.

2. *Juſt. Regis ad iram commotio;* lenitatem enim tandem convertit in ſeveritatem, quandoquidem pro maximo beneficio peſſimam, immò nullam referri gratiam; ſervos quoq; ſuos inſuper absq; omni cauſa occidi perſentiſcit: Pœnam itaq; illis irrogandam cenſet.

Judæorum excidium ultimum. 3. *Exercituum ad delendos contemtores & interfectores immiſſio:* idq; de ultimo Judæorum excidio accipimus. DEUS enim miſsô Romanorum exercitu Hieroſolymam, & univerſam Judæorum politiam funditùs perdidit ac diſſipavit, ſine ſpe reſtitutionis in integrum; hæc enim vis eſt verbi ἀπώλεσε, quod in æternum quandoq; exitium adducere ſignificat. Plurale habet, στρατεύματα αὐτοῦ, exercitûs ſuos; quia non unô tantùm pœnarum genere Judæi in extrema deſolatione adficiebantur, ſed pluribus ſimul, puta gladiô, peſte, fame, ſeditione &c. adfligebantur & conſumebantur.

4. *Civitatis malignæ exuſtio.* Vide hiſtoriam πανωλεθρίας Judaicæ.

Ad *æternam* pœnam ſpectat, quod de punitione malè veſtiti legitur. Huc facit, quòd Rex

1. αὐτοπροσώπως hypocritum *examinat;*

Amicus dictus carens veſte nuptiali. 2. duriter eum *increpat;* amice, inquiens, quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem? Cur amicum vocat? Quidam per Ironiam & ἀντίφρασιν hoc fieri putant: alii beneficiorum in ipſum collatorum recordationem eſſe volunt. Hieron. *Amicum vocat, quia amicè eum invitaverat, culpa autem ejectionis penes ipſum erat.* Alii ad ἔτυμον Græcum reſpicientes, ſocium & conſortem vel convictorem exponunt: menſæ enim ſuæ conſortem fecerat eum, convictûs & convivii communione ſibi conjunctum. Hac ratione objurgatio iſthæc non

ex odio

ex odio quodam abſoluto, neq; ex inordinata bilis effervefcentia; ſed ex juſtitia, zelo & judicio laudabili fuiſſet profecta. Quòd quærit, quomodo hûc intraſti: non propriè interrogandi, ſed accuſandi & arguendi vim habet, quòd nuptias regias habitu indecente dedecorare auſus fuerit, veſtem nuptialem vel oblatam recuſando, vel acceptam iterum abjiciendo. Senſus eſt: DEUS in extremo judicio graviſſimè reprehendet omnes illos hypocritas, qui non fuêre veriti Eccleſiæ cœtui in hac vita ſeſe adſociare, cùm tamen verá fide deſtituti fuerint, nec dignè Evangeliô ac profeſſione ſuá ambulaverint.

3. *Confundit* & obmuteſcere facit. Quemadmodum enim veſte nuptiali; ita omni excuſatione deſtituitur; ideoq; ἐφιμώθη, prorſus obmutuit, ac ſi frenum quoddam, vel capiſtrum ori fuiſſet injectum nullum verbum proloqui valens, quô ſeſe vel excuſaret, vel pœnam pridem paratam deprecaretur.

4. *Pœnam* factis dignam *denunciat*. Ea verò eſt quadruplex: — Pœna damnatorum. Vincula quid notent.

1. *manuum ac pedum ligatio*: vinculis autem denotatur
   1. *damnatorum captivitas;*
   2. *tormentorum æternitas;*
   3. *dolorum acerbitas;*
   4. *operandi ἀδυναμία & inhabilitas;*
   5. *damnatorum ſocietas.*
2. *Ex convivio nuptiali ejectio.* Innuitur, quòd impii & hypocritæ non verbis ſaltem redarguentur; ſed ex conſortio Eccleſiæ ſive regni cœlorum planè exturbabuntur.
3. *In tenebras exteriores propulſio.* Infernalibus enim damnatorum flammis adjudicati, DEUM, qui lux eſt, 1. Joh. 1, 4. non videbunt. In hac vita delectati fuerunt tenebris ignorantiæ, errorum ac peccatorum; ab his itaq; tenebris tranſibunt ad æternas tenebras.
4. *Fletûs & ſtridoris dentium irrogatio*, quô ipsô ὡς ἐν ἐπιτομῇ univerſa miſeriarum infernalium congeries ſignificatur. — Fletûs & ſtridor dentiũ quid.

Flebunt damnati,
   1. *ob dolorum vehementiam;*
   2. *ob conſolationis omnis carentiam;*
   3. *ob fumi, ex igne infernali indeſinenter oriundi, copiam.*
   4. *ob æternitatis memoriam*, quòd videbunt,

bunt nullam ipſis vel mitigationis, vel liberationis ſpem ſupereſſe. Dentibus autem ſtridebunt,

1. ob frigoris intolerabilis ſæviciam;

2. ob horroris, ex ſenſu præſentium & futurorum malorum, nec non adſpectu dæmonum horribili percepti truculentiam;

3. ob pœnarum inceſſabilium moleſtiam;

4. ob livorem & invidiam, ex cogitatione boni alieni oriundam.

5. ob impatientiam: hi enim adfectûs ſtridorem ejusmodi in hominibus pariunt.

Subjungitur concluſio Evangelii ἐπιφωνηματικὴ, quâ per ἐπιφορὰν ſive illationem ſummam Evangelii & ſcopum ejusdem principalem mira brevitate complexus, ait: Multos quidem eſſe vocatos, paucos verô electos. Etſi enim ingens eſt vocatorum multitudo; exigua tamen vice verſa electorum paucitas, non vitiô ac culpâ vocantis, ſed vocatorum, qui vel venire recuſant, vel non eô modô, quô debebant, comparent. Iidem autem in Scriptura ſacra nunquam vocantur pauci, qui & multi; multi per ſe, pauci in comparatione iniquorum, ut annotat D. Finck. cent. 1. can. 23.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Proponitur nobis hoc in loco contemplanda.

1. *ſumma DEI majeſtas & poteſtas;* eſt enim Dominus exercituum, & quidem variorum: omnes creaturæ ipſi militant. 1. Reg. 22, 19. Luc. 2, 13. Jud. 5, 20. Eſa. 24, 21. Sap. 12, 8. Sir. 40, 33. & ſeqq. Pſal. 148, 8.

2. *Inexhauſta DEI longanimitas*, quæ pœnitentiæ ſpacium malis concedit Rom. 2, 4.

3. *Juſtitiæ divinæ ſeveritas.* Pſal. 11, 7. & 119, 137. & 145, 17. Sir. 18, 1. Eſa. 61, 8. 2. Par. 19, 7.

Deus ſervos ſuos ulciſcitur. II. DEUS ob ſervorum ſuorum iniquam tractationem ad iram juſtam commovetur. 1. Sam. 8, 7. Luc. 10, 16.

Ira Dei ex contemtu verbi & miniſterii. III. Ira DEI vel maxime concitatur per contemtum verbi ac miniſterii oppreſſionem. 2. Par. 36, 15. 16. Oſe. 4, 6.

IV. Unde liquet ultro, nullum eſſe atrocius peccatum, quàm verbi contemtum, & miniſterii illuſionem. Vide D. Theod. p. 768.

Iræ divinæ atrocitas V. Ira autem DEI non eſt res levicula, nec parvi æſtimanda:

Ira

Iratum gravis eſt res habuiſſe DEUM. Prov. 16,14. & 19,22. Deut. 4,24. 32,22. Hebr. 12,29. Pſal. 2,5. 2. Theſſ. 1,5. & ſeqq.

VI. Solennem hunc morem habet DEUS, ut ſcelera publica puniat fame, ſterilitate, gladio, peſte. D. Finck. cent. 3. can. 73.

VII. Ab ira DEI ad vocationem ejus ſeriam & efficacem valet conſequentia. Idem cent. 4. can. 41.

IIX. Sicut in Scriptura ſacra peccata quædam ſunt ſingularia, quædam generalia: ita etiam pœnæ quædam ſunt ſingulares, quædam generales, & ita ab his ad illa, & ab illis ad has valet conſequentia. D. Finck. cent. 4. can. 79.

Infernales pœnæ.

IX. De pœnarum Infernalium æternitate, & diſtinctis eorundem gradibus, Vide D. Theodor. p. 776.

Aqua & ignis.

X. In Scriptura ſacra duo præcipua ſeveræ vindicis iræ DEI ſunt inſtrumenta, aqua & ignis. D. Finck. cent. 3. can. 53.

Separatio damnatorum.

XI. Impii & hypocritæ in extremo judicio peccata ſua haut poterunt vel excuſare, vel negare, vel occultare. 1. Cor. 4,5. Apoc. 20,12. 2. Cor. 5,10.

XII. In noviſſimo judicio impii ſeparabuntur

1. à DEO ejusq; conſpectu longè auguſtiſſimo ac jucundiſſimo: Matth: 25,41. 2. Theſſ. 1,9.
2. Ab Angelorum & beatorum hominum conſortio ſuaviſſimo: Luc. 16,23. Matth. 8,12.
3. A Paradiſo cœleſti ejus decore ſplendidiſſimo, h. e. à felicitate ac gaudio perpetuo, Luc. 16,26. Apoc. 21,27. & 22,15. Job. 10,21. & 20,26. 2. Pet. 2,17. Pſal. 115,17. Eſa. 66,24. Vide in locis & libellis methodicis locum de Inferno & ſtatu damnatorum poſt hanc vitam.

Prædeſtinatio non eſt omnium.

XIII. Habet h. l. fundamentum doctrina de Prædeſtinatione Electorum ad vitam æternam, & docetur, quòd propriè ſic dicta, non ſit univerſalis omnium hominum; quia pauci electi. DEI autem deſiderium non eſt ipſa electio. Confer D. Theodor. p. 776. 777.

Crux electionis nota.

XIV. Crux electionis nota cõſtituitur externa: Chriſtianorum autem duplices ſunt tribulationes, communes & propriæ. Vide D. Finck. cent. 4. can. 6.

XV. In Scriptura quædam dicuntur de toto, quâ totum eſt: quædam de toto, quoad aliquam ejus partem. D. Finck. centur. 1. can. 79.

XVI. Inde æſtimatur argumentum Polani: Fides eſt effectũ

ſeu

ſeu conſequens electionis. Ergò non debet dici inſtrumentum ejus aut pars aliqua. R. Electionis, quà tota eſt, fides eſt pars ſive cauſa inſtrumentalis; & rurſus eſt effectus electionis, propter DEI propoſitum, gratiam & meritum CHRISTI, quod per Evangelium annunciatur.

Electionis vel prædeſtinationis cauſa. XVI. Tria enim hæc (DEI gratia, CHRISTI meritum & fides) in electione concurrunt, & ita quidem, ut primum ſit cauſa ſecundi; Joh. 3,16. primum & ſecundum ſimul, cauſa tertii.

Prædeſtinatio quid. XVII. Scripturæ prædeſtinationis nomine propriè ſignificare ſolent Sanctorum electionem, & ad vitam æternam deputationem ante mundi conſtitutionem factam. D. Finck. cent. 2. can. 45.

Decretum abſolutum XIIX. Corruit figmentum Calvinianorum, de abſoluto DEI decreto, quaſi is arcano quodam beneplacitó quosdam hominum abſolutè velit damnatos.

XIX. A prædicatione Evangelii retardata, aut aliquantiſper ſuſpenſa, ad negationem vocationis non valet conſequentia. D. Finck. cent. 4. can. 42.

XX. A DEI decreto ad electorum paucitatem non valet conſequentia. Ibid. can. 83.

XXI. Sic nec a præſcientia DEI univerſali ad electionem valet conſequentia; Nam à prædeſtinationis executione ad ejus decretum valet conſequentia. Ib. can. 84. 85.

Huberianiſmus. XXII. Particulæ univerſales in Scriptura ſæpè in infinitum non extenduntur, ſed ad materiam ſubjectam reſtringuntur; non autem ſemper. Malè itaq; Huberus particulas univerſales tam latè extendit, ut omnes ſtatuat eſſe electos; quod eſt σιδηρόξυλον. Malè etiam Calviniani particulam omnes, Act. 17, 30. 1. Tim. 2, 4. Col. 1, 20. 2. Pet. 3, 9. exponunt non de omnibus, ſed aliquibus, & paucis tantùm, non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum. D. Finck. centur. 1. can. 36.

Calviniana particularitas. XXIII. Noſtrum autem eſt (1) vocationi ad nuptias cœleſtes obtemperare; (2) terrenorum ſtudium abrogare; (3) ſervos vocantes non inhonorare, contumeliis adficere, trucidare; (4) ſed veſtem nuptialem puram & immaculatam ſervare; ita fiet, ut ad nuptias Agni & nos aliquando admittamur; Apoc. 19, 9. in quo adjuva nos mi Pater cœleſtis, per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum. AMEN.

DIS-

DISPOSITIO SECUNDA.

Propoſitio διμερής.

Parabola præſentis Evangelii eſt directa adverſus ingratitudinem impietatem & hypocriſin populi Judaici deteſtandam, quâ ſignificat Salvator, rejectis ob improbitatem & malitiam inexpugnabilem Judæis, invitatum iri gentiles: ne tamen & ipſi ſeſe efferrent, aut in temerariam ſecuritatem prolaberentur, inter eos quoq; qui invitationi ad nuptias regales paruerant, repertum iri innuit, quibus veſtis nuptialis deſit. Illum verò defectum ejectionis vel damnationis cauſam fore juſtiſſimam ac certiſſimam. Nos, pro meliori parabolæ intelligentia, duo conſiderabimus, dicturi,

I. *de multitudine vocatorum;* &

II. *de paucitate electorum.*

PARS I.

Epiphonema ad calcem Evangelii ſubjunctum ſcopum parabolæ intendit, qui eſt iſte; docere vocatorum multitudinem, & electorum paucitatem: illa priorem, hæc poſteriorem Evangelii partem conſtituit. Vocatorũ multitudo

Propoſitio primæ partis eſt: Multi ſunt vocati

Confirmatio ſumitur à diſtributione generis in ſpecies, vel totius in partes, hoc penè ſenſu:

Quicunq; Judæos & gentes ad regni ſui conſortium invitari vult & mandat, is omnes homines vocavit; h. e. omnium hominum ſalutem ſeriò expetit.

Atqui DEUS Judæos & gentes ad regni ſui conſortium invitari vult & mandat:

Ergò omnes homines vocavit, h. e. omnium hominum ſalutem ſeriò expetit.

Ratio copulati in majore eſt; quia hoc modò univerſum hominum genus in Scriptura dividitur. Vide præced. diſp. Minor in Evangelio probatur, tùm παραβολικῶς, tùm ἐκθετικῶς. Παραβολικῶς ita, ut diſtincta parabolæ membra ſeorſim proponantur in vocatione tàm Judæorum, quàm gentium.

In vocatione, vel invitatione iſta notantur ſequentia membra:

1. *Regni cœlorum adſimilatio;*
2. *Regis intentio;*

3. *Sponſi vel Filii regis contemplatio*;
4. *nuptiarum adornatio*;
5. *invitatorum per ſervos ſive commonitio, ſive vocatio*;
6. *ſimplex recuſatio*;
7. *invitationis per alios ſervos repetitio*;
8. *invitationis deſcriptio*; in qua datur (1) propoſitio, venite ad nuptias: (2) ratio ab adjuncto adparatu:
9. *Invitatorum mala & præpoſtera actio*, quâ nuptias Regis faſtidiunt (1) *partim* ſuperciliosè eas negligendo; (2) *partim* præſumtuosè aliena præferendo; (3) *partim* ſervos comprehenſos contumeliosè tractando.
10. *Regis de contemtu & illata injuria conqueſtio*, quâ ἀντιθετικῶς opponit (1) *ſuam benignitatem* & liberalitatem; nuptiæ erant paratæ: & (2) *invitatorum indignitatem*; ſeipſos enim ſuapte culpâ indignos reddiderunt.
11. *Novi edicti propoſitio & promulgatio*, de vocandis aliis ex viarum compitis, immò quibusvis indiſcriminatim introducendis.
12. *Mandati executio*, quæ conſiſtit in hoſpitum varietate & ſatietate.

Ἐκθετικῶς probatur minor, per ſingulorum membrorum ἑρμηνείαν vel ſignificationem, ubi

Regnum cœlorum quid.

1. *per regnum cœlorum* ſtatus Eccleſiæ in his terris ſignificatur; uſitatè vocamus regnum gratiæ, vel ipſam Eccleſiam. Et quia cœlorum dicitur regnum, ideóq; nullæ in eo locum habent cogitationes vel imaginationes terrenæ. Lutherus in poſtill. dom. Wenn du vom Himmelreich höreſt / ſolt du nicht allein hinauff gen Himmel gaffen / ſondern hie unten bleiben / und es unter den Leuten ſuchen / ſo weit die gantze Welt iſt / da man das Evangelium prediget / an CHriſtum gläubet / und die heiligen Sacramenta im rechten Brauch hat. Es heiſt das Himmelreich darumb / daß alle / ſo das Wort und Sacrament haben / und gläuben und durch den Glauben in CHRISTO bleiben / himmliſche Fürſten und GOTTES Kinder ſind.

Rex Deus Pater.

2. *Regis nomine* venit Pater cœleſtis, Rex ille regum, Dominus dominantium 1.Tim.6,16.

3. *DEUS* itaq; Pater Filio ſuo unigenito, Domino noſtro JESU CHRISTO, paravit nuptias.

4. Per

4. *Per nuptias* autem Patrum nonnulli Incarnationis myſterium; alii myſticam Filii conjunctionem ad Eccleſiam credentium: quæ duplex hic per fidem, illic ſupernaturaliter: alii gaudium cœleſte intelligunt. Amat enim Scriptura regni cœlorum gaudia, tum inchoata, tùm conſummanda, nuptiis & conviviis adſimilare, ut ab hominibus rectiùs intelligatur, ad mores hujus ſeculi ſeſe accommodans. Notum enim eſt, quòd nuſquam magis gaudere homines ſoleant, quàm in nuptiis & conviviis. Summa autem eſt Eccleſiæ felicitas atq; inde orta lætitia cum CHRISTO Sponſo ſuo conjungi. Huc facit locus Chryſoſtomi, quem ex homil. 70. in quæſtion. ſuper Matthæum D. Pelargus allegat: *γάμος εἴρηται, ἵνα μάθῃς τοῦ Θεοῦ τὴν κηδεμονίαν, τὸν πόθον τὸν περὶ ἡμᾶς, τῶν πραγμάτων τὴν φαιδρότητα, ὡς οὐδὲν λυπηρὸν ἐκεῖ, οὐδὲν σκυθρωπὸν, ἀλλὰ πάντα χαρᾶς γέμει πνευματικῆς*: h. e. nuptiæ dicuntur, ut diſcas, & DEI curam & deſiderium ſive caritatem ejus erga nos, & rerum (cœleſtium) ſplendorem cognoſcas, quòd ibi nihil luctuoſum, nihil triſte, vel auſterum, ſed omnia ſpirituali gaudio plena ſint. Theophylact. ita: *facit nuptias Filio ſuo, copulans eum omni formoſæ animæ. Sponſus enim* CHRISTUS, *Sponſa autem Eccleſia & anima.* Lutherus d. l. Er nennet ſein Evangelium eine Hochzeit/ daß er vns freundlich reitze vnd locke/ daß wir zu Jhm in ſein Reich kommen/ ſein Evangelium annemen/ vnd gedencken/ da wollen wir hin/ zu der Hochzeit wollen wir kommen/ da wirds fein vnd herꝛlich zugehen/ da wollen wir hertzlich frölich ſeyn/ da wollen wir mit Luſt vnd Frewden ſingen vnd ſpringen. Alſo wil vns der HERR locken/ daß wir lernen das heilige Evangelium halten für vnſern beſten Schatz/ vnd vnſer höchſte Frewde auff Erden.

Nuptiis & conviviis confertur vita æt.

5. *Invitati* dicuntur *κεκλημένοι*, Judæi tanquam primarii hoſpites: horum enim eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & *νομοθεσία*, & cultûs & promiſſiones. Rom. 9, 4. Promiſſiones dico de CHRISTO venturo. Pſal. 147, 19.

6. Porrò *invitatio primaria* directa erat ad Judæos: illi verò nolunt venire & cœleſtis gaudii participes fieri.

Invitatio Judd.

7. Hinc alios ſervos mittit, Johannem Baptiſtam, Evangeliſtas Apoſtolos & alios.

8. In *formalibus* vocationis per altilia intelligitur Agnus ille DEI, JESUS CHRISTUS, factus pro nobis victima. Johan. 1, 29.

Digitized by Google

Indicatur autem, DEUM omnibus benè velle; omnibus enim offert ſalutis media.

9. *Malè* erga hanc *φιλανθρωπίαν adfecti* ſunt invitati, Judæi maximè: alios a nuptiis avocat ſupina negligentia: alios *ἐμπορία*, negotiatio vel mercatura: in aliis eſt manifeſta contumelia. Eleganter Juvencus Presbyter lib. 2. Evang. hiſtor. p. 453.

Illi neglectis dapibus, diverſa petebant,
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui,
Aſt alius potius merces ad lucra reviſit.
Multi prætereà miſſos, qui ad læta vocarent,
Inſontes famulos rapiunt, & corpora ferrô
In mortem cruciant.

Gentes vocantur pro Judæis.

10. Judæis itaq; ſua ipſorum culpâ juſtè rejectis, *gentibus* ad regni cœleſtis participationem patefit aditus. Indigni dicuntur Judæi prandiô nuptiali, non ex abſoluto quodam DEI odio; ſed ob contemtum & ingratitudinem ſuam.

11. *Servi* h. e. Apoſtoli & eorum ſucceſſores ad compita viarum, hoc eſt, in univerſum mundum emittuntur, ut vocent hoſpites.

12. Sic *regnum DEI ad gentes* pervenit, quibus tamen *mali* & hypocritæ ſunt admixti. Ea enim eſt Eccleſiæ viſibilis & militantis conditio, ut in ea pariter vivant probi & improbi. Juvencus.

Hic juſti injuſtiq; ſimul cubuére vocati.

Theophylact. *Egreſſi Apoſtoli à Hieruſalem ad gentes, congregaverunt omnes, tàm malos, quàm bonos, hoc eſt, omni malitia repletos, & minus-malos, quos & bonos nominat, ſi aliis conferantur.*

Uſus. I. Informatorius.

DEI adfectus erga nos paternus probatur.

1. De DEI erga nos homines adfectu ſingulari ac planè paterno, qui elucet.

1. *ex Filii unigeniti deſponſatione:* Oſe 2, 19. Deut. 33, 3. Pſal. 16, 3. Jer. 31, 3. Joh. 3, 16. Rom. 8, 32.
2. *Ex omnium rerum præparatione:* Nihil enim prætermiſit omnium, quæ ad ſalutem noſtram promovendam requirebantur. Præſtitit hoc ipſum nobis.

3. Ex

Digitized by Google

1. *ex immenſa caritate ab æterno nos eligendo*; Eph. 1,4.
2. *Filium ſuum in temporis plenitudine mittendo*; Gal. 4,4. Johan. 1,14.
3. *æternam nobis ἀπολύτρωσιν* deſtinando, Hebr. 9,12.
4. *Verbum prædicari faciendo*; Luc. 24,47.
5. *Regnum ſuum nobis parando*; Matth. 20,23. & 25,34. Johan. 14,2. Rom. 9,23. 1. Pet. 1,4. Apoc. 21,2.

3. *Ex ſervorum ſuorum ad nos ablegatione*, 2. Cor. 5,20. Pſal. 68,12. Marc. 16,15. Luc. 24,47.
4. *Ex toties iterata vocatione.*

2. De æterna DEI ac conſtante voluntate, quòd velit omnes homines ſalvari. Monr. theſ. pag. 300. 301.

II. Conſolatorius.

1. Ex DEI erga nos amore: eſt enim Pater noſter in CHRISTO φιλόστοργος. Pſal. 103,13. Eſa. 49,15. & 66,13. Eph. 3,15. DEUS Pater.

2. Ex inſignis generis noſtri honore. Filius enim DEI Sponſus & Frater noſter factus. Johan. 15,14. Oſe. 2,19. Eſa. 54,4.5. & 62,4. Ezech. 16,8. Jer. 3,1. Apoc. 19,7. Eph. 5,24. Pſal. 45,11. Johan. 3,29. Matth. 9,15. Rom. 8,31. 1. Joh. 4,9. Pſal. 8,5. & 36,8. Confert autem in Sponſam ſuam Sponſus CHRISTUS Generis humani honor. Chriſti Sponſi beneficia.

1. *amoris ſinceritatem*; Eſa. 62,4.5. Jer. 31,3. Joh. 15,9. Prov. 8,32. Eph. 5,25.
2. *Bonorum communitatem*; Joh. 17,24.
3. *Defenſionem & ab hoſtibus immunitatem*; Matth. 16,18. Rom. 8,1. Pſal. 17,8. & 91,14. Joh. 14,18.
4. *ἐπιείκειαν ſive æquitatem*; Pſal. 103,3.13. Eſa. 42,3. & 66,2.
5. *Fidelitatem*, quam in verbo promittit,
   1. *de non deſerendo*; Eſa. 54,10. Joh. 14,18. Pſal. 34,19. & 91,15. Matth. 28,20. Rom. 8,35. & ſeqq.
   2. *de victu & amictu ipſi proſpiciendo*; Pſal. 33,19. & 34,11. & 37,25. Eſa. 55,1. & 61,10. Apoc. 19,8.
6. *Honorem & dignitatem*: Des Bräutigams Ehrenſtand iſt auch der Braut Ehrenſtand. Pſal. 45,10. & 149,9. Matth. 25,33.
7. *Gaudii perpetuitatem*. Joh. 16,22. Eſa. 35,10. Pſal. 16,11.

III. Monitorius.

1. De audiendis ſervis, ad nuptias, h. e. ad regni cœleſtis fruitionem, Servi DEI audiendi.

tionem, DEI nomine & juſſu, nos invitantibus. 2.Cor.5,20. Act.16, 17. & 20,19.31. Luc.10,16. Amos.5,10. 2.Par.36,16. Jerem.18,18. Pſal.2,12. Eſa,2,22. 1.Theſſ.5,14. Hebr.13,17.

Nuptiæ Filii DEI accedendæ.

2. De acceſſu ad nuptias regias maturando. Veniamus
   1. *ad verbi auſcultationem;*
   2. *ad peccatorum confeſſionem;*
   3. *ad S.S. Cœnæ adminiſtrationem & uſurpationem;*
   4. *ad vitæ Chriſtianæ declarationem*, ne veſtitu nuptiis regiis dignè carentes foras quatiamur.
   5. *ad vitæ emendationem.*

IV. Refutatorius.

Papiſmus gratiam DEI reſpuens.

Pontificiorum. DEUS omnia gratis offert; gratis vocat; gratis cibum ac potum animæ adponit &c. Illi verò hæc omnia ſecum adferre adlaborant, puta, liberi arbitrii vires integras; propria aliorumq; ſanctorum merita; indulgentias papales, & quid non? Verùm παρέργως καὶ περιέργως· πάντα γὰρ ἕτοιμα. Conſummatum eſt. Joh. 19,30. Eſa.55,1. & ſeqq. Hebr.9,12. & 10,14. Phil.2,13. Joh.15,5.

PARS II.

Electorum paucitas: unde?

Propoſitio ſecundæ partis eſt: pauci ſunt electi. Unde verò hoc?
1. *Non ex Regis cœleſtis invidia:*
2. *Non ex adparatûs vel rerum neceſſariarum indigentia* vel *inopia:*
3. *Non ex ſervorum incuria & negligentia:* ſed
4. *ex propria hominum ſive malitia ſive ferocia:* idq; probatur ex ſubſequenti hominum erga invitationem diſpoſitione admodum malevola & perverſa. Dantur enim inter invitatos

1. *manifeſti vocationis oſores*, qui neglectâ tam gratioſâ invitatione planè venire recuſant:
2. *immodeſti gratiæ oblatæ contemtores:* illi autem neglexerunt & abierunt; non enim erant ipſis nuptiæ curæ ac cordi:
3. *nefaſti rerum mundanarum curatores*, temporalia bona æternis præponentes:
4. *ſceleſti ſervorum emiſſorum perſecutores.* Priores intra negligentiæ terminos ſeſe continebant; hi poſteriores eò flagitii proceſſerunt, ut conceptam animò iracundiam in ſervos evomerent, illos 1. *comprehendendo,*
   2. *ſubſannando;*
   3. *trucidando.*

5. Odit.

5. *Odioſi ſimulatores* & hypocritæ, qui adumbrantur ſub figura hominis, veſte nuptiali deſtituti.

Hæc parabola ſecundæ partis, cujus ἔκθεσιν pete ex præced. diſp. ubi ſimul invenies veram de veſte nuptiali ſententiam. Veſtis enim nuptialis eſt CHRISTUS, quem duplici induimus modò; (1) ut *donum*; & (2) ut *exemplum*. Gal. 3,27. Rom. 13,14. Veſtis nuptialis.

Patet inde, penes quem cauſa paucitatis maneat: non utiq; penes Regem invitantem; ſed penes hoſpites, vel emanentes, vel malè veſtiti incedentes. Seriò Regem velle omnes venire, ex ſeverà contemtûs ultione colligitur. Pœna enim contemtoribus irrogatur quadruplex: Paucitatis cauſa.

1. *iræ divinæ accenſio;*
2. *exercitûs immiſſio.* Chryſoſtomus de Veſpaſiano ac Tito interpretatur; illi enim divinitùs immiſſi, populô ad internecionem penè cœsô, & urbe Solymarum deletâ, ſummam gentis Judaicæ impietatem & ingratitudinem vindicârunt. Cui adſtipulatur Theophyl. inquiens: *mittit exercitûs ſuos, h. e. Romanos, qui inobedientes Judæos perdiderunt, & civitatem illorum Hieruſalem ſuccenderunt.*
3. *Totalis abjectio:*
4. *Ignis infernalis adjudicatio.*

Uſus I. Informatorius.

1. De cauſis πανωλεθρίας populorum, ditionum, regnorum, urbium: Germanicè vom Kehrab/ quam patriæ quoq; communi minari DEUM eidemq; imminere ex multis colligitur. Perpende bella Germaniæ inteſtina. Electoratus hic noſter & inimicorum & amicorum (ὁμωνύμως ita dictorum) præda eſt expoſitus. Ilicet, actum eſt Hebræis bellum dicitur קרב Kereb; der Krieg iſt der rechte Kereb oder Kehrab. Quæritur de cauſis? Bellum eſt maximum & graviſſimum DEI flagellum: Ergò maximis & graviſſimis haut dubiè concitatur peccatis. Utiq;! Evangelium præſens quatuor ejusmodi cauſas φθαρτικὰς, quibus Kereb, bellum & hujus pediſſequa πανωλεθρία acceſſi ſolet, recenſet. Harum πανωλεθρίας cauſæ. Bellum DEI flagellum.

1. eſt *refractaria vocationis oblatæ recuſatio:* Das iſt die aller gröſte vnd höchſte Sünde/ſagt Lutherus/ in poſt ll. domeſt.
2. *Perverſa & nimia rerum terrenarum procuratio:*
3. *Miſeranda piorum verbi miniſtrorum tractatio:*

4. Fal-

4. *Falſa & hypocritica fidei gloriatio.* Dicta Scripturæ pete ex prædictis.

Paucitas electorum. 2. De vera cauſa paucitatis electorum. Culpa non reſidet in abſcondito DEI beneplacito, aut abſoluto quodam decreto: ſed unicò in hominibus. Vide locos & libellos methodicos, in doctrina de Prædeſtinatione.

DEI qualis Vocatio. 3. De DEI vocatione, quæ h. l. deſcribitur, ut vocatio

1. *univerſalis & catholica:* 1.Tim.2,4. Actor.17,30. 1.Theſſ.5,9. habemus. 1. *univerſale CHRISTI meritum;* Joh.1,29. 1.Joh.2,2.
2. *univerſale verbi miniſterium* Matth.28,19. Marc.16,15. Luc.24,47. Pſal.19,5. Col.1,6.

2. *Merè gratuita:* Rom.9,16.& 11,6. 2.Tim.1,9. 2.Cor.3,5.
3. *Maximè ſeria;* iraſcitur enim venire renuentibus, immò graviſſimas pœnas decernit negligentibus & perſequentibꝰ. Eſa. 65,2. Matth.23,37. Ezech.33,11. Apoc.3,20.

Electorum notæ. 4. De notis ſalvandorum ſive Electorum. Salvantur enim omnes

1. *CHRISTI meritum & juſtitiam per fidem induentes:* Gal. 3, 27. Eſa.61,10.
2. *piè ex fide viventes:* Rom.13,13.14. Apoc.16,15.
3. *pœnitentiam quotidiè agentes:* Apoc.7,14.
4. *Ad finem uſq; in fide, pietate & pœnitentia perſeverantes.* Matth.10, 22. Apoc.2,10.

II. Conſolatorius.

1. Quòd omnibus à CHRISTO paratis beati perfruantur, nec in æterni carceris tenebras detrudantur. Monr. p.307.308.

2. Quòd vocati electis annumerabuntur. Ibid.

III. Monitorius.

1. De cavenda ira DEI. Deut.32,22. Soph.3,8. Nah.1,6. Pſal. 90,12. Hebr.10,31. Prov.16,14.& 19,12.

Hypocriſis vitanda. 2. De vitanda hypocriſi. Eſa.29,13. 2.Tim.3,5. Tit.1,16. Job. 13,7. Matth.7,21. *Nam examen*, uti Theophyl. h. l. adnotat, *valdè magnum faciet Rex eorum, qui poſt ingreſſum in ſordido habitu invenientur. Horreamus igitur, cogitantes, quia niſi quis vitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides;* (h. e. nuda fidei gloriatio) *non ſolùm enim è nuptiis ejicitur, ſed & in ignem mittitur.*

3. De declinandis pœnis infernalibus. Job.24,19. Luc.12,47. & 16,

Digitized by Google

&c 16,24. Apoc. 6,16. &c 14,10. &c 19,29. &c 20,10. Eſa. 47,14. Job. 10, 22. Pſal. 49,20. Juvencus.

Illic ſtridor erit vaſti ſine fine doloris,
Et ſemper-fletus: Multis jam ſæpè vocatis,
Paucorum felix hominum ſelectio fiet.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui ad unum omnes, in illa ſunt opinione, pulcritudinem dilectionis & bonorum operum eſſe ipſiſſimam veſtem nuptialem, quâ DEO placere & cum benedictione frui epulis nuptialibus queamus. Schererus pag. 651. Das hochzeitlich Kleid iſt die Lieb zu Gott/vnd zu dem Neheſten/der Chriſtwirdig Wandel/ die Haltung der Gebot Gottes/ die guten Werck/Vnſchuld vnd Reinigkeit des Gewiſſens/Gerechtigkeit vnd Heiligkeit des Lebens/neben dem wahren ſeligmachenden Glauben. (Der muß bey dieſen Leuten Zoffe ſeyn) Ac ô miſeriam & laceram, mancam & mutilam, ſciſſam & fiſſam operum veſtem, quam nullus ſartorum & tonſorum Romanenſium reſarcire unquam poterit. A neceſſitate certè bonorum operum, (quam nos ſanô ſenſu non negamus) ad neceſſitatem eorum ad ſalutem, & quidem non ratione ordinis & viæ per quam, ſed ratione meriti, propter quod ex juſtitia debeatur gratia, nulla militat conſequentiæ ratio. Vide plura in Vindiciis D. Meiſfuhreri theſ. 171. & ſeqq. D. Gerhard. Tom. 3. L. C. pag. 1406. ita: Alibi tamen (patres) caritatem & bona opera per veſtem nuptialem intelligunt, quod nobis non adverſatur. Si enim per veſtem nuptialem intelligere volumus eam, PROPTER QUAM ET PER QUAM DEO placemus, i. e. illam juſtitiam, quæ nos DEO gratos reddit, coram DEI judicio conſiſtit, ac turpitudinem noſtram tegit, requirit fidei analogia, ut de juſtitia CHRISTI, per fidem adprehenſa, explicetur. Si verò per veſtem nuptialem intelligere cupimus eam, IN QUA DEO placemus, h. e. totum illum decorem & ornatum, qui eſt in renatis, explicanda erit de fide cum ſuis fructibus, Gal. 5,22. deſcriptis; hæc enim omnia in piis & renatis DEO placent.

Papiſmus de veſte nuptiali.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Eccleſia in Scripturis V. & N. T. multoties Sponſa CHRISTI dicitur; qualis verò ejus ſit in hac vita conditio, in præſenti Evangelio ſub involucris parabolicis docetur. Hic enim Agni nuptiæ deſcribun-

Digitized by Google

tur. Apoc. 19, 7. Confirmatur itaq; articulus Symboli Apoſtolici: Credo Eccleſiam ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam. Quia verò extra eam non eſt ſalus; age *conſiderabimus hunc de Eccleſia vera fidei articulum.* Sequemur autem filum ac ductum textûs Evangelici.

Ἐξήγησις.

Eccleſia conſiderata tripliciter.

Conſideratur in hoc Evangelio Eccleſia JESU CHRISTI tripliciter:

1. *ratione collectionis;*
2. *ratione gubernationis;*
3. *ratione conſummationis.*

I. Ad collectionem Eccleſiæ quadruplices concurrunt perſonæ, earundemq; diſtinctæ actiones & operationes. Proponitur enim

Eccleſiæ collectio.

1. *Patris æterni clementia.* Is enim in perſona Regis introducitur, qui nuptias Filio ſuo parat, idq; ex ſola gratia & miſericordia: Joh. 3, 16. Rom. 8, 8. 1. Joh. 4, 9. 10. Eph. 2, 4. quam offert, non paucis quibusdam, ſed omnibus. Ezech. 18, 24. & 33, 11. 2. Pet. 3, 9. Tit. 2, 11. Actor. 17, 30. *Homini autem Regi*, uti Theophylactus inquit, *ſimilis eſt DEUS; non enim adparet ut eſt, ſed qualem decet, ut nobis ſe videndum exhibeat. Nam quando uti homines morimur, humanis peccatis obnoxii, ut homo nobis adparet DEUS: quando autem ut dii ambulamus, tunc ſtat DEUS in ſynagoga Deorum: ſicut & quando ferarum naturas adſumimus, fit & ille nobis panthera, urſus & leo.*

2. *Filii miſericordia*, quæ vel inde elucet, quòd Sponſam ſibi imparem, immò infeſtam & inimicam, miſeram & pauperculam, ſordidam & inquinatam fœdere nuptiali ſibi copulari permittit. Eph. 2, 1. & ſeqq. Job. 15, 16. Eſa. 1, 5. Ezech. 16, 3. & ſeqq.

Concionatorum requiſita.

3. *Miniſtrorum induſtria.* Intelliguntur verbi præcones, à quibus requiritur,
1. *legitima vocatio;* Rom. 10, 15. Luc. 10, 2. Jerem. 23, 21.
2. *juſta inſtructio*, 1. Pet. 4, 10. Rom. 15, 18.
3. *fidei & conſtantiæ declaratio.* Ezech. 3, 17. 2. Tim. 4, 2. Matth. 10, 32.

4. *Invitatorum differentia*, quæ ex præced. diſpoſ. eſt manifeſta. Theophyl. *Quæres h. l. quomodo dicat invitatos? Si invitati erant, quomodo denuò ſunt vocandi? Scias igitur omnes nos naturâ vocari ad bonum à ſermone Doctoris naturâ dati: attamen DEUS & illos externos Doctores mittit, ut qui intùs vocati ſunt, & extrinſecùs vocentur.*

Eccleſiæ gubernatio.

II. *Gubernationem* Eccleſiæ quod ſpectat, tribus illam DEUS potiſſimùm modis regit & procurat.

1. *Nutriendo*; ad nuptias enim omnia parata dicuntur. Nutrit autem Eccleſiam 1. *ſpiritualiter*; Joh.6,35. Eſa.55,1. & ſeqq. Eccleſiæ nutrimẽtum.
2. *Sacramentaliter*, in Cœna;
3. *corporaliter*. Pſal.145,16.

2. *Veſtiendo*: Pſal.45,10. Requiruntur in nuptiis hiſce convivæ decenter veſtiti. Veſtis nuptialis eſt CHRISTUS ipſe, cum univerſo ſuo merito & juſtitia, per fidem veram indutus. Eſa.63,1.2.3. Apoc. 7,13.14. conſule præcedentia. & Veſtimenta.

3. *Examinando*. Examen illud eſt triplex: Examen Eccleſiæ.
1. *crucis*; 1.Cor.11,31.
2. *cribrationis*; 1.Cor.11,19. Pſal.81,8.
3. *mortis*. Luc.16,2. 2.Cor.5,10.

III. *Conſummatio* Eccleſiæ conſiſtit Eccleſiæ conſummatio.
1. *in infidelium condemnatione*: illos manent pœnæ
1. *temporales*, quibus adficiuntur omnes verbi & vocationis oblatæ contemtores. Exprimuntur pœnæ iſtæ ſub ſpecie πανολεθρίας; intelligitur autem univerſum genus pœnarum temporalium. Pœnæ impiorum.
2. *Spirituales & æternæ*, quales ſunt,
1. *iræ divinæ inflammatio*;
2. *à nuptiis excluſio & ſequeſtratio*;
3. *æterna condemnatio*, adumbrata in imagine illius, qui veſte nuptiali caret. Is enim (1) obmuteſcit; (2) manibus ac pedibus ligatur; (3) projicitur in tenebras exteriores. Sunt enim tenebræ vel interiores, in corde; Joh. 3, 19. 20. vel exteriores, ipſe infernus. Apoc.9,2. Job.10,22.

2. *In fidelium glorificatione*. Matth.8,11. Luc.22,29. 1.Cor.15, 41. Dan.12,3. Matth.13,43. Nos devotô ore & pectore rogamus Regem cœleſtem, ut Sponſam Filii ſui Eccleſiam, in tanta ſatanæ & organorum ejus rabie, tueatur, & ad reditum uſq; Sponſi in vera fide conſervet, — *æternam ut capiat divina in ſecula vitam*,

per Dominum lucis CHRISTUM, qui in ſecula regnat.

Eccleſia ſic orat: *Largire quæſumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatam & pacem, ut pariter ab omnibus mundemur offenſis, & ſecurâ tibi mente deſerviatur, per Dominum noſtrum*

JESUM CHRISTUM.

Amen.

Digitized by Google

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Joh. 4. à verſ. 46. ad finem uſq.

46. Καὶ ἦν τις βασιλικὸς, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ.

47. Οὗτος ἀκούσας, ὅτι Ἰησοῦς ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ ἠρώτα αὐτὸν, ἵνα καταβῇ, καὶ ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν· ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν.

48. Εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτόν· ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε.

49. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλικός· Κύριε, κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου.

50. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· πορεύου, ὁ υἱός σου ζῇ. Καὶ ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν αὐτῷ Ἰησοῦς, καὶ ἐπορεύετο.

51. Ἤδη δὲ αὐτοῦ καταβαίνοντος, οἱ δοῦλοι αὐτοῦ ἀπήντησαν αὐτῷ, καὶ ἀπήγγειλαν, λέγοντες, ὅτι ὁ παῖς σου ζῇ.

52. Ἐπύθετο οὖν παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε· καὶ εἶπον αὐτῷ, ὅτι χθὲς ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός.

53. Ἔγνω οὖν πατὴρ, ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ὁ υἱός σου ζῇ· καὶ ἐπίστευσεν αὐτὸς, καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη.

54. Τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

46. ET erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capernaum.

47. Hic cùm audiſſet, quòd JESUS adveniſſet à Judea in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, ut ſanaret ipſius filium; ſiquidem is agebat animam.

48. Dixit ergò JESUS ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus; Domine deſcende, priusquàm moriatur filius meus.

50. Dicit ei JESIIS: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni, quem dixerat ei JESUS, & ibat.

51. Jam autem eô deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes: Filius tuus vivit.

52. Sciſcitatus eſt ergò horam ab eis, in qua melius habuiſſet: & dixerunt ei: Heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris.

53. Cognovit ergô Pater, quòd illa hora erat, in qua dixiſſet ſibi JESUS, filius tuus vivit: & credidit ipſe, & domus ejus tota.

54. Hoc iterū ſecundum ſignum edidit JESUS, cùm veniſſet à Judæa in Galilæam.

DIS-

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO περιμερής.

EVangelium Dominicæ præſentis referimus ad genus cauſarum ἐπιδεικτικὸν ſive demonſtrativum, propter hiſtoriam & miraculum Reguli, vitam filio agonizanti à CHRISTO impetrantis, cognitoq; miraculo cum univerſa ſua familia converſi. Partimur Evangelium in tres partes, ſecundum tres, quarum incidit mentio, perſonas. Videbimus itaq;

I. *Regulum pro ſalute filii ſolicitantem;*

II. *CHRISTUM Medicum, filium ſanantem;*

III. *Reguli famulos, miraculum annunciantes.*

PARS I.

In prima itaq; Evangelii parte notanda venit

I. *Perſona conditio.* Conſideratur illa in triplici ſtatu vel vitæ genere.

1. *Ut Magiſtratus politicus*: dicitur enim βασιλικὸς, regulus, uti vetus interpres reddidit. Vocabantur autem Reguli, quorum anguſtiores erant ditiones, quales hodiéq; ſunt Comitum, Baronum, Satraparum. Syrus Regis miniſtrum adpellat, quem Græcus Regium vocat, ita dictum, vel quòd ex regio genere eſſet oriundus; vel quòd regio in Capernaum munere fungeretur. Pleriq; enim interpretum ſentiunt, præfectum illum fuiſſe vel aulicum Herodis, quem vulgò Regem ſalutabant. Marc. 6, 14. Hieronymus dicit *Palatinum*, quòd eſſet de palatio vel aula Herodis. Lyranus officialem Imperatoris, ad Galilææ cuſtodiam deputatum, more noſtratium Capitaneorum. Dn. D. Chemnitius probabiliter ſtatuit, fuiſſe Chuſam, Herodis ἐπίτροπον ſive Præfectum, cui adminiſtratio aliqua fuerat commiſſa, cujus uxor Johanna, Luc. 8, 3. refertur inter CHRISTI ſectatrices, dicit enim Johannes, totam ejus domum in CHRISTUM crediſſe. Gentilis an Judæus fuerit, diſceptatur: prius probatur Hieronymo; ſed quia infidelitatem ipſi CHRISTUS exprobat cum Judæis communem, 1. Cor. 1, 22. rectiùs ſentire videntur ii, qui Judæum fuiſſe putant: habuit enim initia fidei de Meſſia. βασιλικὸς ſive Regulus quis.

2. Ut pater φιλόστοργος; habuit enim uxores & liberos.

3. Ut paterfamilias bonus, qui ſervos domi aluit.

II. *Cauſarum adſignatio.* quibus ille compuſus ad CHRISTUM inter quinq; milliarium ſuſceperit. Cauſæ impellentes ſunt duplices.

explicat, in quarum prima dicitur: non creditis: (non quòd prorſus abſq; omni fide acceſſerit, alioqui enim CHRISTI opem non imploraſſet, ſed valde exigua & infirma) in ſecunda; credidit ſermoni: in tertia, credidit tota ejus domûs; quarum poſtremâ docetur progreſſio veræ fidei, à corporalibus ad ſpiritualia. totaq; doctrina de CHRISTI perſona & officio, quam ſit amplexus publiceq; profeſſus, & profitendo propugnaverit, inſinuatur.

7. *Familiæ inſtructio;* erudit enim eam de miraculo, cùm deprehenderet, eâ ipsâ horâ contigiſſe filio ſanitatem, quâ CHRISTUS illam promiſerat.

Τὰ ψεκτὰ *culpanda* in regulo ſunt duo:

1. *Tardior ejus acceſſus;* quia non niſi rebus deſperatis venit. Dn. D. Chemnitius harm. Evang. cap. 33. commemorat, regulum domi exſpectaſſe adventum CHRISTI; ſperaſſe enim, ipſum ad metropolin potiſſimùm Galilææ, Capernaum venturum. Dùm vero audiret, occidentem verſus eum deflexiſſe, & rediiſſe in Canam; ibi tum demum veniſſe, & periculum filio ſuo imminens expoſuiſſe.

2. *Orationis defectus*, quem prodit,

1. *corporalem CHRISTI præſentiam petendo & urgendo.* Fatetur quidem, poſſe CHRISTUM filium, morti licèt vicinum, præſentem ſanare; at localiter abſq; ſe remotum poſſe ſanare, vel mortuum etiam reſuſcitare, hoc verò illud eſt, quod non credit.

2. *Tempus auxilio ferundo determinando;* vult enim CHRISTUM maturè venire, antequam filius moriatur.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Inter aulicos etiam ſuos CHRISTUS habet ſanctas reliquias, idq; poſt regulum hunc teſtatur exemplũ Joſephi, Moſis, [Act. 7, 22.] Davidis, Danielis, aulicorum Neronis, Obadiæ, Ebedmelechi, & aliorum Phil. 4, 22. Jer. 38 & 39. D. Theod. p. 786. *Aulici quidam Chriſto addicti*

II. Aula in Scriptura ſacra ſæpè piis DEI viris fuit periculoſa. D. Finck. cent. 3. can. 15.

III. Rectè autem ex hoc loco contra Anabaptiſtas inferimus, Magiſtratum politicum eſſe ſtatum DEO probatum & acceptum. Vide locos. *Magiſtratus ſtatus DEO gratus.*

IV. De

Vitæ fragilitas.

IV. De vitæ humanæ fragilitate & inconſtantia. D. Theod. pag.782.

V. Ex reguli petitione, ad CHRISTUM ἱκετευτικῶς inſtituta, ſtabilitur cultus adorationis religioſæ, etiam Filio Hominis debitus. Matth. 2, 11. & 8, 2. & 20, 30. Johan. 8, 38. Hebr. 1, 6. Phil. 2, 19. Apoc. 5, 12.

Conjugiũ Schola crucis.

VI. Conjugium eſt Schola crucis, patientiæ & vocationis. Vide D. Theod. p. 782. 783.

VII. Crux inſtar pædagogi nobis eſt, ad CHRISTUM in calamitatibus & anguſtiis conſtitutos adducens. Pſal. 119, 71. Eſa. 26, 16. & 28, 19. Oſe. 6, 1. Job. 5, 17. Prov. 17, 3. 1. Cor. 11, 32. Gal. 3, 4. Phil. 1, 12. Jac. 1, 3. 12.

IIX. Chriſtianorum in Scriptura ſacra tribulationes ſunt duplices, communes & propriæ. D. Finck. cent. 4. can. 6.

Parentum officium.

IX. Parentes curam decet agere liberorum: conſule libellos Catecheticos in tabula Oeconomica; præ cæteris etiam D. Theodor. p. 783. 784.

Liberis ægrotantib9 quid faciendum.

X. Ægrotantibus liberis parentes ordinem in verbo præſcriptũ ſequantur; 1. *CHRISTUM adeundo;* 2. Sam. 12, 16. Matt. 15, 22. & ſeqq.

2. *Miniſterium conſulendo;* Jac. 5, 14. 15.

3. *Medicos accerſendo;* Sir. 38, 9. 12.

4. *Fidelem eorum curam agendo.* 1. Tim. 5, 12.

Magiſtrat9 pii officiũ & ſpeculũ.

XI. Speculum præfert politicis gubernatoribus hic noſter regulus,

1. *In ſpectanda pietate*, Pſal. 111, 10. Sir. 1, 16. 1. Tim. 4. 8. Deut. 17, 18. Joſ. 1, 8.

Principis eſt virtus maxima, noſſe DEUM.

2. *In colenda humilitate*, quam declarat in reverentia erga CHRISTUM, cœleſtem Evangelii Doctorem. Mich. 6, 8. Sir. 3, 20. Nihil excelſum, niſi quod placidum.

3. *In exercenda humanitate* erga famulos, de quo infra.

Crucis utilitas.

XII. De ſumma crucis utilitate, Vide D. Theod. p. 785.

XIII. Fides eſt ex auditu verbi. Zach. 8, 23. Johan. 17, 8. 20. Rom. 10, 14. 17. 1. Cor. 3, 6. Eph. 2, 20. Col. 1, 6. 7. 1. Timoth. 3, 15. Hebr. 11, 11.

Fidei proprietas.

XIV. Fidei veræ proprietates aliquot h. l. notantur in perſona reguli ceu ſunt, 1. notitia de CHRISTO; Rom. 10, 14.

2. pro-

Digitized by Google

2. promiſſionum generalium adplicatio;
3. niti non propria dignitate, ſed ſolâ DEI gratiâ;
4. adhærere verbo πρώτως, non miraculis; Theod.p.789.
5. firmiter & ſine hæſitatione confidere;
6. experientiam antevortere;
7. per confeſſionem foras prodire.

XV. Fides ſua habet incrementa, eſtq; in aliis major, in aliis minor; & fides infirma eſt etiam fides. Vide D.Hunn. in Johan.h.l. & D. Theod.p.787. Fidei incrementa & infirmitas

XVI. Humiliemur & nos ſub potenti DEI manu. Vide Dominic.17.poſt.Trinit.

XVII. Peccata auditorum maſculè ſunt redarguenda. Vide D.Theod.pag.709. Officium ἐλεγκτικὸν

XIIX. Gorreptiones autem, miniſterii cumprimis æquô animô ferre diſcamus. Prov.13,18.& 15,5.12.31.32.& 17,10.& 19,25. & 21,11. & 27,5.& 28,23. Sir.7,6. Matth.18,15. Gal.2,11. & 6,1. 1.Theſſ.5,14.

XIX. In precibus requiritur perſeverantia. Matth.7,7.Luc.11, 9.&18,1. & 21,36. Pſal.119,62. Rom.12,12. Eph.6,18. Col.4,2. 1. Theſſ.5,17. 2.Theſſ.3,1. 1.Tim.5,5. D.Theod.p.791. Officii ἐλεγκτικοῦ finis.

XX. Omnium adhortationum, in Scriptura ſacra contentarum, finis ac ſcopus eſt, ut peccati vitetur enormitas & deformitas. Errant itaq: auditores delicatuli, qui Paſtori Eccleſiæ, vitia liberè ex officii ratione taxanti, neſcio quam dicam ſcribere attentant. Vide D. Finck.cent.1.can.52. Precũ perſeverantiã.

XXI. CHRISTO in ferendo auxilio nihil quidquam præſcribendum.

PARS II.

Medicum ſanantem, Dominum JESUM quod attinet, in illo duo obſervationem vel maximè merentur.

I. *Reguli objurgatio:* Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis, ſcil. verbo & promiſſionibus DEI; vel me eſſe Meſſiam. Hæc verò objurgatio non tàm ad regulum, quàm ad gentem Judæorum univerſam eſt directa. Ea enim ſolô verbô contenta eſſe nolebat; ſed inſuper etiam requirebat *σημεῖα καὶ τέρατα*. *Σημεῖα* ſunt ſigna communia, in quibus natura non planè repugnat, ſed organa quædam habet, ut ſanare claudum. Et quia literæ, ut characteres vocum etiam

iam σημεῖα dicuntur, intelliguntur itaq; ſigna, quibus verbum à DEO prolatum, & fides ejus verbi confirmatur, uti Dn. D. Chemnit. d.l. adnotavit. Τέρατα ſunt, τὰ παρὰ τὴν φύσιν γινόμενα, quæ ſupra, contra & præter naturam fiunt ſingularia portenta, oſtenta, prodigia, & talia Judæi expoſcebant. Fides itaq; reguli objurgatur ideò, quòd egeat miraculorum adminiculô. Chemnitius refert hanc reprehenſionem ad animi in regulo, adfectionem, quæ facit, ut doctrinam & promiſſiones verbi non ita curaret, ſed miracula tantùm exſpectaret; cùm tamen hæc illius confirmandi gratiâ eſſent adhibita.

τέρατα

II. *Miraculoſa filii ſanatio*, unicô iſto CHRISTI verbo perfecta; vade, filius tuus vivit: q.d. non opus eſt, ut tecum deſcendam, aliter enim petitioni tuæ ſum facturus ſatis, non eô, quem tu mihi præſcribere auſus es modô ac tempore; non enim tecum deſcendam, & filium tuum nihilominus abſens ſanabo. Vade domum; jam enim filius tuus morbô liberatus & ſanitati reſtitutus vivit & valet optimè. Græcum enim ζάω, non rarô idem eſt ac convaleſcere à morbô. Ita unâ operâ duos curat JESUS, filium â febri, parentem ab incredulitate ſua.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Deus cur durius nobiscum agat.

I. Duriùs quandoq;, loco exauditionis, DEUS nobiſcum agit, ut vitia, quæ fidem contaminant, corrigantur, & obſtacula fidei removeantur. Matth.15,24.

Signorum petitio.

II. Signorum petitio in Scriptura ſacra nonnunquam adprobata, nonnunquam reprehenſa fuit. Vide D.Finck. centur.4.can.5.

Miraculorum finis.

III. Doctrina de miraculis h.l. poteſt tractari, quorum finis eſt, verbi fideiq; confirmatio. Marc.16,17. Matth.9,8. & 15,31. Joh.6,14. & 11,45. Act.19,17.

IV. Verbô confirmatô miracula deſierunt: data enim ſunt propter incredulos. 1.Cor.14,22. Joh.20,29.

V. Per miracula non probantur oracula, h.e. à miraculis ultimo mundi tempore perpetratis, ad confirmationem articulorum fidei, nulla eſt conſequentia, nulla firmitudo. D.Finck. cent.1.can.87.

VI. Evangelia ſacra per CHRISTUM Evangeliſtas & Apoſtolos in Scriptura ſacra paſſim miraculis & ſignis confirmata leguntur. Idem cent.3. can.27.

VII. Diſtribuite tempora & concordabit Scriptura: non itaq; valet conſequentia, in primitiva Eccleſia fuerunt & viguerunt miracula. Ergò hodieq;. Idem cent. 1. can. 9. Papiſtæ miracula poſtulantes.

IIX. Patet inde, quo locô habendum ſit αἴτημα vel poſtulatum illud Papiſtarum, quô nova à nobis miracula moroſè & magno clamore flagitant, cùm tamen (1) illam nos confiteamur doctrinam, quæ ſtupendis Prophetarum, CHRISTI & Apoſtolorum miraculis ante aliquot ſecula jampridem confirmata eſt; (2) doctrina verò non ex miraculis, ſed miracula ex doctrina ſint æſtimanda & examinanda: (3) ipſorum miracula falſa ſint & Antichriſtiana. Matth. 16, 4. & 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9.

IX. Magnum eſt diſcrimen inter vera & falſa ſatanæ organorumque ejus miracula: differunt autem inprimis fine; illa gloriam DEI illuſtrant, doctrinam veram confirmant, & Eccleſiam in pietate ædificant: hæc idololatriæ falſæque doctrinæ patrocinium, hominum ſeductionem, hæreſeon & mendaciorum confirmationem quærunt. Miracula vera & falſa differũt.

X. Malè ergô miracula genuina & infallibilis Eccleſiæ veræ nota conſtituuntur. Nam (1) non ſunt Eccleſiæ propria, ſed falſis etiam doctoribus communia: Matth. 24, 24. Exod. 7, 11. Deut. 13, 1. 2. Matth. 7, 22. (2) Non ſemper competunt Eccleſiæ: (3) Phariſaicum & Judaicum quid ſunt. Matth. 12, 78. Marc. 8, 11. Luc. 11, 29. Joh. 6, 30. 1. Cor. 1, 21. Auguſtinus lib. 22. de C. D. cap. 8. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium quia mundô credente non credit.* Miracula non ſunt Eccleſiæ nota.

XI. Teſtimonium habemus communicatæ CHRISTO ſecundũ Humanam Naturam tùm omnipotentiæ, tùm majeſtatis & omnipræſentiæ divinæ: abſens ut præſens tulit opem. Communicatio idiomatum.

Sophiſticè interim agunt Calviniani Doctores, præſentiam CHRISTI in cœna ideô negantes, quia abſens corpore potuit ſanare hunc moribundum: Ergò nos etiam ſpiritualiter eſurientes & ſitientes corpore ſuô crucifixô, [quæ verba ſunt Nahumi] licèt in cœlo maneat, paſcere poterit. A poſſe enim ad eſſe ac velle non valet conſequentia. Quæſtio eſt, non de potentia, ſed voluntate. Ἀδολεσχία Calviniano homine digna. Calviniani de præſentia Chriſti in Cœna.

XIII. Fides infirma, non eſt dubitatio, ſed vera quoq; fides; unde CHRISTUS eandem non faſtidit, neq; abjicit, ſed ſtabilit & nutrit Fides infirma.

nutrit. Ezech.34,16. Eſa.35,3. & 42,3.& 66,2. Pſal.51,19. Luc.17, 5.& 22,32. Act.20,35. Rom.14.1. & 15,1. 1.Cor.8,7.9. & 10, 28. 29 1.Theſſ.5,14.

XIV. Variis autem modis infirmi in fide corroborantur; de quibus vide D.Theodor.pag.793.

PARS III.

Reſtat ultima pars, de ſervis vel famulis reguli, qui tribus potiſſimùm à Johanne virtutibus inſigniuntur.

1. Veniunt in occurſum Domini, eô fine, ut ſolicitudine herum ſuum liberent.

2. Congratulantur hero ſuo, de reſtitutione filii congaudentes.

3. Credunt in CHRISTUM: ita enim Evangeliſta Johannes: Credidit & ipſe, [Regulus] & tota ejus domus. Quid verò crediderunt? Certè [addit D.Chemnitius] non hoc tantùm hiſtoricè crediderunt, ægrotum illum jam eſſe ſanatum: vel CHRISTUM horâ ſeptimâ verbum illud dixiſſe; ſed JESUM eſſe Meſſiam.

Cauſa inſtrumentalis fidei eſt;

1. *diligens reguli de hora vel tempore reſtitutionis percontatio.*

2. *fidelis heri inſtitutio.* Qualis enim ipſe, tales ſuos vult eſſe domeſticos. In mente illius magna fidei lux unico CHRISTI verbô eſt accenſa; quod vel inde patet, quòd non uſq; adeò anxiè & tumultuariè domum properet, ſed ut animô eſt tranquillô; ita lentò & placidô itinere procedit: [illô enim die non rediit Capernaum, quod factu ipſi fuiſſet facile] Tales ergò h.e. credulos ac fideles, ſuos etiam conatur efficere domeſticos.

Colophonis locô additur Epiphonema, quô prædicat Evangeliſta ſingulare quiddam in eo, quòd fuerit ſecundum ſignum, non inter omnia, quæ JESUS fecerat in miniſterio ſuo: nam multa alia ab eo facta erant Hieroſolymis & in Judæa: Joh.2,23.& 3,2. ſed inter ea tantùm, quæ proficiſcens ex Judæa in Galilæam, in Cana Galilææ civitate deſignavit: reliqua enim ſigna ab Evangeliſtis aliis deſcripta, & in Galilæa facta, huic ſunt poſtponenda. Vide D.Chemnit.d.l.pag247.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. A rebus ſpiritualibus ad corporales valet conſequentia. D. Finck.centur.2.can.18.

II. Of-

II. Officium ſervorum frugi in eo etiam conſiſtit, ut de felicitate dominis ſuis congratulentur. 1.Reg.1,47.Rom.12,15. 1.Cor.12, 26. Col.3,22. **Servorum officium.**

III. Domini & Dominæ humanitatem etiam præſtent ſuo famulitio. Sir.4,35. Eph.6,9. Job.31,13.14. **Dominorum officium.**

IV. Fides vera nunquam eſt otioſa, aut ſine operibus Gal.5,6. **Fides negotioſa.**

V. Fides piorum vel in adfectu, etiam ante effectum, eſt effectiva, 1.Sam.17,34. & ſeqq. D.Finck.centur.4.can.54.

VI. Fides ſemper innititur verbô & promiſſionibus DEI. Ibid.

VII. Scrutinium in articulis fidei hoc reguli exemplô ſtabilitur: plurimùm enim hoc exercitium ad veritatis patefactionem, fidei confirmationem, adverſariorum confuſionem, infirmorum conſolidationem facit. Joh.5,39. Luc.1,34. Act.17,11.

IIX. Boni patrisfamiliâs eſt, diligenter familiam ſuam in vera pietate & agnitione DEI tùm informare, tùm exercere. Gen.18,19. Deut.6,7. Jac.5,20. D.Theodor·pag.794.795. **Patrisfamiliâs officium.**

DISPOSITIO SECUNDA.

Propositio διμερής.

In hodierna Evangelica lectione ſenſûs non ſunt inveſtigatione difficiles, ſed digni prædicatione, digni admiratione & laudatione, quod Auguſtini quondam fuit tract.15. in Joh. de hac pericope judicium. Prædicatione itaq; dignum cùm ſit Evãgelium, Regulum ſolummodò, ut genuinum CHRISTI diſcipulum conſiderabimus, & quidem dupliciter;

I. *in ſtatu diſcentium;*

II. *in ſtatu proficientium.*

PARS I.

Scholam fidei habemus in hoc Evangelio: fides enim reguli ſua habet exercitia, non tantùm ratione initii, ſed & ratione augmenti & complementi. Hinc ſubjectum hoc noſtrum primâ parte conſiderabitur in ſtatu diſcentium. Nota virtutes boni hujus diſcipuli. (Schüler Tugenden) harum **Diſcipuli boni virtutes.**

I. eſt *audire.* Auditus eſt proprius diſciplinæ ſenſus. Idem in hoc quoq; CHRISTI diſcipulo deprehenditur, cujus notetur deſcriptio, petita

1. *ab officio.* D. Oſiander exiſtimat, fuiſſe ipſum Romanum aliquem Magiſtratum, à Cæſare eò deſtinatum, ut populum Judaicum in of-

Digitized by Google

in officio contineret, quales plures præfecti Romani tunc fuerunt in Judæa & Galilæa. Theophylactus *regium illum vocat, vel quòd ex regio erat genere; vel quòd gerebat dignitatem quandam, ob quam ſic vocabatur.*

2. *Ab infortunio;* filius ejus infirmabatur, laborans πυρετῷ, ardenti & periculoſiſſimâ febri, uti infrà nominabitur. B. Lutherus in poſt. dom. Das Fieber bey den Jüden/vnd die Peſtilentz iſt ein Ding. Juvencus in Evang. hiſt. p. 349. ita:

——— ——— ——— *natum morbus anhelô*
Ardore extremis vitæ torrebat in oris.

3. *Ab adjuncto ſtudio.* Calamitate enim hac domeſticâ impulſus de CHRISTO Medico probatiſſimo quærit. Colligitur ſtudium illius ex eo, quòd de adventu CHRISTI audiviſſe dicitur.

II. Hinc eſt ſecunda boni diſcipuli virtus, *Scholam frequentare, & Præceptori ſuo adhærere.* Motus enim Regulus famâ de CHRISTI in Galilæam reditu, ad ipſum in oppidum Canam properat, rogans ut ſecum in Capernaum deſcendat, & præſentem filio ſuo opem ferat; laborat enim morbô acutiſſimô, ita ut jam de vita ipſius actum videretur.

III. Tertia virtus eſt, *correptionem patienter ferre.* Durius enim ſortitus à CHRISTO reſponſum, non indignatur Magiſtro; ſed ſurdis auribus juſtam ἐπιτίμησιν præterit; quin potiùs orando & obſecrando pergit, inſtanter priorem petitionem urgens. Jeſuitæ verba hæc CHRISTI non volunt eſſe ἐπιτιμητικὰ, increpatoria, ſed παραμυθητικὰ conſolatoria; q. d. miraculis opus eſt, ut credatis, itaq; ad fidem vos deducam. Detorſio hæc eſt violenta, à contextu Evangelico planè aliena. Verè taxatur à CHRISTO, non Reguli tantùm, ſed reliquorum quoq; Judæorum ἀπιστία ſive incredulitas; conaturq; eos à miraculis ad verbum adducere efficaciſſimum. Confirmat hanc ſententiam Theophylactus, inquiens: *At Dominus perſtringit eum, utpote non perfectam, ſed parvam habentem fidem. Interim autem & alios cives Capernaum accuſat. Videntur enim ubiq; ob multam incredulitatem condemnari.*

Quæris; cur beneficium petens objurgatur? Reſp. quia

1. præſentiam ejus rogat, qui abſens ſanare poterat. Juvencus:

Advolat, & precibus ſobolis pro ſorte profuſis
Orabat, celeris depoſcens dona ſalutis,
Ne priùs ad lethum natus traheretur acerbum.

2. Quia tardiùs, rebus nimirùm omnibus jam deſperatis, ad CHRISTUM demum venit.

3. Quia

3. Quia in Galilæa primùm CHRISTO occurrit, quem in tanto filii periculo in Judæa etiam, loco licèt remotiori, quærere debebat.

Uſus I. Informatorius.

1. De Chriſtianorum in calamitatibus hærentium officio. Horum enim eſt, *Crucigerorum officium.*

   1. CHRISTO *auſcultare diligenter;* is enim ſolus eſt audiendus; Matth. 17, 5. Deut. 18, 19.
   2. *Orare ardenter;* Eſa. 26, 19. Pſal. 50, 15. Jac. 5, 13.
   3. *Crucem portare patienter.* Eſa. 28, 19. Tob. 12, 13. Thr. 3, 26.

2. De parentum & liberorum officio. De parentibus præced. diſp. diximus. Liberorum officium conſiſtit in *Liberorum officium.*

   1. *honorando;* Levit. 19, 3. Sir. 3, 3. & ſeqq. & 7, 29.
   2. *obtemperando:* Prov. 23, 21. Obediendum autem parentibus
      1. in rebus, pietatem & honeſtatem concernentibus; Actor. 5, 29. Matth. 10, 37.
      2. in obeundis laboribus; otia dant vitia;
      3. in fugiendis malôrum converſationibus. Sir. 13, 1. 1. Cor. 15, 33.
   3. *Nutriendo;* debent enim illis ἀντιπελάργησιν: 1. Tim. 5, 4. Lex vetus ait: ἐάν τις μὴ τρέφῃ γονεῖς, ἄτιμος ἔστω.
   4. *Tolerando* 1. *paternam correptionem:* Prov. 12, 1. & 22, 15. 2. *eorum infirmitates.* Sir. 3, 12. Tob. 4, 4.

II. Conſolatorius.

I. Cùm in conjugio non omnia ad nutum cadant, ut quotidie ſint eſca homini — *pax, requies, riſus, veneres, jocus, oſcula, cantus;* ſed ſpinis & carduis hic ſtatus ſit obſitus, ſciendum, quòd invocantes DEUM in die tribulationis verè velit exaudire & juvare. Vide Monr. theſ. pag. 322. *Conjugatorum ſolatium.*

II. Quòd DEUS infirmos in fide non abjiciat. Ib. p. 323.

III. Monitorius.

1. De vitæ humanæ miſeria multiplici, de qua rectè olim Heſiodus: *Miſeria vitæ hujus.*

   Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα. Et

   Exemplû tragici non caret ulla domus.

Job. 7, 1. Sir. 40, 1. & ſeqq. Pſal. 90, 13.

2. De

2. De non invertenda morbos medendi methodo. Pleriq; hominum præpoſterè agunt: primùm quærunt Medicos; à quibus cùm nihil conſequuntur vel ſalutis, vel auxilii, ad DEUM demum ire pergunt. Sir. 38, 9. & ſeqq.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de extrema unctione. Pontificiorum, ex hac filii ſanatione ſuum, quod vocant, unctionis extremæ Sacramentum ſtabilire, & in ægrorum viſitatione hanc pericopen prælegere præſumentium. Vide Eſauvitam Schererum, integram concionem in Sacramenti hujus probatione inſumentem, eiq; vim meritoriam tollendi peccata adſignantem, pag. 668. & ſeqq. Verùm quia huic Papiſtarum Sacramento definitio veri Sacramenti non congruit; nec partib9 illud conſtat Sacramenti συςατικαῖς, nec ullum habet in Scriptura ſacra vel mandatum vel promiſſum, eadem facilitate à nobis repudiatur, quâ ab illis adſtruitur. **Unctio Apoſtolica.** Unctionem Jac. 5, 14. 15. quod ſpectat, maxima eſt inter illam & Sacramentum unctionis Papiſticæ differentia ac diſparitas. Nam (1) unctio Apoſtolica conferebatur ægrotantibus, benè tamen adhuc ſperantibus: Papiſtica confertur ſemimortuis & in agone conſtitutis. (2) Illa propter valetudinem recuperandam; hæc propter peccati reliquias delendas. (3) Illa fuit medium & ſymbolum miraculoſæ ſanationis, quæ tantùm ad tempus duravit; & jampridem in Eccleſia ceſſavit; hæc pro Sacramento Eccleſiæ perpetuo jactitatur. Quod autem (4) de peccatorum remiſſione additur à Jacobo, illud non unctioni, ſed εὐχῇ τῆς πίςεως verſ. 15. adſcribitur.

PARS II.

Audivimus qualem ſeſe præſtiterit Regulus in ſtatu diſcentium; audiamus etiam, qualis fuerit in ſtatu proficientium; nimirùm

1. *Credulus ſive fidelis:* δεῖ τὸν μανθάνοντα πιςεύειν, uti Philoſophus ait: ita credidit homo (Regius) ſermoni, quem dixit JESUS, de reſtituta filio ſanitate, nullus dubitans, quin filium domi reperturus ſit ſalvum & incolumem. Juvencus p. 349.

Hu verbis fructum mox perceptura ſalutis
Pulcra fides, animum lætandi in pectore firmat.

Sedulius reſpiciens vim verbi præſentis ita canit, l. 3. carm. p. 88.

— — *quantum imperii fert juſſio CHRISTI!*
Non dixit, victurus erit, ſed jam quia vivit,

Digitized by Google

More DEI, qui cunctá priusquam nata, videndo.
Præteritum cernit, quicquid vult eſſe futurum.

2. *Obſequens.* Obedientia, optima reverentia! Juſſus enim continuò abit domum.

3. *Sedulus & diligens.* Diſcipuli frugi eſt, audita & lecta repetere: idem facit Regulus,

1. *ſervos interrogando,* & de hora reſtitutiònis ſciſcitando. Quærit, non quòd de vi verbi & veritate miraculi dubitaret, ſed ut fidem ſuam magis confirmaret.
2. *Domeſticos ſuos*, uxorem nimirùm, liberos & famulos, *de* CHRISTO *informando.* Ita quaſi novus jam homo cum tota ſua domo credit, & in fide ex temporis harmonia mirificè confirmatur. Hinc Juvencus Presbyter:

Ille ubi cognovit certum concurrere tempus,
Sanantis CHRISTI *verbis, tunc ſeq; domumq;*
Mancipat, amplexus fidei venerabile donum.

Uſus I. Informatorius.

1. De ratione brevi multùm in Schola CHRISTI proficiendi. Fiet verò iſtud quintuplicìter potiſſimùm: Schola Chriſti profectus.

1. *Infirmitatem candidè agnoſcendo;* Regulus neq; ſuum, neq; filii morbum celat, ſed revelat. 1. Joh. 1, 8. Pſal. 32, 3. Prov. 28, 13.
2. *CHRISTUM ſponté accedendo:* in verbo Ille & Sacramentis invenietur. Exod. 20, 24. Matth. 18, 20. & 28, 20. Joh. 6, 54.
3. *Verbo ejus piè credendo;* Jer. 5, 3. Sir. 1, 34. Pſal. 27, 13. Matth. 21, 22. Marc. 9, 23. Act. 16, 31.
4. *Benè monenti promtè obediendo:* 1. Sam. 15, 21. Pſal. 123, 2. 3. Hebr. 13, 17.
5. *Audita ſæpè repetendo,* aliiſq; largè communicando. Deut. 6, 7.

2. De fide, ejuſq; natura, conditione ac proprietatibus. Jam notentur quæſtiones ſaltem nonnullæ. Fidei natura & proprietates.

1. *Quid ſit?* Non nuda hiſtoriæ cognitio; multò minùs ignorantia: (ita ignorantiæ Theologicæ fratres in Papatu fidem definiendam cenſent; ἀτόπως, ἀϑεολόγως!) Sed fides vera quatuor habet προκείμενα ſive requiſita: (1) notitiam; (2) adſenſum; (3) firmam fiduciam; quæ Spiritui ſancto dicitur πεποίϑησις, πληροφορία, παῤῥησία: (4) & adplicationem. Hebr. 11, 1. Rom. 4, 18. Eph. 3, 12. Fides quid Fidei requiſita

Digitized by Google

Fides unde ?

2. *Unde ſit?* Non certè ex naturalibus hominum viribus: eſt enim donum DEI fides. 2. Theſſ. 3, 2. Joh. 6, 29. Phil. 1, 29. Oritur autem 1. *ex gratia DEI præveniente;* Hebr. 12, 2. Phil. 2, 13.
2. *A verbo efficaciter in nobis operante.* Rom. 10, 18. 1. Cor. 3, 5. Actor. 10, 44. & 16, 14. Eſa. 8, 20. Luc. 16, 29. Matth. 17, 5. Luc. 10, 14. Col. 3, 16.

Fides ut conſervetur.

3. *Quomodo conſervetur?*
1. *Verbi & Sacramentorum adminiculô;*
2. *precum ſubſidiô.* Marc. 9, 24. 1. Cor. 10, 13.
3. *Spiritûs ſancti auxiliô.* Phil. 1, 6. Rom. 8, 26.

Fidei natura & proprietas.

4. Quæ natura & proprietas fidei?
1. *CHRISTUM amplexari:*
2. *orare & orando inſtare;*
3. *auxilium fiducialiter exſpectare;*
4. *cor exhilarare;*
5. *Aliis commodare.* Gal. 5, 6. Jac. 2, 18.

B. Lutherus: Den Glauben / da das Hertz alle Zuverſicht allein auff Gott ſetzet / fordert Gott im erſten Gebot. Item: Wer recht from werden wil / der muß am erſten Gebot anheben / vnd an Chriſto / daß alſo das Hertz zu erſt from werde / das iſt / Gott vertrawe vnd gläube.

II. Conſolatorius.

1. Quòd fides infirma DEO etiam probetur. Marc. 9, 24. Joh. 6, 37. & 11, 24. Matth. 17, 20. & 21, 21.

2. Quòd DEUS ultra vires neminem tentet. 1. Cor. 10, 13. 1. Sam. 2, 6. Job. 5, 18.

Conjugium quid.

3. Quòd conjugium non tantùm ſit Schola crucis; Gen. 3, 16. 1. Cor. 7, 28. ſed etiam ſchola lucis: Eſa. 26, 19. & 28, 19. Pſal. 94, 19. Oſe. 6, 1. 2. Tandem aqua in vinum vertetur. Joh. 2, 9.

III. Monitorius.

Magiſtratûs ſpeculum.

1. Ut Magiſtratus politicus hunc regium, ceu ſpeculum aliquod virtutum, ſubinde intueatur. Fulget in hoc viro,
1. *pietas,* virtutum omnium regina;
2. *humilitas;*
3. *humanitas;*
4. *liberalitas,* erga CHRISTUM & Eccleſiam

Juventus cur obnoxia morti.

2. De juventute, cur illa morbis & morti obnoxia. Hoc facit DEUS,

u ad

1. *ad corruptionis primævæ demonſtrationem;*
2. *ad communis fragilitatis ſignificationem;*
3. *ad adultiorum commonitionem;*
4. *ad vitæ alterius inſinuationem.*

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Benè, ut omnia, Siracides cap. 34, 11. *non tentatus qualis ſcit.* Eanim. eſt hominum, etiam renatorum conditio, ut extra teli jactum conſtituti fortes adpareant; calamitatibus verò immerſi animis penè concidant. Cùm itaq; omnibus nobis per multas tribulationes in regnum DEI ſit ingrediendum, agite cariſſimi, maturè ex hoc Evangelio diſcamus, *quales nos in cruce & calamitatibus gerere debeamus:* Præcedente diſpoſitione ereximus Scholam fidei; jam *Scholam crucis* aperiemus, monſtraturi modum, feliciter, cum bono DEO exſuperandi omnes adverſitatum inſultûs. **Crucis tempore quales ſimus.**

Ἐξήγησις.

Feliciter in ſchola crucis verſaturo tria potiſſimum ſunt ſpectanda: **Schola crucis.**

Scholæ { *ingreſſus; progreſſus; & egreſſus.* }

I. In ingreſſu Scholæ duo requiruntur:

1. CHRISTI *inquiſitio,* quod regulum hunc feciſſe animadvertimus. Pſal. 50, 15. & 55, 23. Eſt autem illa CHRISTI inquiſitio ſalutaris quidam fructus, quem ex cruce & calamitatibus percipimus. Eſa. 26, 19. & 28, 19. Pſal. 119, 71. Oſe. 6, 1. 2. 1. Cor. 11, 31. Gregor. *Mala, quæ nos hîc premunt, ad CHRISTUM ire compellunt.* Job. 5, 7. Auguſt. *O Domine, hîc cade, hîc ure, hîc ſeca, ut ibi parcas.*

2. *Fidei inflammatio.* In Abrahamo fides ſub tribulatione creſcit. Rom. 4, 18. Regulus noſter fidem quidem habet in CHRISTUM, ſed admodum infirmam, quæ ſolâ viſione & miraculis nititur. Matth. 12, 38. 1. Cor. 1, 22. Talis Nicodemus, oculis corporis modum regenerationis intueri cupiens. Joh. 3, 9. Talis Thomas, & ipſe oculatam fidem requirens. Joh. 20, 25. Tales Papiſtæ & Jeſubitæ, doctrinam noſtram miraculis confirmari petentes. Tales Calviniſtæ, rationis ſuæ ſcrutiniô modum præſentiæ CHRISTI in Cœna æſtimantes. 2. Cor. 10, 5. Auguſt. *Fides eſt, credere, quod non vides.* Hebr. 11, 1. 2. Cor. 4, 18. *Non ſignis, verbô nititur alma fides.* Hic ingreſſus. *Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.*

 II. Por-

II. Porro ad felicem in Schola crucis progreſſum requiritur

1. *precum perſeverantia.* In ſtudiis alias continuatione opus eſt. Sic Regulus preces ſuas ingeminat. Uva non niſi preſſa reddit vinum: Thus non niſi prunis impoſitum eſt odoriferum: Ita pii non niſi calamitatibus preſſi fragrantiam precum reddunt. Matth. 7, 7. Luc. 8, 2. Pſal. 6, 7. & 130, 1. & ſeqq. 1. Theſſ. 5, 17. Eſa. 26, 19.

2. *Divina mora & moris tolerantia.* Solet enim CHRISTUS quandoq; duriùs reſpondere: Jud. 10, 14. Matth. 15, 26. vel faciem ſuam abſcondere: Eſa. 45, 15. Gen. 42, 8. Thren. 3, 10. vel auxilium differre. Joh. 2, 4. Cant. 3, 1. 2. Hab. 2, 3. Luc. 21, 9. Pſal. 27, 14. & 42, 6. Auguſt. *Hora DEI ſunt tarda, ſed valdè deſiderata & grata.* Noſtrum eſt expectare à vigilia matutina ad aliam. Pſal. 130, 6.

3. *Præſentia CHRISTI intelligentia:* eam dum Regulus ignorat, non abſentis, ſed præſentis petit auxilium. Nos verò nobis DEUM in calamitatibus præſentiſſimum ſtatuamus, & quidem καθ' ἀμφότερον, ſecundum utramq; naturam. Pſal. 91, 15. Matth. 18, 20. & 28, 20. Joh. 14, 18. Act. 23, 11. & 27, 23.

4. *In correptionibus patientia.* Pſal. 141, 5. Vide præcedentia

III. *Egreſſus* conſiſtit in gratitudine; ea verò declaretur

1. *credendo;* credenti omnia poſſibilia: Marc. 9, 24.

2. *in beneficia DEI inquirendo:* Regulus ex ſervis & ex eorundem relatione colligit, 1. *operis inſolentiam;*
2. *temporis convenientiam;* hinc fides creſcit & confirmatur. Exod. 3, 3. Dan. 3, 24.

3. *DEUM celebrando, & alios inſtituendo.* Pſal. 103, 1. 2. Gen. 18, 19. Deut. 6, 7. Tob. 12, 6. 7. 20. Luc. 22, 32. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Jac. 5, 12.

Concludimus orantes cum Eccleſia: *Familiam tuam quæſumus Domine continuâ pietate cuſtodi, ut à cunctis adverſitatibus te protegente ſit libera, & in omnibus actibus tuo Nomini ſit devota, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 18. à verſ. 23. uſq; ad finem

23. Διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ,	23. *IDeò adſimilatum eſt regnum cælorum homini regi,*

ὃς ἠθέ-

ὃς ἠθέλησε συνᾶραι λόγον μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ.

24. Ἀρξαμένου δὲ αὐτοῦ συναίρειν προσηνέχθη αὐτῷ εἷς ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων.

25. Μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι, ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ πραθῆναι, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἀποδοθῆναι.

26. Πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος, προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· Κύριε, μακροθύμησον ἐπ' ἐμοὶ, καὶ πάντα σοι ἀποδώσω.

27. Σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου, ἀπέλυσεν αὐτὸν, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ.

28. Ἐξελθὼν δὲ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος εὗρεν ἕνα τῶν συνδούλων αὐτοῦ, ὃς ὤφειλεν αὐτῷ ἑκατὸν δηνάρια· καὶ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε, λέγων· ἀπόδος μοι, ὅ, τι ὀφείλεις.

29. Πεσὼν οὖν ὁ σύνδουλος αὐτοῦ τοὺς πόδας αὐτοῦ, παρεκάλει αὐτὸν λέγων· μακροθύμησον ἐπ' ἐμοὶ, καὶ πάντα ἀποδώσω σοι.

30. Ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν· ἀλλ' ἀπελθὼν ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον.

31. Ἰδόντες δὲ οἱ σύνδουλοι αὐτοῦ τὰ γενόμενα, ἐλυπήθησαν σφόδρα, καὶ ἐλθόντες διεσάφησαν τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα τὰ γενόμενα.

32. Τότε προσκαλεσάμενος αὐτὸν

qui voluit conferre rationem cum ſervis ſuis.

24. Et cùm cœpiſſet conferre, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum.

25. Cæterùm cùm is non eſſet ſolvendo, juſſit eum dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri ſolutionem.

26. Procedens autem ſervus ille, adorabat eum, dicens: Domine, eſto patiens erga me, & omnia tibi reddam.

27. Miſertus autem Dominus illius, abſolvit eum, & æs alienum remiſit ei.

28. Egreſſus verò ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ſibi centum denarios: & injecta in eum manu, obtortô collô trahebat, dicens: ſolve quod debes.

29. Et procidens conſervus ejus ad pedes ejus, rogabat eum, dicens: Eſto patiens erga me, & omnia reddam tibi.

30. At ille nolebat: ſed abiit, & conjecit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Porrò cùm vidiſſent conſervi ejus, quæ fiebant, indoluerunt valdè & venerunt, aperuerunt que domino ſuo omnia, quæ facta fuerant.

32. Tunc accerſivit illum domi-

ὁ κύριος αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ· δοῦλε πονηρὲ, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκά σοι, ἐπεὶ παρεκάλεσάς με.

33. Οὐκ ἔδει καὶ σὲ ἐλεῆσαι τὸν σύνδουλόν σου, ὡς καὶ ἐγώ σε ἠλέησα;

34. Καὶ ὀργισθεὶς ὁ κύριος αὐτοῦ παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ.

35. Οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν.

nus ſum, & ait illi: Servi ſceleſte, totum debitum illud remiſi tibi, cùm obſecraſſes me:

33. Nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus eram?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usq; redderet totum, quod debebatur ſibi.

35. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis ſuo quisq; fratri ex cordibus veſtris delicta illorum.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

Referri poteſt hoc Evangelium tùm ad genus didaſcalicum, ſi attendatur ſcopus, ad quem Salvator in parabola collineat, is verò eſt doctrina de offenſis proximo piè remittendis: tùm ad genus deliberativum, quatenus CHRISTUS ad illam caritatis Chriſtianæ partem in medium productis ſvaſionis argumentis, exhortatur.

Diſpeſcimus verò tractationem Evangelii in tres partes, quarum

I. *actionem Domini cum ſervo;*
II. *actionem ſervi cum conſervo;*
III. *Conclusionem Epiphonematicam, ſive parabolæ adplicationem continebit.*

PARS I.

Tota hæc concio eſt parabolica. Hunc enim morem in miniſterio ſuo obſervavit Servator noſter JESUS CHRISTUS, ut quando doctrinam aliquam profundè auditorum ſuorum cordibus imprimere voluit, eam non nudis & ſimplicibus verbis proponeret, ſed parabolà aliquà veſtiret. Idem etiam in præſentia facit. Scopus ergò parabolæ eſt docere, quòd pater cœleſtis erga peccatores reſipiſcentes ſit quidem miſericordiſſimus, gratis peccata condonans; nihilominùs autem judex & vindex ſeveriſſimus, diſtrictiſſimus erga

cor-

eoſdem, ſi nolint viciſſim fratribus peccantibus offenſas leviores ex animo remittere. In hac ſ[illegible] itaq; parabolæ parte prædicatur Domini, in debito maximo & inæſtimabili remittendo clementia. In conſiderationem hic veniunt duo:

1. Dominus vel creditor;

2. Servus vel debitor,

I. *Dominus* vel creditor adſimilatur in regno cœlorum homini Regi, qui introducitur,

1. ut rationem accepti & expenſi à ſervis ſuis repoſcens:

2. ut debitum in ſervo ſuo indicibile deprehendens, cujus ſumma ad decem millia talentorum ſeſe extendit; h. e. ad tantam ſummam, cui ſolvendæ ſervus in æternum non ſufficiat. Decem millia talentorum conſtituunt ſummam ſexagies centorum millium coronatorum; quæ ſumma ultra ſexaginta auri tonnas excurrit; ſecundum alios ad centum tonnas) talentum enim unum valet ſexcentos coronatos. Talentum.

3. Ut debiti ſolutionem urgens. Non dicit Rex; dimitte miſerum homuncionem, non enim eſt ſolvendo; ſed jubet Dominus ipſum vendere. Hinc proponitur.

4 Ut modum perveniendi ad ſolutionem præſcribens, qui eſt, ut omnibus, quæ poſſidebat, divenditis, ſibi pro debito ſatisfaciat. Loquitur juxta morem conſuetum, quô debitores, qui non erant ſolvendo, vel vendebantur cum uxore & liberis; vel in carcerem mittebantur; vel ſi concurſus creditorum contingeret, in partes ſecabantur, & cuivis creditori una tradebatur. Hinc lex vulgata:

Qui non habet in ære, luat in corpore.

II. *Servus* vel debitor adparet,

1. debitum non negans, ſed agnoſcens; de debito enim admonitus, non jocum eſſe putat hanc exactionem, ſed terretur.

2. Coram creditore ſuo ſeſe dejiciens; procidit in terram, quod eſt humiliantis.

3. Dominum adorans, agnoſcens nimirùm, juſtè ipſum ſibi iraſci, & debitũ jure exigere; rationibus enim productis in conſpectum ejus convincebatur.

4. Dilationem petens & ſolutionem promittens. Hæc enim eſt vulgaris obæratorum levitas, quòd non pudeat eos polliceri, quæ ſe nunquam præſtare poſſe, ipſi ſciunt.

5. Miſericordiam Domini impetrans, quæ declaratur effectu duplici;

1. à pœna abſolutione. Quia enim jam vinctus erat, abducendus,

Digitized by Google

dus, pro more gentis, ad venditionem, magni beneficii locô erat, quòd manumitteretur, & à venditione abſolveretur.

2. *Æris alieni remiſſione*, quæ dimiſſum ſecurum reddidit.

Hæc ſunt membra principalia parabolæ, quorum ἔκθεσις ſive expoſitio breviter ſubjungenda.

Regnum cœlorum.

1. Per *regnum cœlorum*, uti aliquoties dictum, intelligitur Eccleſia in his terris militans.

Rex. homo DEUS.

2. *Rex homo*, eſt DEUS Pater cœleſtis.

Servus eſt homo.

3. *Servus obæratus* eſt Adam cum poſteris. Servus eſt DEI, quia non eſt ſui juris, ſed ſervus Regis hujus triplici ratione:
   1. *ratione creationis*; Pſal. 100, 3. Eſa. 44, 21.
   2. *ratione redemtionis*; 1. Cor. 9, 20.
   3. *ratione ſanctificationis*. Pſal. 123, 2.

Homo debitor.

4. *Æs alienum* decem millium talentorum eſt Lex decalogi, perfectam omnium decem præceptorum obedientiam ab homine requirens, ſed non inveniens. Debitum hoc longè majus eſt, quam quod ab ullo hominum ſolvi queat.

Citatio hominis debitoris.

5. *Servus offertur Regi*, citatus per legem, crucem, tentationes & terrores conſcientiæ, quibus ad agnitionem debiti adigitur, ut quaſi coram tribunali DEI conſiſtens, ſeipſum accuſet.
6. *Debitor* non ſtatim manumittitur, ſed cum ipſo agitur, ſecundum illud, Rom. 2, 9. Quia enim non eſt ſolvendo, (noſtræ vires juſtitiæ divinæ non poſſunt reſpondere) ſervus vendi debet, h.e. tradi in poteſtatem Satanæ, qui eſt ſummus Legis rigor, in æternam eum ſervitutem detrudens.
7. Ita *ſervus ad peccati agnitionem deductus*, coram Rege procidit, & culpam deprecatur, mitiùs ſecum agi petens.

Debitum Deus homini remittit

8. Tandem *omne debitum DEUS ex ſola miſericordia remittit*, atq; ita à peccatis liberatur homo, non per viam ſolutionis, quæ impoſſibilis; ſed per vitam gratuitæ remiſſionis.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Judicii extremi certitudo.

I. Monemur de extremo judicio, quod certò venturum eſt. Act. 17, 31. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10.

II. Ibi

II. Ibi tum omnes homines cogentur ad tribunal DEI, ad reddendam rationem. Vide ſuprà Domin.c.9. & infra Domin. 26.Trinit.

III. Nos omnes DEI Regis noſtri ſervi ſumus. D. Theodor. pag 801.

Servi ſunt homines.

IV. Omnes homines ſunt DEI debitores, h. e. peccatores in conſpectu DEI. Gen.6,5. Job.14,4. & 15,14.15. Pſal.5,10. & 14,4. & 52,14. Eſa.43,27. & 53,6. & 64,6. Rom.3,12. & 5,12. Exod.34,7. Pſal.143,2. Prov.20,9. Mich.7,2. Luc.17,3.10. Gal.3,22. Epheſ.2,3. Eſa.1,6. Job.9,2.3. Pſal.40,13.

Debitores homines.

V. Non poſſumus carere in Eccleſia officiô ἐλεγκτικῷ, quod peccata arguat.* Ita enim cum hominibus comparatum eſt, ut nemo ferè ſponte peccata ſua agnoſcat, multò minus de reddenda ratione cogitet. Vide Dominic. Cantate: & D.Theodor.p.802. ubi docetur, quomodo ad rationes nos DEUS cogat.

Officii [illegible] neceſſitas.

VI. Inæſtimabile eſt peccatorum noſtrorum debitum. Ibid. pag.803.

Debitum hominis.

VII. Lex ergò nihil eſt aliud, quàm exactor debitorum noſtrorum rigidus. Rom.3,20. & 7,7. Luc.10,28.

Lex quid.

IIX. Debitum non eſt negandum, diſſimulandum vel palliandum, ſed humiliter agnoſcendum. 1.Joh.1,9. Pſal.32,5. & 130,3. & 143,2.

IX. Lex ſuos cùm habeat uſus & fines, extra pomœria itaq; Eccleſiæ releganda non eſt, quod Antinomorum quondam fuit delirium.

Antinomi.

X. DEUS juſtè iraſcitur omni peccato, non actuali tantùm, ſed & originali. Rom.1,18. & 4,15. & 6,23. & 11,32. Eph.2,3. Joh.3,36. Eſa.59,1.

XI. Venditi ſumus propter peccatum, h. e. à DEO alienati, in poteſtatem alienam traditi. 1.Reg.21,20.25. Roman.7,14. Vide D. Theodor.pag.805.

Homo venditus propter peccatum.

XII. Vana & profana fuit hodieq; eſt Monachorum & Monialium in Papatu perſuaſio, de operibus ſupererogationis, peccatorum expiatione & ſatisfactione propria. Servus enim non eſt ſolvendo, extrema laborans perficiendi Legem ἀδυναμίᾳ. Act.8.20. Rom. 4,4.5. & 7.14. & ſeqq. & 10,3.4. Eſa.29,1. Matth.15,8.9. Vide eundem pag 804.

Opera ſupererogationis & ſatisfactione Papiſticæ.

XIII. Abſurdi immò impii ſunt Pontificii, poſſibilem ſtatuentes legis divinæ impletionem. Rom.8,3.

Digitized by Google

Lex quomodo poſſibilis.

XIV. Poſſibilia autem ſunt præcepta legis divinæ,

1. CHRISTO Satisfactori & Mediatori, qui pro nobis vel noſtrô locô legem implevit: Matt.5,17. Rom.8,3. Gal.4,4.5.
2. Adamo in ſtatu integritatis:
3. Renatis per gratiam DEI, partim inchoatione, partim imputatione, quatenus CHRISTUS per fidem ipſis eſt juſtitia & legis impletio. 1.Cor.1,30. Rom.10,8.9.

Satisfactio hominis nulla.

XV. Satisfactio autem noſtra pro debito tàm grandi nulla planè eſt. Vide D.Theod.pag.806.

XVI. Confugiendum ergò nobis eſt ad ſolam DEI miſericordiam. Pſal.32,6. Dan.9,7. Luc.18,13. Pſal.51,2.3.

Peccati agnitio.

XVII. Peccatorum agnitio & confeſſio non eſt negligenda. Vide D.Theod.p.806.

Juſtificatio actus judicialis.

XVIII. Patet ex hac parabola Sole meridianô clariùs, noſtram juſtificationem eſſe actum quendam judicialem, ubi peccator in judicium vocatur, poſteà verò ubi culpam deprecatur, abſolvitur.

XIX. Conſiſtit autem illa juſtificatio in gratuita peccatorum remiſſione. Conſule locos & libellos methodicos.

Papiſmus de remiſſione dimidiata.

XX. Dominus ſervo πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν, omne debitum dimittens confundit Eſauvitas cum Tridentino ſuo conciliabulo, ubi ſtatuitur, partem quidem aliquam peccatorum gratis remitti, partem autem reliquam ſatisfactionibus propriis eſſe expiandam. Si totum remiſit debitum, nihil perſolvendum reſtat. Eſa.63,3.

Juſtitia triplex.

XXI. Triplex hoc locô monſtratur juſtitia;

1. *adfectata* juſtitiariorum; hæc DEO eſt exoſa; Luc.16,15. Matth.5,20. (10.
2. *Inchoata*, quæ imperfecta & inſufficiens: Eſa.64,6. Luc.17,
3. *Imputata*, quæ ſola homini juſtificando eſt ſufficiens.

Indulgentiæ Papales.

XXII. Dominus gratis omne debitum ſervo dimittens, nihilq; pro debito ſatisfactionum requirens, totam ſtructuram indulgentiarum Papalium unô q. ictu proſternit.

XXIII. Ea eſt naturæ humanæ ſive perverſitas, ſive præſumtio, ut ſemper majora viribus audeat, polliceatur, atq; adeò propriam ſtabilire juſtitiam præſumat. Rom.8,26. & 10,3. Exod.19,8. Vide D. Theodor. pag.807.

Promittimus plura quàm præſtare valemus.

XXIV. Calamitate aliquâ preſſi plura ſæpenumerò promittimus, quàm præſtare valemus. Ibid.p.808.

XXV. De peccatis admoniti non rideamus; ſed legis citationes

nes admittentes delictorum veniam humilimè oremus. Gal. 6, 7. Pſal. 32, 3.

XXVI. Docemur hac parabolæ parte, quomodo Pater cœleſtis ad peccatorum agnitionem nos deducat; & quâ ratione à peccatis liberemur.

XXVII. Magna eſt Regis erga ſervum obæratum miſericordia: Vide D. Theod. p. 809. quâ tamen ad peccandum non abutamur. Miſericordia DEI.

XXIIX. DEUS & reatum & pœnam propter CHRISTUM condonat. Remiſſio pœnæ & culpæ.

Larga DEI bonitas veniam non dimidiabit,
Aut nihil, aut totum, te lacrymante dabit.

PARS II.

In ſecunda Evangelii parte proponitur ſumma ſervi erga conſervum *inclementia:* & notentur in actione hac ſervi cum cõſervo membra ſequentia.

1. *Servi à Domino egreſſio.* Omnibus haut dubiè inceſſit lætitiis, quippe gratiam & dimiſſionem debiti planè inſperatam conſecutus.

2. *Debitoris inventio.* Egreſſus enim incidit in conſervorum unum, qui debebat illi centum denarios, h. e. decem coronatos; vel ut alii ſupputant, ſedecim florenos. Quid vero ſedecim floreni ad ſexagies mille coronatos?

3. *Strictiſſima cum conſervo debitore actio.* Nam
   1. obviam ſibi factum duriter compellat, ſolutionem rigidè petens.
   2. Ipſe manum injicit, quod herus ipſi non fecerat, ſed vendere ſaltem juſſerat.
   3. Malè eum tractat, obtortô collô trahens, quaſi ſuffocaturus eum: πνίγειν enim eſt ſuffocare.
   4. Deprecantem, & quidem iisdem, quibus ille uſus ad Regem fuerat verbis, non audit, ſed ſpernit.
   5. In carcerem conjicit, non impetratâ Magiſtratûs veniâ, neq; legitimâ cauſæ cognitione antegreſſâ: debita enim debent eſſe liquida.
   6. Tam diu vinctum & captivum tenet, donec debitum omne (ſolvat.

4. *Servi illius delatio,* facta mediantibus conſervis reliquis, quibus dolet tanta cuculi ingrati inhumanitas.

5. *Severa ſervi citatio,* & in jus vocatio.

6. *Graviſſima ejusdem accuſatio,* conſtans
   1. Exordiô ἐνδειϰτιϰῷ; ſerve ſceleſte, nequam. Tribuit illi

Digitized by Google

epitheton, quod in Scriptura ſceleratis aliis tribui ſolet. Gen. 28, 8. 2. Sam. 3, 39. Pſal. 5, 5. q. d. Ego te bonæ frugis ſervum eſſe tùm putabam, tùm volebam; ſed video te eſſe πονηρὸν, hominem nequam, qui me inſciô tàm dura in conſervum ſtatuere auſus fuiſti.

2. Narratione exhibitorum beneficiorum compendiariâ.

3. Exprobratione τῶν παραληφθέντων; nonne oportuit te miſeri? &c.

7. *Atrociſſima ſervi nequam punitio.* Nam

1. Dominus ei iraſcitur;

βασανισταὶ. 2. traditur tortoribus excarnificandus: βασανισταὶ enim ſunt exploratores, qui per tormenta exquiſitiſſima veritatem ex maleficis eliciunt:

3. Omnis ſpes liberationis illi præciditur. Nam phraſis ἕως οὗ

Donec. non indicat tempus, quô ſolvi poſſet tàm grande debitum, ſed liberationis impoſſibilitas, ex debiti impoſſibilitate indicatur. Quia enim debitum manet, manent & pœnæ.

Parabolica hæc ſunt, quæ ἐκθεσιν requirunt. Addam breviter

1. *Egredimur & nos* poſt acceptam peccatorum remiſſionem,

1. corpore ad proximum, in civili & externa converſatione:

2. Animâ à DEO, qui poſterior egreſſus eſt omnis mali principium. In priori obſervemus præceptum Pauli Col. 3, 12.

2. *Homines facile capit oblivio gratiæ* divinitùs conceſſæ, ideoq; non inhumaniter ſolùm, ſed & hoſtiliter tractant proximum parùm omninò vel nihil curantes deprecantis proximi voces miſerabiles, neq; attendentes, quid futurum ſit, ſi DEUS pari cum illis jure agere vellet.

3. *Inhumanitas erga proximum* illa defertur ad DEUM. (Ἀνθρωποπαθῶς hæc dicuntur; ipſe enim non eget nunciis, ut alii reges mundani:) Conſervi deferentes ſunt, (1) vel Angeli; Apoc. 19, 10. Matth. 18, 10. (2) vel homines, de immani hominum duritie dolentes: (3) vel gemitûs & clamores eorum, qui hac ratione læduntur.

4. *DEUS graviſſimè iraſcitur immunitati* & inhumanitati erga proximum, eandemq; ſeverè ulciſcitur, tortoribus infernalibus ejusmodi homines tradendo: horum enim miniſteriô utitur DEUS in inferno, in puniendis hoſtibus ſuis, pœnitere neſciis. Ex inferno autem nulla datur redemtio. Qui enim fratri roganti offenſas remittere recuſant, ſempiternis inferorum flammis adjudicabuntur.

Poriſ-

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. De ſumma ſervi ſceleſti aliorumq; hominum inhumanitate. D. Theodor. pag. 811. Inhumanitas.

II. Gratiam DEI poſſe iterum amitti, ſecundâ hac parabolæ parte luculenter edocemur. Eſa. 1, 4. Ezech. 18, 25. Luc. 11, 24. Hebr. 4, 5. & 10, 29. Pſal. 51, 12. 13. Idem. pag. 815. Gratia poteſt amitti.

III. Graviter itaq; halucinantur Calviniani, docentes, hominem ſemel renatum non poſſe excidere gratiâ DEI, utcunq; contra conſcientiam peccet. Luc. 11, 26. 2. Pet. 2, 20. Luc. 8, 12. Rom. 11, 19. 2. Cor. 6, 14. Phil. 2, 12.

IV. Veteres annotante Dn. D. Chemnitiô, harm. Evang. cap. 93. quatuor obſervârunt peccatorum genera, quibus peccatorum remiſſio revocari & irrita reddi queat: Peccatorũ quatuor genera, quæ remiſſionem irritam reddunt.

1. hæreſis & fidei primæ abnegatio; 1. Tim. 1, 20.
2. odium proximi;
3. ſecuritas;
4. peccati defenſio, ſecundum diſtichon uſitatum:

Fratres odit, apoſtata ſit, ſpernitq́ fateri,
Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.

Sed Scriptura in genere hoc adſcribit omnibꝰ contra conſcientiam admiſſis peccatis. Rom. 8, 13. Gal. 4. 21. 2. Pet. 2, 20.

V. In actionibus cum conſervis altis ita procedamus: Proximus ut tractandus in reconciliatione.

1. ſimus mites erga proximum & συμπαθεῖς: Mal. 2, 10. Act. 17, 26. Zach. 11, 9. Gal. 5, 15. Rom. 12, 25. Col. 3, 12. 1. Pet. 3, 8. Matth. 5, 7.
2. De denariis non litigemus, ubi millia nobis ſunt condonata:
3. Jus noſtrum placidè perſequamur:
4. Ab omni vindictæ cupiditate abſtineamus:
5. Culpam deprecantes libenter, promtè & facilè ſuſcipiamus:
6. In mutuo reſtituendo proximus non nimium coanguſtandus:
7. Inhumaniter jus in proximum non exſequendum. Vide de his plura apud D. Theodor. pag. 812. 813.

VI. Diſcimus prætereà, veram & ſalvificam fidem hanc habere notam, quòd per caritatem operetur, aliâs eſt mortua, & ad ſalutem hominis inefficax, Gal. 5, 6. 2. Pet. 1, 5. Fidei veræ nota.

Digitized by Google

Novatiani.

VII. Nihil hinc patrocinii redit ad Novatianos, ſemel in peccatum prolapſos in gratiam admittere nolentes. Heb. 3, 13. Pſal. 145, 9. Ezech. 18, 23. & 33, 11.

Pœnitentia perpetua.

IIX. Vita autem hominis Chriſtiani ſit perpetua pœnitentia, quia etiam in renatis & per fidem juſtificatis manet peccatum. Rom. 7, 24. Pſal. 32, 1. & ſeqq.

Bona opera neceſſaria, ſed non meritoria.

IX. Bona opera non ſunt arbitraria, ſed certis de cauſis neceſſaria. Dicitur enim in parabola; oportuit te miſereri conſervi tui. Rom. 8, 12. 13. Eph. 2, 10. Tit. 2, 11. 1. Cor. 9, 16.

X. Opera autem bona in ſalutis & juſtificationis negotio nihil quicquam merentur: ſola CHRISTI obedientia eſt meritoria. Luc. 17, 10.

Anabaptiſmus judicia tollens.

XI. Errant Anabaptiſtæ, judicia politica hac parabolà tolli inepientes. Agitur enim, non de ordine Magiſtratûs politici; ſed de regno cœlorum. Evangelium verò non abolet, ſed confirmat politias. Vide D. Theodor. pag. 814.

ἐπιείκεια Chriſtiana.

XII. Etſi verum eſt Jureconſultorum pronunciatum: qui jure ſuô utitur, nemini facit injuriam: danda tamen eſt Chriſtianis opera, ut de ἀκριβοδικαίῳ aliquid remittentes ἐπιείκειαν Chriſtianam ſectentur. Jac. 2, 13. 1. Cor. 6, 7. Matth. 5, 39.

Injuriæ quomodo vindicandæ.

XIII. Ea verò eſt hominum malitia, ut levisſimas quandoque injurias acerrimè vindicare contendant, divinæ miſericordiæ immemores.

XIV. Aliorum potiùs injuriis condolendum, & id agendum ſedulò, ut aliorum pro nobis preces excitentur, quiritationes avertantur. Vide D. Theod. pag. 814. 815.

XV. Cogitandum maximè de ἀμνηστίᾳ injuriarum inter Chriſtianos ſancienda & ſtabilienda. Sir. 28, 1. & ſeqq. Matth. 5, 9.

Papiſmus de purgatorio.

XVI. Nihil hic patrocinii inveniunt Papiſtæ pro fictitio ſuo purgatorio fulciendo. Nam

1. nullius hic carceris fit mentio;
2. particula donec hoc quoq; locô notat tempus infinitum, ſicut Matth. 1, 25. & 6, 15. 35. 2. Sam. 6, 23.

Photinianiſmus de ſatisfactione.

XVII. Erronea eſt Photinianorum collectio: DEUS gratis ex mera miſericordia remittit debita: Ergò nullà opus eſt pro peccato ſatisfactione, nullô λύτρῳ. Committitur fallacia oppoſitorum. Opponunt enim illi, ſed falsò, ea quæ oppoſita non ſunt, ſed tantùm ſubordinata, quæ ſimul poſſunt ſtare. Eph. 2, 9. 1. Tim. 2, 6.

PARS

Digitized by Google

PARS III.

Concluditur Evangelium Epiphonemate ἀξιομνημονεύτῳ, quô continetur parabolæ ad præſentem cauſam vel ſcopum adplicatio. Scopus principalis eſt iſte; hortari Chriſtianos ad delictorum & offenſarum privatarum condonationem mutuam, ratione petitâ ab exemplo Patris cœleſtis in utramq; partem. Notentur quinq; circumſtantiæ.

1. *Quis* proximo offenſas vel injurias illatas remittere debeat? ἕκαστος, quisq;, cujuscunq; ordinis, ætatis ac conditionis ſit, ſive nobilis, ſive ignobilis, ſive dominus, ſive ſervus, ſive Magiſtratus, ſive ſubditus.

2. *Cui* remittere debeat? Quisq; fratri ſuo. Arctiùs fraternitas hæc nos conjungit & colligat, quàm συνδελφία, ut ita loquar.

3. *Quid?* παραπτώματα, h. e. omne id, quô nos offendit in vita privata. Alia eſt eorum ratio, qui publicum aliquod munus, ſive Eccleſiaſticum, ſive politicum, ſive œconomicum gerunt.

4. *Quomodo* remiſſio & reconciliatio fraterna fieri debeat? ἀπὸ τῶν καρδιῶν, ex cordibus, h. e. animô non hypocriticô vel ſimulatô, ſed candidô, verè & ſeriò: qui προσδιορισμοῖς hypocriſi & effugiis veteris Adami variis opponitur.

5. *Cur?* quibus de cauſis? Eas verò jam in πορίσμασι ſubjiciemus, & conferatur Evangel. Domin. 6. poſt Trinit.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. Sancti homines in Scriptura S. virtute erga hoſtes exſplenduére duplici; nempè ut mala ſibi data patienter ferrent, pro malis, non malum, ſed bonum redderent, lædentibus ignoſcerent, eosdem excuſarent, ſe cum illis reconciliarent, & qualemcunq; ſatisfactiunculam acceptarent. D. Finck. centur. 3. can. 98. **Hoſtes ut tractandi.**

II. De cauſis impulſivis, cur in offenſis privatis condonandis faciles nos eſſe deceat. Punctis agam. Moveat nos omnes, **Reconciliationis mutuæ cauſæ moventes.**

1. *ipſius* DEI *mandatum ſingulare:* Sir. 28, 8. Matth. 5, 23. & 6, 12. & 18, 22. Luc. 17, 3. 4. Eph. 4, 32. Col. 3, 13.
2. *DEI exemplū peculiare:* Luc. 6, 36. Jer. 31, 20. Oſe. 11. 9. Matth. 5, 44. (9. 4.
3. *DEI promiſſum generale:* Matth. 6, 14. 15.
4. *Cognationis officium laudabile;* quia fratres ſumus: Gen. 13, 8. Jer.
5. *Debitum proprium ineſtimabile:* Job. 9, 3.

6. *Quo-*

6. *Quotidianum fratrum ſuſpirium plane intolerabile:*

7. *Supplicium ſubſecuturum ineffabile*, de quo præſens nos monet Evangelium. Nullum ſanè adverſus ſecundam tabulam gravius peccatum eſt, quàm iram in proximum fovere, & quaſvis læſiunculas adeò magni æſtimare, inquit D. Meiſnerus in meditationibus h. l.

Remiſſio peccatorũ ut impetretur,

III. Summa parabolæ univerſæ in eo conſiſtit, ut diſcamus, quâ ratione debitorum h. e. peccatorum remiſſionem conſequi valeamus, nimirum

1. *profundâ debiti agnitione & deploratione;*
2. *accuratâ inopiæ noſtræ exploratione;*
3. *ſeriâ miſericordiæ divinæ imploratione;*
4. *mutuâ ac fraternâ offenſarum condonatione.* Vide de his D. Theodor. pag. 816. 817. ubi exceptiuncularum dilutionem invenies, quas irreconciliabiles malitiæ prætendere ſolent. Thold. p. 1030. 1031.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO *διμερής*.

In præſenti Evangelio Salvator illuſtri parabolâ ob oculos nobis ponit, *tum* incredibilem noſtram ob debita ingentia miſeriam; *tum* inæſtimabilem DEI erga nos *μακροθυμίαν*; *tum* deniq; culpabilem hominum iracundorum & implacabilium *ἀχαριστίαν*, quam tamen non impunè ferent: minatur enim, talem duros iſtiusmodi & *δυσκαταλλάκτους* homines DEUM experturos, quales illi fuére erga proximum. Nos de duobus potiſſimum agemus:

I. *De reconciliatione hominis cum DEO:*
II. *De reconciliatione hominis cum proximo.*

PARS I.

Notetur in prioris partis *διεξόδῳ*,

I. *Parabolæ occaſio*, quam præbuit Servatori importuna Petri Apoſtoli interrogatio. Audierat ille, proximo injurias & offenſas eſſe condonandas, & ſi reſipiſceret, moderatione Chriſtiana utendum. Quærit ergò, quandoquidem juſtus etiam in die cadat ſepties; Prov. 24, 16. quisnam debeat eſſe in ignoſcendo modus? An toties erratum condonandum, quoties delictum proximus agnoſcat & veniam petat? An verò certus etiam in condonatione fraterna numerus, quemadmodum in correptione, ſit obſervandus? Num ſufficiat, ſi ſepties

proxi-

proximo condonemus? Ad hanc Petri quæſtionem reſpondet Salvator, non ſufficere ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, (qui numerus 490. efficit) h.e. infinities proximo eſſe remittendum: ponitur enim per ſynecdochen numerus certus pro incerto. Durum hoc CHRISTI reſponſum cùm videatur carni, ad vindictam privatam nimium proclivi; cohibetur itaq; parabola hac elegantiſſimâ, quâ ad mutuam nos reconciliationem graviſſimè hortatur Salvator θυμηρέστατος.

II. *Parabolæ ipſius propoſitio & expoſitio.* Hujus verò membra ſunt:

1. *Regis propoſitum*, eò tendens, ut oſtendat, in Eccleſia perinde agi cum peccatoribus vindictæ ſtudioſis, ac ſi Rex quiſpiam velit rationes à ſervis ſuis exigere. *Dicitur homo Rex, quia* uti Theophyl. annotat, *incarnatus eſt propter nos, & in ſimilitudine hominum factus.* Homo Rex DEUS.

2. *Indicibile ſervi debitum*, quod ad 90. uſq; auri tonnas excurrit, uti D. Oſiander exiſtimat. Tot enim ac tanta ſunt hominum debita, ut nullus eorum ſit ſolvendo, nedum expiando peccata.

3. *Servo ſubminiſtratum conſilium.* Dicitur ipſi, ut venditis rebus omnibus, ſeipsô, uxore, & liberis, ſolutionem faciat. Propter peccata enim non nos ſolùm, ſed omnia etiam noſtra ſubjacent maledictioni.

4. *Extremum ſervi refugium*, quod quærit in

1. *Humiliando:* humilitatis eſt id, quòd ſupplicum more ad pedes Domini procumbit.

2. *Culpam deprecando.* Ubi tamen temeritatem incurrit illam, quòd ſolutioni tàm grandis æris alieni ἱκανὸν ſe futurũ præſumat. Sic animus humanus ſemper ſperat, ſe DEUM iratum poſſe operibus ſuis placare. Verùm enimverò quàm impoſſibile fuit ſervo, tàm grande debitum diſſolvere; tàm impoſſibile nobis eſt, pro peccatis noſtris precium ἰσόῤῥοπον ſive æquivalens DEO offerre.

5. *Gratuitum Regis beneficium*, cujus

1. Cauſa impulſiva eſt ipſius miſericordia.

2. Effectus, abſolutio à pœna & culpa. Non enim ullis noſtris meritis, ſed ſolâ DEI miſerentis gratiâ ſalvamur & juſtificamur.

Uſus I. Informatorius.

I. Quòd certò certiùs venturus ſit dies, in quo de noſtris actionibus omnibus ſtrictiſſima nobis ratio erit reddenda. Rex regum, DEUS Deorum ſervos de rationibus conficiendis maturè præmonet, & ad tribunal ſuum citat; Dies judicii certiſſimus.

Digitized by Google

Citationes Dei ad reddendas rationes.

1. *Conciones legales per miniſtros ſuos acuendo*: Joh.5,45. & 16,8. Rom.3,20. Deut.27,26. Eſa.58,1. 2.Tim.4,2.
2. *Signa iræ ſubinde oſtendendo*: Luc.21,25. Exod.14,16. Dan.5,5.
3. *Conſcientias terrendo*; Gen.4,9. Pro.28,1. Rom.2,15.
4. *Adflictionis immittendo*; à verbis ad verbera deſcendit: Thr.1,14. Eſa.28,19. Jer.30,11. Ezech.21,13. Rom.2,5. Jer.5,3.
5. *E ſtatione nos evocando*; Sir.7,40. Eccl.11,3. Hebr.9,27.
6. *Judicio extremo nos ſiſtendo*. Pſal.9,89. Act.10,42 & 17,31. Joh.5,22. Apoc.20,12. Matth.12,36. 2.Cor.5,10.

Peccati natura vel perverſitas

II. De peccati natura vel perverſitate, quæ parabolicè hoc in loco adumbratur. Poteſt memoriæ causâ includi verſiculo:

Lætatur, ſilet, extenuat, tremitatq; laborat.

Ea enim eſt peccati natura, ut

1. hominem quodammodo *delectet*, quemadmodum videmus impios de ſceleribus perpetratis in ſinu quodammodo gaudere. Pſal.10,3. Prov.2,14. Eſa.3,9 & 22,13. Jer.9,5 & 11,15. Auguſtinus: *Dulce peccatum, ſed amara mors.*

2. Quantô poteſt ſtudiô ſcelus perpetratum *occultet*, ſecundum illud; ſi feciſti, nega. ICTI dicunt; propriam allegare turpitudinem nemo tenetur, immò eſt inconveniens. Gen.3,8.9 & 4,9. Joh.3,20. At rectiùs faciunt, qui ſe peccâſſe fatentur. 2.Sam.12,13. Pſ.32,3 & 51.3 & ſeqq. 1.Joh.1,9. Jer.3,13.

3. Crimen *extenuare* ſtudioſè adlaboret, ſi celari ampliùs nequeat. At ſi te proximum peccatorem dixeris, mendacium non loqueris. Pſal.38,5 & 40,13. 1.Tim.1,15.

4. Peccatorem conſcientiâ evigilante *terreat*, Jer.10,24.

5. De propriâ *ſolutione*, ſed fruſtra, laboret. Exod.19,8. Pſ.143,2. Gal.2,16 & 3,9.

Peccatoribus qualem ſe DEUS exhibeat.

III. Qualem ſe DEUS peccatoribus exhibeat. Poteſt idem verſiculô comprehendi:

Poſcit. (ſc.rationem) *ſcit, punit, miſeretur & omnia donat.*

1. DEUS enim tandem ad reddendam rationem hominem evocat: Luc.16,2. tùm per *legem*; tùm per *crucem*; tum per *mortem*; tùm per noviſſimum *diem*. Vide ſuprà.
2. Novit ad unguem omnia peccatoris debita; in numerato enim habet omnes hominum actiones: totus ſiquidem eſt oculus. Jer.17,10. Pſal.38,10 & 94,9 & 139,2.3. Eſa.29,15. Sir.16,15. Prudentius ſcitè: *Speculator adſtat deſuper,*

Qui

Qui nos diebus omnibus
Actuſq; noſtros proſpicit.
A luce prima in veſperum &c.

Eccleſia: ***Quantus tremor eſt futurus, quando judex eſt venturus, cuncta ſtricte diſcuſſurus?***

3. Pœnas immittit, quibus emendare & ad meliorem frugem perducere conatur peccatores. Ezech. 14, 13. Jer. 2, 19. Pſal. 5, 5. piis autem omnia in bonum cooperantur. Rom. 8, 28.
4. Etſi verò ab extra durior adparet Dominus; ea tamen ipſius miſericordia intùs diffluit erga peccatores reſipiſcentes, atq; delictorum ſuorum veniam humiliter petentes:

Per miſerere mei tollitur ira DEI.

Jer. 31, 20. Oſe. 11, 9. Eſa. 54, 7. 8. Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. Atq; hæc DEI miſeratio efficit, ut

5. Omnia peccata remittat gratis. Pſal. 103, 3. Col. 2, 14. Pſ. 34, 9. Hinc peti poteſt uſus

II. Conſolatorius.

Hunc ſuppeditat adflictis mentibus & pavidis conſcientiis

1. ***Immenſa* DEI *Patris erga peccatores reſipiſcentes miſericordia*:** Pſal. 103, 13. Mich. 7, 18. Rom. 3, 24 & 5, 20.
2. ***Divina in peccatis, eorumq; pœnis dimittendis indulgentia.*** Exod. 34, 6. 7. Jer. 3, 12. Oſe. 11, 9.
3. ***Λύτρου*** per CHRISTUM ***perſoluti æquivalentia*** Monr. p. 333.

III. Monitorius.

1. Ut humiliter confiteamur debiti noſtri gravitatem, culpam demiſsè apud DEUM Patrem per CHRISTUM deprecantes Monr. Hoſ. pag. 334.
2. Ut vigilantes & dormientes, edentes & bibentes, ſemper recordemur mortis impendentis, tubæ noviſſimæ & venturi judicii. Ibid. pag. 335. 336.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, debitum tàm grande numerare & exſolvere, immò ultra debitum adhuc aliquid erogare ſe poſſe amplius ſomniantium Job. 9, 1. 2. Luc. 17, 10. Rom. 3, 23. Act. 15, 11. Papiſmus de ſuper erogatione

PARS II.

Audivimus inſperatum Regis gratiam & clementiam: at qualem ex adverſo ſe præbuit ſervus poſt reconciliationem à Rege ſuo impetratam?

1. *Summè ingratum.* Egreſſus enim ille a Domino ſuo, non recordatur, quantum debitum ſibi remiſſum: *nihil citiùs ſeneſcit, quàm gratia.*

2. *Summè inhumanum*, quemadmodum inhumanitatem ipſius videre licet ex crudeli conſervi tractatione; cujus adnotatur,

Denarius. 1. Cauſa impellens, debitum vile & exile: debebat ei centum denarios. Decē denarii unô coronato æſtimantur: centū igitur denarii decem coronatos, juxta ſupputationem D. Oſiandri, h. e. quindecim florinos conſtituent. Levicula enim ſunt delicta proximi contra nos commiſſa, ſi cum iis conferantur peccatis, quibus quotidie ad iram DEUM concitamus.

2. Tractationis modus perquàm crudelis. Modum autem excedit ſervus ille nequam multipliciter:

1. *Conſervum violenter comprehendendo*; manus enim ipſi violentas cauſâ nondum cognitâ injicit;
2. *ſuffocando*, inſtar latronis;
3. *debitum rigidè exigendo*;
4. *ſupplicantem non audiendo*;
5. *nullum ſolvendi ſpacium concedendo*;
6. *in carcerem conjiciendo.* Tales nos ſumus erga proximum, tantô rigore jus noſtrum perſequimur? Immemores nos, ſi DEUS ſtrictè nobiscum agere velit, coram judicio ejus nullô poſſe conſiſtere modô.

3. Eventus rei. Malè cedit ſervo ſceleſto tanta erga conſervum durities & inhumanitas. Nam

1. Factum iſtud ad Dominum *defertur.* Pii enim homines, videntes aliorum crudelitatem, ingemiſcunt; & hi gemitûs nubes penetrant, vindictamq; divinitùs impetrant.

2. Denuò ad dicendam cauſam *citatur. In judicium* (Theophylactus ait) *intrat cum ſervo Dominus, propter immiſericordiam, ut oſtendat, quòd non ipſe, ſed ſervi crudelitas & ingratitudo donationem irritat.*

3. Graviſſimè *punitur*; in ſe enim hac inhumanitate derivavit

1. *Regis iram*;
2. *Infamiam*; audit ſervus nequam: talis dicitur & erat propter 1. ſummam temeritatem, ſolvere præſumens, quod ſolvere nullo modo poterat:
   2. beneficii collati oblivionem:
   3. inhumanitatem erga proximum:

Servus nequam.

4 ſe-

4. ſecuritatem, quâ impunè ſibi quidvis licere putat.

5. *Duriſſimam ſententiam*, quâ æternis adjudicatur ſuppliciis. Vide de pœna ſervi nequam præced. diſpoſ.

Hic addere libet verba Theophylacti: *Quibus autem tortoribus tradidit? Fortè poteſtatibus punitricibus, ita ut perpetuò puniretur, quomq; reddat, quod debebat, videlicet pœnam, quam meruerat: ſemper ergo punietur.*

4. *Parabola concluſio*, ad ſcopum principalem, de reconcilatione cum proximo, directa. *Qualis eris erga proximum; talis erga te erit DEUS. Si tu nolueris admittere veram reconciliationem, etiam Dominus omnia delicta tua, quæ jamdudum gratìs tibi remiſerat, de novo ad rationes & calculum ſtrictè revocabit, teq; carceri infernali à diabolis æternùm excruciandum & torquendum includet*, Theophyl.

Uſus I. Informatorius.

I. De condonatione delictorum mutua, in qua requiritur — Reconciliationis mutuæ requiſita.

1. *ira moderatio*; Pſal.4,5. Rom.12,9. Jac.1,20.
2. *offenſarum condonatio*; Luc.6,37.
3. *vindictæ refrenatio.* Rom.12,17.19. Excitet hanc in nobis manſvetudinem ſive placabilitatem, — Reconcilliationis cauſæ moventes.
    1. *ſumma DEI lenitas*; Pſal.103,8. Rom.2,4. Matth.5,35.45. Eſa.42,4. Zach.9,9. Sir.18,2.
    2. *manſvetorum felicitas*; Matth.5,5.
    3. *propria infirmitas*: nemo ſine crimine vivit: Item vitiis ſine nemo naſcitur; optimus ille eſt, qui minimis tenetur:
    4. *communis tranquillitas*;
    5. *pœnarum gravitas*;
    6. *exemplorum dignitas.* Gen.45,4.5. Num.12,3.13. & 16,47.98. 1.Sam.24,7. & 26,9.10. 2.Sam.16,9.10.

II. Remiſſionem peccatorum non poſſe habere eos, qui proximo ſua delicta, injurias aut offenſiones condonare nolunt; vel hypocriticè ſaltem ore, non corde condonant. Matth.6,14.15.

II. Conſolatorius.

1. Quòd non tantùm in hac, ſed in cœleſti quoq; vita DEO ſerviemus cum Angelis, conſervis noſtris. Apoc.22,9. ubi non ſervi ampliùs erunt πονηροί. Monr.theſ.p.338.

2. Quòd trademur tortoribus cum damnandorum etiam notorum & agnatorum multitudine. ib.p.339.

III. Monitorius.

1. De cavenda ingratitudine Pro.17,13. Sap.16,29. 1.Teſſ.5,18.
2. De vitanda gratiæ ſemel impetratæ amiſſione & profuſione. 2.Petr.2,20. Ezech.18,24. 2.Cor.6,1. Pſal.86,11. Sir.1,27.
3. De fugiendo in debitis exigendis nimio erga proximum rigore. 2. Reg. 4, 1. & ſeqq. Concludimus verbis Theoph.

Mens parabolæ eſt, ut veniam demus conſervis, in nos delinquentibus, præſertim ſi illi veniam ante nos procidentes petant.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Habemus in præſenti Evangelio ἐξήγησιν παραβολικὴν quintæ petitionis in oratione Dominica, quâ agitur de debitorum, h. e. peccatorum dimiſſione ſive condonatione. Ea duplex cùm ſit, *divina*, quam à DEO gratis conſequimur; & *humana*, quam fratri deprecanti debemus; nos de utraq; conjunctim dicturi ſumus. Eſto ergo thema concionis hujus iſthoc: *Quo pacto peccatorum remiſſionem impetrare, conſervare, & in gratia apud DEUM perſiſtere valeamus.*

Condonatio duplex

Modus impetrandi peccatorũ remiſſionem & gratiam DEI.

Ἐξήγησις.

Servus iſte, grandi ære alieno obſtrictus, totum hominum genus repræſentat. Ex utraq; parte debitum eſt ingens; tàm ex parte DEI, quàm ex parte proximi; tàm ex parte primæ, quàm ex parte ſecundæ tabulæ Decalogi. Quæritur de modo, quô debiti, hoc eſt, peccati dimiſſionem impetrare queamus? Id verò parabola præſens ordine juſtò monſtrat. Impetramus nimirùm peccatorum veniam & remiſſionem.

I. *Debitum agnoſcendo & deplorando.* Falluntur, qui cum Pharifæo negare & palliare peccata ſua ſtudent; Luc.18,11. vel cum Papiſtis extenuare eadem conantur. Illi enim naturalia dicunt adhuc eſſe integra: Eſa.1,6. concupiſcentiam verò cordis pravam negant eſſe peccatum, contra expreſſa Scripturæ dicta. Rom.7,5. & 8.7.8. 1.Joh.3,4. Quid hoc eſt aliud, quàm debitum ſuum veteratoriè inficiari? 1. Joh. 1, 8.9.10. Pſal. 19, 15. & 40, 13. & 103, 3. & 143, 2. Eccl.5,9.

Naturalia non ſunt integra.

II. Pro-

II. *Propriam inopiam explorando.* Hic verò fateri neceſſe habebimus, nos non eſſe ſolvendo. Pſal.14,2.3. Job.15,16. Rom.8,7. 1.Cor.2,14. 2.Cor.3,5. Col.2,13. Eph.2,5. Joh.8,34. Eph.5,8. Theophylact. *Decem millia talentorum nos ſumus, qui quotidie multis beneficiis adficimur, & nihil boni rependimus DEO. Unusquisque enim homo magnum talentum eſt.* Errant iterum Pontificii ſtatuentes, hominem poſt lapſum & gratiam ſeſe poſſe adplicare. Eph.2,1. Joh.1,5. Matth. 16,17. Joh.15,5. ſine me nihil poteſtis facere. Auguſtinus addit: *Non dixit Dominus, difficulter poteſtis: non dixit, non poteſtis aliquid magnum perfectè efficere: ſed ſimpliciter dixit, nihil poteſtis facere.* Phil.2,13. 2.Cor.3,5. Jer.10,23. & 13,23. Rom.7,18. & 9,16. Eſa.64,6. 1.Cor. 13,12. Prov.20,6.9. Luc.17,10. Ex quibus dictis colligitur,

Papiſmus de adplicatione ad gratiam.

1. ne renatos quidem legi DEI ſatisfacere poſſe;
2. Legem perfectam requirere obedientiam;
3. inchoationem novæ obedientiæ non eſſe perfectam legis impletionem; Dan.9,7. Pſal.130,2.3. & 143,2.
4. nihil igitur quicquam poſſumus promereri, nedum debitum tam grande ſolvere.

III. *Miſericordiam DEI adpellando, delictorumq; veniam precando,* Gal.3,24.1. Joh.1,8. Pſal.32,6. & 51,3. & ſeqq. Luc.7,38 & 15,21. & 18.13. & 23,42. Ita fiet, ut Dominus debitum remittat,

1. *miſericorditer*: Eph.2,8. Rom.11,6. Tit.3,4.5.
2. *univerſaliter*; Ezech. 18,23. 2.Petr.3,9. Matth.9,14. & 11,28. toti enim mundo dedit Filium: Joh.3,16. Eſa.53,6. 1.Tim.1.v.15.
3. *totaliter*; non modo culpam, ſed etiam pœnam. Papiſtæ culpam tantum remitti volunt, non pœnam, quæ in igne purgatorio debitoribus ſit luenda. Contrarium ex hoc Evangelio liquet, cui adde ſequentia Scripturæ dicta. Mich.7.v.18.19. Col.2,14. Jer.18,17. Oſe.11,8. Luc.23,43. Proſper:

Papiſmus quod culpa ſola, non pœna peccati, remittatur.

Ex toto veniam dabit, & non dimidiabit.

Theophylactus: *Vide*, inquit, *pœnitentiæ robur & miſericordiam Domini. Pœnitentia enim fecit ſervum cadere à malitia, qui firmiter in illa ſtabat, nec veniâ dignus erat. Miſericordia autem dimiſit omninò debitum, tametſi ſervus non omnia remitti, ſed prorogari tempus peteret. Diſce igitur, quòd DEUS plura dat, quàm petimus: quia tanta eſt miſericordia Domini, ut & id, quod admodum durum videbatur*

Digitized by Google

tur, nempè quòd juſſit, ut venderetur ille, non ex duritia dixit, ſed ut reſipiſcere faceret ſervum, & perſuaderet illi, ut ad preces ſe & obſervationem converteret.

IV. *Errata proximo viciſſim libenter & ex animo condonanda.*

De cordibus, inquit Theophylactus, *vult remitti, non de ore duntaxat: Cogita igitur, quantum malum ſit vindictæ cupiditas, quandoquidem etiam donationem* DEI *revocat & irritat, tametſi dona* DEI *ea ſint, quorum non pœniteat illum; revocantur tamen hac ratione & irritantur.* Grave hoc videtur carni: verè enim nimiùm Poeta dixit:

Eſt vindicta bonum, vita jucundius ipſa.

Audiamus itaq; rationem momenta ac pondera, quæ ad iſtam nos omnes facilitatem inſtigare poſſunt & meritò debent. ἀνα-τάλλακτοι futuri ſumus, ſi conſideraverimus.

Reconciliationis cauſæ moventes.

1. *Debiti vilitatem*; nulla eſt enim proportio inter centum denarios & decem millia talentorum. Ergò

Cum Dominus gratis tibi debita magna remittat,
Tu quoq; conſervo, ſerve, remitte tuo.

2. *Conditionis paritatem.* Omnes enim ſervi DEI ſumus: inter nos verò mutuò conſervi. Meritò itaq; obtinere debebat aureum illud Salvatoris; Matth.7,12. *Omnia quæcunq; volueritis, ut faciant vobis homines; ſic & vos facite illis.* Matth.24,47.50.51. Pares itaq; cùm ſimus, non ſervili tantùm hac conditione; ſed communis inſuper fraternitatis, hereditatis, amicitiæ, filiationis, matris, beneficiorum item & privilegiorum communium nomine: Joh.15,14. & 20,17. Rom.8,17. Eph.4,4.5.6. Gal.3,26. Eph.5, 30. 1.Cor.10,17. fraternè etiam & amicè invicem vivamus, concordiæ & reconciliationi mutuæ vel maximè ſtudentes. Pſal.133,1.2.3.

3. *Scandali fœditatem*; Videre hoc eſt in obſervatoribus vel corycæis ſervi nequam. Matth.18,6.7. Rom.14,13. 2.Cor.6,3.

4. *Accuſationis ſeveritatem.* Non deſunt accuſatores, de quibus vide ſupra Dominic. 9. Trinit. Theophylactus: *Videntur, inquit, hîc conſervi eſſe Angeli, oſores mali, & amantes boni; non quòd ignoranti Domino hæc dicant: ſed ut tu diſcas; quòd Angeli ſint, & quòd inhumanis & immiſericordibus indignentur.*

5. *Regis cœleſtis benignitatem*, quæ ſervo nequam in mentem revocatur. Pſal.30,6. & 103,13. Exod.34,7. Luc.6,36. Theophylactus addit: *non dixit Pater veſter, ſed Pater meus; indigni enim ſunt tales, qui DEUM habeant Patrem.*

6. Pa-

Digitized by Google

6. *Pœnæ atrocitatem.* Jac. 2,13. Sir. 28,1. & ſeqq. *Quod ſupereſt*, (liceat mihi ἐξήγησιν hanc verbis Apoſtoli 2. Cor. 13,11. concludere) *fratres integri eſtote, conſolationem habete, unanimes ſitis, in pace agite, & DEUS caritatis ac pacis erit vobiſcum.* Addo preces Eccleſiæ: *DEUS refugium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus, auctor ipſe pietatis, præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Amen.*

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 22. à verſ. 15. uſq; ad 23.

15. Τότε πορευθέντες οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον, ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ.

16. Καὶ ἀποστέλλουσιν αὐτῷ τοὺς μαθητὰς αὐτῶν μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, λέγοντες. Διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων.

17. Εἰπὲ οὖν ἡμῖν, τί σοι δοκεῖ, ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ;

18. Γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν πονηρίαν αὐτῶν, εἶπε. Τί με πειράζετε ὑποκριταί;

19. Ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου· οἱ δὲ προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον

20. Καὶ λέγει αὐτοῖς; τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;

21. Λέγουσιν αὐτῷ, Καίσαρος. Τότε λέγει αὐτοῖς· ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ.

22. Καὶ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν· καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.

15. *TUnc abeuntes Phariſæi, conſilium cœperunt, ut illaquearent eum in ſermone.* Marc. 12, 13. Luc. 20,20

16. Et ad illum emittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quòd verax ſis, & viam DEI in veritate doceas, neq; cures quenquam; non enim reſpicis perſonam hominum.

17. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum Cæſari dare, an non?

18. Cognitâ autem JESUS malitiâ eorum, ait: quid me tentatis hypocritæ?

19. Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis: cujus eſt imago hæc & inſcriptio?

21. Dicunt ei Cæſaris: Tunc ait illis: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt DEI, DEO. Rom.17,7.

22. Et his auditis, mirati ſunt: & omiſſo eò abierunt.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

EVangelium hoc, ſi rem geſtam ſpectes, eſt generis demonſtativi; ſin quæſtionem Phariſæis propoſitam, pertinet ad genus judiciale. Quæſtio autem iſthæc inſidioſa admodũ & cornuta eſt, de cenſu dando Cæſari, eum in finem propoſita, ut vel crimen læſæ Majeſtatis CHRISTUS ἀπροσδοκήτως & incautus committat; vel certè odium populi incurrat. Alterutram enim horum futurum hoſtes ſibi habebant perſuaſiſſimum. Sed quia nullum valet adverſus ſapientiam cœleſtem conſilium, ita ſe JESUS extricat, ut magna cum turpitudine confuſi re infectâ diſcedere cogantur. Tenebimus in enarratione Evangelii hujus initiò τριχοτομίαν conſideraturi.

I. *Captioſam Phariſæorum quæſtionem;*

II. *Artificioſam & expeditam ſimul* CHRISTI *reſponſionem;*

III. *Neceſſariam de Magiſtratu politico inſtructionem.*

PARS I.

Primæ partis explicatio duo ſibi κεφάλαια ſeu capita vendicat:

1. *circumſtantiarum quarundam enodationem.*
2. *ſplendidam in ſpeciem Phariſæorum orationem.*

I. *Circumſtantiarum conſiderationem* ingrediuntur ſequentia.

1. *Adjunctum temporis*, quod exprimitur particulâ initiali τότε; reſpicit enim præcedentem parabolam, de qua Dominic. 20. poſt Trinit. ubi Dominus cauſas rejectionis Judaicæ non obſcurè indicavit. Phariſæi verò cum complicibus ſuis ægrè tulerunt illam concionem, ideoq; ſtatim abeunt, & ſangvinaria adverſus CHRISTUM conſilia cudunt.

2. *Cauſa efficiens*, vel auctores conſilii ſunt Phariſæi ipſi ſcilic. Eccleſiæ vigiles, qui ad ſe pertinere parabolas tam duras facilè odorabantur. Populum autem metuentes, manus ipſi propalàm injicere nõ audebant. Ceterùm quòd Lucas c. 20, 19. Scribas vocat, quos hic Matthæus Phariſæos, ſciendum Phariſæorum nomen h. l. non accipi exluſivè, ſed includere ſimul principes Sacerdotum, Scribas & ſeniores populi. Peculiariter autem nominantur Phariſæi, quia

Phariſæi.

1. multi ex principibus Sacerdotum & ſenioribus addicti erant ſectæ Phariſaicæ; & viciſſim multi ex Phariſæis erant Scribæ, γραμματεῖς & νομικοὶ, Legis & Scripturæ peritiſſimi.

Pha-

2. Phariſæi præ reliquis CHRISTO erant infenſi.

3. *Modus procedendi*: non enim temeritate &, præcipitantiâ cæcâ rem adgrediuntur, ſed certô ac deliberatô conſilio. Συμβούλιον ἔλαβον, ceperunt vel inierunt conſilium, de CHRISTO per inſidias opprimendo. Græcum συμβούλιον ſignificat ejusmodi conſilium quod plures ſimul ineunt: in conſeſſu enim procerum Eccleſiaſticorum & Politicorum vota ſive ſuffragia ordine fuére collecta. Cauſa tàm ſtudioſæ conſultationis ex præcedentibus Evangeliſtæ capitibus colligitur. Experti enim fuerant aliquoties, CHRISTUM reſponſionibus ſapientiſſimis captioſas ipſorum quæſtiones diluiſſe. Tale itaq; ζήτημα vel quæſitum jam proponere animus eſt, ad quod vel cum confuſione planè conticeſcere, vel non ſine vitæ diſcrimine reſpondere cogatur. συμβούλιον

4. *Cauſa iſthæc finalis* ſubjungitur illicò, ut nim. illum, inſtar aviculæ ſimplicis, quaſi laqueô caperent & irretirent. Παγιδεύειν eſt poſitis tendiculis irretire, illaqueare, capere: (Marcus enim habet τὸ ἀγρεύειν) παγὶς eſt laqueus, qui tenditur, ſeu in terram figitur, ad capiendas aviculas. Voluerunt enim propriis CHRISTUM verbis capere & illaqueare, h. e. propoſitâ quæſtione dubiâ, ancipiti, periculoſâ, ex ore ipſius reſponſum elicere, ex quo accuſationis telum texere poſſint. Doctrinam ejus refellere non poterant; vitam redarguere haut valebant, ideò politicâ in medium prolatâ quæſtione, verbis ipſum in retia ſua vel incautum agere, & crimini politico obnoxium reddere ſatagunt. παγιδεύειν.

6. Συναίτια, *cauſæ adjuvantes*, intermediæ & concurrentes ſunt diſcipuli Phariſæorum, cum aulicis & militibus (quod nonnullis placet) Herodianis, Cæſaris partes ex aſſe tuentibus. Variant interpretes hoc locô, quid propriè Herodianorũ nomine veniat. Vide Dn. D. Gerhard. p. m. part. 1. Harm. Chemnitio Lyſer. cap. 154. p. 1104. & ſeqq. ubi tandem ita concludit: illud ex hiſtoria Evangelica manifeſtè colligi poſſe videtur, quòd Herodiani peculiarem aliquam in gente Judaica ſectam conſtituerint, â Phariſæorum, Eſſenorum & Sadduceorum factione diſtinctam. Et poſt aliqua: (Herodes) procul dubio novam quandam religionem, ex paganiſmo & Judaiſmo conflatam introduxit, cujus adſeclæ dicti fuére Herodiani. Porrò duplex hîc occurrit quæſtio: Herodiani.

1. Q. Cur Phariſæi, Principes Sacerdotum, Scribæ veterani &

Digitized by Google

ſeniores populi, non αὐτοπροσώπως comparuerint, ſed diſcipulos ſuos, ut emiſſarios, ad CHRISTUM ablegarint? Cauſæ dantur multæ.

1. Ut inſidias CHRISTO paratas ſtudioſiùs occultarent:
2. Ut ipſi, ſi res minùs feliciter ſuccedat, non ita erubeſcerent:
3. Ut populo fucum facerent, ne is putaret, vindictæ ſtudiô hanc quæſtionem ab ipſis CHRISTO proponi.
4. Quia diſcipuli, quippe juniores, erant audaculi & impudẽtes.

2. Quæritur ſecundô locô, cur Herodianos cum diſcipulis ſuis conjunxerint? Reſpondetur,

1. quia æquè illi CHRISTUM oderant, ac Phariſæi:
2. quia erant homines aſtuti & verſipelles; qualis enim eorum Dominus, (Herodes) tales conſervi. Luc. 13, 32.
3. quia in ſimili cauſa antehac fideles eos experti fuerant, uti videre eſt Marc. 3, 6.
4. quia ignotiores erant CHRISTO:
5. quia Herodi ita volebant adulari, ejusq; gratiam quodammodo aucupari:
6. præcipua cauſa erat, ut ad Herodem, tanquam Magiſtratum legitimum ſtatim referrent, ſi quid contra Cœſaris jura fuiſſet prolatum. Hæc circumſtantiarũ conſideratio.

II. *Oratio* legatorum duabus abſolvitur partibus:

1. *Exordiô vel præfatione;*
2. *Cauſæ vel quæſtionis propoſitione.*

I. Exordium eſt κολακευτικὸν, ad aſſentationem accommodatum. Quia enim ipſum volunt παγιδεύειν, illaqueare, capere, opus habent ineſcatione. Captant itaq; benevolentiam à perſona & officio CHRISTI, quòd ſit διδάσκαλος, Magiſter vel Doctor; perſuadere ipſi cupientes, ſe quoq; eſſe ex numero diſcipulorum CHRISTI & ex converſatione cum diſcipulis Johannis didiciſſe, quòd ipſe ſit Doctor θεόπεμπτος. Joh. 3, 2. Sic igitur Magiſtrum vocant eum, cujus diſcipuli audire recuſabant. Subjungunt boni Doctoris quatuor, ſive κριτήρια, ſive γνωρίσματα, licet ex animo minùs ſincero ea loquantur.

Doctoris boni κριτήρια.

1. *Eſt* Φιλαλήθεια, *veracitas,* ſive ſincerum veritatis ſtudium: *ſcimus, quòd verax es:* Scimus, inquiunt, ſcil. non perſuaſi ab aliis, ſed ipſimet ſumus experti; immò in corde noſtro convicti ſcimus, quòd ſis verus & ſincerus Doctor.

2. 'Og-

2. Ὀρθοδοξία, *doctrinæ puritas & integritas:* Viam DEI in veritate doces. Per viam DEI quidam intelligunt DEI facta & geſta: ſed rectiùs accipitur de DEI voluntate in verbo patefacta, quid ſcil. ipſe velit ab hominibus fieri. Dicitur autem via Domini, *tùm* quia ab ipſo DEO eſt monſtrata; *tùm* quia ad DEUM ducit; *tùm* quia eſt DEO grata & accepta. Teſtimoninm itaq; perhibent CHRISTO, quòd rectè doceat de vera DEI veri agnitione, de vero DEI cultu, de operibus DEO gratis, atq; adeò de ratione conſequendi vitam æternam, in eumq; finem Scripturam interpretetur. Via DEI.

3. Παῤῥησία, *candor & ingenuitas*; non curas quenquam, h. e. non occultas veritatem metu, vel potentiæ, vel periculi; ſed eandem liberè omnibus annuncias.

4. Ἀπροσωποληψία, non reſpicis perſonam hominum, h. e. non habes delectum & reſpectum perſonarum, ita ut in gratiam hujus ſic, in alterius gratiam aliter doceas; aut hujus odio occultes, illius amore loquaris veritatem, ſed in officio tuo ſolum DEUM ejusq; voluntatem unicè ſpectas. Hæc verò omnia Chriſto tribuunt,

1. Ut videantur ipſum magni æſtimare, & pro vero ac ſincero Doctore habere;
2. Ut vulpinam pelle ovina tegant;
3. Ut audaculum eum contra Herodianos reddant;
4. Ut CHRISTO perſuadeant, ſe à præceptoribus ſuis ſeſſionem feciſſe;
5. Ut tacitè pungant Phariſæos, quòd metu Cæſaris non auſint veritatem palàm profiteri;
6. Ut videantur adprobare ea, quæ in parabolis ſuis contra Phariſæos nuper dixerat. Hæc continentur in Exordio.

II. Propoſitio continet ipſum πρόβλημα, vel quæſtionem de jure; an liceat Cœſari cenſum dare, necne? Hic eſt laqueus iſte, quem CHRISTO ponere decreverant. Fuit enim quæſtio iſthæc

1. tunc temporis in populo Judaico maximè controverſa;
2. captioſa;
3. periculoſa.
4. ponderoſa, de ejuſmodi nimirùm re inſtituta, in qua Reipub. nervus & pacis publicæ fundamentum conſiſtebat:
5. inſidioſa; ſive enim adfirmatè reſpondiſſet, ut proditorem libertatis patriæ ipſum coram populo erant accuſaturi; ſive negatè, aderant Herodiani, qui negativam ipſius ad

Rom. Præſidem deferentes, ut ſeditionis auctorem capitis ipſum damnâſſent.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Veritas ingrata.

I. Videmus initiò ingratam eſſe veritatis prædicationem, & vitiorum reprehenſionem cum periculo apud impios conjunctam, *Amara eſt veritas, & qui loquuntur eam, implentur amaritudine.* Tertullian. Mich.2.11. Amos.5,10. 1.Reg.22,8.

Concilia poſſunt errare.

II. Concilia poſſunt errare, etiam illa, quibus ſummus Pontifex præeſt: Norma itaq; veritatis non ſunt, neq; Judex controverſiarum infallibilis. Pſal.116,11. Deut.17,11. Joh.1,8. Jer.6,16. Sir.9,22. Eſa.8,20.

Eccleſia premitur.

III. Vera Eccleſia plerunq; exagitatur ab iis, qui falsò Eccleſiæ titulò gloriantur & ſuperbiunt. D.Theodor.pag.827.

IV. De malitia & pertinacia hoſtium veritatis inexpugnabili, Ibid. pag.828.

διψυχοι & hypocritæ.

V. Ideam habes hominum διψύχων, aliud ore loquentium, aliud corde ſentientium: de Phariſæis quis tale quid unquam cogitâſſet? Pſal.5,10.& 55,22. Sir.37,3. Vide Domin.17.poſt Trin.

VI. Ea eſt enim hypocritarum & adulatorum natura, ut cor felle plenum mellitis verbis contegant. Pſal.12,3. D.Theod. p.830.

VII. Pii ab hac hypocriſi & falſitate ſibi ſtudioſè caveant, quanquam mundus ſub ſpecie & pallio ſapientiæ politicæ eam venditet. Pſal.28,3.& 15,1.2.3. Prov.29,5. Jer.9,3. Sir.19,23. Auguſtinus: *plùs perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.*

Mundus fallit ſpecie humanitatis.

IIX. Mundus verò hodieq; ſub ſpecie humanitatis laqueos nō rarò tendit, cupiens bonos & ſimpliciores παγιδεύειν, illaqueare, Pſal.40,7.& 43,1.& 64,7. Jac.1,8.

Conſilium malum.

IX. Conſilium impiorum malum; incidunt autem utplurimùm in foveam, quam foderunt alteri. D.Theod.pag.828.829.

Hoſtes Eccleſiaſticorum.

X. Diabolus per organa ſua, hæreticos & tyrannos, CHRISTUM à dextris & ſiniſtris, h. e. per fraudem & violentiam in membris ſuis adhuc dum oppugnat. Eſa.27,1. Gen.3,16. Pſal.2,1.& ſeqq.

XI. In Scriptura ſacra nullus fuit Propheta aut Doctor Eccleſiaſticus, qui ſuum non habuerit vehementem adverſarium. D.Finck. centur.3.can.92.

XII. Præpoſterè admodum agunt homines; calamitates publicas

blicas

blicas è medio ſublatas & averſas volunt, cauſas pœnarum promerentes, h. e. peccata, tollere vel planè nihil, vel parùm admodum laborant. Deut.28,25. Jer.30,15. Eſa.5,12.&9,13.

XIII. In oppugnatione CHRISTI & piorum Chriſtianorum ii, qui totis, quod ajunt, caſtris aliàs diſſident, amicè conſpirant. Pſal. 2,2.3. Luc.23,12. Actor.4,27.&6,9.&23,6. Judic.15,4. Cant.2,15. Pſal.83,6. Confer D.Theod.p.829.830. Conſpiratio hoſtiū.

XIV. Ut Phariſæi; ita diabolus, interdum vera per accidens loquitur, vel ut decipiat, vel ut mendacia ſua palliet. Matth.10,16.

XV. De vafro Pſeudo-doctorum ingenio, vide D. Theodor. pag.831.

XVI. Ideam habemus veri Eccleſiæ Doctoris. Etſi enim legati encomium CHRISTI hypocriticô, non ſeriô & ſincerô animô proferrent; verè tamen omnia hæc attributa CHRISTO competebant. Ib. p.831. Doctoris idea.

XVII. Sit itaq; fidelis Eccleſiæ Doctor (1) φιλαλήθης, veritatis ſtudioſus: Joh.18,37. 2.Cor.2,16.&4,2.&13,8. (2) ὀρθόδοξος, qui viam DEI doceat cum veritate, h. e. deducat homines ad CHRISTUM, qui eſt vera ſalutis via: Joh.14,16. (3) Non ἀνθρωπάρεσκος, ſed παῤῥησιαστὴς καὶ ἀπροσωπόληπτος. Gal.1,10. Vide D. Theod.p.833. Notentur verſus:

Quiſquis avaritiæ ſtudet, & popularibus auris,
Cum fructu nunquam de pietate docet.

XIIX. In taxandis Magiſtratûs vitiis ſingulari opus eſt judiciô & dexteritate. D.Theodor.p.834. Magiſtratûs vitia ut taxanda.

XIX. Magiſtratus quoq; politicus iisdem in officio virtutibus vel maximè ſtudeat, quibus Doctor Eccleſiæ, inprimis autem προσωποληψίαν in ferendis ſententiis fugiat. Levit.19,15. Deut.1,17.& 16,19. Job.13,10. 2.Par.19,7. Sap.6,7. προσωποληψία.

XX. Chriſtiani in genere omnes ſint veraces, tùm veritatem diligendo; tùm nullius perſonam reſpiciendo. D.Theod.p.833. Veracitas.

XXI. DEUS non eſt προσωπολήπτης. Deut.17,17. Job.34,19. 1.Sam.16,7. Sir.35,10. Rom.2,11. Gal.2,6.

XII. Exemplum præbent Judæi, ſtuporis & cœcitatis inſignis; qui ſub alieno Magiſtratu viventes Meſſiam veniſſe negant. Gen.49, 10. Matth.16,3. D.Theod. p.834.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

Ad ſecundæ partis expoſitionem facit,

I. *Perſonæ* CHRISTI *demonſtratio.* Illi de CHRISTO illaqueando conſilium ceperant: CHRISTUS verò oſtendit, ſe hoc conſilium, verſutiam & malitiam non latere, ſed omnia ipſorum cogitata, omnesq; machinationes cognitas habere ac perſpectas. Ex καρδιογνωσία ergò debebant agnoſcere, ipſum non ψιλὸν ἄνθρωπον, ſed θεάνθρωπον h.e. Meſſiam eſſe. Ideò enim fraudulentum eorum conſilium in apricum producit,

1. ut ſpecimen Divinitatis ſuæ edat;
2. ut ſuam in reſpondendo prudentiam oſtendat;
3. ut talem ſe eſſe demonſtret, qualem illi dixerant;
4. ut ad pœnitentiam adverſarios perducat.

II. *Gravis hoſtium increpatio.* Reprehendit autem tria in ipſis:

πονηρία. 1. πονηρίαν, malitiam in corde latentem. Notatur hac voce extrema & diabolica malitia, quæ ſummô conatu ac ſtudiô id agit, ut alteri noceat, atq; ex aliorum læſione voluptatem capiat maximam: quod vitium cùm in ſummo gradu diabolo competat, inde καθ' ἐξοχὴν ille dicitur πονηρὸς. Matth. 13, 19. Eph. 6, 6. 1. Joh. 2, 13.

Hypocriſis. 2. ὑπόκρισιν, ſimulationem, quando quis in geſtibus, dictis & factis alium ſeſe foràs exhibet, quàm eſt interiùs adfectus in corde. Vocat itaq; Phariſæos hypocritas, quia lingua eorum ſita erat in melle, cor verò in felle. Lucas c. 20, 23. addit πανουργίαν, verſutiam, calliditatem, quandam ad malè agendum ſolertiam, longô uſu & tractandis rebus variis quæſitam. Πανουργία ἡ οὐκ ἐστὶ σοφία.

3. Finem, ſcopum ſive intentionem adverſariorum, quòd ſui tentandi gratiâ quæſtionem iſtam propoſuerint, eò unicè directum, ut aliquid eliciant, quod in calumniam poſſint rapere, & perniciem ipſi creare.

III. *Ad ſolutionem quæſtionis præparatio:* ubi

1. petit ſibi monſtrari numiſma cenſûs, h. e. illud monetæ genus, quod cenſûs locô Cæſari pendi oportebat. In Marco & Luca addit ſpeciem numiſmatis, denarium; ad differentiam ſicli ſanctuarii, qui tunc temporis apud Judæos adhuc in uſu erat. Privilegium enim cudendi monetam a Romanis populo Judaico ademtum eſſe nuſpiam legitur. Tributum autem, quod Magiſtratui Romano pendere tenebantur, erat denarius, dimidiâ parte minor ſiclô, Romani numiſmatis ſpecies. Vide D. Gerhard. d. l.

2. Quæ-

Digitized by Google

2. Quærit de inſcriptione numiſmatis, idq; ideò, ut

1. captores ſuos in ſermone caperet;

2. ex propria confeſſione eos confunderet;

3. ſe cœleſtia, non terrena, tractare oſtenderet. Porrò Phariſæi promtè utrumq; faciunt, *tàm* nummum Romanum, denarium, ſpontè offerentes, non ſuſpicati, ex ipſa monetæ forma ſe convictum iri de ſubjectione erga Cæſarem, & cenſus debiti perſolutione; *tàm* de ἐπιγραφῇ ſive inſcriptione, quòd ea ſit Cæſaris, apertè reſpondentes. Quando verò nomen Cæſaris abſolutè ponitur, intelligitur ut plurimùm is, qui tunc rerum potitur. Luc. 23, 2. Joh. 19, 12. Act. 17. v. 7 & 25, 10. Solebant etiam Romani Imperatores à ſubditis in tributo, non niſi ſuam, h. e. juſſu & permiſſu ſuo nomine inſignitam monetam accipere. Hinc ergò jam ſequitur.

Domini Jeſu illatio, tanquam ipſa quæſtionis propoſitæ ſolutio, quâ aptiſſimè & ſapientiſſimè reſpondet, ponendo definitionem locò definiti. Tributum enim ſive cenſus eſt nihil aliud, quàm id, quod eſt Cæſaris. Quia verò cenſus nomen erat in auribus Judæorum odioſum, ac tantùm non intolerabile, ideoq; dicit: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI, DEO. Dilemma ipſorum erat:

Aut Cæſari dandus eſt cenſus, aut DEO: Si DEO; jam non Cæſari ita reus eris læſæ Majeſtatis: Si Cæſari: Ergò non DEO, & ita eris ſacrilegus & impius in DEUM.

CHRISTUS reſpondet per conceſſionem utriusq;, deciſionem quæſtionis deſumens ex propria interrogantium confeſſione hoc ſenſu.

Lex naturæ poſtulat, ut ſuum cuiq; tribuatur:

Jam verò moneta, quâ in cenſu perſolvendo utimini, eſt Romana, ſignum Romani in vos imperii:

Ergò tribuite Romano Cæſari, quod ipſius eſt, reſervandù interim DEO quod DEI eſt: DEUS enim & Cæſar non contrarii, ſed ſubordinati ſunt Magiſtratûs. Vel ita:

Res veſtræ in eum, uti videtis ipſi, redactæ ſunt ſtatum, ut juſtô DEI judiciô, propter peccata veſtra, libertate priſtinâ amiſsâ, in Romanorum poteſtatem redacti ſitis, & Magiſtratui Romano obedientiam promiſeritis:

Ergò reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, h. e. ſolvite tributum, quod Magiſtratui à ſubditis jure debetur.

Digitized by Google

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

Chriſtus verus DEUS.

I. CHRISTUM eſſe verum DEUM, patet ex καρδιογνωσίας ſoli DEO competente. 1.Reg.8,39. Pſal.7,10. Jer.17,10. Col.2,9. Joh.6,61.21,17. D. Theod. p.837.

Omniſcientia Chriſto communicata.

II. Majeſtas iſta divinæ omniſcientiæ humanæ quoq; ipſius naturæ vi Unionis perſonalis verè fuit communicata, quam tamen in ſtatu exinanitionis non ſemper exſeruit. Col.2,3. Joh.2,25.

III. Quæcunque dicit Scriptura accepiſſe Filium, ſive quòd glorificatus ſit filius, ratione humanitatis ipſius, non Deitatis loquitur D.Fink. cent.3. can.47.

IV. Ad quæſtiones malitioſas cum judicio reſpondendum. D.Theod.pag.837.

Sapientia carnalis.

V. Sapientia carnalis & humana nihil quicquam valet adverſus Dominum. Rom.1,22. 1.Cor.1,20. Prov.21,30. Job.5,12 & 18. v.7. Pſal.33,10 & 94,11. Eſa.8,10 & 16,3 & 29,7. Jer.19,7. 2.Cor. 3.v.19.20. 2.Cor.3,19.

Judæorum cæcitas.

VI. Stupor & cæcitas Judæorum vel inde conſpicitur, quòd ex ablatione ſceptri de Juda Meſſiam jamdudũ veniſſe agnoſcere nolint. Gen.49,10 Eſa.2,2 & 11,1. Dan.2,44 & 9,24.26. Mich.7,7. Hagg.2,7.8.9.10.

Imagines poſſunt tolerari.

VII. Imagines purè & ſimpliciter repudiandæ non ſunt; ſed citra ſuperſtitionem in politia & templis retineri poſſunt. CHRISTUS enim connectatione monetæ Romanæ, in ipſo templo facta, oſtendit, non omnem imaginum uſum, ſed idololatricum duntaxat earum abuſum eſſe prohibitum. Vide vindicias D.Meelführ. & D.Theod. pag.838.

IIX. Stulta eſt ſuperſtitio Monachorum in Papatu ſanctulorum, nolentium pecunias contrectare: Ibid.

Calviniani εἰκονοκλάσται.

IX. Errant Judaizantes Calviniani, qui contra imagines earundemq; bonum ac conceſſum uſum non ſcriptis tantùm, ſed & malleis, ſecuribus, aliisq; armis depugnant; unde nomen τῶν εἰκονοκλαστῶν jampridem ſunt ſortiti.

X. A ſanctione cultûs Levitici in V.T. ad adiaphora & res indifferentes in N.T. valet conſequentia. D. Finck.cent.4.can.27.

XI. At ab εἰκονοποιΐας ad εἰδωλοποιΐας non valet conſequentia. Ib. can.28.

XII.

Digitized by Google

XII. Imaginum uſum dum in Eccleſiis noſtris non toleramus tantùm, ſed & adprobamus, non ipſa ſimulacra honoramus aut tanti facimus, ut propter illas caritas Chriſtiana ſit violenda, vel pax Eccleſiæ turbanda; multò minùs quidquam de zelo noſtro contra idololatriam Papiſticam remittimus: minimè verò omnium Pontificiorum ſuperſtitioni patrocinamur: ſed libertatem ſolùm noſtram Evangelicam adſerimus contra eos, qui noſtras conſcientis captivare, ſimpliciorum animos illaqueare, & Eccleſias ſinceras gentiliſmi inſimulare, Doctores verò idolorum patronos vocare præſumunt. Et tantum de ſecunda quoq; parte. Imagines quatenus toleremus.

PARS III.

Reſtat tertia, ubi duo ſunt ἀξιόσκεπτα:

I. Magiſtratûs politici confirmatio, facta aureâ CHRISTI ſententiâ; Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO. Notentur tres in hoc dicto circumſtantiæ.

1. Cui dandum tributum? Cæſari. Hic Cæſaris nomine non Tiberius tantùm intelligendus, qui tum rerum potiebatur in imperio Romano, ſed quivis Magiſtratus, ſuperior & inferior. Cæſari enim non ratione perſonæ, ſed ratione officii debetur & datur cenſus. Cæſar quis.

2. Quid dandum? τὰ Καίσαρος ſc. ὄντα, ea quæ ſunt Cæſaris, quæ ad Cæſarem pertinent, quæ Cæſari debentur: non cenſus ſaltem, ſed & honor, reverentia, obſequium &c.

3. Quomodo dandum?

1. Per redditionem: ἀποδοῦναι enim propriè ſignificat reddere, videlicet illud ipſum, quod quis priùs accepit, vel aliud pro eo, quod accepit. Reſpicit CHRISTUS omnia beneficia, quæ per Cæſarem h. e. ordinarium Magiſtratum in ſubditos conferuntur. Loquitur ergò de jure, quòd obſtricti ſint ſubditi ad cenſum Cæſari perſolvendum. ἀποδοῦναι

2. Cum certa determinatione ſive limitatione: ita nim. dandum Cæſari, ne DEO quidquam decedat. Judæi ita concludebant: Si Cæſari dandus eſt cenſus, non poterimus DEO dare ſiclum templi, & vice verſâ. Reſpondet CHRISTUS falſum eſſe disjunctũ; & opponuntur ea, quæ non ſunt oppoſita. Utrumq; poteſt & debet fieri: ſubjectio enim erga Magiſtratum nôn pugnat cum pietate & religione. Proinde quemadmodum æquũ eſt, dari Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, h. e. quæ ipſi debentur; Ita æquũ etiã eſt, dari DEO, quæ ſunt DEI, h. e. quæ

DEO debentur, omnia nimirùm, quæ ab ipſo accepimus. Debitum Cæſari ſolvendum præponitur debito DEI, & DEO tamen magis obedire oportet, quàm hominibus Act. 5, 29. Num. 22, 18. & 23, 8. 12, 26. A nudo enim verborum ordine, in Scriptura ſacra ad rem & dogmatica, non firma nectitur conſequentia. D. Finck. cent. 3. can. 66.

II. *Τῶν ἐκβάντων annotatio*, quis fuerit eventus colloquii;

1. *Adverſariorum admiratio.* Admirantur autem in CHRISTO
   1. *hypocriſεως occultæ animadverſionem:*
   2. *reſponſionis promtæ & expeditæ rationem:* ita enim illa erat comparata, ut capere & illaqueare eum haut poſſent:
   3. *propriæ confeſſionis contra ſemetipſos detorſionem.*
2. *Turpiſſima Phariſæorum confuſio:* Conticeſcunt enim, atq; ita ſuô ſilentiô victos ſeſe eſſe ultrò fatentur.
3. *Major hoſtium induratio:* omiſsô enim CHRISTÔ abeunt, ad ſuos nim. Præceptores, non in melius, ſed pejus mutati. Specimen habebant manifeſtum Divinitatis CHRISTI; vel inde itaq; debebant Meſſiam agnoſcere & Ipſi adhærere: ſed redeunt ad ſuos, ſus ad volutabrum.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Poteſtas omnis à DEO. Jus Epiſcopale ſudes in politicorum oculis.

I. In Scriptura ſacra omnis poteſtas principibus à DEO tributa eſt: non autem latiùs progrediantur, nec involent alienam poteſtatem. Hodie jus Epiſcopale ſudes eſt in politicorum, Nobilium maximè Patronorum plerorumq; oculis, cujus rei teſtem produco ipſam experientiam. D. Finck. cent. 3. can. 4.

Magiſtratûs confirmatio.

II. Principalis hujus Evangelii doctrina eſt de Magiſtratu politico, cujus poteſtas CHRISTI reſponsô ſapientisſimô confirmatur. Rom. 13, 1. & ſeqq. Tit. 3, 1. 1. Pet. 2, 13. Sir. 10, 4. Luc. 22, 25. Matth. 17, 25. Joh. 19, 11. Confer D. Theodor. pag. 839. 840. 841.

Subditorũ officium.

III. Subditi Magiſtratui debent (1) obedientiam & ſubjectionem; Rom. 13, 1. 2. 5. 1. Pet. 2, 13. (2) honorem & reverentiam; Rom. 13, 7. 1. Pet. 2, 17. (3) preces & vota; Jer. 27, 8. & 29, 7. Baruch. 1, 11. 1. Tim. 2, 1. 2. (4) timorem & amorem; Gen. 47, 7. 1. Reg. 1, 23. 31. (5) tributum ac cenſum. Rom. 13, 6. 1. Sam. 8, 11. Matth. 17, 24. Vide D. Theod. p. 841. 842. 843.

IV. Ma-

Digitized by Google

IV. Magiſtratui duro, impio & infideli etiam debetur à ſubditis obedientia. 1.Per.2,18. Job.34,30. Jer.29,7. Dan.2,37.Oſe.13,11. Rom.13,1. 1.Tim.2,2.Tiberius enim erat Ethnicus & impius Magiſtratus. Magiſtratui etiam duro obediendum.

V. Refelluntur hac CHRISTI ſententiâ omnes Magiſtratûs politici hoſtes, Papa Rom. Anabaptiſtæ, Monachi, Photiniani & alii, qui vel ipſam dominandi poteſtatem, vel officia per ſe eò pertinentia, calumniantur. Magiſtratûs hoſtes.

VI. Execratione vel maximè digna eſt ſeditioſa Papiſtarum doctrina, quâ docent, non teneri Chriſtianos, immò nec debere cum evidenti periculo religionis, tolerare Regem vel Magiſtratum infidelem. Bellarm.lib.5.cap.7. de Rom.Pontif. Papiſtæ jubent occidere Magiſtratum.

VII. Stante hoc CHRISTI aphoriſmô, ſtant honeſtæ leges Magiſtratûs politici; ſtat jus ſumendi arma & gerendi bella legitima, pro defenſione patriæ, Reipub. & ſubditorum ſuſcepta, licet etiam coram Magiſtratu jus ſuum perſequi. Act.25,10.& 26,32.

IIX. Dicitur hoc præceptum Clericis Hieroſolymitanis: Ergò perſonæ quoq; Eccleſiaſticæ ſubſunt Magiſtratui politico. Rom.14,1. Act.25,11. Matth.17,24.25. Magiſtratui ſubſunt Eccleſiaſtici etiam.

IX. Antichriſtianum eſt, quòd Papa Rom. clericos ſuos ab omni planè poteſtate & ſubjectione ſeculari eximere, ſe verò nulli Magiſtratui ſubeſſe, immò omnibus Magiſtratibus ſublimiter præcipiendi poteſtatem, faſtu plùs quàm ſatanicô arrogare ſibi voluit. Bellarm. lib.1. de clericis c.28. Papa Antichriſtus.

X. Interim dominari vel conſcientiis, vel miniſterio Eccleſiaſtico, vel curſum Evangelii impedire Magiſtratui integrum non eſt. Matth.10,28. & 28,19. 1.Pet.5,3. 1.Cor,7,35. 2.Cor.1,24. Act.15,10. Gal.5,1. Jer.15,19.20. Eſa.58,1. 2.Tim.4,2.3.4. Tit.1,9.13. Gal. 1,10. Act.5,29. Magiſtratus nō dominetur miniſterio.

XI. Accuratè h.l. diſtinguitur poteſtas politica ab Eccleſiaſtica: illam exercet DEUS per Magiſtratum politicum; hanc per perſonas Eccleſiaſticas. Abſit ergò confuſio.

XII. Obedientia Magiſtratui debita certos habet limites: ita enim dandum eſt Cæſari, ne DEUS negligatur. Act.4,19. & 5,29. Exod.1,21. Dan.4,18. & 6,10. 1.Sam.23,17. Limites obediētiæ.

XIII. Omnia à DEO habemus: omnia ergò ipſi reddere tenemur; videlicet (1) animam rationalem, quam DEO reddimus, per ſinceram dilectionem; Rom.13,8. 1.Joh.4,7. fidem & veram invo- DEO debemus omnia.

Digitized by Google

cationem: (2) vitam; Job.10,12. Act.17,28. hanc DEO reddimus, tùm per promtum obſequium; Luc.1,79. tùm per lætum ex hac vita exitum; Pſal.31,6.& 142,8. (3) corpus & omnia corporis membra, quæ reddimus DEO per ſanctum ſervitiū: Rom.6,13.& 12,1. 1.Cor. 6,20. (4) Verbum & Sacramenta, quæ non contemnenda: (5) bona temporalia: 1.Par.29,14. Oſe.2,8. Hagg.2,9. reddimus ea DEO

1. *ad ſuſtentationem Eccleſiarum ac Scholarum conferendo;*
2. *pauperum curam ac rationem habendo;*
3. *ſecundum DEI voluntatem illis utendo.* D.Theod.p.844.

Magiſtratui quatenus obediendum.

XIV. Quatenus Magiſtratui obediendum, idem oſtendit pag. 844. & 845.

Bona Eccleſiaſtica.

XV. Bona Eccleſiaſtica fideliter & diligenter adminiſtrari debent ab iis, quibus cura hæc eſt demandata.

Magiſtratus ut rapiat DEO, quæ ipſius ſunt.

XVI. Magiſtratus rapit τὰ τοῦ Θεοῦ ὄντα, ea quæ DEI ſunt,

1. *modum concionandi in ſpecie praeſcribendo;*
2. *officium ἐλεγκτικὸν cohibendo & impediendo;*
3. *damnationes errorum ſeverè prohibendo;*
4. *vocationem miniſtrorum ad regalia ſua referendo;*
5. *bona Eccleſiaſtica ad ſe pertrahendo;*
6. *miniſtris de honeſta ſuſtentatione non proſpiciendo.*

Cura religionis ad Magiſtratum.

XVII. Interim curam religionis & Eccleſiaſticorum negotiorum non cum Papiſtis ademtam ei volumus, modò intra limites ſeſe Magiſtratus pius cohibeat.

Verbum gladiô non propagatur.

XIIX. Religio ſeu verbum DEI gladiô propagari haut debet. 2.Cor.10,4. Hebr.4,12. 2.Theſſ.2,8.

Reprobi.

XIX. Præbet CHRISTUS exemplum prudentiæ iis, quibus cum hoſtibus veritatis eſt negotium. Matth.10,16.

XX. Phariſæi ſuppeditant ſpeculum deſperatorum, & in reprobam mentem traditorum hominum, qui CHRISTUM admirantur, non verò emendantur, obmuteſcunt, ſed non erubeſcunt, victos ſe agnoſcunt, ab inſidiis verò & malitia ſua non deſiſtunt.

XXI. In Scriptura ſacra ſilentium injuſtum ſimul eſt & probabile. D.Finck.centur.2.can.47.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Veritas odium.

Veritas odium parit. Hoc præſenti probatur Evangeliô, ubi eandem ſortem Salvator noſter experiri cogitur. Taxaverat ille Pontificū, Phari-

Phariſæorum & Scribarum hypocriſin, cum deploranda & manifeſta impietate conjunctam; inde vindictam illi ſpirant, & CHRISTO quæſtionem inſidioſam movent, ſperantes, ipſum vel in manûs Magiſtratûs politici deventurum, vel à populo lapidibus obrutum iri. Sed fruſtrà! Nos duabus partibus enarrationem Evangelii includemus, audituri.

I. vafrum Phariſæorum adverſus CHRISTUM conſilium;

II. Mirum CHRISTI effugium.

PARS I.

Quoad primam partem, tres potiſſimùm circumſtantiæ in conſiderationem veniunt:

1. *Qui* contra CHRISTUM adeò malitioſè inſurrexerit, & tàm inſidioſè conſpirârit? Hypocritica illa Phariſæorum natio & factio, ex Evangelica hiſtoria perquàm nota.

2. *Quid* machinati illi in innocentis perniciem fuerint? Conſilium inierunt, non (1) quomodo Meſſiam illum ſuum dignè exciperent: aut (2) verbum ejus, quantum in ſe, promoverent; ſed (3) in ſermone ipſum caperent. Græcè ὅπως παγιδεύσωσι, ut illaquearent. Malebant enim, ut CHRISTUS ſemet involveret periculo, quàm ut ipſi mortis cauſa ei fuiſſe viderentur.

3. *Quomodo* negotium iſthoc adgreſſi fuerint? Tripliciter:

1. *Tectè Herodianos diſcipulis ſuis adſociando.* Diſcipulos mittunt, ne fraudem animadvertat. Tales autem haut dubiè miſerunt, qui in eodem cum ipſis nequitiæ, malitiæ & hypocriſeos ludo ad eam rem, quam machinabantur, edocti erant. Addunt Herodianos, ut illi ad Herodem deferant, ſi verbulum loquatur, quod Magiſtratui officere quoquô modô viſum fuerit. Theophylactus ait: *Herodiani erant, vel Herodis milites, vel qui putabant Herodem CHRISTUM.*

2. *Aſtutè candorem ſimulando.* Lucas cap. 20, 2. dicit, eos emiſiſſe ἐγκαθέτους, ſubdolos, inſidiatores, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, qui juſtos ſe ſimulabant. Verè ſimulabant, quod non erant, h.e. præ ſe ferebant, quòd juſtitiam & veritatem ament, & teneantur deſideriô cognoſcendi, quid juſtum, quid ſecus; ſtudioſi etiam eſſent conſervandæ antiquæ dignitatis populi Judaici; nec non erga ipſum Servatorem benè adfecti, quem ſcirent, eodem veritatis & juſtitiæ ſtudiô teneri. Calixtus pag. 364. Concord. Evang. Adoriuntur autem CHRISTUM ejusmodi pictis-fictis verborum lenociniis: Magiſter, ſcimus, quod verax es &c. Commendant autem eum ἐγκαθ. ἰδι.

h. à re

1. *à veritate:*

2. *à profeſſionis dignitate*, quòd candidè homnibus monſtret veram ſalutis viam, & quomodo DEUM rectè colere debeant, edoceat:

3. *Ab integritate*, quòd neq; auram capiat popularem, neq; metuat, ne aliquem ſuis concionibus offendat. Juvencus:

Certum eſt veridicum te nunc veniſſe Magiſtrum,
Nec quenquam metuens Domini veſtigia ſervas.

3. *Captioſè de cenſu interrogando.* Quæſtionem Juvencus ita format: *Dic ergò, an liceat noſtræ diſſolvere genti,*
Cæſaris urgentis ſemper ſub lege tributum?

Triplici itaq; argumentorum genere CHRISTUM illaqueare ſtudent:

1. *πανουργίᾳ*, verſutiâ;
2. verborum blanditiis;
3. Syllogiſmô cornutô. Vide quæſtionis propoſitæ vim, & enodationem præced. diſpoſ. Theophylactus ſenſum & mentem quærentium ita expreſſit: *Debemus & hominibus tributarii eſſe, & dare eis cenſum, ſicut & DEO didrachmum. An ſoli DEO tribuemus? Numquid autem & Cæſari? Hoc autem dicebant, ut dicat, quòd non oporteat tributum & Cæſari pendere, comprehendantq́; eum & occidant, ſicut Theudam & Judam, qui dicebant, non ſalvificandum* pro nomine Cæſaris.

Uſus I. Informatorius.

Miniſtri verbi in ſtatu periculoſo.

1. De ſtatu verbi miniſtrorum periculoſo, maximè ſi veritatis intrepidi fuerint præcones. Jer. 15, 10. Amos 5, 10. 1. Reg. 19, 5. Matth. 14, 4. 1. Cor. 4, 13.

Imperiorũ mutationes.

2. De mutationibus imperiorum, quæ propter peccata populi contingunt. Prov. 28, 2. Jer. 2, 19 & 15, 7. Luc. 19, 44. Vide in hanc ſententiam plura Domin. 10. & 20. Trinit.

Concionatoris officium.

3. De officio fidelis Eccleſiæ Doctoris, â quo requiritur, ut ſit

1. διδάσκαλος. ſive uti Div. Paulus loquitur, διδακτικὸς; 1. Tim. 3, 2. qualis CHRISTUS vere prædicatur. Joh. 3, 2. Magnô itaq; opus eſt ſtudiô & induſtriâ: 2. Tim. 3, 15. Act. 22, 3. Johan. 5, 39. 1. Tim. 4, 13. Sir. 39, 1. & ſeqq. Verus eſt verſiculus:

Quodq́; parùm novit nemo docere poteſt.

2. ἀληθευτικὸς, veritatis amans, tàm in doctrina, quàm in vita. Joh. 17, 18. 2. Cor. 4, 2. 1. Pet. 4, 11. Matth. 5, 37. Sir. 34, 8.

3. ὀρθό-

Digitized by Google

3. ὀρθόδοξος. Eſa. 21,10 & 30,21. Jer. 17,16.

4. ἀπροσωπόληπτος. Deut. 1,17. Eſa. 58,1. Ezech. 3,17. 18 & 33,7. 2. Tim. 4,2.3.4. Gal. 1,10. Apoc. 3,16.

5. ἐμπειρικὸς, ut ſciat.

   1. ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας; 2. Tim. 2,15.
   2. ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν τοὺς ἀντιλέγοντας. Tit. 1,9.11.

Lutherus in Eſa. 40. *Prædicare verbum* DEI *nihil aliud eſt, quàm derivare in ſe furorem totius inferni & Satanæ; deinde omnium Sanctorum in mundo, & omnem potentiam mundi. Eſt autem periculoſiſſimum vitæ genus; tot dentibus Satanæ ſe ſubjicere.*

II. Conſolatorius.

1. Si contra nos ineatur conſilium, quòd non ſit conſilium adverſus Dominum & CHRISTUM, immò etiam Chriſtos ejus. 1. Cor. 1. v. 19. Pſal. 2,4 & 46,1. Eſa. 8,1.2. Act. 9,5.

2. Quòd cum omnes viæ ſint erroneæ, ſola via Domini à CHRISTO purgata & monſtrata, ducat nos ad felicitatem ſempiternam. Monrad. theſ. p. 388.

III. Monitorius.

1. De cavenda πανουργίᾳ, homine Chriſtiano indigna. Pſal. 5,7. Prov. 17,20. Sir. 19,19. Vide præced. diſp.

2. De CHRISTO Magiſtro noſtro unico diſcendi cauſa adeundo. Monrad. theſaur. p. 346.

PARS II.

Sperabant Phariſæi, CHRISTUM non poſſe elabi, ſed in caſſes eorum certò ipſum incurſurum: Verùm vana iſthæc fuit ſpes & fruſtranea. Illi triplici cum laqueô capere volebant: CHRISTUS contra ſextuplici elabitur viâ.

1. *Malitiæ fraudisq; animadverſa detectione.*
2. *Severâ & juſtâ hoſtium reprehenſione:* quid me tentatis hypocritæ? q.d. non me latent occultæ veſtræ machinationes; ſcio vos utrobique, & in oſtentato juſtitiæ veritatisq; ſtudio, & in mei commendatione, peſſimos eſſe ſimulatores. Juvencus;

   Cur tentatis ait, nunc me concludere verbis?
   Fallacis mentis perdit fallacia fructum.

3. *Numiſmatis censûs inquiſitione ac productione.*

4. *Propriâ ipſorum confeſſione.* Judæi utebantur pecuniâ & propriâ, & vicinarum regionum, (uti in commerciis fieri ſolet) & Romanâ: dubium itaq; non eſt, quin tributum, quod Cæſari pendebatur, in nulla aliâ, quam Romanâ, exactum ſit monetâ.

5. *Sapientiſſimâ deciſione.* Reddite ergò Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, quæ ſunt DEI DEO. Juvencus eleganter:

Adſpicite en nummum, ſculptiq; nummiſmatû æra:
Cæſaris expreſſum promtum eſt ibi cernere vultum.
Solvite nunc illi propria ſub lege tributum,
Atq; DEO proprium legis ſervemus honorem.

Senſus deciſionis eſt iſte: Quoniam uſu monetæ Romanæ teſtamini, vos Cæſaris imperio eſſe ſubjectos, dandum eſt illi, quod tanquam Magiſtratus jure à vobis exigit. Reddite nihilominùs DEO, quæ ipſi debentur, primitias, decimas, honorem, dilectionem ſuper omnia &c.

6. *Turpi hoſtium confuſione:*

Uſus I. Informatorius.

Auditorũ officium.

1. De officio auditorum verbi: horum enim eſt

1. *cum potentia & manſuetudine verbum prædicatum ſuſcipere;* id quod Phariſæi facere recuſabant: Jac. 1. v. 21. Galat. 4. 14. 1. Theſſ. 4, 8.
2. *hypocriſin cavere;* in verbo comprimis audiendo: Pſ. 5, 7. Sir. 1, 35.
3. *tempus gratiæ attendere.* Judæi vivebant in tempore Meſſiæ, & tempus Meſſiæ non obſervabant, Matth. 11, 16. 17. Luc. 19, 44. 2. Cor. 6, 2.
4. *Suum cuiq; tribuere.* Huc refer canonem Theologicum: Pii in Scriptura ſacra magis curaverunt cultum DEI & officium ſibi demandatum, quàm propriam incolumitatem & res ſuas D. Finck. cent. 3. can. 58.

Officium Magiſtrat9 & ſubditorum.

2. De officio Magiſtratus & ſubditorum ſeorſim, & utriusq; partis conjunctim. Officium boni Magiſtratûs in eo conſiſtit, ut ſint veri

1. *DEUM ſincerè timentes;* Gen. 50, 19. Deut. 17, 18. Pſal. 111, 11. Joſ. 1, 8. 1. Tim. 4, 8. Exod. 18, 21.
2. *fervidè orantes:* 1. Reg. 8, 22. Jac. 5, 16. Pſal. 127, 1. 2.
3. *verè miniſterium amantes:* Eſa. 49, 23.
4. *paternè ſubditos curantes;* ſunt enim patres patriæ: Gen. 41, 43, *Eſto quod audis,* dicebat Aurelianus Imperator.

5. Cor-

5. *Cordatè juſtitiæ ſtudentes*, malum ex adverſo ſeverè vindicantes: *Bonis nocet, qui parcit malis*: Pſal.103, 3.4. Gen.9,6. Rom.13,4. Sir.10,1. & ſeqq. & 19,16.

6. *Studioſè avaritiam fugientes*. Exod.18,21. 1.Reg.21,16.

7. *Purè veritatem colentes*: Exod.18,21.

8. *Extremè δωροφαγίας deteſtantes*: Exod.23,8. Deut.27,25. 1. Samuel. 12, 3.4. 2.Paral. 19, 7. Pſal.15.v.5. Eſa.1, 23. & 5.v.20.

9. *Humilitatem aſſiduè ſectantes*. Pſal. 113.v. 5.6.7. Sir. 3, 20. & 10.v.9,

Subditi ex adverſo debent Magiſtratui ſuo

1. *Cenſum honoris*; Sir.10,24. Rom.13,1.7. 1.Pet.2,17.
2. *Cenſum dilectionis*: Φιλίχνεια adhibeant in tegendis Magiſtratus nævis; Eccl.10,20.
3. *Cenſum precationis*; Prov.20,12. Jer.29,7. Pſal.20,1 & ſeqq. 1.Tim. 2, 1. Origen. *Chriſtianorum officium eſt, pro imperiis DEUM precari*. Tertull. in Apologet. c. 30. *Nos pro ſalute Imperatorum DEUM invocamus æternum, DEUM verum, & DEUM vivum, ad cælum inquam ſuſpicientes, quia Chriſtiani; manibus expanſis, quia innocui; capite nudo, quia non erubeſcimus; deniq; ſine monitore, quia ex pectore oramus: precantes ſumus omnes ſemper, pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæſaris vota ſunt.*
4. *Cenſum obſecutionis*. Tit.3,1. Joh.1,6. Eph.5,21. Lutherus: Gehorſam gebühret den Unterthanen/Sorgfältigkeit der Obrigkeit. Caveatur ſeditio. Sir 7,7. Prov.24,22.
5. *Cenſum contributionis*. Vide præced. diſpoſ.

In genere DEO debemus omnes,

1. Cor credulum; Jer.5,3. Marc.16,16. Joh.3,16. Act.16,31.
2. Cor morigerum; 1.Sam.15,22. Joh.13,17.
3. Cor pœnitens.

II. Conſolatorius.

1. Contra hoſtes miniſterii, qui enim DEI miniſtros confundere volunt, confundentur ipſi. Miniſterii hoſtes.

2. Pro pio Magiſtratu, quòd in vitæ genere ſancto & honeſto verſentur. Dan.4,14. Prov.8,16.17.

Digitized by Google

III. Monitorius.

1. Ut in Eccleſiaſtico & Politico ſtatu ſinguli ſuum ſedulò faciant officium. Monr.theſ.p.345.

2. Ut onera nobis impoſita, jugum ferreum, feramus patienter. Ibid. pag.347.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de Magiſtratu pol.

Pontificiorum, qui de Magiſtratu ejusq; officio nimis abjectè, addo etiam ſeditioſè ſentiunt. Bellarm. l. 5. c. 7. de Rom. Pontif. inquit: Non licet Chriſtianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſin vel infidelitatem. Interim Papam ſuum Rom. pro capite & ſponſo Eccleſiæ, pro vicario CHRISTI, pro Domino ſuper omnes Dynaſtas mundi &c. agnoſcunt & colunt. Hinc Suita Schererus pag.692.b. non veretur ſcribere, der Römiſche Biſchoff vnd Pabſt / ſey jhre von Chriſto fürgeſetzte hohe vnd geiſtliche Obrigkeit. Monſtret literas vocationis ex Scripturis, & dicemus; Sanctiſſime Domine Papa, Diabole. Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO *μονομερής*.

Moſi ductori & eductori populi Iſraëlitici reſiſtebant Pſeudoprophetæ, præ cæteris inſigniores duo, Jannes & Jambres, uti habetur 2.Tim.3,8. Exod.7,11. Baculus Moſis miraculoſè convertitur in colubrum; baculi Pſeudoprophetarum per incantationem (Magi enim ſimul erant) ſimiliter in ſerpentes convertebantur; verùm à baculo Moſis in ſerpentem converſo abſumuntur & devorantur. Typum habemus certaminis *ἀσπόνδυ* inter CHRISTUM & ſerpentem antiquum diabolum, qui cum organis ſuis ſemen mulieris inſidioſè quidem adgreditur, ſed irritô planè conatu. Non enim eſt conſilium, neq; ſapientia adverſus Dominum. Prov.21,30. Et ſtultitia DEI ſapientior eſt, quàm homines. 1.Cor.1,25. Ipſe comprehendet ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum fit ſtultitia. Job.5,13. Exemplo nobis ſunt conjurati fratres, Phariſæi & Herodiani in hodierno Evangelio, ubi ſapientia ſeculi hujus, & principum ſeculi hujus militat adverſus ſapientiam DEI; 1.Cor.2,6.7. ſed eventu planè infauſtô: baculus Moſis devorat baculos impoſtorum. Nos *ἀντιθετικῶς conſiderabimus utramq; ſapientiam, carnis & Spiritûs*, illam in Phariſæorum emiſſariis, hanc in CHRISTO fundatam & radicatam.

Sapientia carnis & Spiritûs.

Ἐξη-

Ἐξήγησις.

Sapientia ψευδώνυμος, falsò ita nominata, quam carnis & mundi ſapientiam Scriptura vocat, auctorem habet diabolum: exſerit illa ſeſe tribus potisſimùm modis:

Sapientia mundi qualis.

I. malignâ conſpiratione: Ita videmus Phariſæos cum Herodianis contra CHRISTUM conſpiràſſe, brachium ſeculare machinationibus ſuis conjungentes. Conſimilem in modum hodieq; Evangelii hoſtes contra Eccleſiam puriorem conſilia ineunt, fœdera jungunt, & funiculis malitiæ ſeſe invicem colligant. Eſa. 5, 18. Idem contigit Prophetæ Amos cap. 7, 12.

Hoſtes Eccleſiæ conſpirant.

II. Hypocriticâ prætextûs politici prætenſione. Videmus Phariſæos non apertè CHRISTUM petere, ſed tectè & obliquè, ſub ſpecioſo cenſûs velamine. De cenſu templo debito vide ſtatutum ipſiꝰ DEI. Exod. 30, 13. Ita impii ſemper habent, quod ſuæ malitiæ, impietati & perſecutioni prætendant. E. g. fideles verbi præcones accuſantur ſeditionis, inobedientiæ, pertinaciæ; cumprimis coram Magiſtratu politico; inde fit, ut gravisſimis non rarò præjudiciis prægraventur, immò in præſentisſimum ſæpè periculum adducantur. Dan. 3, 12. & 6, 13. Jer. 26, 9. & 38, 4. Act. 6, 11. & 16, 20. & 19, 26. 1. Reg. 18, 17.

Prætextûs mundi cōtra miniſterium.

III. Blandâ & dulci oratione. Ita CHRISTUM Phariſæi nominant,

1. Magiſtrum;
2. Doctorem veritatis;
3. *Παῤῥησιαστὴν*, qui *ἀπροσωπολήπτως* agat, doceat, dicat. En tibi mel in ore, fel in corde! Pſal. 41, 7. & 55, 21. 2. Sam. 3, 27. Non eſt hæc ſapientia è ſupernis deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Jac. 3, 15. Confunditur enim tandem per cœleſtem CHRISTI ac divinam ſapientiam. Theophylactus: *Arbitrati ſe demulſurum illum laudibus adulantur, ut lactatus dicat, non deberi Cæſari tributum, & inde comprehendant eum, tanquam ſeditioſum, & commoventem populum contra Cæſarem.* Cæterum conſiſtit in ἀντιθέσει CHRISTI ſapientia

Sapientia Chriſti.

1. in vera ejusdem agnitione. CHRISTUS novit cogitationes hoſtium, quod Divinitatis eſt teſtimonium. Pſal. 139, 12. Increpando autem Phariſæos, occultasq; eorum machinationes in apricum producendo, oſtendit etiam humanæ naturæ verè ac realiter communicatam eſſe σοφίαν καὶ καρδιογνωσίαν iſtam. Divina enim natura non loquitur per humanam, ut per canalem ſive arundinem, quæ blaſphema eſt Spiritûs Calviniſtici ſimilitudo. Col. 2, 9. Conſolationi noſtræ

 inſer-

inſervit, quòd ſciamus, CHRISTUM nôſſe hoſtium cogitationes & machinationes, easq; quando & ubi vult, quàm facillimè poſſe impedire. Pſal. 2,4. Eſa. 8,10. Heb. 5,15.

2. *In debita DEI veneratione:* Date, quæ ſunt DEI, DEO. Fiet illud, ſi

1. verbum DEI audiamus; &

2. ad normam illius vitam noſtram inſtituamus. Ita ſuus DEO tribuitur cenſus, honor, laus & gratiarum actio. Matth. 6,33. Theophylactus: *JESUS per hoc, quod figuratum erat numiſma imagine Cæſaris, perſuadet illis, deberi Cæſari, quæ ejus ſunt, h. e. quæ habent illius imaginem. Et in corporalibus & in externis obediendum eſt Regi; in internis autem & ſpiritualibus ſoli DEO.*

3. *In neceſſaria Magiſtratûs obſervatione:* Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Sapientia, quæ Magiſtratui reſiſtit non eſt à DEO, qui vult Magiſtratum coli. Pſal. 82,7. Colitur autem Magiſtratus non externô ſaltem honore; Rom. 13,1. & ſeqq. ſed & internô cordis adfectu. Et diſtinguendum eſt inter officium & nævos. Leves injuriæ ſunt ferendæ, modò juſtitia adminiſtretur. Cætera huc ſpectantia pete ex libellis methodicis, locis Theologicis & præced. diſpoſ. Nos hic pedem figimus, orantes DEUM ac Patrem Domini noſtri JESU CHRISTI, ut det pacem in diebus noſtris, eamq; in animis Magnatum radices altas agere concedat. Addimus preces Eccleſiæ: *Abſolve quæſumus Domine tuorum delicta populorum, ut à peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tuâ benignitate liberemur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

Magiſtratus ut colatur.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 9. à verſ. 18. usq; ad 27.

Marc. 5, 22. Luc. 8, 41.

18. Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν· ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπ᾽ αὐτήν, καὶ ζήσεται.

19. Καὶ ἐγερθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἠκολούθησεν αὐτῷ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

18. *HÆc cùm illis loqueretur, ecce primas quidam venit & adoravit eum, dicens: Filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, & impone manum tuam ſuper illam, ac vivet.*

19. *Et ſurgens JESUS ſecutus eſt eum, ac diſcipuli illius.*

20. (Καὶ

20. (Καὶ ἰδοὺ γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.

21. Ελεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ· ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι.

22. Ο δὲ Ιησοῦς ἐπιστραφεὶς, καὶ ἰδὼν αὐτὴν, εἶπε· Θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.)

23. Καὶ ἐλθὼν ὁ Ιησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον,

24. Λέγει αὐτοῖς· ἀναχωρεῖτε· οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει· καὶ κατεγέλων αὐτοῦ.

25. Οτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, εἰσελθὼν ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς· καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον·

26. Καὶ ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὕτη εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην.

20. (Et ecce mulier, quæ ſanguinis profluvio laboraverat duodecim annos, accedens à tergo tetigit ſimbriam veſtimenti illius. Luc.8,44.

21. Dicebat enim intra ſeſe: Si tantùm tetigero veſtimentum illius, ero ſalva.

22. At JESUS converſus, ut vidit illam, dixit: Confide filia, fides tua ſalvam te fecit. Et ſalva facta fuit mulier à tempore illo.) Marc.5,25. Luc.8,43.

23. Et cùm veniſſet JESUS in ædes primatis, vidiſſetq; tibicines, & turbam tumultuantem, 1.Theſſ.4,13.

24. Dicit illis: Secedite: non enim mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit: Et deridebant illum.

25. Cùm autem fuiſſet ejecta turba, introgreſſus tenuit manum illius: & ſurrexit adoleſcentula.

26. Et emanavit rumor hic in totam terram illam.

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

DOminatur in præſenti Evangelio genus cauſarum ἐπιδεικτικὸν ſive Demonſtrativum, ob duplex miraculum, diviná CHRISTI potentiâ, Filio-hominis realiter communicatâ, patratum. Nos tria conſiderabimus:

I. Jairi petitionem;
II. Mulieris hæmorrhouſæ ſanationem;
III. Defunctæ Jairi filiæ reſuſcitationem.

PARS I.

In prima Evangelii parte obſervationem vel maximè meretur

1. attentionis nota, quam præbet particula ecce, à qua deſcriptionem hiſtoriæ ordiuntur Evangeliſtæ. Eſt autem hoc locô non tam demon-

demonſtrantis, quàm admirantis ſingularem DEI providentiam & bonitatem particula.

2. *Temporis circumſtantia;* contigit nim. utrumq; miraculum poſt ſanatum paralyticum, & colloquium CHRISTI, cum diſcipulis Johannis de jejunio habitum.

3. *Perſonæ eminentia.* Deſcribitur illa

1. *ratione nominis*; Marco & Lucæ dicitur Jair ſive Jairus, quod ſignificat illuminatum, ab Hebræo אִיר, lumen. Ejus nominis in V. T. fuit unus ex filiis Manaſſis, cui Gileaditis regio paruit. Num. 32, 41. Deut. 3, 14. Eſt autem nomen accommodatum Doctori Eccleſiæ. Et hic quidem Jairus, ut verè fieret, quod nomen ejus ſonat, ad veræ lucis, quod CHRISTUS JESUS, agnitionem & fidem fuit adducendus, ad quam rem calamitas domeſtica adjumentum exſtitit.

2. *Ratione officii;* vocatur enim

ἄρχοντες 1. ἄρχων, primas, princeps: ita dicebantur inter Judæos illi, quos penes erat poteſtas judicandi in arduis negotiis.

2. εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων, unus ex Archiſynagogis, uti Marc. 5, 22. nominatur; Luc. 8, 41. ἄρχων τῆς συναγωγῆς, primas ſynagogæ dicitur. Nam extra urbem Hieroſolymitanam ſingulis ſynagogis præficiebantur, qui doctrinæ, morum & ceremoniarum eſſent Magiſtri, quorum auctoritate & præſcriptô omnia in ſynagogis ordine & decenter peragerentur. In populoſis & celebrioribus civitatibus plures unò erant Archiſynagogi, uti teſtatur D. Chemnit. harm. cap. 67. Etſi verò iſthoc hominum genus CHRISTO infenſum eſſet atq; inimicum: Joh. 7, 48. & 9, 22. & 12, 42. hîc tamen primas ad JESUM in domeſtica calamitate confugit, ejusq; opem petiit.

4. *Firma in CHRISTUM fiducia*, quam declarat

1. *ipsô factô*, quòd lethali filiæ morbô compulſus, ad ipſum accedere non veretur.

2. *Geſtu*; ad pedes enim CHRISTI provolutus humiliter ſupplicum more eum adoravit.

3. *Verbô.* Oratio ejus conſtat tribus quaſi partibus:

1. *Exordiô* εὐνοητικῷ, ad benevolentiam accommodatô. Fatetur enim CHRISTUM Dominum, h. e. promiſſum Meſſiam.

2. Pro-

Digitized by Google

2. *Propoſitione δεητικῇ* ſive petitoriâ; veni, & impoſitâ manu ſana filiam meam.

3. *Confirmatione κινητικῇ*, quæ habet aliquot rationes vel cauſas impellentes, quarum deſumta eſt

   1. *à cauſa προηγουμένη*, intrinſecùs movente, ςοργῇ naturali; mea eſt filia, & quidem, Lucâ teſte, unica, annorum duodecim.

   2. *A rei neceßitate*, veluti cauſa προκαταρκτικῇ, quia incidit in morbum, nullâ ope humanâ curabilem; unde lethaliter decumbebat, & eò deventum, ut jam inciperet agere animam, deq; ſalute ejus eſſet deſperatum. Hic igitur in extremo caſu auxilium Domini JESU imploratum fuit, quem Jairus ſupplex rogavit, ut intraret, in domum ſuam, vitæ ſcil. & ſaluti filiæ proſpecturus, ſi quid poſſet, in extremo vitæ actu.

   3. *A cauſa finali*, ut vivat. Imbecillitatis eſt, quòd præſentis CHRISTI χειροθεσίαν poſtulat; fidei, quod auſus eſt hoc à Domino rogare, ſi fortè, cùm deſperata reliqua eſſent, in hoc viro DEI aliquid ſalutis adhuc eſſet repoſitum. Neq; enim vel perſonæ, vel officii plenam habuit CHRISTI cognitionem.

Surrexit autem, quod Lucas annotavit, Dominus, non tantùm opitulaturus puellæ, ſed fidei inprimis in parente; tenuia admodum ejusdem initia ſuâ promtitudine, voce conſolatoriâ, & ope divinâ ad plenum rôbur perducturus; ut non modò vivam recuperaret filiam, ſed & ipſe, & tota ejus domus ad veram vitam illuminarentur. Factum eſt autem inter eundum, ut partim à circumfuſa turba, partim à muliere quadam αἱμοῤῥοούσῃ, Dominus JESUS quodammodo detineretur; quod dum fit, & antequam ſe expediat, & in domum Jairi deveniat, puella obiit, idq; in via ex ædibus Archiſynagogi accurrentes miniſtri denunciant; nihil itaq; opus, ut negotium faceſſat Domino. Filia tua, inquiunt, mortua eſt, noli vexare magiſtrum. Luc. 5, 49. veluti Marc. 5, 35. habetur, quid ultra vexas magiſtrum? q. d. Relinque hunc virum; & valedic illi; neq; enim ejus præſentia quicquam proderit; ſiquidem filia tua jam exſpiravit. Atq; hîc parùm abfuit, quin omnem Jairus fidem abjiceret, deq; vita filiæ ſuæ penitùs actum eſſe putaret, ad exemplum ſuorum domeſticorum, in

Digitized by Google

quorum oculis ſpei nihil ſupererat. [σκύλλειν eſt, fatigare aliquem, moleſtiam alicui exhibere] Ceterùm audierat Jairus prædicari fidem αἱμοῤῥοούσης, eiq; recuperatam mulieris ſanitatem adſcribi; hoc factô erigitur, accedente præſertim voce CHRISTI, ne vacillet; quando Dominis auditô nunciô de puellæ obitu dixit patri: noli timere; crede tantùm, & ſalva erit. Jairus etiam inſtat, ut pergat, ſecumq; nihilominùs deſcendat, & manûs impoſitione defunctam vitæ reſtituat. Sic igitur perrectum & perventum fuit in domum Jairi.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Crucis utilitas.

I. De ſalutari crucis adflictionumq; uſu aliquoties diximus. Gregor. συντόμως & nervosè: *Mala quæ nos hic premunt, ad CHRISTUM ire cogunt.* Pſal. 32. 9. Eſa. 26, 16. & 28, 21. Luc. 14, 23. D. Theod. p. 851.

II. De morbis item & mortalitate ejusq; cauſis alibi monuimus.

στοργὴ parentum.

III. De στοργῇ parentum erga liberos exemplô Jairi dici poteſt; confer Evang. Joh. 4. Dominic. 21. poſt Trinit. D. Theod. p. 852.

Eccleſiæ collectio.

IV. DEUS mirabilis eſt in hominis converſione; ex omni autem hominum genere ſuam ſibi colligit Eccleſiam. D. Theod. p. 851.

Auxilii dilatio.

V. DEUS quandoq; differre auxilium ſolet, donec res ad aciem novaculæ deveniat. Thr. 2, 13. Exod. 14, 15.

Conjugium Sacerdotum.

VI. Conjugium Sacerdotum hoc Archiſynagogi exemplô nõ mediocriter ſtabilitur. D. Theod. p. 855.

VII. Ea eſt humani ingenii perverſitas, ut nunquam non modum auxilii DEO præſcribere auſit. 2. Reg. 5, 12. Vide Dom. 21. Trin.

IIX. Quâ reverentiâ DEUS, CHRISTUS item Homo ſit adorandus, geſtibus Jairi edocemur.

Pœnitentia maturanda.

IX. De pœnitentia maturanda. Malè fit à Jairo, quòd rebus denium deſperatis CHRISTUM accedit. D. Theod. p. 854.

Jairi fides temporaria.

X. Exemplum habemus infirmæ admodum fidei; vide iterum Domin. 21. Trin. Quanquam non deſint, qui hypocriticam fuiſſe & temperariam Jairi fidem, exiſtimant. Sic enim Dn. D. Chemnitius: Vehementer dubito, utrum de ejus (Jairi) fide pronunciare auſim, quòd fuerit ſincera: certè neq; Reguli, neq; Centurionis fidem ulla ex parte æquavit: ſed videtur fuiſſe πρόσκαιρος & temporaria. Nam multùm deprecabatur Dominum, ut veniret, & manum filiæ imponeret, quò ſanaretur & viveret. Et poſt pauca: Luc. 13, 14. audiemus, quòd Archiſynagogus indignatus fuerit, quòd CHRISTUS Sabbathô

thô ſanâſſet; qui ſi fuit hic Jairus, ipſe CHRISTUS ibi hypocritam eum vocat. Unde porrò eruit hanc doctrinam;

XI. Hypocriſis eſt loquacula, verbis vult explere, quod cordis ſinceritati deeſt: fides autem non eſt verboſa, ſed tria vel quatuor verba ei ſufficiunt. *Hypocriſis eſt loquacula.*

XII. Monemur de vitæ humanæ vanitate, fragilitate & brevitate. Pſal. 90, 10. Apoc. 4, 6. Dan. 5, 30. Luc. 12, 20. Act. 12, 21. Sir. 10, 12. Job. 14, 2. Pſal. 78, 39. & 103, 15. Jac. 4, 14. Sap. 2, 5. Oſe. 10, 7. Eſa. 38, 12. Job. 20, 8. Rom. 6, 23. Sir. 40, 1. 2. *Vitæ humanæ fragilitas.*

XIII. Omnibus hominibus eſt moriendum, tàm ſenioribus, quàm junioribus. Hic fato concedit puella duodecim annorum. Sir. 41, 7. Vide Domin. 16. Trin. *Moriendū omnibus.*

XIV. De CHRISTI in precibus exaudiendis promtitudine.

PARS II.

Inſpergitur h. l. hiſtoria ſanatæ hæmorrhouſæ, quæ in via contigit, dum ad domum Jairi ſequeretur Dominus. Conſideranda venit in hujus quoq; hiſtoriæ deſcriptione,

1. *attentionis exſuſcitatio*, per particulam ecce indicata.
2. *Miſera mulieris conditio.* Eſt enim αἱμοῤῥοοῦσα, profluviô ſanguinis laborans: morbô certè fœdô, inſolitô ac tantùm non intolerabili. Marcus cap. 5, 29. vocat μάστιγα, flagellum. *Hæmorrhouſa.*
3. *Morbi exaggeratio*, quam ingrediuntur tria:
   1. *Temporis diuturnitas;* morbus erat inveteratus, annos quippè duodecim continuos duraverat, tot nimirum, quot fuerunt anni ætatis puellæ, filiæ Jairi. Iſtô totô tempore fuit ſubjectum patiens Medicorum, ſed ſine ſucceſſu. Hinc enim ſequitur alterum,
   2. *Medicinæ vanitas.* Teſtantur enim Evangeliſtæ, Marcus cumprimis & Lucas,
      1. quòd multa perpeſſa ſit à Medicis, regionis iſtius fermè omnibus;
      2. quòd inſumſerit omnem ſuam in Medicis adhibendis & conſulendis ſubſtantiam, ad extremam inde paupertatem redacta;
      3. quòd nihil ex arte medicâ levamenti vel adjumenti perceperit, *Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,*
         Interdum medicâ plus valet arte malum:

4. quòd ſubinde in deterius profecerit morbus.

3. *Nimia puſillanimitas*, cui admixta eſt vera cordis humilitas. Non enim audet in conſpectum CHRISTI prodire, conſcia tùm peccati, tùm immundiciei vel impuritatis: tales enim fœminæ legibus Leviticis erant immundæ. Levit. 15, 19. Retrò ergò & à tergo ipſum accedit.

Hæmorrhouſa attactu veſtimenti Chriſti ſanata.

4. *Fimbriæ adprehenſio*, cujus attactu continuò ſanatur. Non tamē hoc ei contigit, occultâ quadam veſtimenti CHRISTI virtute, ſed quòd deſiderium cordis ejus intueretur, eidemq; annueret Filius DEI, antequam ipſa eum tangeret. Vidit enim per omniſcientiam ſuam cogitata cordis ejꝰ ac fidem, etiamſi ipſa conſpectui Domini ſeſe nō offerret, nec putaret, quenquam hoc ſcire, quod ipſa agebat. Voluntate igitur Domini mox ad tactum veſtis egreſſa eſt virtus ſanationis, ex ſanctiſſima ejus carne, & ſalutem mulieri contulit.

5. *Fidei plenitudo, certitudo & patefactio.* Hæc omnia comprehendit mulieris λογισμὸς. Eam enim in animo ſuo fidem illa conceperat, ut minimè dubitaret, quin firmâ potiùs fidei πληροφορίᾳ ſtatueret, ſi vel extremā ſolùm veſtimenti ipſius oram, ſive fimbriam attingere ſibi daretur, fore ſeſe à flagello vel morbo ſuo liberam: quæ ſanè ſpes ipſam minimè omnium fefellit. Factum enim eſt, ut quàm primùm tangeret veſtimentum CHRISTI, ſanitatem ipſa recuperaret, & ſanguinis profluvium ceſſaret; quod fidei fuit eximiæ documentum: quæ etiam cauſa fuit, quòd cùm tota res clam omnibus eſſet geſta, JESUS tamen non voluerit quieſcere, priusquam prodiret mulier, & fateretur quod res erat. Confer Marcum & Lucam.

Virtus à Chriſto egreſſa.

6. *Benigna CHRISTI erga mulierem adfectio:* Ipſe enim ſentiens virtutem vivificam abs ſe egreſſam eſſe, (non autem per aliquem defluxum: Eſt enim virtus vivificandi in CHRISTO incommutabilis: ſed per ſenſibilem declarationem miraculoſam potentiæ divinæ; ut ſit ſenſus verborum, quòd virtus Deitatis, τῷ λόγῳ eſſentialiter propria, in adſumta verò carne universâ ſuâ plenitudine habitans, ſeſe per carnem CHRISTI efficaciter exſeruerit:) converſus ad illam, humaniter eam alloquitur. Oratio eſt brevis; complectitur tamen tria:

1. con-

1. *conſolationem*, quá illam bono jubet eſſe animo; θάρσει:
2. *filiationem*; dum enim filiam nominat, in jus filiationis eam eſſe cooptatam commonſtrat, quæ eſt ſanatio animæ:
3. *cauſam ſanationis*, vel ejusdem conferendæ medium, ſolam fidem: quæ enim nullâ Medicorum ope, ſumtibus fruſtrà inſumtis, ſanari potuit; jam ſolâ in CHRISTUM fide ſanitati reſtituitur & ita quidem, ut ſimul ei promittatur ſanitatis durabilitas, quando audit à Filio DEI hanc vocem: *Confide filia. fides tua ſalvam te fecit: vade in pace*, & quod Marcus addit, *eſto ſana à flagello tuo.*

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. De variis humani generis miſeriis, quibus ſubjecti ſunt mares cum fœminis, divites cum pauperibus, Eccleſiaſtici cum politicis, docti cum idiotis, ſenes cum junioribus. Job.7,1. & 14,1. & 5,7. Sir.40,1.2. *Miſeria hominum.*

II. De cauſa omnium malorum & miſeriarum vernacula, quam gentiles ignorant, ſola Scriptura revelat. Sap.2,23. Rom.5,12. Gen.2,17. Pſal.90,8. *Cauſa malorum.*

III. Propter peccatum variis etiam morborum generibus homo eſt expoſitus. Vide ſupra Dom.14. poſt Trin.

IV. DEUS auxilium interdum differt, ut poſtmodum gloriæ manifeſtatio tantò fit illuſtrior. Joh.9,3. Luc.13,17. *Auxilii dilatio.*

V. Profluvio ſangvinis DEUS ſexum muliebrem, ob Evæ transgreſſionem, peculiariter multavit. 1.Tim.2,14. Gen.3,6. *Menſtrui fluxus.*

VI. Cur verò fœminæ ſaltem ſangvinis profluvio laborent, non etiam viri, explicat D.Theodor. p.857.

VII. Monet autē fluxus iſte ſangvinis de naturali impuritate, in qua omnes homines naſcuntur. Ezech.16,6. Lev.15,19 & 20.18. Pſal.38,4. & ſeqq. & 51,16. Eſa.64,6.

IIX. Ratio humana tantùm ad naturalia media ac remedia recurrit, in natura & apud creaturas auxilium quærens. Sir.38,1. & ſeqq. 2.Par.16,12.

IX. De Medicorum in medicando, ſine DEI benedictione, infelicitate. D.Theod. p.858. *Medicorū cura ſine Deo vana.*

X. Verus Medicus CHRISTUS JESUS eſt inquirendus & accedendus, qui eſt unicus generis humani Auxiliator. Zach.13,1. Joh.1,16. Vide Domin.14.& 21.Trin. *Chriſtus Medicus verus accedendus.*

Digitized by Google

XI. Accedamus ad ipſum, non paſſibus corporis, ſed motibus animi,

1. *morbum ac miſeriam, ejuſdemq; cauſam agnoſcendo & deplorando:*
2. *ad CHRISTUM ſolum confugiendo:* Exod. 15,26. Eſa. 55,1. & ſeqq. Matth. 11,28. Act. 4,12.
3. *Fimbriam veſtimenti ejus tangendo*, h. e. ad verbum & Sacramenta accedendo; hiſce enim mediis ſeſe adligavit, & veluti circumveſtivit. Rom. 10,6. Deut. 30,12.

Auxilium divinum. XII. Verum eſt Philonis illud: *Ubi deſinit auxilium humanum, incipit divinum.* Pſal. 9,10 & 91,15 & 34,7. Exod. 14,23. Vide D. Theodor. p. 859.

XIII. Spiritus ſanctus ſuâ benignitate & gratiâ in nobis ſupplet, quod fidei & precibus noſtris deeſt, Rom. 8,26. 2. Pet. 1,21.

Virtutes mulicbres, XIV. Virtutes mulieris hujus, fides, ſpes, humilitas, verecundia, confeſſio & c. nobis ſtudioſè ſunt imitandæ. D. Theod. p. 559. 860.

Peccati typus. XV. Conſideretur etiam typus ſpiritualis noſtri profluvii, peccati originalis. Ibid. p. 860. 861.

Fidei virtꝰ XVI. De fidei veræ virtute & efficacia, & quomodo illa ſit πεποίθησις infallibilis, in exemplo hæmorrhouſæ eſt manifeſtum.

XVII. Fides eſt unicum & adpropriatum inſtrumentum adprehendendi promiſſiones verbi & ſalutem æternam. Luc. 8,50.

Chriſtus θεάνθρωπος XIIX. CHRISTUS non tantùm eſt verus homo, ſed in unitate perſonæ verus etiam & omnipotens DEUS.

Caro Chriſti vivifica. XIX. Caro CHRISTI verè eſt vivifica, habens realiter communicatã omnipotentiam & virtutem divinam: è carne enim CHRISTI egreſſa eſt virtus, ſanitatem mulieri continuò conferens.

XX. Operatur enim Deitas per carnem, quæ totam verbi operationem ſuſcepit, juxta pronunciatum concilii Epheſini ex c. 6. Joh.

Omniſcientia XXI. De divina CHRISTI omniſcientia, humanæ etiam Naturæ communicata, vide locos & libellos methodicos.

Papiſmus de ἀρτολατρείᾳ, εἰκονολατρείᾳ. & reliquiis. XXII. Attactus veſtimenti CHRISTI nihil quidquam patrocinatur ſuperſtitioni Pontificiæ, de adoratione panis Euchariſtici & imaginum; neq; venerationi, quam vocant, reliquiarum: quia fides, non fimbria veſtis mulierem ſalvavit; & virtus â CHRISTO, non â veſte egreſſa legitur. Et miracula quidem perſonalia per fimbriam CHRISTI & ſudaria Apoſtolorum facta legimus, â piis autem fidelibus more Pontificio religioſè culta eſſe nuſpiam legimus. Confer D. Theod. p. 862. 863. 864.

PARS

PARS III.

Revertimur jam ad hiſtoriam Jairi & filiolæ reſuſcitatæ, in qua attende,

1. CHRISTI *φιλανθρωπίας*, quam declarat ſua promtitudine: ſtatim enim ſe exorari patitur, etiam præſcriptô mediô ſeu formâ ſanationis. Mox enim ſurgit; non exprobrat ei hoſtiles Phariſæorum & Scribarum erga ſe animos; ſed facilem ſeſe præbet Jairo petenti, illumq́; continuò ſequitur.

2. *Ipſam θαυματουργίαν*, cujus notentur

I. *προηγήματα*, *antecedentia*, quô nomine veniunt tria hæc:

1. *funebris adparatus.* In domum enim Jairi ubi deventum, reperta ſunt in ea omnia perſtrepere, partim lamentis, partim occupationibus eorum, qui quæ curando funeri fuerant neceſſaria, operosè agebant. Adſunt enim hic,

1. *αὐληταὶ*, tibicines, qui in funere ex more recepto (licèt præter & contra DEI verbum Levit. 19, 28. Deut. 14, 1.) præceſſuri erant pompam, & næniam funebrem, defunctæ laudes & virtutes continentem, decantaturi.

2. ὄχλος θορυβούμενος, turba tumultuans ejulando & plorando, patrisq́; reditū expectando. Intelligunt quidā præficas mulieres, quæ ut luctui præeſſent, preciô cōduci ſolebāt. Aſſuefecerāt illę, ut oculos ſuos ad carmē funebre imodicè lamentarentur, vitā & mores defuncti laudarent, ſicq́; omnes ad flendū & lugendū invitarent. D. Ch. harm. c. 67. Præficæ.

2. CHRISTI *de hoc tumultu factum & judicium.* Factum eſt, quod jubet Dominus turbam quieſcere, & planctum cohibere; tibicines verò planè faceſſere: judicium (ἐπίκρισις) eſt, quòd puellam non mortuam, ſed ſomnô conſopitam ſive dormire ſaltem pronunciat.

3. *Turbæ præjudicium;* (πρόκρισις) fuit ipſis hoc de mortua judicium ridiculo; CHRISTUM itaq; deridenr, tanquam abſurda & rationi contraria ſtatuentem; viderant enim & & ſciebant, quòd verè mortua eſſet puella.

2. Τὰ προσεχῆ, μέτα ἢ ἅμα ὄντα. Turbâ enim cum tibicinibus ejectâ CHRISTUS.

1. ingreditur cubiculum, ubi puella jacebat, obviam morti maſculè proceſſurus,

2. Adhibet parentes; de diſcipulis verò non intromittit ſecum, niſi tres diſcipulos, Petrum, Jacobum & Johannem, tanquam teſtes miraculi.
3. Accedens ad mortuam puellam, manum illius amplectitur, & clamans, ut ſolent, qui ex ſomno quempiam excitant, ait: *Talitha Cumi*, puella ſurge.
4. Solo hoc attactu & voce unicâ puella à mortuis reſuſcitatur. Luc. 8, 55. dicitur; *reverſus eſt Spiritus ejus*, h. e. revocata eſt ſtatim in vitam, & ſana ac valida continuò ſurrexit. Hinc adduntur

3. τὰ ἑπόμενα, *conſequentia* miraculi, quæ fidem rei faciunt:
1. puella ſurgit, ſtupentibus, qui hoc viderant, parentibus ejus.
2. Juſſit JESUS puellæ cibum dari, ut verè conſtaret, non modò de vita, ſed de proſpera ejusdem valetudine: declarans nimirum, ipſam eſurire, ut ætas iſta ſolet, è ſomno excitata & benè valens. Et propterea hoc fecit ideò, quia reſuſcitata erat hac vice, non ad vitam immortalem & æternam, ſed reſtituta vitæ naturali, quæ cibò & potu indiget.

Prohibitio Chriſti.

3. Parentibus præcepit, idq; feriò & vehementer, teſte Marco c. 5, 43 (διεστείλατο αὐτοῖς πολλὰ) ne cui dicerent, quod factum erat. Non quòd cuperet neminem hoc reſciſcere; id enim erat impoſſibile: ſed ne in præſentia ſtatim res eliminaretur, eò quòd vitaret adplauſum populi, qui magnâ frequentiâ aderat præ foribus; & adfectationem præterea propriæ gloriæ, quam alioqui, peculiari ſuô vitiô primores ſynagogæ & Phariſæi ſtudiosè quærebant, quibus hoc exemplô ſuô contrarium voluit commendare.
4. Fama nihilominus & celebritas miraculi divulgatur & ſpargitur per univerſam terram.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Sanctorũ interceſſio vana.

I. CHRISTUS eſt mitis corde, facilis exoratu, ut divorum divarumq; interceſſione ſuperſtitioſâ, quam Pontificii docent, nihil planè opus ſit. Matth. 11, 29. Joh. 6, 37. Hebr. 4, 15.

II. Imitemur & nos hanc juvandi & ſuccurrendi proximo facilitatem. 1. Pet. 2, 17 & 3, 8 & 4, 10.

III. Lex

III. Lex cum ſacrificiis ſuis nec opitulari, nec liberare poteſt à morte, idq; hic legis Doctor ſentit; ad CHRISTUM itaq; ſe recipit Rom.4,15. 1.Cor.15,56. Joh.8,51,

Lex adverſus mortē nihil valet.

IV. Mors dupliciter conſideratur; *1. in ſua natura;*
2. in CHRISTI Schola.

Mors dupliciter conſideratur.

Ratione ſui vel in ſe & per ſe mors conſiderata, eſt tyrannus crudelis & formidabilis, qui per peccatum in mundo regnare cœpit; Rom.5,34. Hebr.2,14. truculentiſſimus generis humani hoſtis, unde & Ariſtoteli πάντων τῶν φοβερώτατον dicitur, inter omnia formidabilia formidabiliſſimum. In CHRISTO ejusdemq; Schola mors aliud ſortitur nomen, & vocatur ſomnus: talis enim eſt in ipſius oculis. Deut.31,16. Dan.12,2. Eſa.26,23. 1.Reg.2,10.

Mors quid.

V. Collationem mortis cum ſomno habet D. Theod. p.867. 868.869.870. ubi videat, qui volet.

Mors ſomnus.

VI. Hinc peti poteſt efficaciſſima adverſus mortis terrores conſolatio, quam augent aliæ quoq; mortis appellationes non injucundæ: E.G. quòd dicatur μετάβασις tranſitus: Joh.5,24. Rom. 7,24. Col.,33. 2.Cor.5,7. Mich.2,13. Act.3,15. ἀνάληψις aſſumtio, ſuſceptio: Joh.14,2. Tob.3,6. Act.7,59. μετάθεσις, translatio Heb.11,5. 2.Cor.5,1. ἀπόθεσις depoſitio tabernaculi; 2. Pet.1. v.14. Pſal. 116,9. ἀπόλυσις, ἀνάλυσις, ſolutio, diſſolutio: Luc. 2,29. Phil 1,23. τέλος, finis, eſt enim mors ultima linea rerum mundanarum. Hebr.6,11. Sir.7,40. Hebr.13,7. 1 Cor.10,13.

Mortis appellationes.

VII. De cœco rationis judicio, quæ, ubi ceſſant cauſæ ſecundæ, mox deſperat etiam de divino auxilio, quod videre eſt in Jairi domeſticis: Luc.8,49. Sed opponenda eſt DEI omnipotentia & promiſſio, eiq; firmâ fide innitendum.

Rationis judicium.

IIX. Notanda eſt apud Lucam excluſiva, in verbo, crede tantùm, hic enim ſola fides requiritur in Jairo, præter quam ipſe nihil confert ad vitam & ſanitatem filiæ, reliqua virtus omnis ſolius CHRISTI eſt. Et ſic etiam in negotio ſalutis noſtræ, nihil nos conferimus ad eam promerendam; ſed fluunt omnia ex unico CHRISTI merito, quod ex noſtra parte ſola fides apprehendit, & ſic ſalvi evadimus.

Excluſiva de fide.

IX. Hinc propoſitio eſt Evangelica & Apoſtolica, ſolâ fide juſtificatur homo; quam contra Pontificios firmiter tuemur, nec quid-

Fide ſola juſtificamur.

Hhhh quam

Digitized by Google

quam admittimus in negotio juſtificationis, niſi quòd hic dicitur Jairo, *μόνον πίστευε*, crede tantum.

X. Etſi verò hæc verba, ſola fides juſtificat; vel ſolâ fide juſtificamur, in ſacris totidem literis & ſyllabis non legitur: tamen alias, prorſum æquipollentes particulas & propoſitiones legimus, quæ hoc ipſum variè exprimunt, quod particula ſola comprehendit. Rom. 3, 24. Eph. 2, 8. Rom. 3, 28. & 4, 6. Gal. 2, 16.

Excluſivæ in Eccleſia cur retinendæ. XI. Servandæ ſunt autem & retinendæ in Eccleſia excluſivæ, ut (1) omnia noſtra opera, tàm antecedentia, quam conſequentia & concomitantia, omniſq; eorum dignitas & fiducia, ex articulo juſtificationis penitùs excludantur: (2) ſola ex adverſo fides medium atq; *ὄργανον* illud maneat, quô DEI gratia & CHRISTI meritum adprehenditur: (3) neque ſanctificatio, neque renovatio, neque ullæ aliæ virtutes, tanquam forma, aut pars, aut cauſa juſtificationis, tanquam ad eam rem neceſſaria aut pertinentia, immiſceantur.

XII. Non excludunt autem excluſivæ particulæ, vel gratiam DEI; vel meritum CHRISTI; vel ab homine juſtificato bona opera, quæ ex fidei natura, & debitæ gratitudinis ſtudio præſtare omninò debet: ſed tantum opera noſtra ex ipſo juſtificationis actu.

Mortuorũ cura. XIII. De mortuis moderatè lugendis, & honeſtè ſepeliendis. 1. Theſſ. 4, 13. Gen. 3, 19. Eccl. 12, 7. Gen. 23, 4. & ſeqq. & 35, 19. & 50, 1. Luc. 7, 12. Vide Domin. 16. poſt Trin. Vide etiam de modo lugendi & ſepeliendi mortuos Ethnicis quondam uſitato; item de locis ſepulturæ D. Chem. harm. c. 67. p. 1278. & Theod. p. 867.

Mors piorum ſomnus. XIV. De morte piorum, quòd illa pro morte reputanda non ſit, ſed pro ſuavi ſomno. Ut enim in ſomno quies, ita etiam in morte piorum. Sap. 3, 1. & 4, 1. Eſa. 56. ult. Præterea ut dormientes vivunt, & poſt ſomnum evigilant: ita DEO ſancti demortui omnes vivunt, & quieſcunt in ſpe reſurrectionis. Luc. 20, 38.

Sadducæiſmus. XV. De Epicuræiſmo & Sadducæiſmo, qui ridet reſurrectionem: hunc oportet ejicere ex Eccleſia, ſicut CHRISTUS turbam incredulam.

Communicatio Majeſtatis. XVI. Majeſtas CHRISTI Hominis, & virtus edendi miracula, humanæ naturæ communicata, iterum h. l. conſpicitur. Ea enim eſt vocis humanæ in CHRISTO, ut morti etiam imperare, & Spiritum egreſſum revocare queat. Act. 10, 34. Joh. 2, 11. & 5, 25. 28. 1. Cor. 15. v. 21. 22.

XVII.

Digitized by Google

XVII. CHRISTUS etiam quà Homo adorandus: Nam & Jairus ipſum rogavit adorans: & hæmorrhouſa adoravit Dominum cum timore & tremore. Marc.5,33. Apoc.5,13 & 7,11.12. Phil.2,10. Chriſtus Homo adorandus.

XIIX. De immortalitate animæ, quà Spiritus puellæ dicitur reverſus. Quæ phraſis non tantùm hoc vult, quòd cæperit puella reſpirare, aut Spiritum pulmonibus trahere, quòd viventes ſolent; ſed quòd inprimis anima, quæ à corpore ſuo diſceſſerat, rurſum cum eodem fuerit copulata, tanquam Spiritus immortalis. Luc.8,55. Anima immortalis.

XIX. Fundamentum habemus ſolidum articuli de reſurrectione mortuorum. Ubi enim rerum teſtimonia adſunt, nullis opus eſt verbis. Gen.5,24. 2.Reg.2,11. 1.Reg.17,22. & 2.Reg.4,35. & 13,21. Luc.7,15. Joh.11,44. Act.9,40 & 20,10. Apoc.20,12. Job. 19,25. Eſa.25,7 & 26,19. Dan.12,1. Oſe.6,3. Matt.22,3. Luc.14,14. Joh.5,25. & 11,25. & 11,25. 1.Theſſ.4,14. Vide ἐξήγησιν hujus articuli ſecundum cauſarum ſeriem apud D.Chem.d.l. Reſurrectio mortuorum certa.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Sir.7,40. *Memorare, ô homo, noviſſima & non peccabis in æternum.* Noviſſima verò hominis diſtichô uſitatô continentur:

Mors tua, mors CHRISTI, fraus mundi, gloria cæli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.

Hæc circa finem anni meritò conſideramus. Hinc præſens Evangelium de morte prodromisq; ſive anteambulonibus mortis; ſubſequens περικοπὴ de fine mundi & extremo judicio cogitandi anſam præbebit. Nos pro meliori Evangelii ἐξηγήσει utramque quam monſtrat, hiſtoriam diſtinctis partibus tractabimus contemplaturi.

I. *CHRISTUM à profluvio ſanguinis mulierem ſubitò liberantem.*

II. *CHRISTUM defunctam Jairi filiam à morte ad vitam revocantem*

PARS I.

Sunt qui cenſent, (quos inter eſt Dn.D. Luc.Oſiander) hiſtoriam præſentis Evangelii non eſſe eandem cum illa, quæ à Marco 5. & à Luc. 8. cap. deſcribitur: ſed quia in re tanta rationibus opus eſt, ſuô locô opinionem hanc derelinquimus, cum Patribus orthodoxis & noſtrarum Eccleſiarum Doctoribus ſtatuentes, eandem hiſtoriam à

Digitized by Google

tribus Evangeliſtis eſſe deſcriptam. Cæterùm quoad priorem partem ac hiſtoriam, ad duo potiſſimùm in ejus enarratione eſt reſpiciendum:

1. ad mulierem ægrotantem;
2. ad Medicum curantem.

I. *In muliere* ægrotante deprehenditur

Hæmorrhoea Menſtruũ. *1. morbi magnitudo.* Morbus fuit *αἱμοῤῥοία*, ſangvinis fluxus, Morbus eſt muliebris, quò menſes fluunt, non ſtatis temporibus, & ordinaria via; ſed continuatô & perpetuô fluxu. Jam quemadmodum ſanguinis ille fluxus, ſi certis ſuis periodis fluat, ſanitati fœminarum conducit: Ita ſi indeſinenter fluat, vires debilitat, corpusq; exſangve & exſuccum reddens planè enervat. Morbus eſt fœdus, pudendus & moleſtus. Circumſtantia temporis arguit, fuiſſe morbum mulieris hujus *ἀνίατον*, humanâ induſtriâ incurabilem. Annos enim integros duodecim eô fuit vexata continuè; in ejus quoque curam (Marcô & Lucâ teſtibus) Medicorum opem conquiſivit anxiè; bona verò omnia ſine effectu laudabili conſumſit miſerè. Sedulius Presbyter de hoc morbo l. 3. pag. 99. ita;

——— ——— ——— permixtaq; turbis
Ibat inundantem mulier perpeſſa cruorem,
Quæ magnas tenuârat opes. ut ſanior eſſet;
Exhauſtaq; domô, nec proficiente medelâ,
Perdiderat proprium pariter cum ſangvine cenſum.

Juvencus ita:

— — — mulier ſequitur veſtigia ſervans,
Quam languore gravi bis ſex labentibus annis
Carpebat fluxus lacerans ſine fine cruore,
Torquebatq; gravi morbus pallore virentem,
Viribus abſumtis, & toto corpore feſſa.

Ambroſius opinatur, mulierem iſtam fuiſſe Mattham. Euſebius civem quandam ex urbe Cæſarea Philippi, quæ & ſtatuam CHRISTO Soſpitatori, gratitudinis, *σώςρα* ac memoriæ ergò erexerit. Sed hæc conſideratio rei per ſe nihil addit, nihil adimit.

2. *Fidei certitudo*: hic *ἀξιόσκεπτα* ſunt tria:

1. Fidei exſuſcitatio; originem traxit fides illius ex auditu & fama de CHRISTO, uti habetur Marc. 5, 27.

2. Conſiliorum inſtitutio; vel potiùs fidei in corde latentis, operatio. Perſuaſum enim ſibi habebat mulier adflictiſſima, ſe vel nudô fimbriæ

briæ attactu convalituram, id quod fidei eſt, non ſuperſtitionis; peculiaris Spiritus Sancti impulſus, non Zeli inconſiderati opus. Juvencus:

Pectoris hac tacitam volvebat credula mentem
Arcanâ ſecumq; fide jam certa tenebat,
Actutùm feſſo fugeret quòd corpore tabes,
Extremam CHRISTI *poſſet ſi tangere veſtem.*

3. *Conſilii exſecutio*, quam tentat

1. *retrò accedendo*; tribuendum hoc eſt verecundiæ muliebri, & pudori morbi fœdioris, quem in turba confiteri ipſa erubuit:

— — — *nam ſummi pendentia pepli*
Filia manu trepidâ tractavit. Juvencus.

2. *Tangendo.* Fidei hoc certæ eſt argumentum, quòd de ſalute ſubſecutura dubitavit minimè. Magna hæc eſt, & admiranda fides, ad Centurionis & Cananææ fidem quàm proximè accedens.

II. *In Medico* CHRISTO conſpicitur mira juvandi promtitudo; hanc prodit,

1. *ad adflictam ſeſe convertendo*; oculi enim Domini ſuper timentes eum: Pſal. 33, 18. Theophylactus: *Salvator* ait, *prodit eam non ut amans gloriæ, ſed ut fidem illius ad noſtram utilitatem declararet, & ut in fide etiam roboretur Archiſynagogus.*

2. *Humaniter ipſam alloquendo.* Sermo CHRISTI totus eſt *παραμυθητικὸς*, trepidantis animæ ſolatio vel maximè inſerviens.

1. Filiam adpellat, membrum eam Eccleſiæ & regni cœleſtis heredem conſtituens, ita animæ medetur.
2. Bonô animô eſſe jubet, fidem confirmans, factumq; commendans, laude non verecundiâ dignum.
3. Fidei ſanitatem & ſalutem transſcribit, cauſam miraculi organicam & fontem q. monſtrans: Q. d. quia credidiſti, per me te poſſe ſanari, hoc ipſum, quod quæſiviſti, per fidem es conſecuta. Fides ſalvat & ſanat.
4. Sanitatem promittit; hic eſt effectus fidei. Ecce enim ſimul atq; oram veſtimenti *πιςῶς* tetigit, *τὴν ἴασιν ἔκλεψεν ſanitatem furata eſt*, inquit Athanaſius. Inde Sedulius.

Poſteriusq; latens ſubitam furata ſalutem
Extrema de veſte rapit; ſiccisq; fluentis

Damnavit patulas audax fiducia venas.
Senſerat iſta DEUS, cujus de fonte cucurrit,
Quod virtus ſecreta dedit, furtumq; fidele
Laudat, & egregiæ tribuit ſua vota rapinæ.

Uſus I. Informatorius.

1. De variis morborum generibus, quibus propter peccatum homines ſunt obnoxii. Vide præced. diſpoſ.

Medicina ſine DEO infructuoſa. 2. De uſu medicinæ ſalutari; ſed ſine benedictione DEI illa eſt infructuoſa; ne ergò nimiùm fidamus in pharmacis. Sir. 38, 9. 10. 2. Par. 16, 12.

3. Recurrit doctrina de fidei natura & adfectione propria, quæ eſt τὸ θαῤῥεῖν. Vide Domin. 21. poſt Trinit.

II. Conſolatorius.

1. Quòd nullum tantum ſit malum, cui Salvator noſter JESUS CHRISTUS mederi non valeat. Eſa. 63, 1. Pſal. 68, 21. & 103, 3. Matth. 11, 28. Eph. 3, 20. Eſa. 40, 31. CHRISTO enim omnia ſunt poſſibilia. Matth. 28, 18.

Adoptio. 2. Solatium efficaciſſimum profluit ex υἱοθεσίᾳ ſive adoptione noſtra in jus filiationis apud DEUM. Rom. 8, 15. 1. Joh. 3, 1. 2. Joh. 20, 17. Gal. 4, 6.

Fides ὄργανον bonorū. 3. Ex fidei item veræ efficacia, quæ eſt ὄργανον δεκτικὸν ſalutis omniumq; beneficiorum aliorum, quæ à DEO in nos redundant.

III. Monitorius.

Hæmorrhouſæ virtutes. I. De imitandis mulieris hæmorrhouſæ virtutibus. Habent enim h. l. fœminæ omnes ſpeculum

1. *veræ pietatis*, quæ ex fide tàm firma ſatis elucet: Fides autem ex auditu eſt verbi: Rom. 10, 17. Jer. 5, 3. Eſa. 7, 9. Luc. 1, 45. Hebr. 11, 6. Sir. 1, 16. 1. Tim. 4, 8.
2. *Humilitatis*; Luc. 7, 38. Pſal. 113, 5. Mich. 6, 8. Luc. 1, 52. 1. Pet. 5, 5.
3. *Verecundiæ, pudoris & caſtitatis*: Sir. 26, 19. Prov. 11, 22. Sir. 23, 4. 5. 5.
4. *Liberalitatis.*

II. Fœminæ αἱμοῤῥοίας aliosq; ſecretos morbos patienter ferant, ut ſuccum & effectum pomi veriti. Monr. theſ. p. 355.

IV. Re-

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, qui in hoc Evangelio reperiſſe ſe putant, non quod pueri in faba, ſed ſolidum pro ſtabilienda ſua ſimul & idololatrica doctrina, de religioſa reliquiarum veneratione, cultu & adoratione: qua de re Schererus Jeſuita tribus integris concionibus fabulatur; pag. 703. & ſeqq. Quid verò de his mercibus ſit ſtatuendum vide in præced. diſpoſ. & Conſule inſuper vindic. D. Meelführeri theſ. 89. & ſeqq. Papiſmus de reliquiis.

PARS II.

Poſterius miraculum continet,

1. *temporis notationem*; vide præced. diſpoſ.

2. *Supplicantis deſcriptionem*, quòd fuerit unus ex optimatibus Judæorum, profeſſor Synagogæ Judaicæ: an amicus, an hoſtis CHRISTI, dubium hactenus. Ut enim quisq; erat inter Judæos maximæ auctoritatis: ita fermè CHRISTUM acerbiſſimè oderat. Theophyl. *Videtur ille* (Jairus) *fidem habere, quamvis non magnam. Obſervat enim JESUM, non ut ſolum verbum dicat, ſed & ut veniat & manum imponat.*

3 *Cauſæ impulſivæ ſignificationem.* Hanc ipſe aperit ſuâ ad CHRISTUM directâ oratione: Filia mea ἄρτι ἐτελεύτησεν, jam modò defuncta eſt. Calamitas ergò domeſtica, ad CHRISTUM ut veniret, eum compulit: neglecturus haut dubiè illum, ſi fato filia non conceſſiſſet. Amplificatur

1. *adjuncto humilitatis*, dicitur enim CHRISTUM adoràſſe. Nimis diluta eſt Aretii gloſſa, qui adorare, per ſpem & auxilium quærere in aliquo exponit. Quod enim Matthæus dicit, adorabat eum; illud Marcus c. 5, 22. ita refert: procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multùm: quæ certè phraſis religioſum atq; adeò DEO proprium cultum inſinuat. Adorationis Calviniſtica gloſſa.

2. ἔκθεσις τῶν λεχθέντων, *expoſitione dictorum*; ubi
   1. *compellatio honorifica*;
   2. *miſeriæ enarratio tragica*;
   3. *auxilii imploratio modificata*; veni & manum impone. Symbolum hoc frequens fuit veteribus, a CHRISTO etiam uſurpatum, in feriis actionibus, benedictionibus, morborumq; ſanationibus. χειροθεσία.

3. Spe

3. *Spe de* CHRISTO *concept â indubia*; & vivet, h. e. reviviſcet.

4. *Supplicationis efficacia*; protinùs ſurgens JESUS ſequebatur eum. Eleganti verſu duo prædicti Presbyteri hanc hiſtoriæ partem deſcripſerunt. Sic enim Sedulius:

Principis interea Synagogæ filia, clausô
Functa die ſuperas moriens amiſerat auras.
At genitor, cui finis edax ſpem prolis adultæ
Suſtulerat, ſanctos Domini lacrymansq; gemensq;
Corruit ante pedes, vix verba precantia fari
Singultu quatiente valens, miſerere parentis
Orbati, miſerere ſenis, modò filia, dicens,
Unica virgineis nec adhuc matura ſub annis
Occidit, & miſero patris mihi nomen ademit.
Adfer opem, lapſamq; animam per membra refunde,
Qui totum præſtare potes.

Juvencus vero ita:

Talia tractanti, perculſus pectora luctu,
Ecce Sacerdotum princeps procumbit adorans;
Et ſibi defunctam (funus miſerabile) natam
Implorat lacrymans, certamq; venire ſalutem
Defunctâ vitâ poſcebat munere CHRISTI.
Nec mora, conſurgens ſequitur Salvator Ieſus
Progreſſus &c

4. *Miraculi ipſius delineationem*; ubi notetur

1. CHRISTI *comitatus*: diſcipuli quidem omnes cum turba multa ad ædes Archiſynagogi CHRISTUM comitabantur: Ex omni verò numero certos delegit, veluti futuri miraculi teſtes, Petrum, Jacobum & Johannem, quos aliàs quoq; in gravioribus & ſecretioribus adhibere rebus eſt ſolitus: nec non defunctæ parentes.

2. *Miraculi adparatus*. Domum namq; Jairi Salvator ingreſſus,

1. tibicines & turbam tumultuantem, h.e. flentem & diſcurſitantem, neceſſarioq; curando funeri parantem, domô ejicit. Tibicines verò deducendo funeri præſtò erant. Nam apud Romanos

Tibicenes funerales.

cantabat mœſtis tibia funeribus.

A Romanis ad Judæos mos iſte tranſiiſſe videtur. Juſtè autem ejecit turbam JESUS,

1. quia irriſores indigni erant miraculi ſpectatores;

2. quia ſine oſtentatione miracula CHRISTUS ſolebat edere;

3. quia adplauſum turbæ inanem fugiebat.

2. Spem bonam de defunctæ reſuſcitatione injicit; ipſam non mortuam, ſed ſuavi conſopitam ſomno pronuncians, licet iſtam locutionem turba derideat. Contradictoria putat, quæ ὑπαλλήλως ſunt ſubordinata, ſimulq; ſtare poſſunt. Ridet turba,

1. quia inter mortem & ſomnum diſcernere neſciebat;
2. quia verè puellam mortuam noverat; Mors ſomnus.
3. quia conſilium CHRISTI ignorabat. Dormire autem illam dicit CHRISTUS,

1. phraſi Scripturæ uſitatâ; Dan.12,2. Joh.11,11.
2. quia DEO vivunt omnia;
3. quia CHRISTO non erat mortua; ſtatim enim eam erat excitaturus. Hinc Juvencus:

Abſcedant, inquit, tectis hac triſtia veſtrû;
Namq; puella jacet placidô demerſa ſopore,
Defunctam fertur flentum quam neſcia plebes.
Et Sedulius.

Ponite ſolicitâ conceptos mente dolores,
Hic ſopor eſt, Salvator ait, nec funus adeſſe
Credite, nec ſomno poſitam lugete puellam.

3. *Miraculi vel reſuſcitationis modus.* Reſuſcitat enim puellam CHRISTUS,

1. *manum defunctæ adprehendendo:*

2. *Mortuam vocando;* vel eidem potius, ut ſurgat, præcipiendo. Ita enim apud Lucam: Puella, inquit, ſurge. Marcus retinuit verba Syriaca: (ea enim lingva tum temporis erat uſitatiſſima טַלְיְתָא קוּמִי, Talitha cumi. Pelargus in quæſt. ſuper Matth. fol. 118. 6. Manu utitur & voce: manu quidem, quia vitam in manu ſua habet, clavem habet mortis & inferni: voce, quia ipſius dicere eſt facere; ideò non oravit, ſed imperavit, quia ipſe eſt Dominus vitæ & mortis. Sedulius:

— — — *ſic verbô immobile corpus*
Suſcitat, atq; ſemel-genitam bis vivere præſtat.

4. *Miraculi effectus*, ratione ſubjectorum eſt triplex:

1. in puella, vitæ reſtitutio, cujus ſignum eſt (1) ſurgere; (2) comedere, quod eſt apud Marcum & Lucam: (3) ambulare.
2. In parentibus ἔκστασις μεγάλη.
3. In turba, miraculi evulgatio per univerſam illam regionem.

Digitized by Google

Uſus I. Informatorius.

Scholæ earundemque cura ac comendatio.

1. De Scholarum cura. CHRISTUS liberaliter Jairum Scholarcham excipit; hoc ipsô factô Scholarum Magiſtros, & in genere rem Scholaſticam nobis commendans. Decet itaq; & nos eſſe Scholarum amicos & Patronos;

Scholarũ nos decet eſſe patronos.

1. *propter præcipientis DEI Majeſtatem;* Gen. 18, 19. Deut. 6. v. 7. Marc. 10, 14. Gal. 3, 28. Eph. 6, 4.
2. *propter liberorum pretioſitatem.* Intereſt Reipub. Chriſtianæ ut juventus in Scholis benè educetur: Liberi enim plaſma DEI ſunt. Job. 10, 8. Pſal. 127, 4 & 128, 3. 4. Maxima ita eorundem habenda eſt ratio: Matth. 18, 10. alias ſangvis illorum de manibus parentum repetetur.
3. *Propter ſummam neceſſitatem;* reſpectu tùm liberorum; Prov. 22. v. 15. tùm boni publici; tùm gloriæ DEI. Pſal. 8, 3 & 87, 5. Matth. 21, 16.
4. *Propter exemplorum laudabilitatem.* In populo DEI erant Scholæ Prophetarum, ſynagogæ. 1. Sam. 2. v. 11. 18. 1. Reg. 16. v. 21. 2. Reg. 2, 3 & 6, 1. Matth. 11, 2. Johannes habebat diſcipulos: Ergò Scholam. Olim monaſteria erant ſcholæ.
5. *propter ingentem utilitatem.* quæ in omnes vitæ humanæ ordines ſeſe diffundit.

2. Homo natus de muliere eſt ὠκύμορος, **brevis vitæ,** Job. 14, 12. Sir. 18, 8. Vide Monrad. theſ. pag. 351.

3. Mors & vita eſt in manu Domini JESU. Ibid. p. 353.

II. Conſolatorius.

Conſolatio nobis ſubminiſtratur in hac Evangelii hiſtoria gemina:

Mors ſomnus.

1. *Ex jucunda mortis deſcriptione:* mors dicitur ſomnus. Adpellatio hæc etiam extra Eccleſiam quondam fuit nota. Naturâ enim duce, quæ horrori ſunt hominibus, molliori metaphorâ efferre ſolemus, ut minùs ſint terribilia. Hinc Poeta:

Stulte, quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Mortis cũ ſomno cõparatio.

Peculiari autem ratione in Scriptura mors dicitur ſomnus, idq; patribus V.T. non fuit ignotum, Deut. 31, 16. Dan. 12, 2. 1. Reg. 2, 10. Somno itaq; mors confertur,

2. pro-

Digitized by Google

1. *propter pretioſitatem*: eſt enim ſingulare DEI donum: ſic mors beata ſeſe habet: Pſal. 39,6 & 90,13.
2. *propter communitatem.* Sir. 38,23. Job. 30,23. Rom. 5,12.
   Eſt commune mori, mors nulli parcit honori.
3. *Propter celeritatem.* Somnus ita obrepere ſolet & ſenſus hominum occupare, ut minutum illud, quô dedormit homo, nunquam obſervari queat: Ita in morte dedormiſcere homines ſolent, ut anima ferè emigret absq; ſenſu, & homo priùs mortuus ſit, quàm vel ipſe, vel circumſtantes ipſum mori animadvertant; immò ut ſomnus hominem ſæpè ἀπροσδοκήτως invadit, maximè quando quietus ſedet, & nihil rerum agit: Ita mors ſecuros ſæpenumerò obruit. Job. 34,20. Matth. 25,13. Luc. 12,40.
   Mors certa eſt, incerta dies, hora agnita nulli;
   Extremam quare quamlibet eſſe puta.
4. *Propter internam vitæ poteſtatem.* Corpore in ſomno quieſcente, anima non dormit, ſed duas habet in corpore organico operationes: Sic anima poſt mortem vivit: eſt enim Spiritus immortalis. Eſa. 26,19. Eccl. 12,7. Luc. 16,25. & 23,43. Sap. 3,1. Col. 3,3.
5. *Propter exſuſcitandi facilitatem.* Joh. 5,28. Job. 19,25.
6. *propter multiplicem utilitatem*; ceu ſunt, Mortis utilitas
   1. *à peccatis & curis vacatio*; Eſa. 63,16. Rom. 6,7.
   2. *quieſcendi occaſio*; Job. 7,1.2. Ap. 14,13. Eſ. 26,20. Sir. 41,3.4.
   3. *Virium recollectio.* Pſal. 17,16. 2. Cor. 3,18. Eſa. 40,31. Joh. 11,12. 1. Cor. 15,43.

2. Ex certò ſubſecutura mortuorum reſurrectione, cujus typum ſive præludium miraculo hoc adhibere CHRISTUS voluit. Fundamenta articuli hujus immota ſunt: Reſurrectionis fundamenta.

1. *Dominica Salvatoris JESU CHRISTI reſurrectio.* Rom. 8,11. 1. Cor. 15,20 & ſeqq. 2. Cor. 4,14. In Scriptura autē ſacra à CHRISTO ad Chriſtianos valet conſequentia. D. Finck. cent. 2. can. 15.
2. *Noſtra redemtio*, quæ totum hominem corpore & animâ conſtantem concernit. Job. 19,25.26.27.
3. *Noſtra cum CHRISTO unio.* Col. 3,3.4.
4. *Æterna regni CHRISTI duratio.* Luc. 1,33. Eſ. 26,22.23.
5. *Noſtra ſanctificatio*: Fuerunt enim corpora noſtra, ſancti Spiritûs habitacula, qui eſt Spiritus vitæ. Joh. 6,63.

6. *Cœnæ ſacroſanctæ uſurpatio.* Joh.6,54.55,56.
7. *Juſtitiæ divinæ ratio:* anima per corpus operatur, tàm bonum, quàm malum. Joh.5,29. 2.Cor.5,10.
8. *Exemplaris demonſtratio.*
9. *Naturæ in creaturis fermè omnibus præfiguratio.* Vide feſt. Reſurr. & Domin. 16. poſt Trin.

III. Monitorius.

Mortuorũ cura.

I. De cura defunctorum, qui honeſtè ſunt terræ matri omnium mandandi. Confer Domin. 16. Trin. & D. Chemn. harm. cap. 67. de ceremoniis exſequialibus, à patribus V.T. adhiberi ſolitis.

II. Ut CHRISTO animum & neceſſitatem noſtram ſecurè aperiamus Monr. theſ. p. 355.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de excluſivis.

Pontificiorum, qui inſanum in modum adverſus particulas & propoſitiones excluſivas tumultuantur; cujus ſpecimen videre eſt in intonſo illo Tonſore Jeſuitico, Scherero, qui vehementer in B. Lutherum eam ob cauſam invehitur. Vide & lege ipſius debachationes & frivolas exceptiones in Poſtill. pag. 699.700. Sic autem ille: Hie wird nicht gehandelt von der Gerecht- vnd Seligmachung/ſondern von der leiblichen euſſerlichen Geſundheit: Zu einem Miracul iſt offt der Glaub gnug allein/aber nicht zu der Juſtification oder Seligmachung/ da gehöret mehr daher als der bloſſe (ἀπλῶς latet, intelligit fidem nudam, operibus denudatam; atq; ita cum larvis dimicat) Glaube. Bellarm. l. 1. c. 20. de juſtif. dicit, ad rem nihil hoc facere, quòd CHRISTUS Luc. 8, 50. dicit: πίστευε μόνον. Immò omninò ad rem pertinet, & ſufficit, ſi hoc inde obtineamus, ad reprehendendam promiſſionem gratuitam, fidem eſſe organum ordinarium, & pro adprehenſione nihil aliud requiri. Jam ulterius progredimur (inquit D. Meelführ. th. 62. cujus verba refero) ſicut ſola fides adprehendit promiſſionem de beneficio corporali: Ita quoq; ſola adprehendit ſpecialiſſimam illam promiſſionem de remiſſione peccatorum, & de ſalute æterna, propter CHRISTUM in Evangelio oblatam; tantò certiùs, quantò clarius hac in parte omnia opera excluduntur. Gal. 2. Rom. 3. Eph. 2. Tit. 3. Vide diſpoſ. præced.

DIS-

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Mortis verò πρόδρομοι ſunt morborum varia genera. Utriusq; exemplum præbet hodiernum Evangelium: Maturè *itaq; ex hoc textu diſcamus, quorum uſus tùm in morbis, tùm in ipſa morte futurus aliquando poteſt eſſe longè ampliſſimus.*

Ἐξήγησις.

Ægrotantes itaq; informat muliercula hæmorrhouſa; morientes defuncta, & in vitam virtute CHRISTI revocata Jairi filia.

Ægrotantium inſtructio & virtutes.

I. Muliercula profluviô ſangvinis laborans tres ægrotantibus monſtrat virtutes, imitatione in morbis vel maximè dignas. Harum

Patientia.

1. eſt *patientia*, quâ ipſa probè inſtructa duodecim annorum moleſtum ſangvinis fluxum fuffert. Similia patientiæ exempla exſtant Luc. 13, 11. & ſeqq. Joh. 5, 5. & ſeqq. idq; nobis hodieq; ſub cruce conſtitutis uſui eſſe poteſt, immò debet, ne, ſi moram fecerit Dominus, animum deſpondeamus; ſed æquâ mente moræ morisq; divini patientes auxilium exſpectemus. Hab. 2, 4. Pſal. 130, 6. Adſumit enim DEUS quandoq; vultum Joſephi ac habitum: Gen. 42. v. 7. unde vocatur Eſa. 45, 15. DEUS abſconditus, cujus nimirùm auxilium aliquando nos latet tum maximè, quando nobis eſt præſentiſſimus. Non eſt itaq; ut precibus defatigemur; aut remiſſiores in iisdem fundendis reddamur; aut DEO ipſi indignemur; ſed patientiâ opus eſt, ut ubi voluntatem DEI peregerimus, promiſſionem reportemus. Hebr. 10. v. 36. Rom. 12. v. 12. Thren. 3. v. 36. Sir. 2, 1. & ſeqq.

Methodus medendi recta.

2. *Sapientia*, ut rectâ in morbis curandis methodo procedamus. Mulier αἱμοῤῥοοῦσα initiô omnem Medicis impenderat ſubſtantiam, neglectô verò Medicô CHRISTÔ. Idem faciebat Rex Judæ Aſa. 2. Par. 16, 12. Conſimilem in modum multi, in morbis conſtituti, primò omnium Medicos corporis adeunt conſuluntque, maturiùs ſeſe morituros rati, ſi miniſtrum verbi accerſant, & S. Domini cœnam petant. Quæ opinio multorum, imorum & ſummorum, occupavit animos, immemores & ad blaſphemiam uſq; negligentes ejus, quod dicit Salvator Joh. 6, 54. 55. In Conciliis certè & Canonibus vetuſtis cautum eſt, ne quem curandum ſuſcipiant Me-

dici, niſi priùs per veram pœnitentiam, peccatorum confeſſionem, ſacræq; cœnæ uſurpationem, DEO reconciliatum. Papiſtarum nequitiam, fraudes & inquiſitiones nulli probamus: tollatur abuſus, & maneat uſus, quem monſtrat Sir. 38, 9. & ſeqq. Jac. 5, 14. Ceterùm methodus illa, in morbis obſervanda, de qua jam loquimur, conſiſtit.

Methodi medendi requiſita.

1. *in celeri ad CHRISTUM acceſſu*, de quo antehac ſæpiùs actum.

Attactus Chriſti.

2. *In fideli ejusdem attactu.* Marc. 5, 3. Luc. 8, 45. mirantur diſcipuli Dominum, de ſui contactu, in tanta hominum turba, ſolicitè quærentem: Verùm fidei is fuit attactus, quâ ipſâ nos etiam CHRISTUM decet adprehendere, ſi ſanari à peccatis velimus. Matth. 17, 20. & 21. v. 21. Marc. 9, 23. Theophylactus: *Confide autem dicit ei, eò quòd timida erat, quia furtim donum acceperat. Et filiam vocat, ut fidelem. Oſtendit item, quòd niſi habuiſſet fidem, neutiquam recepiſſet beneficium, quamvis ſanctas contigiſſet veſtes.*

3. *In humili adſpectu.* Superbiam excutiat morbi tàm fœdi conſideratio ſexui fœmineo: hoc enim vitium, ab Eva attractum, ſibi ſexus iſte præ virili, magis fecit proprium.

Fiduciæ neceſſitas.

3. *Fiducia*, ne fides noſtra in CHRISTUM ſit vel mortua, vel cæca, opinionibus fanaticis mixta; ſed firmô pede innixa certò ſtatuat, eſſe Salvatori JESU CHRISTO.

1. *juvandi facultatem*, ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero: certa ergò fuit de ipſius potentia: Exod. 15, 26. Pſal. 59, 11. & 74, 13. & 125, 1. 2. & 77, 11. Eſa. 63, 1.
2. *juvandi voluntatem*: quoad divinam naturam, Pater eſt; quoad humanam, Frater noſter. Pſal. 103. 13. Hebr. 4, 15.
3. *juvandi facilitatem*: ipſe dixit & facta ſunt. Pſal 33, 9. Notentur autem quædam fiduciæ vel fidei hujus proprietates. Eſt enim fiducialiter in CHRISTUM credentibus.

Fidei proprietates.

1. *Sperandum*, contra ſpem in ſpem: Rom. 4, 18. Johan. 20, 29. Theophylactus: *Mulier hæc, quoniam immunda erat, ob pietatem non acceſſiſſet manifeſtè, ne fortè quo pactô cobiberetur. Quamvis autem putabat ſe poſſe latere, veruntamen ſperavit, ſe ſanitatem adſecuturam, ſi tantùm ſummam ejus veſtem contingeret.*
2. *Exſpectandum*: Pſal. 27, 14. *Ubi enim definit auxilium humanum, incipit divinum* Philo.
3. *Exercendum*; fides enim eſt δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Gal. 5, 6. quanquam enim opera iſta non ſint gratiæ meritoria; (quod vo-

volunt Papicolæ) ſunt tamen veræ in CHRISTUM fiduciæ τεκμήρια. Opera hæmorrhouſæ præcipua ſunt;

1. *humilitas*;

2. *liberalitas*; vide præced. diſp. Theophyl. *Dicunt, quòd ſtatuā Domino fecerit, ad cujus pedes naſcatur herba, quæ profluviô ſangvinis laborantibus medeatur, quam Juliani temporibus impii contriverint.*

II. *Morbos* ſequitur mors amara. Amaritudinem iſtam ſanat, Mortis amaritudo ut curetur vel dulceſcat.

1. *aſſidua mortis meditatio*: ea enim nulli ætati parcit. Job. 14, 1. 2. Sap. 7, 6. *Mors ſervat legem, tollit cum paupere Regem.*

2. *Medicinæ probatæ præparatio.* Hanc monſtrat CHRISTUS Marc. 5, 36. ne metuas, tantummodò crede. Fide opus eſt. Joh. 8, 51.

3. *Vera mortis contemplatio.* Conſideratur illa dupliciter; modò ſecundum Legem; modò ſecundum Evangelium. Priori modò terret: Sir. 41, 1. Rom. 6, 23. poſteriori modô eſt ſuavis ſomnus. Theophylactus: *Dormire dicit illam, eò quòd apud ſe mors ſomnus eſſet: valebat enim facilè ſuſcitare.* Mortis duplex conſideratio.

4. *Corporum noſtrorum reſuſcitatio.* Hæc verò omnia uberiùs deducta vide præced. diſpoſ.

Noſſe DEUM, & bene poſſe mori, ſapientia ſumma eſt.

Largiatur nobis omnibus hanc ſapientiam is, qui factus eſt nobis à DEO Patre ſapientia; quem cum Eccleſia devotis oramus gemitibus, dicentes: *Excita quæſumus Domine tuorum fidelium voluntas, ut divini operis fructum propenſiùs exſequentes pietatis tuæ remedia majora percipiant, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 24. à verſ. 15. uſq. ad 29.

15. Ὅταν ἂν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, (ὁ ἀναγινώσκων νοείτω.)

16. Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη.

15. *Cum ergò videritis abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto; (qui legit intelligat.)* Marc. 13, 14 Luc. 21, 20. Dan 9, 27.

16. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.

17. Ὁ

17. Ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ.

18. Καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, μὴ ἐπιστρεφάτω ὀπίσω ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.

19. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.

20. Προσεύχεσθε δὲ, ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μηδὲ ἐν σαββάτῳ.

21. Ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γένηται.

22. Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.

Marc.13.23 Luc.17.23. 23. Τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστὸς, ἢ ὧδε, μὴ πιστεύσητε.

24. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα· ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς.

25. Ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν.

26. Ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν, ἰδοὺ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστὶ, μὴ ἐξέλθητε· ἰδοὺ ἐν τοῖς ταμείοις, μὴ πιστεύσητε.

27. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν· οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

Luc.17.37. 28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.

17. Qui in tecto, non deſcendat, ut tollat quidquam de domo ſua.

18. Et qui in agro, non revertatur, ut tollat veſtes ſuas.

19. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.

20. Orate autem, ut non fiat fuga veſtra hyeme, neq; Sabbathô.

21. Erit enim tunc adflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc uſq; tempus, neq; fiet.

22. Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos decurtabuntur dies illi.

23. Tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic CHRISTUS, aut illic, nolite credere.

24. Surgent enim Pſeudo Chriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergò dixerint vobis, ecce in deſerto eſt; nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſq; in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.

28. Ubicunq; enim fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ.

DIS-

Digitized by Google

DISPOSITIO PRIMA.

PROPOSITIO τριμερής.

VErſatur Evangelium præſens in duplici cauſarũ genere, Demonſtrativo, quatenus prædictionem futurorum continet; & Deliberativo, quatenus fugæ adprehenſionem & ſeductionis evitationem piis CHRISTI fidelibus ſuadet. Nos conſuetâ τριχοτομίᾳ uſi, tres enarrationis partes conſtituemus, audituri CHRISTUM.

I. *De urbis Hieroſolymitanæ terræq; Judaicæ totali devaſtatione vaticinantem.*

II. *Conſilium ſalutare piis ſuis fideliter ſubminiſtrantem:*

III. *Efficaciter eoſdem conſolantem.*

PARS I.

Primæ partis explicationi inſervit;

I. *Occaſio*, partim ex cap. 23. partim ex hoc cap. 24. Matthæi repetenda. Prædixerat nimirùm Salvator Judæis πανωλεθρίαν, templi urbisq; Hieroſolymitanæ, quantumvis magnificè exſtructæ, devaſtationem, nec non omnimodam terræ politiæq; Judaicæ everſionem. Videbatur hoc ipſis etiam Apoſtolis CHRISTI incredibile vaticinium, qui templum & urbem ad extremum usq; diem manſura, & non niſi cum hoc univerſo evertenda opinabantur. Signa itaq; utriusque, (quæſtioni diſcipulorum quorundam reſponſurus) & Hieroſolymæ & mundi finem immediatè præceſſura, commemorat, quæ d.l. videantur.

II. *Propoſitio*, & ipſa ex verſ. 14. præcedente repetenda: Tunc erit (τέλος) conſummatio. Secundum literam loquitur de conſummatione templi, religionis & politiæ Judaicæ; analogicè, typicè & myſticè ad conſummationem quoque ſeculi referri poſſe, immò debere nulli inficiamur. Prius enim fuit typus & præfiguratio poſterioris.

III. *Confirmatio vel præfiguratio* adſertionis, deſumta ex loco Signa excidii Judaici & judicii noviſſimi.
antecedentium, quo pertinent etiam σημεῖα ſigna. Signa illa imminentis tùm excidii Judaici, tùm judicii noviſſimi ſunt duplicia, remota & proxima. De remotis ab initio capitis 24. ad. verſ. 15. prolixè diſſeruit Salvator, commemorans futuras hominum calamitates, tàm publicas & univerſales omnium, quàm privatas & particula-

culares quorundam, fidelium maximè veræ Eccleſiæ membrorum catalogum ſignorum iſtorum requirat qui volet d.l.

Signum everſionis Judaicæ & mundi eſt abominatio deſolationis.

Proximum, adæquatum & immediatum ſignum, ex quo urbis & templi Hieroſolymitani excidium impendere, colligi debeat, eſt unicum; in cujus deſcriptione notetur

1. *emphatica adpellatio*, quòd dicitur βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, abominatio deſolationis. βδέω eſt, flatum ventris emitto, fœteo; unde eſt βδελύσσομαι, execror, abominor, deteſtor, propriè averſor ob fœtorem. Hinc nomen βδέλυγμα, exſecratio, res exſecrabilis, abominanda, (fœtor) quam propter fœditatem & fœtorem nemo non averſatur & exſecratur. Luc. 16, 15. Apoc. 17, 4. 5. & 21, 27.

βδέλυγμα.

ἐρήμωσις

Ἐρήμωσις eſt deſolatio, vaſtatio, ab ἐρημόω, deſertum reddo, vaſto; ex radice ἔρημος, deſertus, ſolus, ſolitarius, inhabitatus, incultus, ſubintelligitur τόπος, ἢ ἄνθρωπος, locus aut homo. Eſt autem Hebraiſmus Scripturis uſitatus, quô duo ſubſtantiva in ſtatu regiminis conjunguntur, ita ut alterum nominis adjectivi locum teneat, ut ſit abominatio deſolationis, idem quod abominabilis deſolatio, ſive abominanda devaſtatio; vel quod aliis magis placet, deſolatrix, exitialis abominatio, deſolationem minitans. Scopus enim CHRISTI eſt, non de ipſa deſolatione abominabili, ſed de abominabili quodam ſigno imminentis deſolationis agere.

Hebraiſmus

2. *Signi explicatio* vel interpretatio, quid nomine βδελύγματος iſtius propriè veniat. Magnum h.l. eſt interpretum divortium. Intelligunt enim patrum nonnulli per βδέλυγμα hoc

1. Antichriſtum. Sed jam non quærimus, quid myſticè & typicè ſignificet, ſed quid ſenſus literalis, quem CHRISTUS principaliter intendit, excidii nimirùm Hieroſolymitani ſignum, admittat.

Abominatio deſolationis quid.

2. Alii ſtatuam vel idolum aliquod templo illatum volunt; ubi alii viciſſim imaginem Titi Veſpaſiani; alii Adriani Imperatoris ſtatuam equeſtrem; alii ſignum aquilæ aureæ; alii Tiberii; alii Neronis; alii Antiochi Epiphanis; alii Caji Caligulæ innui adferunt.

3. Sunt, qui per βδέλυγμα notari contendunt, vel caput porci, à Romanis militibus in templum projectum.

4. Vel ſacrificia, poſt oblationem unici ſacrificii verè propitiatorii, in templo, à Judæis adhuc dum ex opere operato facta:

5. Vel atrocia ſacerdotum aliorumq; hominum peccata:

6. Vel

Digitized by Google

6 Vel ſeditioſos in urbe Zelotas, qui abominandis templum Hieroſolymitanum ſceleribus polluerunt:

7. Vel cometam gladii ſpecie ante obſidionem Hieroſolymis viſum:

8. Vel decretum Phariſæorum ſangvinarium, valvis templi (ſi Suidæ fidem non derogamus) adfixum, de quo Johan. 9. v. 22. legitur:

9. Vel deniq; exercitum Romanorum, obſidione Hieroſolymam cingentem. Diſcrepantes haſce interpretum ſententias enumerat Dn. D. Gerhard. harm. Chemnitio-Lyſer. part. 2. cap. 160. pag. 442. & ſeqq. Sententia de Caji Caligulæ imagine fautorem habet inter recentiores Dn. D. Hunnium p. m. Comment. in Matth. h. l. Illa de imagine Tiberii Dn. D. Geſnerum, in diſput ſuper Daniel: cui adſtipulatur D. Meelführer. in vindic. Poſtrema fautorem habet modò dictum D. Gerhardum, eandemq; probari adnititur; Romanorum exercitum eſſe abominationem deſolationis.

1. *ex Matthæi cum Luca, cap. 19, 43. collatione:*
2. *ex ipſa adpellatione;* βδέλυγμα enim verè erant Judæis omnia Romanorum idola, immò Romani ipſi:
3. *ex prædicati conſideratione*, fugæ ſcilicet ſuaſione:
4. *Ex prophetiæ Danielis explicatione*, quòd is abominationem deſolationis per adventum exercitûs Romani exponat:
5. *ex interpretationum reliquarum remotione:*
6. *ex Joſephi atteſtatione.* Videat qui volet, ſententiæ hujus confirmationem d. l. Cui tamen (ne illud quoque diſſimulemus) contradicere videtur D. Meelführerus his verbis: *Oportet dari talem abominationem, quæ (1) poſita fuerit ad alam; Dan. 9. v. 28. ſeu apud Cherubin, in loco ſancto, in loco ubi non oportet; Marc. 13. v. 14. & quæ (2) ceu ſignum ſingulare, præ foribus incurſuram vaſtationem Judææ præcurrerit. Talis non fuit ipſa horrenda & abominanda deſolatio, ab exercitu Romano facta; quia illa non ſignum, ſed ſignatum fuit: neq; etiam Sanctum Sanctorum inter alas Cherubinas, ſed confinium Ieroſolymorum ipſamq; urbem occupavit.* Quicquid ſit, res eſt quæſtionis, non fidei. Nos itaque ſuum cuiq; liberum relinquentes judicium, illud Auguſtini ex Epiſt. 80. ſubjicimus: *Ipſa deſolationis abominatio, propter obſcuritatem dicti, non unô modô ab hominibus potuit intelligi.*

3. *Dicti comprobatio*, ex Danielis vaticinio deſumta. Cùm verò

Digitized by Google

tribus in locis dictus Vates de abominatione deſolationis loquatur, cap. 9, 27. & 11, 31. & 12, 11. ſciendum, reſpicere Salvatorem, non cap. 11. ubi de Antiocho Epiphane, atq; ita de hiſtoria ante excidium Hieroſolymitanum jamdudum completa; neq; cap. 12. ubi de AntiChriſto agitur: ſed ad cap. 9. ubi Propheta de ultima urbis & templi Hieroſolymitani devaſtatione vaticinatur. Ad Danielem autem nos remittit Salvator,

1. ut divinam & canonicam Prophetæ hujus auctoritatem oſtendat:
2. ut principalem excidii cauſam innuat, contemtum Meſſiæ: hæc enim apud Danielem ſeſe mutuò ſequuntur.

4. ***Subjuncta ad attentionem exhortatio:*** qui legit intelligat.

Verba hæc ſunt non Matthæi, sed ipſius Salvatoris, per μίμησιν ab Evangeliſta inſerta. Illud autem docere voluit;

1. Danielis prophetiam nondum eſſe impletam, ac proinde ante complementum ſuum ſubobſcuram:
2. Attentè & ſtudioſè eandem eſſe legendam altiusq; conſiderandam: monet enim multa de tempore, adventui Meſſiæ deſtinato; de ejuſdem paſſione ac morte; de ſacrificiorum V.T. abrogatione & ſimilibus.
3. Supinam eſſe Judæorum in tractandis Prophetarum vaticiniis oſcitantiam & negligentiam: mirum itaq; non eſſe, ſi pro paradoxis & abſurdis habeant omnia, quæ de regno Meſſiæ prædicta legebantur.

Judæorum negligentia.

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

Contemtꝰ verbi nunquam inultus.

I. Docemur, contemtum CHRISTI ac verbi divini nunquam manere inultum, ſed graviſſimis à DEO irato pœnis vindicari. 1. Cor. 10, 11. Eſa. 6, 9. 10 & 24, 17. Jer. 6, 19 & 9, 13 & 26, 4 & 29, 17. Ezech. 5, 6 & 11, 10 & 20, 24. Oſe. 4, 6. Amos 8, 11. Zach. 7, 11. 2. Maccab. 4, 17. Prov. 1, 24 & 5, 12. 1. Sam. 3, 1. Pſal. 74, 9. Matth. 22, 7 & 23, 39. Luc. 14, 24 & 19, 27. 2. Theſſ. 1, 7.

Milites βδέλυγμα.

II. Omnes, qui cultum DEI vaſtant, idola colunt, & Eccleſiam perſequuntur, DEO atq; hominibus eſſe abominabiles: inde milites Romani dicuntur βδέλυγμα. Confer noſtrates milites, inverſum invenies Decalogum. Deut. 5, 25. Eſa. 44, 9. Jer. 10, 10 & 51, 47. Ezech. 14, 8. Eſa. 33, 1. Mich. 1, 7.

III. Mu-

III. Munitiones quoq; firmiſſimæ deſtructioni & deſolationi ſunt obnoxiæ. D. Theod. p. 877.

Munitiones.

IV. Scripturæ ſacræ lectio commendatur omnibus: ad omnes enim cura ſalutis pertinet Joh. 5, 39. Luc. 16, 29. Deut. 17, 18. Joſ. 1, 8. Col. 3, 16. Matt. 7, 15. 1. Theſſ. 5, 21. Act. 8, 28 & 17, 11. 2. Pet. 1, 17.

Scripturæ commendatio.

V. Scriptura verò ſacra non oſcitanter, ſed diligenter & attentè eſt legenda. Sir. 14, 22. 23 & 32, 19. Joh. 5, 39. 2. Pet. 1, 19. D. Theodor. p. 880.

VI. AntiChriſtianum eſt, prohibere laicis Scripturarum lectionem: quod dum facit Papa Romanus, AntiChriſtum, h.e. ſatanæ ſatellitem ſe toti terrarum orbi demonſtrat.

Scripturam prohibere Antichriſtianū.

VII. Prophetia Danielis canonica eſt & authentica. CHRISTUS enim ſuâ allegatione iſtam auctoritatem libro huic conciliavit. Ezeh. 14, 14 & 28, 3.

IIX. Scriptura eſt norma & regula unica, ſecundum quam omnes controverſiæ dijudicari & dirimi debent. Deut. 17, 1. Eſa. 8, 20. Jer. 6, 16. Sir. 9, 21. Pſal. 19, 9 & 119, 104. Luc. 16, 29. Rom. 15, 4. 2. Pet. 1, 19.

Scriptura norma.

IX. DEI permiſſione Judaica πανολεθρία facta eſt, ut teſtaretur,

1. ſe in templis χειροποιήτοις nolle habitare; Act. 7, 48.
2. Fideles ad cœleſtem Hieroſolymam adſpirare debere Apoc. 21, 20. Col. 3, 1. 2. Hebr. 12, 22.
3. Meſſiam verè, ante aliquot jam ſecula veniſſe, & fruſtrà à Judæis, deſtructô templô, deletâ urbe, & everſâ politiâ Judaicâ, exſpectari alium. Gen. 49, 10. Dan. 9, 26. Mal. 3, 1. Hagg. 2, 7.

πανολεθρίας Jud. cauſæ.

X. De immota oraculorum Propheticorum verbiq; divini certitudine. Eſa. 36, 16 & 42, 9 & 44, 7 & 54, 10. Ezech. 17, 24. Matth. 5, 18. Luc. 21, 33. Confer. D. Theod. p. 879.

Verbi prophetici certitudo.

XI. Miſſam eſſe abominationem deſolationis, probat egregiè D. Theodor. p. 878. 879.

Miſſa βδέλυγμα.

XII. Abominatio enim deſolationis καθ' ἀλληγορίαν & myſticè impleta eſt, hodieq; impletur in Papa Romano. Vidimus abominationem deſolationis, h.e. revelata fuit Antichriſtiana ejus abominatio, tàm in doctrina, quàm in vita ac moribus. unde præ foribus eſſe conſumationem ſeculi haut abs re colligitur. Dan. 12. v. 11. 2. Theſſ. 2, 2. 3. & ſeqq.

Papa βδέλυγμα.

Digitized by Google

PARS II.

Audivimus vaticiniũ; audiamus etiam conſilium CHRISTI. Eſt enim ille μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. Eſa. 9. v. 6. Conſilium verò CHRISTI verſatur in ſuadendo & diſſuadendo.

I. *Suadet* duo:

Fugæ ſuaſio.

1. *Fugæ adprehenſionem*: hoc enim fore extremum deſperatæ in obſidione liberationis ac ſalutis remedium. Lóquitur quidem hæc Salvator ad Apoſtolos; ſed in ipſorum perſona ad omnes fideles, rum temporis in Judæa victuros: quanquam non tàm conſilium præſcribere, quàm atrocitatem malorum prædicere videatur; ideò à ſecunda perſona ad tertiam tranſitum facit. Obſervetur autem fugæ

1. *qualitas*, quæ conſiſtit in conſideratione termini à quo, & ad quem. *Terminus à quo* eſt Judæa; exitium enim illud non ſolam Hieroſolymam, ſed univerſam Judæorum regionem, Palæſtinam generali vocabulo nuncupatam, omnesq́; ejusdem civitates, vicos & pagos invadet. *Terminus ad quem* ſunt montes: intelliguntur loca tuta & hoſtibus inacceſſa. Fugientes enim eò ſe recipere ſolent. Geneſ. 19. v. 17. 1. Maccab. 2. v. 28. Ejusmodi loca tuta tunc erant, quæ longiſſimè à Judæa diſtabant. Denn weit davon iſt gut für den Schuß.

2. *Neceſſitas*; ſummâ in tàm perturbato rerum ſtatu feſtinatione opus erit; hancq́; declarat CHRISTUS ἐνδεῖξις τρόπου, indicatione modi, quòd fieri debeat

Tecta plana.

1. *ad iter maximè neceſſaria prætermittendo*: qui in tecto (tecta autem Judæorum erant plana, in quibus deambulare poterant) non deſcendat, audiens adventantem exercitum Romanum, eò fine ut κειμήλια & alia ad iter neceſſaria, vel aliàs ſibi cara ſecum aſportet; ſed omnem ſalutis vitæq; retinendæ ſpem in fuga unicè repoſitam eſſe meminerit. Sic qui in agro fuerit, ſive ruris colendi, ſive obambulandi gratiâ, non revertatur in urbem, unde egreſſus eſt, aſportare inde veſtes ad iter neceſſarias: ſed libenter omnium rerum jacturam faciat, ut ad fugam tantò ſit expeditior.

Fugientiũ miſera cõditio.

2. *Miſeram fugientium ſortem deplorando*; eorum maximè, quibus fugæ tempore impedimenta objicientur. Tales ſunt

1. *prægnantes*, quæ ventris onere gravatæ citò & longè fugere non poſſunt:

2. *la-*

2. *lactantes*, quibus, ob infantes de collo & uberibus pendentes, grave & moleſtum eſt fugere, immò ob ϛοργὰς naturales fermè impoſſibile. Eſa.49,15.

Malè ex hoc loco conjugii dignitatem impugnarunt quondam Tertullianus, Hieronymus & patrum nonnulli alii: Væ enim non eſt vox imprecantis, ſed vel dolentis & commiſerantis; ut Eſa. 6.v.5. Jer.22.v.18. Ezech.30.v.2. vel prædicentis mala temporalia. Eccleſ.4,10. Væ dolentis.

2. *Precum continuationem.* Commendat hic CHRISTUS

1. *in genere* preces, in ſtatu tàm calamitoſo ardentiori & ferventiori ſtudiô fundendas. Dicens enim; orate: ſalutare ſuis remedium, malis iſtorum temporum opponendum, commonſtrat.

2. *In ſpecie* orare vel deprecari potius jubet,

1. *intempeſtivam fugæ accelerationem.* Duo enim ponit tempora, quæ fugæ adprehendendæ minùs ſunt idonea (1) hyemem, & (2) Sabbathum. χειμὼν ſignificat, & hyemem brumale illud tempus & tempeſtatem intempeſtam. Hyeme itaq; fugere malum, χειμών. Hyeme fugere malū.

1. *ob vitæ itineriáq; difficultatem*, quam nives pluviæq; efficiunt.

2. *ob dierum brevitatem*;

3. *ob frigoris & procellarum aſperitatem.*

Sabbathi mentione præconceptam & falſam Judæorum reſpicit opinionem, qui putabant, non licere Sabbathô juſtum iter, etiam extrema urgente neceſſitate, conficere: ſed tantum duntaxat viæ emetiri, quantum ad deambulationem animi causâ ſolet concedi; non ultra bis mille paſſus, & hoc dicebatur Sabbathi iter. Act.1,12. Loquitur Dominus cum Judæis, præpoſteris & nimis ſuperſtitioſis Sabbathi obſervatoribus, non cum Chriſtianis, quos in libertatem CHRISTUS adſeruit. Sabbathi iter.

2. *Calamitatum publicarum mitigationem.* Loquitur Salvator συγκριτικῶς, comparatè; præteritas cum futuris calamitates conferendo. Erit enim adflictio. θλῖψις propriè ſignificat compreſſionem & anxietatem, quæ ex illa compreſſione oritur. Uſurpatur hoc loco de anguſtiis, quas in obſidione Hieroſolymitana Judæi fuêre experti. Ideóq; addit epitheton μεγάλη, ingens, inſignis & magna erit adflictio, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc uſque tempus, neque fiet unquam (præſens conjunctivi pro futuro indicativi γενήσεται:) Objiciunt h.l. nonnulli tempus dilu- θλῖψις.

vii,

vii, ubi univerſum hominum genus, octo ſaltem demtis perſonis, fuit deletum: ſed agit CHRISTUS de tribulationibus ab hoſtium irruptione metuendis, non autem de calamitatibus, à DEO immediatè immiſſis.

3. Temporum ac dierum malorum decurtationem. Per dies intelligit

1. tempus belli atq; obſidionis;

Decurtatio malorum. 2. adflictiones illius temporis. Utrumq; fuit decurtatum. Prima obſidio, facta à Rege Babyloniorum Nabuchodonoſore, duravit biennium; ſecunda hæc non integros menſes quinq;. Sed & furori militum certas metas DEUS deſtinavit, uti patet ex hiſtoria deſolationis Judaicæ. Duplex obſervetur Hebraiſmus: non omnis, pro nullus; & caro pro homine. Gen. 6, 12. Pſal. 56, 5 & 65, 3 & ſynecdochicè homo pro Judæo; genus pro ſpecie. σώζεσθαι eſt in vivis conſervari: non ſervari, idem quod perire: q. d. ſi duraſſet tempus obſidionis & adflictionis diutiùs, nullus Judæus potuiſſet ſervari, & ex calamitatibus iſtis evadere: nec ſervarentur ullæ gentis hujus reliquiæ: futuri enim ſunt Judæi commune odium totius humani generis: ſed propter electos in hoc populo reſiduos, quos Dominus novit, dies adbreviabuntur. Sic fuit CHRISTI ſuaſio.

σώζεσθαι

II. Diſuaſio ſpectat multiplicem ſeductionem, à qua fideles ſuos vult eſſe alienos.

Seductio cavenda. *Propoſitio* implicita eſt: Cavete, ne ſeducamini; vel, nolite credere ſeductoribus & impoſtoribus.

Ratio;

1. à Meſſiæ confictæ vanitate. Tunc, in illis ſc. tribulationis ſummæ diebus, ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt CHRISTUS, verus ille ac promiſſus Meſſias, populi Judaici liberator & Salvator, ne credatis.

2. Avocationis nullitate. Exſurgent ejusmodi ſectatores ſponte, non miſſi, nec excitati divinitùs: ſed à mendacii omnis architecto ſatana obtuſi. Joh. 8, 41.

Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ. *3. A ſeductorum proprietate:* dicuntur Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, qui falsò jactabant, ſe eſſe Meſſiam; aut homines donô propheticô inſignes, h.e. primarii Eccleſiæ Doctores.

4. Ab erroris efficacitate: edent ſigna magna & prodigia. διδόναι h. l. idem eſt, quod ἀποδεικνύειν, palàm inſigne aliquid oſtendere. Conjunguntur σημεῖα καὶ τέρατα; vide de adpellationum

num iſtarum diſtinctione & ſignificatione Dominic. 21. poſt Trin. Additur epitheton μεγάλη, ut innuat, non vulgaria, ſed magna, admiranda & veriſimilia ſigna à PſeudoChriſtis & PſeudoProphetis editum iri; uſque adeò ut ſeducantur vel in errorem inducantur, & falſis iſtiusmodi miraculis decipiantur, ſi fieri poſſet, etiam electi, ut verô Meſſiâ derelictô, PſeudoChriſtos & PſeudoProphetas ſectentur & in æternum pereant. Προσδιορισμὸς additus, εἰ δυνατόν, eſt partim *informatorius* de electionis DEI immutabilitate: partim *conſolatorius*, erigendis fidelibus accommodatus, ne de ſalute & perſeverantia ſua deſperent.

5. *A CHRISTI veritate*; Ecce ego, qui ſum veritas, prædixi vobis: quòd ſi quis παραίνεσιν hanc negligat, erit ἀναπολόγητος.

6. *A doctrina falſitate*: Si dixerint vobis, ecce in deſerto eſt &c. Hæc μιμητικῶς Salvator omniſcius refert, eorum reſpiciens deliria, qui CHRISTUM promiſſum nondum veniſſe dicent; & ad alia objecta homines deducent, jam in deſerta loca eos ablegando, ubi verus Meſſias exercitum collectum luſtret, Romanos adgreſſurus ac debellaturus: jam in deſerta loca eos ablegando, ubi verus Meſſias exercitum collectum luſtret, Romanos adgreſſurus ac debellaturus: jam in penetralia (ταμεῖα ſunt loca in ædibus abſtruſa ac recondita) & loca occulta illos remittendo, ubi clandeſtina agitet de Romanis ex improviſo q. opprimendis conſilia; nolite exire, nolite credere. ταμεῖα

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. De fuga in calamitatibus publicis non tantùm licita, ſed & præcepta ac quodammodo neceſſaria, niſi perſona officii vinculis, atq; ita conſcientiæ ratione, ut maneat, ſit adſtricta. Sir. 3, 28. Matth. 10, 23. Vide Dominic. poſt circumciſionis Domini. Confer etiam D.Finck.cent. 3. can. 53. ubi ait: de bellis & fame res eſt in liquido; de peſte & morbis epidemicis, non eadem eſt omnium ſententia, & quæ ibi ſequuntur. Fuga in publicis calamitatibus licita

II. A fuga autem in perſecutione particulari, ad fugam in Eccleſiæ perſecutione univerſali, non tenet conſequentia. Idem cent. 4. can. 14. Vide D.Theodor.pag. 881.

III. In pœnis & cladibus univerſalibus, ſi vitæ retinendæ datur Vitæ conſervatio.

copia, maximæ ac ſingulares DEO agendæ ſunt gratiæ. Jer.39,17 & 41,10. Jon.1,5. Act.27,44.

Bonorum jactura.

IV. Sed & bonorum corporalium jactura tum temporis, imò ipſa potiſſimùm mortis hora, æquo animo ferenda. Gen.19,26. Luc. 9,62 & 17,32. Soph.1,18. Col.3,1. Phil.9,14. D.Theodor.p.882.

Fugæ moleſtiæ.

V. In Scriptura ſacra moleſtiam fugæ (quæ in ſe miſerabilis eſt) augent, hyems, partus, ſabbathum, nox. D. Finck cent.3. can.30.

VI. Eccleſia fidelium nulli certo loco eſt adligata. Apoc.12,14 & 18,4. 2.Cor.6,17. Eſa.66,19. Matth.10,14 & 22,9. Luc.14,21.

Gravidam eſſe non eſt peccatum.

VII. Uterum ferre, liberos procreare, lactare & educare, peccatum non eſt, nec DEO adverſum. 1.Tim.2,15. Gen.3,16 & 9,1. Pſal.68,7 & 113.9 & 127,4 & 128,3.4. Marc.10,14.

Conjugiũ.

IIX. Conjugium enim eſt vitæ genus ſanctum, & ab ipſo DEO inſtitutum: Gen.1,28. ſuas tamen habet, in perſecutionibus maximè & calamitatibus publicis, moleſtias 1.Cor.7,28. Luc.23,29. Vide plura Dom.2. poſt Epiphan. D.Theodor.p.883.884.

Orandum in calamitatibus publicis.

IX. Commendantur nobis preces, ſalutare calamitatum tàm publicarum, quam privatarum remedium. Prov.10,24 & 15,29. Pſ. 10,7 & 34,18 & 102,19 & 145,18. Job.36,7. Eſa.65,24 & 30,19. Joel.2,32. Sir.35,21. Matth.7,7 & 21,22.

Mitigatio petenda.

X. Si totalis pœnarum & adverſitatum ablatio obtineri nequit, pro mitigatione earundem ſupplicandum. 2.Sam.23,16. 2.Reg. 19,28. Eſa.30,28 & 38,6 & 39,8. Dan.9,16. D.Theod.p.885.

XI. In periculo vitæ legem Ceremonialem ſeponere eſt licitum 1.Maccab.2,38. Luc.14,5.

XII. Verè dictum eſt ab Herodoto; *μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας εἶναι τιμωρίας*; idq; Judæorum exemplò comprobatum redditur. Amos.9,8. Eſa.24,6 & 57,11. Ezech.7,27. Nah.1,3. Pſal.7. v.12. Quæ, qualis & quanta fuerit calamitas Judaica docet D.Theod. pag.887.

Judæorum calamitas.

Antichriſti tempora.

XIII. Quod de tempore excidii Judaici; idem de temporibus AntiChriſti ſenſu anagogico dici commodè poteſt: niſi DEUS errores Antichriſtianos in lucem produxiſſet, & animas hominum ab illa carnificina per Evangelii prædicationem liberaſſet: niſi etiam CHRISTUS glorioſo ſuo adventu Antichriſtianis furoribus, erroribus & perſecutionibus finem imponeret, non ſalva foret omnis caro. Vide D.Theodor.p.887.

XIV.

XIV. DEUS ex ineffabili bonitate ſanctum aliquod ſemen ſibi reſervat, tàm ex Judæis, quàm ex gentibus. Eſa.1,9. Jer.4,27. Rom.9,29. 1.Reg.19,18. Jer.5,10,18. Semen ſanctum.

XV. Propter electos ſuos DEUS nonnunquam calamitates publicas mitigat. D.Theod.p.887. Mitigatio pœnarum.

XVI. DEUS novit ſuos ex tentatione eripere, inq; publicis calamitatibus mirabiliter conſervare. 2.Pet.2,9. Gen.7,2 & 19,24. Eſa.41,10. Jer.15,21.

XVII. In Scriptura ſacra DEUS variis modis pios liberâſſe legitur. D.Finck.cent.3.can.14. Liberatio piorum.

XIIX. DEUS nunquam iram ſuam ſuper impios effundit, quin ſimul ſaluti piorum conſulat; vel per mortem eos præripiendo; Eſa.26,23 & 59,2. vel fugæ ſpacium ipſis concedendo; Matth.2,13. vel in medio impiorum eos mirabiliter conſervando; vel flagella impiis inflicta in paternam ipſis caſtigationem mutando. In iraſua DEus ſalvat pios.

XIX. Papam eſſe AntiChriſtum, regnumq; ejus eſſe regnum AntiChriſti, ex hoc Evangelio luculentè patet. Ibi enim dicitur: Ecce hic eſt CHRISTUS, in deſerto; illic in penetralibus: Eccleſia ipſa Romanæ ſedi alligatur; remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna transfertur in cœnobiorum atq; eremiticorum clauſtrorum deſerta: peregrinationes ad loca ſanctorum, quos vocant, inſtituuntur: prodigia & ſigna ad deceptionem facta ac comparata jactantur. Dan.11,31. 2.Theſſal.2,10.11. 1.Timoth.4,1. 2.Timoth.4,3. Apoc.14,8 & 17. v.2 & 18,3. Papa AntiChriſtus.

XX. Miracula non ſunt propria nota veræ Eccleſiæ. Sunt enim per operationem ſatanæ falſis etiam doctoribus communia. Deut.13. v.1.2. Matth.7,22. 2.Theſſ.2,9. Apoc.13,13.14. Miracula non ſunt Eccleſiæ nota.

XXI. Electi, quatenus tales, non poſſunt finaliter ſeduci ac perire Joh.10,28. Rom 8,30.39. 1.Joh.3,9. 1.Pet.1,13. Pſal.1,3 & 37.24. Dan.12,1. 2.Tim.2,19. Electi non pereunt finaliter.

XXII. Ex eo, quod CHRISTUS prædicit, multos â Pſeudodoctoribus poſſe ſeduci, colligitur;

1. Eccleſiam poſſe errare, cõtra falſam Bellarmini theſin lib.3. de Eccleſ.c.3. Eccleſia non poteſt errare ullo modô Eſa.1,6 & 56,10. Matth.7,15 & 24,23.24. Actor.20,28.29.30. 2.Cor.11,2. Gal.3,1. Rom.2,20.21. 1.Joh.4,1. Apoc.2,5. Eccleſia errat.

Digitized by Google

copia, maximæ ac ſingulares DEO agendæ ſunt gratiæ. Jer.39,17 & 41,10. Jon.1,5. Act.27,44.

Bonorum jactura. IV. Sed & bonorum corporalium jactura tum temporis, in ipſa potiſſimùm mortis hora, æquo animo ferenda. Gen.19,26. Luc. 9,62 & 17,32. Soph.1,18. Col.3,1. Phil.9,14. D.Theodor.p.882.

Fugæ moleſtiæ. V. In Scriptura ſacra moleſtiam fugæ (quæ in ſe miſerabilis eſt) augent, hyems, partus, ſabbathum, nox. D. Finck cent.3. can.30.

VI. Eccleſia fidelium nulli certo loco eſt adligata. Apoc.12,14 & 18,4. 2.Cor.6,17. Eſa.66,19. Matth.10,14 & 22,9. Luc.14,21.

Gravidam eſſe non eſt peccatum. VII. Uterum ferre, liberos procreare, lactare & educare, peccatum non eſt, nec DEO adverſum. 1.Tim.2,15. Gen.3,16 & 9,1. Pſal.68,7 & 113,9 & 127,4 & 128,3.4. Marc.10,14.

Conjugiū. IIX. Conjugium enim eſt vitæ genus ſanctum, & ab ipſo DEO inſtitutum: Gen.1,28. ſuas tamen habet, in perſecutionibus maximè & calamitatibus publicis, moleſtias 1.Cor.7,28. Luc.23,29. Vide plura Dom.2. poſt Epiphan. D.Theodor.p.883.884.

Orandum in calamitatibus publicis. IX. Commendantur nobis preces, ſalutare calamitatum tam publicarum, quam privatarum remedium. Prov.10,24 & 15,29. Pſ. 10,7 & 34,18 & 102,19 & 145,18. Job.36,7. Eſa.65,24 & 30,19. Joel.2,32. Sir.35,21. Matth.7,7 & 21,22.

Mitigatio petenda. X. Si totalis pœnarum & adverſitatum ablatio obtineri nequit, pro mitigatione earundem ſupplicandum. 2.Sam.23,16. 2.Reg. 19,28. Eſa.30,28 & 38,6 & 39,8. Dan.9,16. D.Theod.p.885.

XI. In periculo vitæ legem Ceremonialem ſeponere eſt licitum 1.Maccab.238. Luc.14,5.

XII. Verè dictum eſt ab Herodoto; μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας εἶναι τιμωρίας; idq; Judæorum exemplò comprobatum redditur. Amos.9,8. Eſa.24,6 & 57,11. Ezech.7,27. Nah.1,3. Pſal.7. v.12. Quæ, qualis & quanta fuerit calamitas Judaica docet D.Theod. pag.887.

Judæorum calamitas.

Antichriſti tempora. XIII. Quod de tempore excidii Judaici; idem de temporibus AntiChriſti ſenſu anagogico dici commodè poteſt: niſi DEUS errores Antichriſtianos in lucem produxiſſet, & animas hominum ab illa carnificina per Evangelii prædicationem liberaſſet: niſi etiam CHRISTUS glorioſo ſuo adventu Antichriſtianis furoribus, erroribus & perſecutionibus finem imponeret, non ſalva foret omnis caro. Vide D.Theodor.p.887.

XIV.

XIV. DEUS ex ineffabili bonitate ſanctum aliquod ſemen ſibi reſervat, tàm ex Judæis, quàm ex gentibus. Eſa.1,9. Jer.4,27. Rom.9,29. 1.Reg.19,18. Jer.5,10,18. Semen ſanctum.

XV. Propter electos ſuos DEUS nonnunquam calamitates publicas mitigat. D.Theod.p.887. Mitigatio pœnarum.

XVI. DEUS novit ſuos ex tentatione eripere, inq; publicis calamitatibus mirabiliter conſervare. 2.Pet.2,9. Gen.7,2 & 19,24. Eſa.41,10. Jer.15,21.

XVII. In Scriptura ſacra DEUS variis modis pios liberâſſe legitur. D.Finck.cent.3.can.14. Liberatio piorum.

XIIX. DEUS nunquam iram ſuam ſuper impios effundit, quin ſimul ſaluti piorum conſulat; vel per mortem eos præripiendo; Eſa.26,23 & 59,2. vel fugæ ſpacium ipſis concedendo; Matth.2,13. vel in medio impiorum eos mirabiliter conſervando; vel flagella impiis inflicta in paternam ipſis caſtigationem mutando. In iraſua Deus ſalvat pios.

XIX. Papam eſſe AntiChriſtum, regnumq; ejus eſſe regnum AntiChriſti, ex hoc Evangelio luculentè patet. Ibi enim dicitur: Ecce hic eſt CHRISTUS, in deſerto; illic in penetralibus: Eccleſia ipſa Romanæ ſedi alligatur; remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna transfertur in cœnobiorum atq; eremiticorum clauſtrorum deſerta: peregrinationes ad loca ſanctorum, quos vocant, inſtituuntur: prodigia & ſigna ad deceptionem facta ac comparata jactantur. Dan.11,31. 2.Theſſ.2,10.11. 1.Timoth.4,1. 2.Timoth.4,3. Apoc.14,8 & 17. v.2 & 18,3. Papa AntiChriſtus.

XX. Miracula non ſunt propria nota veræ Eccleſiæ. Sunt enim per operationem ſatanæ falſis etiam doctoribus communia. Deut.13. v.1.2. Matth.7,22. 2.Theſſ.2,9. Apoc.13,13.14. Miracula non ſunt Eccleſiæ nota.

XXI. Electi, quatenus tales, non poſſunt finaliter ſeduci ac perire Joh.10,28. Rom 8,30.39. 1.Joh.3,9. 1.Pet.1,13. Pſal.1,3 & 37.24. Dan.12,1. 2.Tim.2,19. Electi non pereunt finaliter.

XXII. Ex eo, quod CHRISTUS prædicit, multos à Pſeudodoctoribus poſſe ſeduci, colligitur;

1. Eccleſiam poſſe errare, cõtra falſam Bellarmini theſin lib.3. de Eccleſ.c.3. Eccleſia non poteſt errare ullo modô Eſa.1,6 & 56,10. Matth.7,15 & 24,23.24. Actor.20,28.29.30. 2.Cor.11,2. Gal.3,1. Rom.2,20.21. 1.Joh.4,1. Apoc.2,5. Eccleſia errat.

Digitized by Google

Eccleſiæ duplex cõſideratio.

1. Tim.4,1. 2.Pet.2,1.2. In Scriptura enim ſacra Eccleſia dupliciter conſideratur; vel ratione electorum, vel ratione vocatorum. Electorum ratione eſt inviſibilis, & in fundamento errare ac totaliter deficere non poteſt: Matth. 16,18 & 24,24. reſpectu vocatorum eſt viſibilis & errare poteſt. D. Finck.cent.2.can.77.

Gratiâ DEI renati excidere poſſunt.

2. Renatos poſſe excidere gratiâ DEI. Ab electis enim ad renatos concluditur per quatuor terminos. Ezech. 18, 24. Matth.12,31. Luc.11,24. Joh.15,2. Rom.8,13 & 11,20. Gal.5,4.19. 1.Tim.1,19. 2.Tim.2,18 & 3,15. Hebr.6,4.5 & 10,26. 1.Pert.2,11. 2.Petr.2,20. 1.Joh.3,15. Vide D. Finck. cent.3.can.18.

Calviniſmus de Chriſti abſentia.

XXIII. Inſulſi ſunt Calviniani, ex dicto CHRISTI: ſi vobis dixerint: Ecce hîc eſt CHRISTUS, nolite credere: concludentes: Ergò CHRISTI corpus non eſt in ſacra Cœna præſens. Non enim (1) hoc in loco quidquam agitur de cœna Domini; nec (2) verbis hiſce negare voluit præſentiam ſuam, vel Sacramentalem in Cœna; vel gratioſam in Eccleſia; vel potentiæ, in dominio rerum omnium: ſed ſe Meſſiam verum veniſſe docet, nec exſpectandum eſſe alium: ſi qui verò alium monſtrent, eos non eſſe audiendos. (3) ſi collectio hæc Calviniſtica procederet, omnis planè CHRISTI præſentia foret abneganda. Vide D. Gerhard. d. l. D. Theod.p.889.

XXIV. CHRISTUS ſalutis noſtræ eſt cupidiſſimus, quia tàm fideliter de cavendis ſeductoribus monet.

DEUS nõ cauſa perditionis.

XXV. Non igitur DEUS eſt cauſa erroris & interitûs, de quo tàm paternè præmonuit. 2.Theſſ.2,10.11.

XXVI. Præſentiſſimum à Pſeudoprophetis imminet auditoribus ſalutis periculum. Vide Dominic.8.Trin.

Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.

XXVII. Quicunq; non in ſolo CHRISTO, ſed in aliis etiam rebus, extra & propter CHRISTUM ſalutem quærendam eſſe docent, hi ſunt PſeudoChriſti & PſeudoProphetæ. Act. 4,12. & 10.v.43. 1. Cor.3,11.

Judicii ultimi præparatio.

XXIIX. De præparatione ad ultimum judicium. Hîc jubet CHRISTUS

1. *attendere*, ſc. verbo & tempori: Mundus reponit peſſimum gratiæ abuſum, & extremum verbi contemtum:

2. *Fugere*, à DEO ſc. irato, ad DEUM placatum; fugere item peccata:

3. De

3. *De tecto nõ deſcendere; Reſpice mens ſurſum terreſtres abjice curas:*
4. *Impoſteros cavere:*
5. *Orare;* 1. *pro peccatorum remiſſione:*
2. *pro Spiritus ſancti gubernatione;*
3. *pro diaboli cobibitione & oppreſſione;*
4. *pro digna apparitione.*

PARS III.

Reſtat *ſolatium* pro piis & electis, quod breviter attingemus. Omne ſolatii momentum poſitum eſt,

1. *in Evangelii revelatione*, de qua Matth. 24, 14.
2. *In dierum decurtatione*, de qua in præcedentibus diximus.
3. *In adventûs Dominici ad judicium*, (vel in diei noviſſimi) *acceleratione*.

Sicut fulgur exit ab oriente &c. Quibus verbis deſcribit CHRISTUS adventûs ſui conditionem, quòd ille non ſit futurus occultus; ſed manifeſtus, nullô indigens præcone, quemadmodum primus adventus in carnem; Luc. 2, 9. & ſeqq. ſed omnibus in momento manifeſtandus. Declaratur iſte adventus ὁμοιώσει ſeu ſimlitudine, deſumta â fulgure; eaq; explicari poteſt dupliciter; Adventûs ultimi cõditio.

1. Ῥητῶς, *ſecundum literam*, quatenus CHRISTUS principaliter agit de ſuo ad judicium adventu: is verò confertur fulguri, Fulguris cum judicio ultimo cõparatio.
   1. *ob ſubitaneam adparitionem*; Matth. 24, 49. 1. Theſſ. 5, 2. 3.
   2. *ob ſplendorem & illuminationem*; 1. Cor. 4, 5. Apoc. 1, 7.
   3. *ob terrorũ incuſſionem*; Matth. 24, 30. Apoc. 1, 7.
   4. *ob loci conditionem*: Fulgur oritur ex nubibus; Ita Filius hominis veniet in nubibus cœli: Matth. 24, 30 & 26, 64. Luc. 21, 27. Marc. 13, 26 & 14, 62. Apoc. 1, 7.
   5. *ob brevem durationem*; adventus CHRISTI itidem erit momentaneus.
2. Διανοητικῶς, καθ' ἀλληγορίαν καὶ ἀναγωγὴν, quatenus de ſpirituali, per Evangelium prædicationem, CHRISTI adventu accipitur. Luc. 17, 24. Ita confertur Evangelium cum fulgure, quoad 1. *claritatem*; Evangelii cum fulgure comparatio.
   2. *celeritatem*;
   3. *univerſalitatem*: Pſal. 19, 4. 5. Col. 1. v. 6.

Vide D. Hunn. in Matth. ubi ita: *Porrò ſpem facit electis ſuis CHRISTUS, futurum, ut ante noviſſimum judicium lux Evangelii ex tene-*

tenebris errorum refulgeat, atq; inſtauratio doctrinæ cæleſtis incredibili celeritate perficienda ſit.

4. *In fidelium ad CHRISTUM adgregatione:* Ubi fuerit cadaver. Locutio eſt proverbialis, iterum per ſimilitudinem enunciata: Senſus itidem eſt geminus:

1. *Literalis*; πρώτως enim, primariò & ſecundum literam de adventu ſuo loquitur Salvator, uti ex Luc. 17,38. apparet. Oſtendit autem

1. adventum ſuum non fore latentem, ſed patentem; ſicut aquilam non latet cadaver:
2. electis ſuis ſeſe non adpariturum terribilem, ſed amabilẽ:
3. pios celeriter ad CHRISTUM eſſe adgregandos, non ſuper terram ambulando; ſed velut in aere volando: 1. Theſſ. 4,17.
4. eosdem ſemper cum ipſo in gloria futuros. 1. Theſſ. 4,17.

2. *Spiritualis*; δευτέρως enim & ſecundum διάνοιαν accommodari poteſt ad adventum CHRISTI per verbum. Ita denotatur hac parœmiâ

1. *debitum piorum officium*, ut ad CHRISTUM adſpirent;
2. *veræ Eccleſiæ indicium*, cujus vera nota eſt CHRISTUS cadaver, h. e. crucifixus & mortuus:
3. *ſalutare CHRISTI beneficium*, qui odore Evangelii ſui nos allicit & paſcit. 2. Cor. 2,15.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

Terminũ habent preſſuræ Eccleſiæ.

I. DEUS magnis Eccleſiæ preſſuris ac calamitatibus certum definivit terminum ac finem. Eſa. 13,11. Rom. 8,21.22. Pſal. 7,10 & 138,8. Eſa. 60,20. Dan. 8,19. 1. Cor. 15,24.

II. Noviſſimus CHRISTI adventus futurus eſt repentinus, ac toti mundo conſpicuus. 2. Theſſ. 2,8. 1 Tim. 6,14. 2. Tim. 1,10. Tit. 2,13.

Adventus Chriſti ultimus qualis.

III. In noviſſimo CHRISTI adventu omnia revelabuntur. Eccl. 12,14. Matth. 12,36. Luc. 8,17. Rom. 2,16 & 14,10. 1. Cor, 45. 2. Cor. 5,10. Hugo Victorinus:

Judicium faciet geſtorum quisq; ſuorum,
Cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebant.

Peccata piorũ in extremo die non revelabuntur.

IV. Quæritur de peccatis piorum, an & illa ſint revelanda & in publicum proferenda; Negantem tuentur Eccleſiarum noſtrarum Do-

Digitized by Google

Doctores; vide præ cæteris D. Gerhard. Tom. 9. L. C. p. 148. & ſeqq. ubi negativam iſtam probat aliquot rationibus; nim.

1. à proceſſu judiciali, qui Matth. 25. deſcribitur;
2. à DEI promiſſione & miſericordia;
3. à DEI immutabilitate;
4. à Judicis in pios adfectu;
5. à CHRISTI Judicis officio. Dicuntur autem hæc, non ſecuritatis ſtabiliendæ, ſed pœnitentiæ exſuſcitandæ ergò.

V. Tempus adventus Domini exactè ſciri non poteſt. Act. 1, 7. Zach. 14, 7. 1. Theſſ. 5, 1. 3. Matth. 23, 36. 42. Marc. 13, 32. Luc. 21, 35. Dies noviſſimus incognitus.

VI. CHRISTUS cadaveri ſemetipſum adſimilat, Chriſti cum cadavere comparatio.

1. *ob humanitatis veritatem;*
2. *ob mortis certitudinem;*
3. *ob contemtam & objectam ſpeciem;*
4. *ob mortis ſuæ virtutem & efficaciam.* Joh. 12, 32.

VII. CHRISTI corpus malè & minus propriè dicitur cadaver, quod contra Bezam eſt tenendum. D. Theodor. p. 895.

IIX. De fidelium aquilarum ad CHRISTUM congregatione. Vide D. Teodor. p. 892. Aquilæ fideles ad Chriſtum.

IX. Comparantur autem pii, fideles & electi aquilis carnivoris, Piorũ cum aquilis cõparatio.

1. *propter nobilitatem;*
2. *propter nidi ſublimitatem;* Job. 39, 37. 28. Jer. 49, 16. Pſ. 18, 1 & 31, 2. Col. 3, 1. Phil. 3, 20.
3. *propter volatûs altitudinem & velocitatem;* Eſa. 40, 31.
4. *ob viſûs acumen & ſubtilitatem;* Job. 28, 7 & 39. 29. Mal. 4, 2.
5. *ob odorandi ſagacitatem;* Pſal. 32, 9.
6. *ob prædæ aviditatem;*
7. *ab vitæ longævitatem;* Pſal. 103, 5.
8. *ob animoſitatem;* 1. Pet. 5, 9. Jac. 4, 7.
9. *ob incolumitatem* à fulminis tactu. Pſal. 2, 12 & 11, 1.

X. De modo avertendi vel mitigandi calamitates, vel ſi hoc non detur, ſalvandi animas. Ita agamus; Calamitates ut avertendæ.

1. *abominationem deſolationis* (h. e. peccatum) *deteſtemur;*
2. *Scripturis meditemur;*
3. *Terrenorum curam averſemur;*
4. *ardenter precemur;*
5. CHRISTI *adventum anxiè præſtolemur.*

DIS-

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Evangelium prælegimus partim *terribile*, partim *amabile*. Terribile (1) ratione *materiæ*, vel rerum, quæ in eodem tractantur (2) ratione *formæ* vel verborum, quæ ita ſunt comparata, ut terrorem ac horrorem animis piorum facilè incutiant. Amabile contrà & ſolatiô plenum eſt, (1) propter *adbreviationem* malorum; (2) propter *commonitionem* impiorum; (3) propter *confirmationem & conſolationem* piorum. Dupliciter autem poteſt conſiderari:

I. ut vaticinium, de urbis Hieroſolymitanæ excidio;

II. ut præſagium de extremo judicio.

PARS I.

Quoad primum conſiderandi modum, quinq; potiſſimum ſunt ἀξιόσκεπτα:

I. Signorum προηγουμένων ſive præceſſurorum catalogus & enumeratio quæ videantur in præcedente capitis 24. textu.

II. βδελύγματος declaratio, petenda ex præced. diſpoſitione. Declaratur autem βδέλυγμα illud

1. *à viſione*, videbitur, non erit occultum.

Hieroſolyma civitas ſancta.

2. *à loco*; ſtabit in loco ſancto, in templo Domini. Nonnulli generaliùs exponunt, de tota Hieroſolymorum urbe, q. d. cùm ſtabit ad mœnia urbis. Locus enim vel civitas ſancta dicitur Hieroſolyma, Matth. 4, 5. propter templum, in quo erat ſanctuarium; & populum ſanctum.

3. *A teſtimonio Danielis*; qui legit, (Danielem) intelligat & probè expendat, quid ſibi illa prophetia velit; & cum illa impleta fuerit; non procul aberit urbis excidium, populiq; Judaici πανωλεθρία. Multi quidem legent, ſed non omnes intelligent: date igitur operam ut rectè intelligatis hebdomadas Danielis, & videbitis, oraculum iſthoc prædictis ſignis examuſſim reſpondere. Verba Danielis cap. 10, 26. 27. ita habent: Poſt hebdomadas 62. excidetur CHRISTUS; & non erit: (h. e. Meſſias à Judæis crucifigetur, & ê terrâ viventium exſcindetur; Eſa. 53, 8. ſed non ferent hæc impunè; nam juſto DEI judicio) civitatem & ſanctuarium corrumpet populus ducis venturi

tari: (h.e. exercitus Romanus duce Titô Veſpaſianô urbem cum ſanctuario deleturus eſt, ita quidem ut nunquam reædificari poſſit; quia) finis ejus erit in inundatione: (h.e. ſicut diluvium omnia vaſtavit; ita quoq; hæc expugnatio finalem πανολεθρίαν populo Judaico adferet) & usq; ad finem belli, (ſive præſentis vitæ, quæ omnibus bellis finem adfert) deciſæ ſunt deſolationes. (h. e. decretum eſt, ut deſolatio illa duret uſq; ad conſummationem ſeculi.) Et confirmabit vel roborabit Meſſias pactum multis hebdomadâ una: (h.e. antequam extrema illa deſolatio Judæos obruat, Meſſias in propria perſona docendi munus adminiſtrabit, ac ſangvinis ſui effuſione novum fœdus confirmabit hebdomadâ unâ, videlicet ſeptuageſimâ) & in dimidio hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium & Mincha, (h. e. à ſacrificiis Moſaicis ad corporis ſui ſacrificium, in ara crucis offerendum, homines deducet) & erunt ſuper alam abominationes deſolationum & uſq; ad conſummationem, & quidem præciſam (ſeu determinatam) effundet ſe (effundetur) & ſtillabit (ſuper) deſolationem. In his verbis & ſignum ultimi excidii determinat, & uſq; ad finem ſeculi illud duraturum prædicit. D. Gerhard. harm. cap. 160. pag. 439.

Juvencus presbyter interpretatur βδέλυγμα per ἀποστασίαν, defectionem à fide:

Adveniet jam tunc triſtis defectio terris,
Quæ Danielis habet juſtam veriſſima vocem:
Hæc dignus poterit tantùm cognoſcere lector.

Theophylactus: *abominationem deſolationis dicit ſtatuam ejus, qui civitati imperavit, quam erexit in adytis templi. Deſolationis autem dicitur, eò quòd expugnanda eſſet civitas. Abominatio verò, eò quòd ſtatuas & imaginem hominum. Hebræi abominationes vocabant, odiô idololatriæ.* Quidam autem abominationem deſolationis Antichriſtum exiſtimant, eò quòd vaſtaturus mundum, & ſubverſurus ſit Eccleſias, ac ſeſſurus in templo.

III. *Fuga ſuaſio:* tunc, cùm illud indicium imminentis excidii videritis, qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, h. e. conſulant ſibi fugâ, ut maturè illis malis eripiantur. Nullis enim præſidiis ampliùs defendi poterit imperium Judaicum.

Quæritur cur fugam ſuaſerit fidelibus ſuis ſalvator? Reſp. Fugæ ſuaſio, & cur?

1. Quia illorum operâ prædicandum erat Evangelium.

2. Non debuerunt cum impiis perire. Fuga enim pios fuiſſe ere-

ptos, patet ex Euſeb. l.3.c.5. qui ſcribit, eos divinitùs de periculo admonitos, profectos eſſe trans Jordanem in Pellam oppidum, ibiq; ſervatos. Dilatatur

Pella.

1. per circumſtantias, quod fuga fieri debeat,
   1. cum ſumma celeritate;
   2. cum rerum terrenarũ jactura; tanta enim opus fore feſtinatione ut ne ſummè quidem ad iter neceſſaria liceat ſecum auferre.
2. Per collationem imparium: Væ prægnantibus &c. q. d. jura gentium imbelli & infirmæ huic turbæ parcunt: at in diebus excidii Hieroſolymitani, nullius ſexus, nullius ætatis habebitur ratio. Dupliciter poteſt intelligi; vel quòd prægnantes & lactantes ad fugam ſint ineptiores; vel quòd deteriori præ aliis locô ſint futuræ.

Theophylactus: *Prægnantes quidem non poterant fugere, onere ventris gravatæ: lactantes autem propter compaſſionem erga pueros. Illos enim relinquere nequeunt, neq; ſecum portare, & ſimul ſalvare poſſunt. Fortaſſis CHRISTUS inſinuat, quod & comederint pueros.*

IV. Ad preces exſuſcitatio. Propoſitio: Orate, ne fuga veſtra fiat.

1. in hyeme, quô tempore difficiliores ſunt profectiones, & multiplicia incidunt incommoda:
2. in Sabbatho, quô quieſcendum potiùs, quàm periculoſa peregrinatio ſuſcipienda.

Ratio, à periculi magnitudine: Exemplô carebit iſthæc calamitas, tàm retrò, quàm in futurum.

V. Ulterior miſeriæ amplificatio, à divinæ miſerationis clementia: niſi adbreviarentur dies, h. e. niſi DEUS metam poneret iræ ſuæ, tota gens Judaica funditùs deleretur; ſed propter electos paucos miſerias decurtabit. Juvencus:

Nam cunctis venient ſæviſſima pondera terris:
Tale malum non ſecla priùs, non poſtea norunt.
Et ni ſublimis Genitor decerpere tempus,
Et numerum miſerans vellet breviare dierum,
Nulla dehinc trepida ſuperarent corpora vita:
Sed propter lectos veniet miſeratio juſtos.

Uſus

Digitized by Google

Uſus I. Informatorius.

1. De DEI juſtitiâ. Lentô quidem gradu ad pœnam progreditur; tandem tamen, niſi agatur pœnitentia, juſtè punit peccatores. Exod. 20, 5. Matth. 2, 16. Deut. 4, 24 & 8, 20 & 10, 16. 17. Joſ. 23, 15. Eſa. 57, 11. Ezech. 16, 42. Mal. 3. 5. Amos 9, 2. Sir. 37, 32. *Juſtitia DEI lentè procedit.*

2. De DEI veritate: quæcunq; enim per os Prophetarum ſuorum locutus eſt, omnia ita evenerunt. Eſa. 34, 16. *Veritas DEI.*

II. Conſolatorius.

1. De lento DEI in pœnis proceſſu, quem antegreditur *Proceſſus Dei in pœnis.*
   1. *præmonitio;*
   2. *mediorum propoſitio.* Vide D. Bald. poſt. pag. 1264.

2. Quòd velit & valeat Dominus liberare electos ſuos. Vide Monr. theſ. p. 361.

3. Quòd calamitates habeant terminum; quòd DEUS ſemper ſibi ſervet ſemen ſanctum; quòd propter paucos electos parcat ex prædictis conſtat. *Semen ſanctum.*

III. Monitorius.

1. Ut adprehendamus media ac remedia, quibus in calamitatibus publicis vel immunes evadere, vel animam ſalvare queamus. Media in textu conceſſa monſtrantur quinque: *Media evadendi calamitates publ.*
   1. *Abominationis* (h. e. peccati abominabilis) *deteſtatio:*
   2. *Scripturæ ſacræ lectio & meditatio;*
   3. *Terrenorum neglectio & derelictio;*
   4. *Ardens oratio:*
   5. *Matura vitæ emendatio*, fugæ mentione adumbrata. Theophylactus: *Oportet autem & ab agro ſecedere., h. e. terrenis, & neq; veſtem tollere malitiæ, quæ vetus eſt veſtis, quam exuimus.* Item: *Tu autem & ſic intelligito, quòd oporteat precari, ne fiat fuga noſtra ex hac vita, h. e mors in Sabbatho, otioſis nobis in bonis operibus: neq; hyeme, in ſterilitate bonorum ſed in ſerenitate animæ, quæ non turbetur.*

2. Ut caveamus ab ingratitudine & contumacia Judaica, ne ſimiles pœnas incurramus.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, Papam ſuum eſſe Antichriſtum πὶξ καὶ λὰξ negantiū & pernegantium, eam ſolùm ob cauſam, quia nō ſit una & ſingula- *Papiſmus d. Antichriſto.*

gularis perſona, uti l.3.c.3. de Pont. Rom. habet Bellarminus; cujus veſtigia premens JeſuitaSchererus hunc in modum fabulatur p.728..a Vermög H. Schrifft/ muß der recht eigentlich vnd wahre AntiChriſt nur ein einige Perſon ſeyn/ in maſſen nur ein einiger Chriſt iſt / aber der Bäpſte ſeynd biß hero weit vber 200. geweſen / vnd nach ableiben eines / wird alsbald ein ander erwehlet: Derwegen iſts vnmüglich/ daß der Bapſt der AntiChriſt ſeyn ſoll. In ſubſidium cauſæ morbidæ producit teſtimoniū Joh.5,43. 2.Theſſ.2,3.8. 1.Joh.2,18. Reſpondeo non meis, ſed D. Gerhardi p. m. verbis: ſic autem ille in Phoſphori Papiſtici conſideratione p.432. *AntiChriſtum futurum eſſe certam aliquam & individuam perſonam, nullibi ſacra Scriptura docet, contrarium potiùs innuit, quando Apoſtolorum temporibus clam iniquitatem ſuam exſeruiſſe adſerit; 2 Theſſ 2,7. & à CHRISTO in extremo judicio abolendum. verſ.8. propterea magna illa defectio tempore plenarii regiminis Antichriſtiani ſuboritura, nec paucis annis, nec ab una perſona perfici poteſt. 1.Tim 4,1. 2.Theſſ.2,3. Immò teſtatur ipſe Apoſtolus 1 Joh.4.3. quòd Antichriſtus, quamvis reſpectu plenarii dominii & totalis defectionis, tunc temporis adhuc exſpectaretur; tamen reſpectu incoatæ corruptionis doctrinæ & adſectati imperii, jam tunc in mundo fuerit: & propterea Spiritus AntiChriſti vocatur. Nec contrarium ex adductu Scripturæ locis probari poteſt &c.* Vide d.l. plura. CHRISTUS certè (1) verborum ſuorum optimus interpres, h. l. Matth.24,5. 11. teſtatur, ſe non de uno aliquo veniente, ſed de multis loqui. (2) indefinitè enim loquitur de impoſtoribus, qui Eccleſiam ſuis deceptionibus & ſeductionibus turbaturi eſſent. (3) Quemadmodum etiam vocabulum alius non notat ſingularem aliquam & individuam perſonam, ſed indefinitè ſumitur pro omni illo, qui non in CHRISTI ſed ſuô nomine venit, h.e. quilibet indicatur Doctor ἑτερόδοξος, ut ſit alius idem quod, quicunq;. (4) Oppoſitio illa conſiſtit, non in perſonæ ſingularitate, ſed doctrinæ contrarietate. (5) Uſitatiſſimum eſt in Scripturis, nomine individui ſpeciem, & per unum hominem integram gentem ſignificare. Gen.49,8. & ſeqq. Ita nomen hominis vel filii ſæpè eſt collectivum. Aliàs ſequeretur; Papa in ſingulari dicitur Pontifex: Ergò unicus tantum eſt: Diabolus in ſingulari vocatur: Ergò unicus tantum eſt diabolus. (6) Articulus autem ὁ non ſemper perſonæ unitatem denotat; vide Luc.4,4 Matth. 12,31. 1.Tim.3,2. 2.Tim.3,6. Hac ratione idem ſtatuendum Matth. 16,18. Tu es Petrus, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, ædificabo Eccleſiam meam, h.e. una & ſingularis Petri perſona indigitabitur; & hoc

Antichriſtus non ſingularis perſona.

re-

Digitized by Google

reſpectu fruſtrà Petri ſucceſſor proclamabitur Papa Rom. Vide plura in Papiſmo D.Giſenii p.182.183.184. D. Mentzer. diſp.14. pag.671. contra Piſtorium & alibi paſſim.

PARS II.

Quod ſpectat poſteriorem conſiderandi modum, ex ipſo verborum ſono patet, ad tempora quoq; diei noviſſimi omnia accommodari poſſe. Excidium enim gentis Judaicæ fuit præludium conſummationis univerſi. Conſideramus hunc textum etiam ut præſagium de extremo judicio; cui conſiderationi inſervit, **Judæorum excidium typus diei noviſſimi.**

1. *temporis deſcriptio.* Tempus nim. futuri judicii deſcribitur, **Tempus ultimi judicii.**
   1. *ab abominationis fœditate*; quâ quidem adpellatione colluvies illa ſcelerum, nec non AntiChriſti regnum intelligitur.
   2. *A tribulationum varietate*, multiplicitate & atrocitate.
   3. *A dierum iſtarum brevitate.*
   4. *A Pſeudochriſtorum & Pſeudoprophetarum pluralitate.* Exaggeratur ſeductio per ipſos futura.
      1. *falsâ nominis ſancti uſurpatione*;
      2. *mimeticâ verborum recitatione*; ecce, hic eſt CHRISTUS.
      3. *inani miraculorum oſtentatione*: falſis enim miraculis falſæ doctrinæ fidem facere conabuntur:
      4. *ſeductorum multiplicatione*;
      5. *ſeductionis efficaciâ & operatione.* Tanta enim illa ſeductio, permiſſione DEI, juſtè antegreſſa ſcelera vindicantis, eſt futura, ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Agitur de erroribus, exitium animæ adferentibus; non de levioribus, qui fidei fundamentum non evertunt. Addit, ſi fieri poſſit; innuens fieri id non poſſe, quandoquidem electi providentiâ divinâ confirmati, â veritate in ſacris literis patefacta, dimoveri ſeſe nullô modo patientur.
2. *Piorum conſolatio*, deſumta
   1. *ab Evangelii in toto terrarum orbe prædicatione*; verſ.27.
   2. *à CHRISTI de cœlo revelatione*; ibid.
   3. *à mutua conſocietate.* verſ.28. Occurrit ibi CHRISTUS tacitæ diſcipulorum omniumq; piorum objectioni: Quid fiet de nobis? Præſentem te non habebimus viſibiliter: quis nos ad te deducet, in tanta tamq; promiſcua generis humani multitudine? Reſp. Ubi cada-

Digitized by Google

ver, & ad illud ſeſe congregant, immò ultrò advolant: Ita quoq; in die noviſſimo ſine ullo labore electi ad CHRISTUM Redemtorem ſuum congregabuntur.

Uſus I. Informatorius.

1. De noviſſimi diei propinquitate. Vide Domin. 1. Adventûs.

2. Quod verè & certè adparuerit, & pro nobis paſſus ac mortuus ſit JESUS CHRISTUS, ſiquidem mortem ejus abominatio deſolationis erat conſecutura. Monr. theſ. pag. 361.

II. Conſolatorius.

Judicium Chriſto homini traditum.

1. Quòd judicium traditum ſit Filio hominis Immánueli noſtro, ut illa perſona ſit Judex, quæ ſub judice ſtetit. Monr. p. 364.

2. Quòd ubi cadaver, ibi aquilæ; & nos cum CHRISTO manebimus in perpetuum. Ibid. p. 365.

III. Monitorius.

Præparatio diei noviſſimi.

De modo præparandi animos ad diei noviſſimi ἐπιφάνειαν. Requiritur vel maximè, ut

1. *Videamus* vel circumſpiciamus, temporis rationem ſolicitâ curâ habentes: Eph. 5, 16.
2. *Legamus* & attendamus: verbi enim ſtudium ſit nobis commendatiſſimum: Pſal. 23, 4. & 119, 105. Jac. 1, 21.
3. *Fugiamus:* Pſal. 1, 1. 2. & 26, 5. 2. Cor. 6, 14. 15.
4. *De tecto non deſcendamus:* Luc. 17, 32. 1. Tim. 6, 7.
5. *Perſeveremus:* Matth. 10, 22. Apoc. 2, 10.
6. *Oremus*, tùm pro calamitatum mitigatione; tùm pro dierum malorum adbreviatione:
7. *Impoſtores non audiamus:* 1. Theſſ. 5, 21. 1. Joh. 4, 1.
8. CHRISTO *adhæreamus.* Joh. 15, 4. 5. & 17, 24.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Diei noviſſimi terrori opponendæ conſolationes.

Quandoquidem dies noviſſimus nominatur dies iræ, Soph. 1, 18. Rom. 2, 5. viſum eſt, ex præſenti Evangelio colligere aliquot *conſolationum momenta, quæ terrori diei noviſſimi opponi poſſunt, immò ab omnibus verè-piis opponi debent.*

Ἐξήγησις.

Maximam verò conſolationem CHRISTI fidelibus ſubminiſtrare poteſt, immò debet

I. Anti-

I. *Antichriſti per prædicationem Evangelii facta revelatio.* Ea enim ſignum eſt adpropinquantis diei noviſſimi, qui piis erit dies ἀπολυτρώσεως. Luc. 21, 28. Verba facit Salvator de abominatione deſolationis. βδέλυγμα iſtud eſſe Antichriſtum, Papam Romanum, ex ſcriptis noſtratium abunde patet. Intuére præſens Evangelium, confer Judæorum βδέλυγμα, πρόδρομον illum excidii Hieroſolymitani, cum noſtro βδελύγματι Papa Romano, προδρόμῳ diei noviſſimi jamjam imminentis certiſſimo, fateberis, non tam ovo ovum ſimile, quam βδέλυγμα Judaicum, βδελύγματι noſtrorum temporum. Conveniunt enim Antichriſti revelatio ſignum noviſſimi diei. Papa βδέλυγμα. Papæ eum Judæorum βδελύγματι comparatio.

1. *ratione principii & ortûs*, quatenus utrumq; ex urbe ſepticolli Roma, totius Latii capite, prodiit,
2. *Ratione ſodalitii & comitatûs.* Judæorum βδέλυγμα in comitatu ſuo habebat multa millia militum Romanorum: Papa Romanus (ut de militibus jam nihil dicam) ſecum ducit ingentem catervam Cardinalium, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Monachorum raſorum &c. Illi ſanctæ civitati; hi Eccleſiæ JESU CHRISTI perniciem & interitum machinantur undiq;.
3. *Ratione effecti & fructûs*; templi politiæq; vaſtatio.

II. *Fuga conceſſio*, immò ſevera præceptio. Fugam intelligimus peccati, aliô nomine pœnitentiam dictam. *Aut enim pœnitendum, aut ardendum.* Sir. 21, 1. 2. Tob. 4, 6. Sir. 5, 8. Prov. 28, 13. Eſa. 1, 16. & ſeqq. & 65, 2. Ezech. 18, 24. & 33, 12. Act. 17, 30. 2. Pet. 3, 9.

III. *Oratio*, quæ nunquam inefficax, modò ſeria. Luc. 18, 7. Orandum autem Orandum quid.

1. *pro regni DEI adpropinquatione*; Matth. 6, 10.
2. *pro gratuita peccatorum remiſſione*; Pſal. 79, 8.
3. *pro Spiritûs ſancti communicatione & gubernatione*; Rom. 8, 26.
4. *pro potenti contra diabolum defenſione*; 1. Pet. 5, 8. Apoc. 12, 11.
5. *pro digna coram tribunali CHRISTI comparatione* 2. Cor. 5, 10. 1. Theſſ. 5, 8. Luc. 21, 34. Joël. 2, 32.

IV. *Dierum malorũ decurtatio.* 1. Tim. 2, 4. Eſa. 1, 8. & 6, 13. Rom. 11, 33. Reliquiæ ſalvabuntur. Joh. 10, 28. 1. Cor. 10, 12. 2. Pet. 2, 9.

V. CHRISTI *manifeſtatio*, & noſtra ad ipſum collectio. 1. Theſſ. 4, 17. Orandus eſt autem DEUS, ut hanc conſolationem in animis noſtris

noſtris Spiritu ſanctô ſuô obſignet, quô obfirmatis pectoribus adventum CHRISTI præſtolari, & interim in patientia multa animas noſtras poſſidere queamus. At Tu ô bone JESU,

Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva nos fons bonitatis!

Addo preces Eccleſiæ: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui per gratiam tuam ſupplices exoramus, ut unigeniti filii tui meritis placatus, & præſentia nobis ſubſidia tribuas & futura, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

Tempus adeſt, ſtabis cum Judicis ante tribunal,
Tu malefacta bonis corrige, tempus adeſt.

DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 25. à verſ. 31. ad finem.

31. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ᾽ αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ.

32. καὶ συναχθήσεται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ᾽ ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.

33. Καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων.

34. Τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ. Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

Eſa. 58, 7. 35. Ἐπείνασα γὰρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν

31. *Cum autem venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ.*

32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis.*

33. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.*

34. *Tunc dicet Rex his qui à dextris ſibi erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis ab exordio mundi.*

35. *Eſurivi enim, & dediſtis*

φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με· ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με.

36. Γυμνὸς, καὶ περιεβάλετέ με· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με· ἐν φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρός με.

37. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες· Κύριε πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ διψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν;

38. Πότε δέ σε εἴδομεν ξένον, καὶ συνηγάγομεν; ἢ γυμνὸν, καὶ περιεβάλομεν.

39. Πότε δέ σε εἴδομεν ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἤλθομεν πρός σε;

40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

41. Τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ εὐωνύμων· πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ.

42. Ἐπείνασα γὰρ, καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ οὐκ ἐποτίσατέ με.

43. Ξένος ἤμην, καὶ οὐ συνηγάγετέ με· γυμνὸς, καὶ οὐ περιεβάλετέ με· ἀσθενὴς, καὶ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐκ ἐπεσκέψασθέ με.

44. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ καὶ αὐτοὶ, λέγοντες, κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, ἢ διψῶντα, ἢ ξένον, ἢ γυμνὸν, ἢ ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι;

mihi edere: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me. Ezech 18. 7.

36. Nudus & operuiſtis me: infirmus, & viſitâſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Eccl. 7, 39.

37. Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus? aut ſitientem, & dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmos, aut in carcere, & venimus ad te?

40. Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quatenus feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

41. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Pſal. 6. 9. Matth. 7. 23. Luc. 13. 27.

42. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi cibum: ſitivi, & non dediſtis mihi potum.

43. Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus & in carcere eram, & non viſitâſtis me.

44. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmũ, aut in carcere, & non adminiſtravimus tibi?

45. Τότε ἀποκριθήσεται αὐτοῖς, λέγων· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε.

46. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

45. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.

46. Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti verò in vitam æternam.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

EJusdem eſt hoc Evangelium generis cum præcedente, Demonſtrativi præcipuè; totum extremi judicii actum & proceſſum ſecundum omnes circumſtantias ex profeſſo deſcribens, quin ad oculum q. demonſtrans, quâ majeſtate & gloriâ ad illud ſit venturus, quid acturus, quid dicturus, conſtitutus ille vivorum ac mortuorum Judex pantocriticus, Dominus ac Salvator noſter θυμηρέστατος, JESUS CHRISTUS. Partes enarrationis primæ conſtituimus pro more tres contemplaturi

I. Τὰ ἡγούμενα ἢ προπαρασκευαστικά, *antecedentia vel præparatoria, h.e. ſolemnem ad judicium præparationem.*

II. Τὰ μέσα, συνεχῆ ἢ ἅμα ὄντα, *media, connexa, & quæ ſimul incident, h.e. accuratam judicii adminiſtrationem:*

III. Τὰ ἑπόμενα ἢ ἐκβαίνοντα, *conſequentia vel eventum h.e. ſtrictam & paratam ſententiæ latæ executionem.*

PARS I.

Filius hominis.

Quoad primam διεξόδου partem, ἀξιόσκεπτα nobis occurrunt quinq; potiſſimùm membra; quorum

1 eſt *Judicis dignitas*, qui vocatur Filius Hominis, ſtilô N. T. vernaculô, *tùm* ad exprimendam humanitatis adſumtæ veritatem; *tùm* ob vaticiniorum propheticorum conformitatem; Pſal. 8, 5. Dan. 7. v. 12. *tùm* ad inſinuandam matris virginitatem; *tùm* ad exaggerandam Incarnationis utilitatem; *tùm* ob ſummam Φιλανθρωπίας & erga homines benignitatem; *tùm* ob exinanitionis humilitatem, ſic nuncu-

Filium hominis cur Christus ſe

nuncupatus. In ipſo autem judicii extremi actu ac proceſſu Filium hominis ſeſe nominare voluit CHRISTUS. nominet id actu extremi judicii.

1. ut oſtenderet, ſe per ſervilis formæ depoſitionem ingreſſum quidem eſſe in gloriam ſuam; Luc. 24, 26. veram autem humanitatem non depoſuiſſe, nec depoſiturum unquam in omnem æternitatem, quod negantibus Photinianis eſt opponendum.
2. Ut demonſtraret, ſe non in aliena & adſcititia, ſed in eadem natura ac forma, quam ſemel adſumſit, rediturum & adpariturum.
3. Ut doceret, ſe ut hominem etiam judicium adminiſtraturum; idq; probatur, Judex Chriſtus Homo.
   1. *ex Judicis hujus adpellatione*: Dan. 7, 13. Matth. 16, 26 & 19. v. 28 & 24, 30 & 26, 64.
   2. *ex Judicis deſcriptione*; Dan. 7, 13. Matth. 24, 30.
   3. *ex perſonali poteſtatis κριτικῆς ſive judiciaria communicatione*: Dan. 7, 13. Luc. 22, 69. Joh. 5, 22. 23.
   4. *ex muneris iſtius conditione*; eſt enim pars officii:
   5. *ex antegreſſa exinanitione*:
   6. *ex abitûs & reditûs collatione*: Act. 1, 11.
   7. *ex ſubjecti reduplicatione* Joh. 5, 27. Vide uberiùs hæc explicantem D. Gerhard. part. 2. harm. pag. 941.

Hæc dum dicimus, non tribuimus CHRISTO judicium excluſivè vel oppoſitè, ac ſi derogatam velimus αὐτοκρατορίαν κριτικὴν reliquis Divinitatis perſonis; ad opera enim ad extra concurrunt omnes: ſed illud ſolùm docetur, quòd poteſtas faciendi judicii καθ' αὐτοκρατορίαν καὶ εὐδοκίαν omnibus tribus Divinitatis perſonis propter ὁμοουσίαν communis, CHRISTO ut Θεανθρώπῳ, Judici divinitùs conſtituto peculiariter competat κατ' οἰκονομίαν, per diſpenſationem & adpropriationem quandam, propterea quòd is viſibiliter in adſumta humana natura adpariturus, immediatè judicium hoc adminiſtraturus, ac proinde tùm ὁρατῶς, tùm ἀκουστικῶς illud peracturus ſit. Toti ergò Trinitati tribuitur judicium hoc, quoad poteſtatem judiciariam, dominium, auctoritatem & decretum; Filio verò peculiariter adſignatur, quoad viſibile & externum exercitium. Judicium tribuitur & Trinitati & Filio Hominis.

II. Adventus qualitas; veniet Filius-hominis in gloria ſua; h. e.

 ſibi

ſibi propria, quæ omnem Angelorum gloriam (quid reſpondendum ſit ad locum Luc.9,26.oſtendit D.Gerh.d.l.p.945.) longiſſimô, immò infinitô poſt ſe relinquet intervallô, quod patet,

1. ex eo, quòd dicitur reciprocè αὐτοῦ δόξα; veniet in ſua h.e. ſibi propria gloria:
2. ex eo, quòd Patris dicitur gloria; Matth.16,27. Luc.9,26. Marc.8,38. h.e. quam cum Patre communem habet eſſentialiter, divinam, increatam, infinitam, humanæ verò naturæ communicatam perſonaliter ac realiter:
3. Ex ipſius CHRISTI ἐξηγήσει; ſeſſurus autem eſt ſuper ſedem gloriæ ſuæ:
4. Ex indiciis & effectis iſtius gloriæ, per totum judicii actum atq; proceſſum manifeſtæ.
5. Ex locorum parallelorum collatione. Joh.1,14& 2,11 & 12, 41 & 17,5.Luc.9,32 & 24,26. Cur autem venturus ſit in gloria verè divina, quatuor rationibus explicat D. Gerhard. p.497.498.

III. Comitatûs gravitas, verbis: & omnes ſancti Angeli cum eo. Comitabuntur Judicem omnes Angeli, quia tota curia cœleſtis cum CHRISTO veniet, tota cum toto hominum beatorum cœtu redunienda. Sancti Angeli, inquam, quia mali Angeli (infra diaboli) non erunt Judicis comites, ſed in numero judicandorum, CHRISTI dicuntur Angeli, ratione tùm creationis, tùm dominationis ſive juriſdictionis. Unà autem venient CHRISTUMq; comitabuntur Angeli.

Angeli Chriſti. Angeli comites Judicis Chriſti & cur?

1. *ut actum ornent;*
2. *ut ſententiam adprobent;*
3. *ut Judici miniſtrent;* vel uti D.Gerh.habet p.950.951.
   1. *ob complementum vaticiniorum propheticorum*: Dan.7,9.10. Zach.14,5. Jud.epiſt.verſ.14.15.
   2. *ob complementum typi*, in promulgatione legis antegreſſi: Act.7,53. Gal.3,19. Heb.2,2.
   3. *ad comprobandam Judicis magnificentiam & honorem:*
   4. *ob miniſterium* & obſequium CHRISTO judici exhibendum. Miniſterium autem præſtabunt Angeli Judici

Angeli quid agent in die noviſſimo.

1. *tubâ clangendo*; Matt.24,31. 1.Cor.15,52. 1.Theſſ.4,16.
2. *CHRISTUM honorificè deducendo*; 1.Theſſ.4,16.2.Theſſ.1,7.
3. *homines colligendo* & judicio ſiſtendo: Matth. 13.v.27 & 24.v.41.

4. col-

4. *collectos in duas claſſes diſtribuendo:* Matth. 13,49.
5. *malos in infernum cogendo, bonos ad cœlum ſubvehendo.* Matth. 13, 41.42.50. 1.Theſſ.4,17.
5. *Propter convenientiam* adſcenſionis & reverſionis.
6. *Propter teſtimonium*, in quo officio συμμάρτυρες habebunt Apoſtolos & omnes ſanctos. Matth. 19, 25. Luc. 22, 30. Eſa.3,14. Sap.3,8.& 5,1. 1.Cor.6,2. 1.Theſſ.3,13. Apoc. 2,26.& 3,31. Veteres tres nominârunt Angelorum ordines, Judicis comites; cantores, accuſatores & executores

IV. *Solii (vel throni) ſublimitas:* Judex Filius hominis ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ. Sedes vel thronus gloriæ per Hebraiſmum dicitur pro throno glorioſo. Thronus ille quis ſit, ambigitur & diſceptatur à diverſis Eccleſiæ Doctoribus. Vide quorundam ſententias apud D. Gerh. p.954. cujus tandem hæc eſt ἐπίκρισις, quæ nobis etiam facit ſatis: *Thronus ille gloriæ*, inquit, *ſuper quem CHRISTUS in judicio ſedebit, eſt partim inviſibilis, videlicet dextra DEI, ad quam Filius hominis, h. e. CHRISTUS ſecundum humanam naturam eſt evectus; eſtq; ipſa increata & infinita DEI virtus ac majeſtas, omnium rectrix ac dominatrix:* Heb.1,3.& 8,1.& 12,2. Luc.22,69. *partim viſibilis, videlicet nubes lucida & majeſtatis plena.* Luc.21,27. Matth.24,36. Apoc.1,7. *Qualis verò nubes illa regalis & judiciaria ſit futura, hominum exactè ſcire arbitramur neminem.* Illud potiùs quæritur: Cur in nube venturus ſit Judex? Reſpondetur

Judicis ſolium.

Thronus gloriæ quid.

Judex in nube venturus & cur.

1. *propter eandem adſcenſionis & reditûs conformitatem:* Act.1,11.
2. *ad ſignificandam divinam Judicis majeſtatem:* Pſ.104,3.Eſa.19,1.
3. *ad contemperandam adventûs claritatem:*
4. *Ob transfigurationis antegreſſæ ſublimitatem:* Matth.17,5. Marc. 9,7. Luc.9,34.
5. *Propter typorum claritatem:* Exod.13,21.& 16,10.& 19,9. & 40,38. Num.12,5. 2.Par.5,13.
6. *Ob primi & ſecundi adventûs adfinitatem.* Eſa.19,1.& 45,8. Vide D.Gerh.Tom.9.L.C.pag.95.96.

Judicandi.

V. *Judicandorum univerſalitas.* Objectum ſive perſonæ judicandæ erunt omnes homines; verbis: & congregabuntur ante eum omnes gentes, h. e. omnes omninò homines, cujuscunq; ordinis, ſtatûs, ætatis, loci ac temporis; ſive pii fuerint, ſive impii; ſive ante diem noviſſimum mortui, ſive in adventu Judicis vivi deprehenſi. Omnes dicit, non homines, ſed gentes, ad judicandorum multitudinem & varietatem explicandam, ἐμφάνως verò majeſtatem judicis declarandam. D.Gerh.harm.p.957.

ptos, patet ex Euſeb. l.3.c.5. qui ſcribit, eos divinitùs de periculo admonitos, profectos eſſe trans Jordanem in Pellam oppidum, ibiq; ſervatos. Dilatatur

Pella.

1. per circumſtantias, quod fuga fieri debeat,
   1. cum ſumma celeritate;
   2. cum rerum terrenarū jactura; tanta enim opus fore feſtinatione ut ne ſummè quidem ad iter neceſſaria liceat ſecum auferre.
2. Per collationem imparium. Væ prægnantibus &c. q. d. jura gentium imbelli & infirmæ huic turbæ parcunt: at in diebus excidii Hieroſolymitani, nullius ſexus, nullius ætatis habebitur ratio. Dupliciter poteſt intelligi; vel quòd prægnantes & lactantes ad fugam ſint ineptiores; vel quòd deteriori præ aliis locô ſint futuræ.

Theophylactus: *Prægnantes quidem non poterant fugere, onere ventris gravatæ: lactantes autem propter compaſſionem erga pueros. Illos enim relinquere nequeunt, neq; ſecum portare, & ſimul ſalvare poſſunt. Fortaſſis CHRISTUS inſinuat, quod & comederint pueros.*

IV. Ad preces exſuſcitatio. Propoſitio: Orate, ne fuga veſtra fiat.

1. in hyeme, quô tempore difficiliores ſunt profectiones, & multiplicia incidunt incommoda:
2. in Sabbatho, quô quieſcendum potiùs, quàm periculoſa peregrinatio ſuſcipienda.

Ratio, à periculi magnitudine: Exemplô carebit iſthæc calamitas, tàm retrò, quam in futurum.

V. Ulterior miſeriæ amplificatio, à divinæ miſerationis clementia: niſi adbreviarentur dies, h.e. niſi DEUS metam poneret iræ ſuæ, tota gens Judaica funditùs deleretur; ſed propter electos paucos miſerias decurtabit. Juvencus:

Nam cunctis venient ſæviſſima pondera terris:
Tale malum non ſecla priùs, non poſtera norunt.
Et ni ſublimis Genitor decerpere tempus,
Et numerum miſerans vellet breviare dierum,
Nulla dehinc trepidæ ſuperarent corpora vitæ:
Sed propter lectos veniet miſeratio juſtos.

Uſus

Uſus I. Informatorius.

1. De DEI juſtitiâ. Lentô quidem gradu ad pœnam progreditur; tandem tamen, niſi agatur pœnitentia, juſtè punit peccatores. Exod. 20,5. Matth. 2,16. Deut. 4,24 & 8,20 & 10,16.17. Joſ. 23,15. Eſa. 57,11. Ezech. 16,42. Mal. 3.5. Amos 9,2. Sir. 37,32. Juſtitia DEI lentè procedit.

2. De DEI veritate: quæcunq; enim per os Prophetarum ſuorum locutus eſt, omnia ita evenerunt. Eſa. 34,16. Veritas DEI.

II. Conſolatorius.

1. De lento DEI in pœnis proceſſu, quem antegreditur Proceſſus Dei in pœnis.
   1. *præmonitio;*
   2. *mediorum propoſitio.* Vide D. Bald. poſt. pag. 1264.

2. Quòd velit & valeat Dominus liberare electos ſuos. Vide Monr. theſ. p. 361.

3. Quòd calamitates habeant terminum; quòd DEUS ſemper ſibi ſervet ſemen ſanctum; quòd propter paucos electos parcat ex prædictis conſtat. Semen ſanctum.

III. Monitorius.

1. Ut adprehendamus media ac remedia, quibus in calamitatibus publicis vel immunes evadere, vel animam ſalvare queamus. Media in textu conceſſa monſtrantur quinque: Media evadendi calamitates publ.
   1. *Abominationis* (h. e. peccati abominabilis) *deteſtatio:*
   2. *Scripturæ ſacræ lectio & meditatio;*
   3. *Terrenorum neglectio & derelictio;*
   4. *Ardens oratio:*
   5. *Matura vitæ emendatio,* fugæ mentione adumbrata. Theophylactus: *Oportet autem & ab agro ſecedere, h. e. terrenis, & neq; veſtem tollere malitiæ, quæ vetus eſt veſtis, quam exuimus.* Item: *Tu autem & ſic intelligito, quòd oporteat precari, ne fiat fuga noſtra ex hac vita, h. e. mors in Sabbatho, otioſis nobis in bonis operibus: neq; hyeme, i. e. ſterilitate bonorum, ſed in ſerenitate animæ, quæ non turbetur.*

2. Ut caveamus ab ingratitudine & contumacia Judaica, ne ſimiles pœnas incurramus.

IV. Refutatorius.

Pontificiorum, Papam ſuum eſſe Antichriſtum τὸ ξ καὶ λαξ negantiũ & pernegantium, eam ſolùm ob cauſam, quia nõ ſit una & ſingula- Papiſmus de Antichriſto.

gularis perſona, uti l.3.c.3. de Pont. Rom. habet Bellarminus; cujus veſtigia premens Jeſuita Schererus hunc in modum fabulatur p.728..a Vermög H. Schrifft/ muß der recht eigentlich vnd wahre AntiChriſt nur ein einige Perſon ſeyn/ in maſſen nur ein einiger Chriſt iſt/ aber der Bäpſte ſeynd bißhero weit vber 200. geweſen/ vnd nach ableiben eines/ wird alsbald ein ander erwehlet: Derwegen iſts vnmüglich/ daß der Bapſt der AntiChriſt ſeyn ſoll. In ſubſidium cauſæ morbidæ producit teſtimoniũ Joh.5,43. 2.Theſſ.2,3.8. 1.Joh.2,18. Reſpondeo non meis, ſed D. Gerhardi p. m. verbis: ſic autem ille in Phoſphori Papiſtici conſideratione p.432. *AntiChriſtum futurum eſſe certam aliquam & individuam perſonam, nullibi ſacra Scriptura docet, contrarium potiùs innuit, quando Apoſtolorum temporibus clam iniquitatem ſuam exſeruiſſe adſerit; 2 Theſſ 2,7. & à CHRISTO in extremo judicio abolendum. verſ. 8. propterea magna illa defectio tempore plenarii regiminis Antichriſtiani ſuboritura, nec paucis annis, nec ab una perſona perfici poteſt. 1.Tim 4,1. 2.Theſſ.2,3. Immò teſtatur ipſe Apoſtolus 1 Joh.4,3. quòd Antichriſtus, quamvis reſpectu plenarii dominii & totalis defectionis, tunc temporis adhuc exſpectaretur; tamen reſpectu incboatæ corruptionis doctrinæ & adfectati imperii, jam tunc in mundo fuerit: & propterea Spiritus AntiChriſti vocatur. Nec contrarium ex adductis Scripturæ locis probari poteſt &c.* Vide d.l. plura.

Antichriſtus non ſingularis perſona.

CHRISTUS certè (1) verborum ſuorum optimus interpres, h. l. Matth.24,5. 11. teſtatur, ſe non de uno aliquo veniente, ſed de multis loqui. (2) indefinitè enim loquitur de impoſtoribus, qui Eccleſiam ſuis deceptionibus & ſeductionibus turbaturi eſſent. (3) Quemadmodum etiam vocabulum alius non notat ſingularem aliquam & individuam perſonam, ſed indefinitè ſumitur pro omni illo, qui non in CHRISTI ſed ſuô nomine venit, h.e. quilibet indicatur Doctor ἑτερόδοξος, ut ſit alius idem quod, quicunq;. (4) Oppoſitio illa conſiſtit, non in perſonæ ſingularitate, ſed doctrinæ contrarietate. (5) Uſitatiſſimum eſt in Scripturis, nomine individui ſpeciem, & per unum hominem integram gentem ſignificare. Gen.49,8. & ſeqq. Ita nomen hominis vel filii ſæpè eſt collectivum. Aliàs ſequeretur; Papa in ſingulari dicitur Pontifex: Ergò unicus tantum eſt: Diabolus in ſingulari vocatur: Ergò unicus tantum eſt diabolus. (6) Articulus autem ὁ non ſemper perſonæ unitatem denotat; vide Luc.4,4 Matth. 12,31. 1.Tim.3,2. 2.Tim.3,6. Hac ratione idem ſtatuendum Matth. 16,18. Tu es Petrus, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. ædificabo Eccleſiam meam, h.e. una & ſingularis Petri perſona indigitabitur; & hoc

re-

Digitized by Google

reſpectu fruſtrà Petri ſucceſſor proclamabitur Papa Rom. Vide plura in Papiſmo D.Giſenii p.182.183.184. D.Mentzer. diſp.14. pag.671. contra Piſtorium & alibi paſſim.

PARS II.

Quod ſpectat poſteriorem conſiderandi modum, ex ipſo verborum ſono patet, ad tempora quoq; diei noviſſimi omnia accommodari poſſe. Excidium enim gentis Judaicæ fuit præludium conſummationis univerſi. Conſideramus hunc textum etiam ut præſagium de extremo judicio; cui conſiderationi inſervit, **Judæorum excidium typus diei noviſſimi.**

1. *temporis deſcriptio.* Tempus nim. futuri judicii deſcribitur, **Tempus ultimi judicii.**
1. *ab abominationis fœditate*; quâ quidem adpellatione colluvies illa ſcelerum, nec non AntiChriſti regnum intelligitur.
2. *A tribulationum varietate*, multiplicitate & atrocitate.
3. *A dierum iſtarum brevitate.*
4. *A Pſeudochriſtorum & Pſeudoprophetarum pluralitate.* Exaggeratur ſeductio per ipſos futura.
   1. *falsâ nominis ſancti uſurpatione*;
   2. *mimeticâ verborum recitatione*; ecce, hic eſt CHRISTUS.
   3. *inani miraculorum oſtentatione:* falſis enim miraculis falſæ doctrinæ fidem facere conabuntur:
   4. *ſeductorum multiplicatione*;
   5. *ſeductionis efficaciâ & operatione.* Tanta enim illa ſeductio, permiſſione DEI, juſtè antegreſſa ſcelera vindicantis, eſt futura, ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Agitur de erroribus, exitium animæ adferentibus; non de levioribus, qui fidei fundamentum non evertunt. Addit, ſi fieri poſſit; innuens fieri id non poſſe, quandoquidem electi providentiâ divinâ confirmati, â veritate in ſacris literis patefacta, dimoveri ſeſe nullô modo patientur.

2. *Piorum conſolatio*, deſumta
1. *ab Evangelii in toto terrarum orbe prædicatione*; verſ. 27.
2. *à CHRISTI de cœlo revelatione*; ibid.
3. *à mutua conſocietate.* verſ. 28. Occurrit ibi CHRISTUS tacitæ diſcipulorum omniumq; piorum objectioni: Quid fiet de nobis? Præſentem te non habebimus viſibiliter: quis nos ad te deducet, in tanta tamq; promiſcua generis humani multitudine? Reſp. Ubi cada-

I. *Antichriſti per prædicationem Evangelii facta revelatio.* Ea enim ſignum eſt adpropinquantis diei noviſſimi, qui piis erit dies ἀπολυτρώσεως. Luc. 21, 28. Verba facit Salvator de abominatione deſolationis. βδέλυγμα iſtud eſſe Antichriſtum, Papam Romanum, ex ſcriptis noſtratium abunde patet. Intuére præſens Evangelium, confer Judæorum βδέλυγμα, πρόδρομον illum excidii Hieroſolymitani, cum noſtro βδελύγματι Papa Romano, προδρόμῳ diei noviſſimi jamjam imminentis certiſſimo, fateberis, non tàm ovo ovum ſimile, quam βδέλυγμα Judaicum, βδελύγματι noſtrorum temporum. Conveniunt enim

Antichriſti revelatio ſignum noviſſimi diei.

Papa βδέλυγμα.

Papa cum Judæorum βδελύγματι comparatio.

1. *ratione principii & ortûs*, quatenus utrumq; ex urbe ſepticolli Roma, totius Latii capite, prodiit,
2. *Ratione ſodalitii & comitatûs.* Judæorum βδέλυγμα in comitatu ſuo habebat multa millia militum Romanorum: Papa Romanus (ut de militibus jam nihil dicam) ſecum ducit ingentem catervam Cardinalium, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Monachorum raſorum &c. Illi ſanctæ civitati; hi Eccleſiæ JESU CHRISTI perniciem & interitum machinantur undiq;.
3. *Ratione effecti & fructûs*; templi politiæq; vaſtatio.

II. *Fuga conceſſio*, immò ſevera præceptio. Fugam intelligimus peccati, aliô nomine pœnitentiam dictam. *Aut enim pœnitendum, aut ardendum.* Sir. 21, 1. 2. Tob. 4, 6. Sir. 5, 8. Prov. 28, 13. Eſa. 1, 16. & ſeqq. & 65, 2. Ezech. 18, 24. & 33, 12. Act. 17, 30. 2. Pet. 3, 9.

III. *Oratio*, quæ nunquam inefficax, modò ſeria. Luc. 18, 7. Orandum autem
1. *pro regni DEI adpropinquatione*; Matth. 6, 10.
2. *pro gratuita peccatorum remiſſione*; Pſal. 79, 8.
3. *pro Spiritûs ſancti communicatione & gubernatione*; Rom. 8, 26.
4. *pro potenti contra diabolum defenſione*; 1. Pet. 5, 8. Apoc. 12, 11.
5. *pro digna coram tribunali CHRISTI comparatione* 2. Cor. 5, 10. 1. Theſſ. 5, 8. Luc. 21, 34. Joël. 2, 32.

Orandum quid.

IV. *Dierum malorũ decurtatio.* 1. Tim. 2, 4. Eſa. 1, 8. & 6, 13. Rom. 11, 33. Reliquiæ ſalvabuntur. Joh. 10, 28. 1. Cor. 10, 12. 2. Pet. 2, 9.

V. *CHRISTI manifeſtatio*, & noſtra ad ipſum collectio. 1. Theſſ. 4, 17. Orandus eſt autem DEUS, ut hanc conſolationem in animis

noſtris

Digitized by Google

noſtris Spiritu ſanctô ſuô obſignet, quò obſirmatis pectoribus adventum CHRISTI præſtolari, & interim in patientia multa animas noſtras poſſidere queamus. At Tu ô bone JESU,

Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva nos fons bonitatis!

Addo preces Eccleſiæ: *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui per gratiam tuam ſupplices exoramus, ut unigeniti filii tui meritis placatus, & præſentia nobis ſubſidia tribuas & futura, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Amen.*

Tempus adeſt, ſtabis cum Judicis ante tribunal,
Tu maleſacta bonis corrige, tempus adeſt.

DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS, EVANGELIUM

Matth. 25. à verſ. 31. ad finem.

31. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ᾽ αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ.

32. καὶ συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ᾽ ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.

33. Καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων.

34. Τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ. Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

Eſa. 58, 7. 35. Ἐπείνασα γὰρ, καὶ ἐδώκατέ μοι

31. *Cum autem venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ.*

32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis.*

33. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.*

34. *Tunc dicet Rex his qui à dextris ſibi erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis ab exordio mundi.*

35. *Eſurivi enim, & dediſtis*

φαγεῖν

φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με· ξέ-
νος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με.

36. Γυμνὸς, καὶ περιεβάλετέ με·
ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με· ἐν
φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρός με.

37. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ
δίκαιοι, λέγοντες· Κύριε πότε σε εἴ-
δομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ δι-
ψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν;

38. Πότε δέ σε εἴδομεν ξένον, καὶ συν-
ηγάγομεν; ἢ γυμνὸν, καὶ περιεβάλομεν.

39. Πότε δέ σε εἴδομεν ἀσθενῆ, ἢ ἐν
φυλακῇ, καὶ ἤλθομεν πρός σε;

40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς
ἐρεῖ αὐτοῖς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον
ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου
τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

41. Τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ εὐωνύμων·
πορεύεσθε ἀπ᾽ ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς
τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ
διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ.

42. Ἐπείνασα γὰρ, καὶ οὐκ ἐδώκα-
τέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ οὐκ ἐπο-
τίσατέ με.

43. Ξένος ἤμην, καὶ οὐ συνηγάγετέ
με· γυμνὸς, καὶ οὐ περιεβάλετέ με· ἀ-
σθενὴς, καὶ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐκ ἐπεσκέ-
ψασθέ με.

44. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ καὶ
αὐτοὶ, λέγοντες, Κύριε, πότε σε εἴδο-
μεν πεινῶντα, ἢ διψῶντα, ἢ ξένον, ἢ
γυμνὸν, ἢ ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐ
διηκονήσαμέν σοι;

mihi edere: ſitivi, & dediſtis mihi Ezech 18.
bibere: hoſpes eram, & collegiſtis 7.
me.

36. Nudus & operuiſtis me; in- Eccl. 7. 39.
firmus, & viſitâſtis me: in carcere
eram, & veniſtis ad me.

37. Tunc reſpondebunt ei juſti
dicentes: Domine, quando te vidi-
mus eſurientem, & pavimus? aut
ſitientem, & dedimus tibi po-
tum?

38. Quando autem te vidimus
hoſpitem, & collegimus te? aut nu-
dum, cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus in-
firmos, aut in carcere, & venimus
ad te?

40. Et reſpondens Rex dicet illis:
Amen dico vobis, quatenus feciſtis
uni de his fratribus meis minimis,
mihi feciſtis.

41. Tunc dicet & his, qui à ſini- Pſal. 6. 9.
ſtris erunt: Diſcedite à me maledi- Matth. 7.
cti in ignem æternum, qui paratus 23.
eſt diabolo, & angelis ejus. Luc. 13. 27.

42. Eſurivi enim, & non dedi-
ſtis mihi cibum: ſitivi, & non dedi-
ſtis mihi potum.

43. Hoſpes eram, & non colle-
giſtis me: nudus, & non operuiſtis
me: infirmus & in carcere eram, &
non viſitâſtis me.

44. Tunc reſpondebunt ei & ipſi
dicentes: Domine, quando te vidi-
mus eſurientem aut ſitientem, aut
hoſpitem, aut nudum, aut infirmũ,
aut in carcere, & non adminiſtravi-
mus tibi?

45. Τότε ἀποκριθήσεται αὐτοῖς, λέγων· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε.	45. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.
46. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.	46. Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti verò in vitam æternam.

DISPOSITIO PRIMA.

Propositio τριμερής.

EJusdem eſt hoc Evangelium generis cum præcedente, Demonſtrativi præcipuè; totum extremi judicii actum & proceſſum ſecundum omnes circumſtantias ex profeſſo deſcribens, quin ad oculum q. demonſtrans, quâ majeſtate & gloriâ ad illud ſit venturus, quid acturus, quid dicturus, conſtitutus ille vivorum ac mortuorum Judex pantocriticus, Dominus ac Salvator noſter θυμηρέστατος, JESUS CHRISTUS. Partes enarrationis primæ conſtituimus pro more tres contemplaturi

I. Τὰ ἡγούμενα ἢ προπαρασκευαστικὰ, *antecedentia vel præparatoria, h.e. ſolemnem ad judicium præparationem.*

II. Τὰ μέσα, συνεχῆ ἢ ἅμα ὄντα, *media, connexa, & quæ ſimul incident, h. e. accuratam judicii adminiſtrationem:*

III. Τὰ ἑπόμενα ἢ ἐκβαίνοντα, *conſequentia vel eventum h.e. ſtrictam & paratam ſententiæ latæ exſecutionem.*

PARS I.

Filius hominis.

Quoad primam διεξόδου partem, ἀξιόσκεπτα nobis occurrunt quinq; potiſſimùm membra; quorum

I eſt *Judicis dignitas*, qui vocatur Filius Hominis, ſtilô N. T. vernaculô, *tùm* ad exprimendam humanitatis adſumtæ veritatem; *tùm* ob vaticiniorum propheticorum conformitatem; Pſal. 8, 5. Dan. 7. v. 12. *tùm* ad inſinuandam matris virginitatem; *tùm* ad exaggerandam Incarnationis utilitatem; *tùm* ob ſummam Φιλανθρωπίας & erga homines benignitatem; *tùm* ob exinanitionis humilitatem, ſic nuncu-

Filium hominis cur Chriſtus ſe

nuncupatus. In ipſo autem judicii extremi actu ac proceſſu Filium hominis ſeſe nominare voluit CHRISTUS. nominet in actu extremi judicii.

1. ut oſtenderet, ſe per ſervilis formæ depoſitionem ingreſſum quidem eſſe in gloriam ſuam; Luc. 24, 26. veram autem humanitatem non depoſuiſſe, nec depoſiturum unquam in omnem æternitatem, quod negantibus Photinianis eſt opponendum.
2. Ut demonſtraret, ſe non in aliena & adſcititia, ſed in eadem natura ac forma, quam ſemel adſumſit, rediturum & adpariturum.
3. Ut doceret, ſe ut hominem etiam judicium adminiſtraturum; idq; probatur, Judex Chriſtus Homo.
   1. *ex Judicis hujus adpellatione*: Dan. 7, 13. Matth. 16, 26 & 19. v. 28 & 24, 30 & 26, 64.
   2. *ex Judicis deſcriptione*; Dan. 7, 13. Matth. 24, 30.
   3. *ex perſonali poteſtatis κριτικῆς ſive judiciariæ communicatione*: Dan. 7, 13. Luc. 22, 69. Joh. 5, 22. 23.
   4. *ex muneris iſtius conditione*; eſt enim pars officii:
   5. *ex antegreſſa exinanitione*:
   6. *ex abitûs & reditûs collatione*: Act. 1, 11.
   7. *ex ſubjecti reduplicatione* Joh. 5, 27. Vide uberiùs hæc explicantem D. Gerhard. part. 2. harm. pag. 941.

Hæc dum dicimus, non tribuimus CHRISTO judicium excluſivè vel oppoſitè, ac ſi derogatam velimus αὐτοκρατορίαν κριτικὴν reliquis Divinitatis perſonis; ad opera enim ad extra concurrunt omnes: ſed illud ſolùm docetur, quòd poteſtas faciendi judicii κατ' αὐτοκρατορίαν καὶ εὐδοκίαν omnibus tribus Divinitatis perſonis propter ὁμοουσίαν communis, CHRISTO ut Θεανθρώπῳ, Judici divinitùs conſtituto peculiariter competat κατ' οἰκονομίαν, per diſpenſationem & adpropriationem quandam, propterea quòd is viſibiliter in adſumta humana natura adpariturus, immediatè judicium hoc adminiſtraturus, ac proinde tùm ὁρατῶς, tùm ἀκουστικῶς illud peracturus ſit. Toti ergò Trinitati tribuitur judicium hoc, quoad poteſtatem judiciariam, dominium, auctoritatem & decretum; Filio verò peculiariter adſignatur, quoad viſibile & externum exercitium. Judicium tribuitur & Trinitati & Filio Hominis.

II. *Adventus qualitas*; veniet Filius-hominis in gloria ſua; h. e.

 ſibi

ſibi propria, quæ omnem Angelorum gloriam (quid reſpondendum ſit ad locum Luc.9,26. oſtendit D.Gerh.d.l.p.945.) longiſſimô, immò infinitô poſt ſe relinquet intervallô, quod patet,

1. ex eo, quòd dicitur reciprocè ἀυτȣ͂ δόξῃ; **veniet in ſua** h.e. ſibi propria gloria:
2. ex eo, quòd Patris dicitur gloria; Matth.16,27. Luc.9,26. Marc.8,38. h.e. quam cum Patre communem habet eſſentialiter, divinam, increatam, infinitam, humanæ verò naturæ communicatam perſonaliter ac realiter:
3. Ex ipſius CHRISTI ἐξηγήσει; ſeſſurus autem eſt ſuper ſedem gloriæ ſuæ:
4. Ex indiciis & effectis iſtius gloriæ, per totum judicii actum atq; proceſſum manifeſtæ.
5. Ex locorum parallelorum collatione. Joh.1,14 & 2,11 & 12, 41 & 17,5. Luc.9,32 & 24,26. Cur autem venturus ſit in gloria verè divina, quatuor rationibus explicat D. Gerhard. p.497.498.

III. *Comitatûs gravitas*, verbis: & omnes ſancti Angeli cum eo. Comitabuntur Judicem omnes Angeli, quia tota curia cœleſtis cum CHRISTO veniet, tota cum toto hominum beatorum cœtu reunienda. Sancti Angeli, inquam, quia mali Angeli (infra diaboli) non erunt Judicis comites, ſed in numero judicandorum, CHRISTI dicuntur Angeli, ratione tùm creationis, tùm dominationis ſive juriſdictionis. Unà autem venient CHRISTUMq; comitabuntur Angeli.

Angeli Chriſti. Angeli comites Judicis Chriſti & cur?

1. *ut actum ornent*;
2. *ut ſententiam adprobent*;
3. *ut Judici miniſtrent*; vel uti D.Gerh. habet p.950.951.
   1. *ob complementum vaticiniorum propheticorum*: Dan. 7, 9. 10. Zach.14,5. Jud.epiſt.verſ.14.15.
   2. *ob complementum typi*, in promulgatione legis antegreſſi: Act.7,53. Gal.3,19. Heb.2,2.
   3. *ad comprobandam Judicis magnificentiam & honorem*:
   4. *ob miniſterium* & obſequium CHRISTO judici exhibendum. Miniſterium autem præſtabunt Angeli Judici

Angeli quid agent in die noviſſimo.

1. *tubâ clangendo*; Matt.24,31. 1.Cor.15,52. 1.Theſſ.4,16.
2. *CHRISTUM honorificè deducendo*; 1.Theſſ.4,16. 2.Theſſ.1,7.
3. *homines colligendo* & judicio ſiſtendo: Matth. 13. v. 27 & 24.v.41.

4. col-

4. *collectos in duas claſſes diſtribuendo:* Matth. 13,49.
5. *malos in infernum cogendo, bonos ad cœlum ſubvehendo.* Matth. 13, 41.42.50. 1. Theſſ. 4,17.
5. *Propter convenientiam* adſcenſionis & reverſionis.
6. *Propter teſtimonium*, in quo officio συμμάρτυρες habebunt Apoſtolos & omnes ſanctos. Matth. 19, 25. Luc. 22, 30. Eſa. 3,14. Sap. 3,8. & 5,1. 1. Cor. 6,2. 1. Theſſ. 3,13. Apoc. 2,26. & 3,31. Veteres tres nominárunt Angelorum ordines, Judicis comites; cantores, accuſatores & executores

IV. *Solii (vel throni) ſublimitas:* Judex Filius hominis ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ. Sedes vel thronus gloriæ per Hebraiſmum dicitur pro throno glorioſo. Thronus ille quis ſit, ambigitur & diſceptatur à diverſis Eccleſiæ Doctoribus. Vide quorundam ſententias apud D. Gerh. p. 954. cujus tandem hæc eſt ἐπίκρισις, quæ nobis etiam facit ſatis: *Thronus ille gloriæ*, inquit, *ſuper quem CHRISTUS in judicio ſedebit, eſt partim inviſibilis, videlicet dextra DEI, ad quam Filius hominis, h. e. CHRISTUS ſecundum humanam naturam eſt evectus; eſtq́ ipſa increata & infinita DEI virtus ac majeſtas, omnium rectrix ac dominatrix:* Heb. 1,3. & 8,1. & 12,2. Luc. 22,69. *partim viſibilis, videlicet nubes lucida & majeſtatis plena.* Luc. 21,27. Matth. 24,36. Apoc. 1,7. *Qualis verò nubes illa regalis & judiciaria ſit futura, hominum exactè ſcire arbitramur neminem.* Illud potiùs quæritur: Cur in nube venturus ſit Judex? Reſpondetur

Judicis ſolium.

Thronus gloriæ quid.

Judex in nube venturus & cur.

1. *propter eandem adſcenſionis & reditûs conformitatem:* Act. 1,11.
2. *ad ſignificandam divinam Judicis majeſtatem:* Pſ. 104,3. Eſa. 19,1.
3. *ad contemperandam adventûs claritatem:*
4. *Ob transfigurationis antegreſſæ ſublimitatem:* Matth. 17,5. Marc. 9,7. Luc. 9,34.
5. *Propter typorum claritatem:* Exod. 13,21. & 16,10. & 19,9. & 40,38. Num. 12,5. 2. Par. 5,13.
6. *Ob primi & ſecundi adventûs adfinitatem.* Eſa. 19,1. & 45,8. Vide D. Gerh. Tom. 9. L. C. pag. 95. 96.

Judicandi.

V. *Judicandorum univerſalitas.* Objectum ſive perſonæ judicandæ erunt omnes homines; verbis: & congregabuntur ante eum omnes gentes, h. e. omnes omninò homines, cujuſcunq; ordinis, ſtatûs, ætatis, loci ac temporis; ſive pii fuerint, ſive impii; ſive ante diem noviſſimum mortui, ſive in adventu Judicis vivi deprehenſi. Omnes dicit, non homines, ſed gentes, ad judicandorum multitudinem & varietatem explicandam, ἐμφάτως verò majeſtatem judicis declarandam. D. Gerh. harm. p. 957.

 Poriſ-

Digitized by Google

Poriſmata & Theoremata Theologica primæ partis.

I. Deſcribitur in hoc Evangelio non parabola, ſed vera rei aliquando gerendæ hiſtoria. D.Gerh.p.930.931.

Judex Chriſtus.

II. Judex pantocriticus deſcribitur (1) tùm à propria ſua humanitate; errant enim Photiniani, negantes CHRISTUM hodiè in cœlis veram habere carnem: (2) tùm à divina, in qua adparebit majeſtate.

Chriſti præſentia.

III. Elumbis admodum eſt Calvinianorum collectio & κυβεία veteratoria: CHRISTUS veniet: Ergò non adeſt. Qui enim jam inviſibiliter nobis eſt præſens, is in die judicii viſibiliter redibit ad judicium, omnibus ſe judicandis conſpiciendum exhibiturus. Act.1,11. Apoc.1,7. Unde Spiritus S. alibi vocat adventum iſtum ἐπιφάνειαν; 2.Theſſ.2,8. Tit.2,13. 1.Tim.6,14. 2.Tim.4,1. φανέρωσιν & ἀποκάλυψιν. Col.3,4. Vide D.Gerh.harm.p.940.

IV. CHRISTUS enim in nubibus adparens viſibiliter, manebit nihilominùs ratione inviſibili in throno majeſtatis ſuæ, h. e. in dextra DEI.

Adventus Chriſti ultimus qualis.

V. Adventus CHRISTI futurus eſt viſibilis & localis, non autem ſucceſſivus, cum tractu temporis; ſed ſubitus ac momentaneus. Matth.24,27. Luc.17,24.

Papiſmus de Chriſti merito.

VI. Errant Papiſtæ in eo, quòd CHRISTUS paſſione ſuâ aliquid ſibi, & in ſpecie poteſtatem judiciariam ſibi promeruerit; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, uti Symbolum Nicænum habet. D.Gerh.Exeg.p.1524.1525.

Judex cur Filius DEI.

VII. Notentur cauſæ, ob quas ſecunda Divinitatis perſona, judicii adminiſtrandi partes ſuſceperit; nimirùm

1. quia CHRISTUS Patris eſt ſapientia, virtus & veritas: judicium autem fieri debet in ſapientia, virtute & veritate:
2. Judex hominum ab hominibus debet conſpici & audiri:
3. CHRISTUS ſanguinis ſui profuſione omnes redemit:
4. Idem propter ſalutem noſtram ita ſeſe exinanivit, ut injuſtè judicaretur:
5. Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis: Joh.3,35. & 17,2. Matth.11,26.
6. Ut piis cedat in gaudium & conſolationem:
7. Impii ex adverſo videant, quem confixerunt. Zach.12,10. Joh. 19,37. Apoc.1,7.

IIX.

IIX. Quandoquidem Θεάνθρωπος h. e. CHRISTUS ſecundum utramq; Naturam Judex eſt futurus, ſequitur inde ἐξ ἀνάγκης, Judex Θεάνθρωπος & cur.
1. CHRISTUM eſſe omniſcium; 1.Cor.4,5.
2. Veracem & juſtum; Act.10,31. Rom.4,5. 2.Tim.4,8.
3. omnipotentem; Joh.5,29. Matth.24,31.
4. omnipræſentem; Zach.12,10.
5. προσκυνητὸν, adorabilem; Eſa.45,23. Rom.14,2.Phil.2,10.
6. divina majeſtate & gloriâ infinitâ præditum.

IX. Gloria Judicis CHRISTI arguit & demonſtrat Judicis Chriſti gloria.
1. differentiam, inter primum humilem ac contemtum, & ſecundum ſublimem ac glorioſum adventum;
2. προθεραπείας, quâ animos diſcipulorum præmunire voluit, contra imminentis crucis ac paſſionis ſcandalum;
3. convenientiam, cum θεοφανείαις V. T. aliis; Exod.16,10. & 24 16. & 40,34. Eſa.6,3. Ezech.2,1.
4. Cauſæ finalis evidentiam; veniet enim ad pios glorificandos. Col.3,4. D.Gerh.harm.p 947.948.

X. Noſtrum eſt in hac vita ad DEUM converti; Evangelium gloriæ CHRISTI 2.Cor.4,4.verâ fide amplecti; CHRISTUM non viſum diligere, 1.Pet.1,8.& gloriam ejus revereri, ne aliquando conſpectus gloriæ ipſius nobis terrorem & exitium, ſed gaudium & ſalutem adferat.

XI. Qui in hac vita per pœnitentiam Angelos exhilarabunt, illi in noviſſimo die amicos eos habebunt, quorum conſpectu non terrebuntur, ſed exhilarabuntur. Luc.15,10. Converſi Angelis cau.

XII. CHRISTUS in nube ad judicium deſcendens, ſedet nihilominùs in throno majeſtatis ad dextram DEI: dextra igitur DEI non eſt creatus quis & finitus in cœlo locus. Dextera DEI non eſt locus.

XIII. Omnes homines judicio CHRISTI ſiſtentur, nec ullus etiam potentiſſimus Monarcha illud poterit vel ſubterfugere, vel declinare; quod probatur Judicandi omnes homines.
1. *ex univerſali Scripturæ ſacræ adſertione*; Eſa.45,23. & 66,16. Joël. 3,12. Sir.41,5. Luc.16,12. Rom.14,10. 2.Cor.5,10. Gal.5,5. Apoc.1,7.
2. *Ex collectivi nominis uſurpatione*; Gen.18,25. 1.Sam.2,10. Pſal.9, 9.& 82,8.& 98,9. Act.17,31. 1.Cor.6,2.
3. *Ex indefinita locutione*, quæ æquipollet univerſali: Deut.32,36. Pſal.9,9.& 50,4.& 98,9. Eſa.3,30.& 30,28. Rom.2,15.

4. Ex

4. Ex ſpeciali diſtributione; Eccl. 3, 17. Sap. 5, 1. Apoc. 20, 12. Act. 10, 42. 2. Tim. 4, 1. 1. Pet. 4, 5.

5. Ex judicii cum morte & reſurrectione connexione: Heb. 9, 27. Joh. 5, 29.

6. Ex ratiocinatione. Joh. 17, 2. Phil. 2, 7. Vide D. Gerh. harm. pag. 957. & Tom. 9. L. C. pag. 111. & ſeqq.

Papiſtarũ & Photinianorum error de judicio extremo.

XIV. Errant cum Papiſtis Photiniani; & illi quidem ſtatuentes, parvulos non baptizatos in judicio non reſurrecturos; hi verò fabulantes, impios non reſurrecturos, neq; in judicio ſtaturos. Ibid. pag. 120.

Judicium dupliciter capitur.

XV. Vox judicii ſumitur διχῶς; 1. pro judicio condemnationis; 2. pro judicio adprobationis & liberationis: priori modô pii non judicabuntur. Joh. 3, 18. & 5, 24.

Pii venient & non venient in judicium.

XVI. Pii venient & non venient in judicium: venient

1. ſummo Judici ſe ſiſtendo; Rom. 14, 11. 2. Cor. 5, 10.

2. actuum ſuorum rationem reddendo; Rom. 14, 12.

3. ſententiam abſolutoriam audiendo;

4. præmia gratuita accipiendo. 2. Cor. 5, 10. Non venient, ratione

1. manifeſtationis peccatorum; Eſa. 38, 17. & 43, 25. & 44, 22. Ezech. 18, 22. Mich. 7, 19.

2. condemnationis;

3. punitionis.

Impii venient in judicium.

XVII. Impii, increduli & finaliter impœnitentes venient in judicium, judicandi *1. ſententiæ damnatoriæ pronunciatione;*
2. ſtrictâ ejuſdem exſecutione.

XIIX. De non temerè judicando alios; & de temerariis hominum judiciis non curandis; tùm de actionibus noſtris ita attemperandis, ut Judici probentur. Rom. 14, 10. 12. 1. Cor. 4, 3. 4. 6. 2. Cor. 5, 9. 10.

XIX. De extremi diei ac judicii certitudine conſule locos & libellos methodicos: item Thold. p. 1111. & ſeqq.

PARS II.

Judicii extremi deſcriptio.

Secundâ parte ipſe nobis actus ac proceſſus judicii exercendi ob oculos q. conſtituitur, & complectitur duo membra:

1. Τα πραχθέντα, *facta*, in quorum cenſum veniunt quatuor:

1. CHRISTI *Judicis ſuper thronum gloriæ ſeſſio*: pertinet hoc, non modò ad majeſtatem, ſed & ad proceſſum judicii. Ut enim ab omnibus

bus conſpiciatur, conſcendet Judex tribunal judiciarium, coram quo omnes homines ſiſtendi. Hoc enim eſt ſedere ſuper thronum gloriæ ſuæ.

2. *Omnium hominum ad tribunal CHRISTI coactio.* De ea verò loquitur Salvator noſter quadrupliciter:

1. *ἀορίστως*, indefinitè, *συναχθήσονται*, congregabuntur; nec explicat, à quo & per quem hoc fieri debeat. Alibi autem dicitur; nimirùm fiet congregatio per Angelos. Matth. 24, 31. Marc. 13. v. 27. In hac vita congregantur homines ad Eccleſiam miniſteriô hominum; tunc fiet per Angelos, ſive miniſteriô Angelorum.

2. *καθολικῶς*, quòd ſit futura collectio omnium hominum: q. d. in hac vita homines judicio ſiſtendi interdum ſeſe occultant, latebras quærentes, vel fugâ ſibi conſulentes; nihil horum ibi habebit locum.

3. *ἀνθρωπίνως ἢ δικανικῶς*, more humano vel forenſi ac judiciali congregabuntur *ἔμπροσθεν Χριστοῦ*, ante CHRISTUM, in conſpectum CHRISTI, ſedentis in nube, velut pro tribunali Rom. 14. v. 10.

4. *ἀιδιολογικῶς ἢ ἀναγκαίως*, quòd congregatio illa ſit futura neceſſaria, tùm propter Judicem, ut ejus juſtitia pateſcat & innoteſcat; Apoc. 15, 4. tùm propter pios, teſtimoniis & præmiis pietatis ſuæ honorandos; Sap. 5, 1. 1. Cor. 4, 5. tùm propter impios malitiâ ſua in apricum producendos. Vide D. Gerhard. harm. p. 961. 962.

3. *Congregatorum ſeparatio*, verbis: Et ſeparabit eos (Judex) alteros ab alteris. In Græco eſt enallage generis; præcedit *τὰ ἔθνη*, & ſequitur pronomen maſculinum *αὐτοὺς*, ut ad ſenſum oratio referri intelligatur. Matth. 28, 19. Joh. 15, 26. Cæterùm quemadmodum per ſeſſionem Judicis *majeſtas*; per congregationem *auctoritas*; ita per ſeſſionem ejus manifeſtabitur tùm *prudentia* & *καρδιογνωσία* ſive omniſcientia; tùm *dexteritas & juſtitia*; tùm *potentia* invicta. Fiet autem ſeparatio *ἐμμέσως*, mediantibus nimirùm Angelis, Matth. 13, 49. Sed quia illi non ſunt *καρδιογνῶσται*, ideò non niſi per revelationem Judicis ſcient, quoſnam in claſſem bonorum, & quos in claſſem malorum referre debeant. Ἀφορισμὸς iſte ſive ſeparatio iſta illuſtratur ac declaratur ſimul ſimilitudine paſtoris & ovium. Separabit Judex per Angelos homines judicandos, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis. Monet hæc ſimilitudo

Separatio judicandorum per Angelos.

Separatio extremi diei cõfertur paſtori & ovibus.

1. *de ſeparationis facilitate;*
2. *de bonorum ac malorum proprietate;*
3. *de bonorum ac malorum in hac vita commixtione & ſocietate;*
4. *de malorum in hac vita protervia ſive procacitate & malignitate:*
5. *de ſeparationis utilitate.* Vide de his D. Gerh. harm. p. 964. 965. 966. 967.

Pii ovibus comparantur. Ovibus comparantur juſti, pii ac fideles per metaphoram. Nam & CHRISTUS ipſe Paſtor confertur ovi; Eſa. 5, 3, 7. Act. 8, 32. & Agno. Joh. 1, 29. 1. Pet. 1, 19. Apo. 5, 6. Et quia pii in hac vita CHRISTI mores imitati fuerunt, ideò & illi ovibus comparantur; ſicut contra impii, increduli & peccatores conferuntur hœdis, quia mores diaboli imitati fuere, qui in forma hirci ſæpiùs ſe conſpiciendum præbuit.

4. *Separatorum collocatio*: verbis; & ſtatuet oves quidem â dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Quidam formam collocationis, referente D. Gerhardo p. 969. ſic deſcribunt, quòd juſti nondum auditâ abſolutionis ſententiâ, ſtatim rapiendi ſint in aerem obviam CHRISTO deſcendenti, ac vel virtute corporum glorificatorum, vel miniſteriô Angelorum, vel aliâ ratione divinæ potentiæ, ad CHRISTI dextram in aere, tanquam loco ſuperiore & honoratiore collocandi; impii verò in terra relinquendi, tanquam loco inferiore & ignobiliore, inq; ea ad ſiniſtram judicis collocandi ſint; ut ſic â dextris ac ſiniſtris collocari ſit idem, quod ſupra ac infra collocari. Sed rectiùs ſtatuitur, utrosq; tàm bonos, quàm malos, ab Angelis ſeparatos, in terra ſic collocandos, ut boni ad Judicis dextram, mali verò ad ſiniſtram conſiſtant. Poſtquam verò ſententia abſolutoria pro juſtis à Judice pronunciata, tunc demum juſtos rapiendos CHRISTO obviam in aere, 1. Theſſ. 4, 17. impiis in terra relictis, & poſt pronunciatam damnationis ſententiam in infernum detruſis. Hactenus πραχθέντα, ſequuntur

II. λεχθέντα, *dicta*, quæ ſententiæ judiciariæ promulgationem manifeſtant. Attende

1. *circumſtantias;*
2. *ſententias.*

Initiò præmittuntur aliquot circumſtantiæ:

1. *quando?* τότε, tunc, i. e. quando Judex tribunal judiciarium conſcendit, & omnes gentes ante tribunal congregari, & factâ ſeparatione ſuô judicandorum quemq; locô collocari curavit.

2. *Quis?* Rex: qui enim ab initio Filium ſeſe hominis, & Paſtorem poſtea

poſtea dixerat, is jam Regem ſe nuncupat. Regis enim eſt, judiciariam ferre ſententiam, ac fideles ſubditos præmiis ornare, perduelles verò & refractarios in ordinem redigere ac pœnis juſtis adficere. Confer ea, quæ habentur Apoc. 19, 11. & ſeqq. Judex etiã Rex.

3. *Quid?* Dicet, h. e. proloquetur judicium. Colligunt ex hoc verbo non pauci, CHRISTUM voce externâ & audibili ſententiam pronunciaturum, ita ut omnes Judicem in natura humana conſpicuum, non ſolùm viſuri, ſed & audituri ſint. Veriſimile eſt enim, quædam à Judice prolatum iri verba, exteriùs ab omnibus audienda. D.Gerh.T.9. L.C. pag. 156. 157.

Sententia autem à Judice pronunciabitur, pro diverſitate objectorum bonorum & malorum, gemina: Sententia judicis Chriſti.

1. *prior* concernet ſtantes à dextris, h.e. electos:
2. *poſterior* ſtantes à ſiniſtris, h.e. reprobos.

I. Prior ſententia dicetur pro ovibus à dextris h. e. piis & electis. Hos enim priùs compellabit Judex; quia

1. pronior eſt ad benefaciendum, quàm ad puniendum:
2. honoratiores priori locô compellandi:
3. impii ſentiant, quantam felicitatem ſuapte culpâ amiſerint.

Primò itaq; locô converſus Judex ad ſtantes à dextris

1. *humaniſſimè eos invitabit;*
2. *honorificentiſſimè compellabit;*
3. *hereditate æternâ præmiabit;* his uſus ad illos verbis: venite benedicti Patris mei &c. à verſ. 34. ad 41. Continentur autem iſtis verbis quatuor potiſſimùm capita:

I. *Sententia ex parte piorum pronunciatio;* quæ complectitur

1. *amicam invitationem*: venite; δεῦτε, eſt adverbium aliàs hortantis ſimul & accerſentis; h.l. non tam imperantis, quàm deſiderantis, & amicè compellantis vocula. Significatur igitur, (quæ verba ſunt D.Gerhardi pag. 975.) quòd CHRISTUS Judex amicô vultu ac verbis blandis, cum ſingulari quadam amoris & benevolentiæ ſignificatione, electos ſit compellaturus, eosq; ad ſe invitaturus. Vide paraphraſin hujus verbi d.l. Δεῦτε.

2. *Blandam & honorificam compellationem* ſive adpellationem; quâ illos vocat benedictos Patris ſui. Benedictus alioqui Domini eſt, peculiariter DEO dilectus, ac multis ab eodem beneficiis adfectus. Gen. 24, 31. Jud. 17, 2. 1. Sam. 15, 13 & 23, 21. Pſal. 115, 15. Benedictus Domini.

At hoc in loco plura per benedictos notantur; nimirùm id Benedicti electi & cur.

 1. quòd

1. quod per fidem ſint benedicti cum fideli Abrahamo: Gal. 3, v. 3. 13. 14.
2. quod propter Meſſiam, dilectum DEI Filium ipſi quoq; ſint DEO peculiariter grati & accepti: Eph. 1, 6.
3. quòd in CHRISTO, benedicto Abrahæ ſemine, ſint ad vitam æternam electi: Eph. 1, 4.
4. quòd in tempore quoque eis benedixerit omni benedictione ſpirituali; Epheſ. 1. v. 3. DEI enim benedicere eſt benefacere:
5. quòd, qui in hoc mundo habiti ſint pro contemtis & maledictis, jam deprehendantur benedicti ac dilecti DEI Filii. Notandum inſuper,

Benedicti Patris.

1. quòd *benedicti Patris* dicantur, quippe à quo non ſolùm ante omnia ſecula electi, ſed in tempore etiam omnis generis beneficiis, ad ſalutem conſequendam neceſſariis ſint adfecti. Et loquitur CHRISTUS ut homo, per quem mundus judicandus. Act. 17, 31. Joh. 5, 17.
2. Quòd addat, mei Patris, q.d. Pater cœleſtis me Filium ſuum intimè amat; quia verò vos me, conſtitutum mundi Salvatorem amaſtis, ideò vos etiam amat & per me regni cœleſtis hæreditatem vobis diſtribuit. Joh. 16, 27 & 20, 17. Rom. 8, 17.

κληρονομεῖν.

3. *Regni cœleſtis traditionem*; poſſidete regnum, paratum vobis à conſtitutione mundi. κληρονομεῖν propriè ſignificat, hereditate obtinere, & innuit tria: (1) quòd electi vitam æternam non accipiant, ut debitam operum mercedem, ſed ut paternam hereditatem, jure adoptionis vel filiationis. Gal. 4, 7. (2) Quòd vitæ æternæ bona in quieta, ſtabili ac perpetua poſſeſſione teneantur; non enim ſunt uſufructuarii electi, ſed proprietarii. (3) Quòd poſſeſſio & hereditas terræ Canaan fuerit typus cœleſtis illius hereditatis, cujus elogia vide Hebr. 9. v. 15. Eph. 1. v. 18. 1. Petr. 1. v. 4. Salvator ἀνθρώπως agens vocat unò verbô regnum, quô quid auguſtius, quid magnificentius, quid jucundius, quid glorioſius? Intelligit regnum gloriæ, ad quod transferendos & evehendos dicit ex regno gratiæ; immò ex regno crucis, in regnum lucis. Reges enim nos fecit CHRISTUS ſpirituales. Apoc. 1, 6. 1. Pet. 2, 5. Regnum autem dicitur ἡτοιμασμένην, ſcilic. prædeſtinatione, à Patre

Regnum Chriſti gloriæ.

Regnum præparatū.

cœ-

cœleſti decretum & prædeſtinatum. Matth. 20, 23. Eph. 1, 4. Non excluditur Filius, in quo, tanquam Mediatore facta eſt electio; nec Spiritus ſanctus, qui unus eſt cum Patre & Filio DEUS. Adjicit paratum eſſe hoc regnum, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, à fundatione ſive conſtitutione mundi, h. e. a jactis mundi fundamentis, ab eo tempore quô mundus eſt conditus. (καταβάλλειν enim & καταβάλλεσθαι propriè eſt fundamenta jacere, primordia conſtituere) Uſurpatur autem hæc phraſis pro eo, quod eſt ab æterno; vel, uti Paulus exponit, πρὸ καταβολῆς κόσμου Quia enim inter æternitatem & creationem mundi à Moſe deſcriptam, ſive tempus, quod cum creatione cœpit, nihil eſt medium, ideò quòd in mundi creatione jam dum exſtitiſſe, vel ab ea fuiſſe dicitur, illud æternum eſſe intelligitur. Pſal. 90, 2. Prov. 8, 22. 23. Sir. 24, 14. Matth. 13, 35. Pſal. 78, 2. Joh. 1, 1. 2. Theſſ. 2, 13. 1. Joh. 1, 1. Apoc. 17, 8. D. Gerh. pag. 980. ita παραφράζει: Senſus eſt; quia per fidem in me promiſſum Meſſiam, Mediatorem & Salvatorem facti eſtis Patris cœleſtis filii; ideò etiam benigniſſimus ille Pater vos, quos ab æterno ſcivit in me credituros, Rom. 8, 29. 2. Theſſ. 2, 13. 1. Pet. 1, 1. prædeſtinavit ad ſalutem, & ſic de ampliſſima hereditate vobis filiis ſuis proſpexit. Poſſidere igitur hanc hereditatem, hoc regnū vobis paratum. Hoc unum; ſequitur alterum caput, ἀπὸ καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου.

II. *Latæ pro electis ſententiæ ratio*, petita ab effectis ſeu ſignis, ſive γνωρίσμασι fidei indubitatis, h. e. ab operibus miſericordiæ ac caritatis corporalibus, numerô ſenariô καθ' ἀπαρίθμησιν incluſis: nō quòd non ſint alia & plura miſericordiæ caritatisq; opera, ſed per ſynecdochen ex una vel pluribus ſpeciebus diſertè expreſſis, totum genus intelligitur, ut reliqua caritatis officia ad enumeratas haſce ſpecies revocentur. Solenniter autem producta ea opera prædicaturus eſt Judex CHRISTUS, non ut latæ ſententiæ merita vel cauſas ſalutis; ſed tanquam externa ſive κριτήρια, ſive τεκμήρια & γνωρίσματα tùm electionis, tùm veræ in corde latentis fidei. Horum eſt Opera miſericordiæ in extremo judicio producenda.

1. primum *cibatio*; eſurivi (ſc. in membris meis, Luc. 16, 21.) & dediſtis mihi edere, h. e. cibum, quô famem ſolari potui. (Infinitivus pro Nomine ponitur.)

2. *Potatio*; ſitivi & dediſtis mihi bibere, i. e. potum.

3. *Hoſpitatio*, vel prompta hoſpitii oblatio: Hoſpes eram (propter veritatis profeſſionem in exilio oberrans ſine domicilio, in terra aliena, puta in membris meis) & collegiſtis h. e. recepiſtis me in veſtras

 ædes,

ædes, paſſi eſtis me ſub tectum veſtrum ingredi. Eſa. 58, 7. Ezech. 18, 7. Job. 31, 32.

4. *Nudi contectio*; nudus eram, non uſq; adeò benè veſtitus; & operuiſtis me; περιεβάλετέ με, circumjeciſtis mihi veſtem.

5. *Ægri curatio*; infirmus eram, ἠσθένησα, invalidus fui, i.e. ægrotavi, ægrè habui, & viſitâſtis me, veſtris facultatibus vel operâ, vel conſiliô, vel alloquiô & ſolatiô veſtrô me refeciſtis.

6. *Incarcerati viſitatio*; in carcere fui, ſc. in membris meis, ut Act. 12, 4. 2. Cor. 11, 23. & veniſtis ad me, ut me vel liberaretis ex ergaſtulo, Prov. 24, 11. vel ſubſidiis veſtris me juvaretis, vel alloquiô & conſolatione reficeretis. Cur ſola miſericordiæ opera recenſuerit CHRISTUS, prætermiſſis aliis, explicat D. Gerh. p. 996. & ſeqq. Factum enim hoc putant

Cur ſola miſericordiæ opera in judicio extremo producantur.

1. ob operum iſtorum neceſſitatem;
2. ob eorundem communitatem;
3. ob illorum dignitatem;
4. ob præmiorum cœleſtium ubertatem;
5. ob inſitam nobis tenacitatem;
6 ob hypocritarum perverſitatem;
7. ob Apoſtolorum paupertatem &c.

III. *Modeſta piorum exceptio, dubitatio vel extenuatio.* Introducuntur enim hic electi, auditâ Judicis ſententiâ ſententiæ rationem quærentes: Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes: (juſtos vocat & imputativè & inchoativè, atq; ita juſtos per juſtificationem, quos ſupra dixerat benedictos, per prædeſtinationem, & oves, per juſtitiæ declarationem, & poſſeſſores regni, per glorificationem) Domine, (ex vera cordis ſubjectione & reverentia ipſum ſic vocitantes) quando vidimus te eſurientem & pavimus? aut ſitientem &c. Quærent ita electi, (1) non ut falſitatis ſententiam Judicis inſimulantes; nec (2) ut de dictorum veritate dubitantes; (3) nec ut ex ignorantia non intelligentes; (4) nec ut aliter de operibus ſuis ſentientes; (5) nec ut viſione CHRISTI in hac vita carentes; (6) nec ut CHRISTUM ex verbo non agnoſcentes, & benè tamen operantes; (7) ſed ut verè ſeſe humiliantes; (8) & indignos ſeſe tanta remuneratione judicantes; (9) & ex humilitate admirantes: mirabuntur enim τὸ παραδόξον τῆς σωτηρίας. Sap. 5, 2. Non autē videtur veriſimile, quòd ore & verbis hæc ſint electi prolaturi; ſed animô potiùs & corde meditaturi, quod cenſet pag. 1007. D. Gerh. quinq; productis in medium rationib9, quas d. l. videat, qui volet.

Juſti; electi.

IV. Ube-

Digitized by Google

IV. Uberior allata rationis declaratio: Et reſpondens Rex (extenuationi piorũ humilimæ) dicet illis: Amen dico vobis, quatenus &c. Emphatica ſunt omnia & altiori indagine digna.

1. Jurando confirmat hanc ſuam adſertionem, per conſuetum ſuum, amen dico vobis.

2. In genere dicit, ἐφ' ὅσον, quatenus, in quantum, h. e. quicquid feciſtis: innuens vel enumerata opera omnia, vel quædam illorum, vel ſimilia caritatis ac miſericordiæ opera, non caritura mercede, vel retributione ſuâ.

3. Objecti certi mentionem facit; quatenus feciſtis uni, multò magis ſi pluribus: quanquam ſi non omnibus benefacere poſſumus hominibus, (hoc enim impoſſibile) uni ſaltem faciamus.

4. Ad ſpeciem certam reſtringit: uni horum, δεικτικῶς intelligens Apoſtolos & Apoſtolis ſimiles, verâ fide CHRISTO adhærentes. Voluit autem Apoſtolos præ cæteris eorumq; in officio ſucceſſores hac ſuâ promisſione conſolari, quia propter CHRISTUM paupertatem, nuditatem, & alias calamitates in mundo erant perpeſſuri.

5. Fratres ſuos adpellat, tùm ratione carnis & ſanguinis adſumti, Heb. 2, 11. 16. tùm ratione ſpiritualis cognationis ſive adoptionis. Johan. 1, 12. & 20, 17. **Fratres Chriſti.**

6. Minimos dicit, pauperes intelligens & egenos, quos ita vocat, non (1) quòd ipſe pro minimis eos habeat; vel (2) in die judicii pro minimis habiturus ſit (fratres enim ſuos dixit) vel (3) a nobis pro minimis cenſeri debeant: Jac. 2, 2. vel (4) quòd in die judicii reprobi pro minimis eos ſint habituri; Sap. 5, 3. ſed (5) minimos nominat mundi opinione; & (6) propriâ æſtimatione, quòd in oculis ſuis parvi fuerint. **Minimi h. e. pauperes.**

7. Sibi adpropriat iſta caritatis opera; mihi feciſtis; quia nimirùm ſunt fratres mei. Jam verò quod fratri inopiam patienti ab altero præſtitum, id frater ſibi præſtitum æſtimare ſolet. Sunt etiam membra corporis mei myſtici; tàm largè itaq; remunerabor, quicquid hujus factum, ac ſi mihi ipſi in propria perſona præſtitum eſſet. Hæc ſententia prior, pro ovibus ſive electis, à dextris ſtantibus lata.

II. Poſterior reſtat ſententiâ pro hœdis, reprobis & damnandis, à ſiniſtris ſtantibus. Conſtat autem illa tribus ſive articulis ſive membris:

1. Sententiæ pronunciatione, quæ continet

1. triſtem depulſionem; verbis: diſcedite a me. O infelicem illam diſceſſionem! ô duram ſeparationem, quâ reprobi à CHRISTO in æter-

num

num erunt ſejungendi! *Terminus* ſeparationis *à quo* eſt CHRISTUS; *terminus ad quem* eſt ignis infernalis. Πορεύεσθαι utplurimùm uſurpatur de loci mutatione, per profectionem aliò ſuſceptam. Matth. 2, 9. 20. & 10, 7. Significatur igitur, ait D. Gerh. p. 1016. quòd reprobi ab illo loco, in quo ſententiam Judicis audiverunt removendi & abjiciendi ſint in illud πῦ, in quo infernus ipſis paratus. Non autem ſemper ſpontaneam & gratam profectionem, ſed quandoq; talem ſignificat, quam quis invitus & coactus ſuſcipere cogitur. Act. 1, 25. Paraphraſin hujus depulſionis vide d. l.

Πορεύεσθ.

2. *Iratam compellationem:* vocantur enim οἱ κατηραμένοι, maledicti, homines exſecrandi, propter reatum abominabili adflatu digni, odio DEI ac hominum obnoxii. Κατάρα enim eſt exſecratio, res horrenda & abominanda. Reſpicitq; hac adpellatione CHRISTUS

κατηραμένοι.

1. ad reproborum culpam; quia maledicti fuerunt, antequam ſiſterentur judicio: Deut. 27, 26.
2. ad reproborum pœnam; maledicere DEI eſt punire, ſuppliciis adficere. D. Gerh. p. 1018.

3. *In ignem infernalem abjectionem:* diſcedite in ignem æternū. Ignis nomine venit ſumma infelicitas, miſeria, dolores & cruciatus vel metaphoricè, vel ſynecdochicè. Exaggeratur & deſcribitur ignis iſte,

Ignis pro ſumma infelicitate.

1. *à duratione;* æternus eſt futurus: quia ſemel accenſus nunquam exſtinguetur; erit ἄσβεςος. Matth. 3, 12.

Ignis infernalis deſcriptio.

2. *A preparatione;* dicitur etiam πῦρ ἡτοιμασμένον, juſtò nim. DEI judiciò, & voluntate quidem conſequente, quæ eſt voluntas judiciaria. Deut. 32, 22. Pſal. 21, 9. 10. Eſa. 30, 33. Cur ignis non dicatur paratus πρὸ καταβολῆς κόσμου, explicat p. 1021. D. Gerh.

3. *A dæmonum adſociatione:* dicitur enim ignis paratus diabolo & angelis ejus. Diaboli nomine intelligit caput ac principem malorum ſpirituum, qui primus à DEO apoſtatavit, & reliquis defectionis cauſa exſtitit. Διάβολος eſt pervulgans obtrectationem; quia proprium diaboli eſt calumniari, & homines ad calumnias impellere. Angeli diaboli ſunt dæmones inferiores, quorum ipſe eſt caput: Apoc. 12, 10. & vocantur angeli ejus, *tùm* quia ipſe defectionis auctor; *tùm* quia retinuit in eos dominium; *tùm* quia operâ illorum abutitur, ad ſeducendos homines. Cur ignis iſte paratus dicatur diabolo & angelis ejus, indicat p. 1022. 1023. 1024. D. Gerherd.

Diabolus quis.

Diaboli angeli.

2. *Sententiæ latæ ratione*, itidem ex effectis contrariis deſumta, immi-

immiſericordia nimirùm, quæ producitur tanquam indicium & teſtimonium incredulitatis in corde latentis: ea enim eſt proxima, immediata & adæquata damnationis cauſa. Marc. 16, 16. Joh. 3, 18. 36. Sunt enim opera reproborum mala, non ſigna tantùm τῆς ἀπιστίας, ſed etiam cauſa damnationis. Non autem eſt par ratio inter opera bona & mala; illa imperfectè bona, hæc perfectè mala. Immiſericordiæ nomine omnis generis peccata, tàm primæ quàm ſecundæ tabulæ Decalogi ſynecdochicè notantur. Opera autem miſericordiæ prætermiſſæ, vel immiſericordiæ cur allegentur, vide apud D. Gerhard. pag. 1029. 1030. 1031.

Immiſericordia teſtimonium incredulitatis.

Immiſericordiæ nomine quid veniat.

3. *Hypocriticâ reproborum exceptione vel excuſatione*, quæ conſtat

1. ἐρωτήσει ſive interrogatione: Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem &c. Contractiùs loquuntur de operibus miſericordiæ prætermiſſis, quia
   1. jam antè ſigillatim fuére enumerata:
   2. conſcientia ipſa reprobos neglecti officii convincet, quô ipsô æternas ſibi pœnas attraxerunt. Proferunt autem hanc ἀπολογίαν ſive exceptionem,
      1. animô arguendi & contradicendi;
      2. ex ſuperbia mentisq; ſuæ elatione;
      3. ex ſtudio accuſandi & conquerendi de injuria;
      4. ſimulant id, quod non ſunt, unde & hypocriticè Judicem vocant Dominum:
      5. proficiſcitur ex timore ſervili. D. Gerh. p. 1034.
2. Ἀποκρίσει, non minus atq; ſuperior illa, emphaticâ reſponſione, cujus intelligentia ex ſuperiori reſponſo ultrò patet; contrariorum enim eſt eadem ratio, eadem diſciplina; & videatur D. Gerh. harm. p. 1036.

Poriſmata & Theoremata Theologica ſecundæ partis.

I. De throno vel ſede CHRISTI majeſtaticâ, h. e. dextra DEI Patris vide feſtum Adſcenſ. & Domin. 18. Trinit.

Thronus Chriſti.

II. Congregatio ad tribunal CHRISTI ſolatio piorum inſervit: qui enim in hac vita, vel per perſecutionem à dilectis ſuis ſeparantur, adgregabuntur cœtui beatorū in die judicii noviſſimo. 1. Theſſ. 4, 17.

1. Ovibus comparantur boni, fideles & electi, propter
   1. *obedientiam*; Joh. 10, 27.

Ovibus comparantur electi.

2. *vitæ innocentiam;* oves ſunt manſuetæ, neminem lædentes;
3. *patientiam;* Eſa. 53, 7.
4. *ſimplicitatis gratiam;*
5. *καρποφορίαν & beneficentiam;*
6. *munditiam;*
7. *ἀσθένειαν ſive infirmam diſpoſitionem* ac conſtitutionem;
8. *crucis ſignaturam.* Pſal. 44, 22. Rom. 8, 36.

Hœdis ſimiles reprobi & cur.

IV. Hœdis comparantur mali & reprobi, propter
1. *ſterilitatem*, in bonis ſc. operibus;
2. *peccati fœditatem;* fœtor hœdinus eſt ingratus;
3. *ſalacitatem* & laſcivam;
4. *ſtupiditatem;*
5. *rixoſitatem;*
6. *aberrationis crebritatem;* ſunt ἄτακτοι hœdi;
7. *periculoſitatem;* amant præcipitia;
8. *invidiæ perverſitatem.*

V. Separatio malorum à bonis eſt noviſſimi diei, & alterius, non hujus ſeculi: jam mali bonis adhuc permixti.

Chriſtus Paſtor.

VI. CHRISTUS eſt verus animarum noſtrarum Paſtor. Joh. 10, 12. Heb. 13, 10. 1. Pet. 5, 4. (2, 24. & 10, 14.

VII. CHRISTUS exactiſſimè novit ſuos. 2. Tim. 2, 19. Joh.

Omnipotentia Chriſti.

IIX. De CHRISTI Judicis omnipotentia, quæ in ſeparatione filiorum lucis à filiis tenebrarum conſpicietur. Matth. 19, 28.

IX. Pii quidem hœdorum ferre moleſtias coguntur; ipſi autem cavent, ne vitiis hœdinis conſpurcentur.

X. Noſtrū eſt verâ fide cœleſtem Benjaminum JESUM CHRISTUM amplecti, & dextram juſtitiæ viam eligere, ne aliquando ad ſiniſtram Judicis ſtemus.

Chriſtus non deſinet regnare.

XI. CHRISTUS in die judicii & in futuro ſeculo non deſinet regnare, unde & Rex h. l. vocatur: regnum autem tradet Patri, tùm quia electis ex regno gratiæ in regnum gloriæ translatis, modus regnandi mutabitur; tùm quia electos Patri glorificandos ſiſtet. 1. Corinth. 15, 24.

XII. Quemadmodum electio & conſilium DEI de ſalute noſtra, ejusq; in tempore exſecutio, ad Patrem, tanquam fontem reducitur: Ita Patris benedicti vocantur electi, quia non tantùm ab ipſo ante ſecula ſunt electi, ſed etiam in tempore omnis generis beneficiis, ad ſalutem conſequendam neceſſariis, adfecti.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Regnum cœleſte eſt donum DEI gratuitum. Gal.3,8.9. 27. Rom.3,28.&6,23.&11.6. Joh.1,12. Eph.2,8.

XIV. Norma judicii in extremo die verbum Evangelii eſt futurum, ex quo eſt benedictio. Gal.3,9.10. Vide D.Gerh.p.686.

Norma judicii extremi.

XV. CHRISTUS eſt Filius in domo Patris cœleſtis, ac proprius regni cœleſtis heres atq; poſſeſſor, in cujus conſortium fratres adſumet ſuos. Duplici enim jure illud obtinet.

XVI. Credentes ſunt benedicti DEI, ipſi grati & accepti, ac proinde heredes. Rom.8,17.

XVII. Non habent quòd triumphent meritorum propriorum & operum bonorum patroni; quia opera caritatis allegata non producuntur ut ποιητικὰ, ſed ut σημαντικὰ, h. e. non ut ſalutis cauſa meritoria, ſed ut externa indicia ac teſtimonia veræ fidei. 2. Pet. 1, 10. Particula enim γὰρ non eſt cauſalis, ſed ratiocinativa. Probatur verus hic & genuinus verborum CHRISTI ſenſus

Opera caritatis non conſtituūt cauſam meriti.

1. ex textûs συνεπείᾳ vel connexione;
2. ex ipſa beatorum confeſſione;
3. ex operum bonorum qualitate & conditione;
4. ex viſibili judicii adminiſtratione;
5. ex aliorum Scripturæ locorum collatione;
6. ex neceſſaria collectione;
7. ex propria adverſariorum conceſſione. D.Gerh.p.987.&ſeqq.

XIIX. Ut piorum bona, ſic reproborum mala opera, in luce manifeſta verſabuntur; quin ſua cuiq; conſcientia, vel ſalvationis, vel damnationis ſententiam manifeſtabit.

XIX. Opera miſericordiæ tàm corporalia, quàm ſpiritualia nobis omnibus ſint quàm commendatisſima. D.Gerh.p.1003.

XX. DEUS opera noſtra novit, h. e. enumerat & prædicat etiam minima beneficentiæ opera. Matth.10,42.

DEUS opera noſ vit.

XXI. Illis potisſimùm benefaciendum, qui ſunt CHRISTI membra.

XXII. Eccleſia eſt cœtus pauperum & egentium; cui tamen aliquos interdum beneficiarios DEUS excitat.

Eccleſiæ quid.

XXIII. Pauperes & miniſtri verbi puriores, ſunt CHRISTI fratres; non ergò abjiciendi, negligendi & contemnendi.

XXIV. In Scriptura multa dicũtur de CHRISTO capite, quæ intelliguntur de Eccleſia, ut corpore & contrà. D.Finck.cent.1.can.11.

Fratres Chriſti.

XXV. In Scriptura eadem res nonnunquam ad conſolationem & terrorem proponitur. Ibid,can.31.

Bona opera non sunt meritoria.

XXVI. Errant qui ſtatuunt bona opera mereri juſtitiam & vitam æternam: quia Scripturæ conſuetudo eſt, ut ἀνταπόδοσιν dicat pro δόσιν, & ἀνταποδοῦναι pro δοῦναι. Idem cent. 2. can. 93.

XXVII. Quanti CHRISTUS æſtimet opera caritatis. D. Gerh. pag. 1013.

Monachi mendicantes.

XXIIX. A CHRISTI paupertate ad ordines Monachorum mendicantium non valet conſequentia. D. Finck. cent. 4. can. 13.

Hoſpitalitas.

XXIX. Hoſpitalitatis jura in Scriptura ſacra ſunt inviolabilia. D. Finck. centur. 4. can. 23.

XXX. De bonis operibus non ſuperbè gloriandum, ſed humiliter ſentiendum. D. Gerh. p. 1009.

Bonis operibus non ſuperbiendum.

XXXI. Longiſsimè igitur ab hac humilitate abſunt, operum ac meritorum ſuorum præcones ac admiratores Papiſtici, qui totis viribus obtinere cupiunt, opera ſua ex condigno eſſe vitæ æternæ meritoria, quin opera quoq; ſupererogationis ſeſe præſtitiſſe, quæ cum aliis poſſint communicare, ſed non niſi pro pecunia numerata. Matth. 19, 20. Luc. 15, 29.

Opera bona non meritoria.

XXXII. Bona itaq; opera non ſunt facienda intuitu mercedis, ac cum opinione promerendi vitam æternam, ſed ſimplici animô & filiali erga Patrem cœleſtem obedientiâ. Vera enim caritas & pietas non eſt mercenaria.

XXXIII. Caritatis veræ proprium eſt, nullô mercedis intuitu inſervire & benefacere aliis; opera autem ſua non magni æſtimare.

Benè facere omnib9 impoſſibile.

XXXIV. Nemo hoc nomine doleat, quòd nõ omnib9 CHRISTI membris poſſit benè facere: CHRISTUS ratum & gratum etiam habet, quod uni ex minimis ipſius fratribus præſtitum eſt.

Opera Chriſtianorum & gentilium differunt.

XXXV Notetur differentia inter opera, beneficentiam cumprimis gentilium & Chriſtianorum: illi quicquid hujus fecerunt, ex naturali humanitate & συμπαθείᾳ fecerunt: hi verò ex fide miſericordiæ opera faciunt: quia benefacere pauperi tantùm ideò, quia pauper eſt, ad naturalem ac moralem pertinet miſericordiam: at benefacere pauperi, quia frater & membrum CHRISTI eſt, proprium hoc eſt Chriſtianæ miſericordiæ.

Minimi ſunt objectum beneficẽtiæ.

XXXVI. Verum veræ beneficentiæ objectum eſt, ἐλάχιστοι, minimi; h. e. illis benefacere, qui non poſſunt retribuere. Luc. 14, 13.

Magni fratres Chriſti: Minimi fratres Chriſti.

XXXVII. Magni quodammodo CHRISTI fratres ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores; minimi ſunt pauperes fideles: ſi illis non potes benefacere, tamen his occaſio benefaciendi nunquam deeſſe poteſt, Matth. 26, 11. Marc. 14, 7.

XXXIIX.

XXXIIX. Tanti CHRISTUS æſtimat caritatis opera, ut ea ſibi ipſi præſtita eſſe reputet, quô nullum poteſt eſſe ad exercendam beneficentiam ὁρμητήριον efficacius. Confer D. Oſiandr.

XXXIX. Φιλανθρωπίας CHRISTI τεκμήριον eſt infallibile, quòd in ſumma etiam ſua majeſtate & gloria, fratres ſuos vocare fidelium minimos non erubeſcit; unde arctiſſima CHRISTI cum fidelibus conjunctio adparet. Heb. 2, 11. Fratres Chriſti.

XL. Nemo pauperum abjiciendus, & beneficentiâ indignus æſtimandus; ſi enim is videatur indignus, cui benefacturus es, CHRISTUS tamen eſt dignus, cui in paupere benefacis.

XLI. CHRISTUS magni æſtimat, quæ pii vili pendunt: tantò ergò honoratiores erunt in oculis CHRISTI, quantò objectiores in oculis ſuis fuerunt cum operibus ſuis.

XLII. Quæritur h.l. an peccata piorum æquè ac impiorum in judicio extremo ſint publicanda? Dantur rationes adparentes in partem adfirmantem, quos vide apud D.Gerh. Tom. 9. L.C. p. 146. 147. Sed concedit ille cum aliis purioribus Theologis in partem negantem, productis in medium argumentis ſequentibus: Peccata piorum in extremo judicio nō publicabũtur.

1. A proceſſu judiciali, qui h.l. deſcribitur; ubi non peccatorum, ſed operum bonorum audiunt publicationem.
2. A gratuita DEI miſericordia & promiſſione: Eſa. 38, 17 & 43. v. 25 & 44, 22. Jer. 31, 34. Ezech. 18, 22. Mich. 7, 19.
3. A DEI immutabilitate. Num. 23, 19. 1. Sam. 15, 29. Mal. 3, 6. *Quod in hac vita ſemel condonatum, illud in altera vita non denuò veniet in judicium, aut ad calculos revocabitur.*
4. A Judicis erga pios adfectu, quorum venturus eſt Salvator & Redemtor: Luc. 21, 28. Rom. 8, 23. Matth. 25, 35. Joh. 14, 3. Advocatus: Rom. 8, 34. 1. Joh. 2, 1. 2. 2. Tim. 4, 8. Apoc. 2, 10. Amicus frater, ipſa caritas: Joh. 15, 15 & 20, 17. 1. Joh. 4, 8. Prov. 10, 12. 1. Pet. 2, 24.
5. A CHRISTI officio ſatisfactorio: Eſa. 53, 5. Joh. 1, 29. Rom. 4, 25. 2. Cor. 5, 19. 20. 21. 1. Pet. 2, 24.
6. A converſorum exemplo: Luc. 15, 20.
7. A piorum conditione, quòd non ſint venturi in judiciũ. Joh. 3, 17. 36 & 5, 24. 1. Joh. 5, 12. Rom. 8. 1. 33. 1. Cor. 6, 11. 2. Cor. 5, 17.
8. A norma judicii, quod eſt Evangelium, peccatorum abolitio. Evangelium enim nulla in piis agnoſcit aut examinat peccata, ſed eadem veſte juſtitiæ CHRISTI tecta eſſe pronunciat. Evangeliũ in piis non agnoſcit peccata.

9. Ex conſequente incommodo; ſic enim pii reſurgerent ad ignominiam, quod eſt contra Scripturam. 1. Cor. 15, 44. Col. 3, 4.

10. A cauſæ neceſſariæ vel evidentis defectu. Vide d. l. plura.

Infernalium pœnarum atrocitas. XLIII. De pœnarum infernalium atrocitate, quæ vel inde exaggerantur, quòd (1) excludentur damnati à beatifica DEI viſione: Pſal. 5, 5. 1. Theſſ. 1, 9. Eſa. 59, 2. (2) maledicti pronunciabuntur, h. e. ſentient vermem rodentem, iram DEI, fulmen Legis &c. Eſa. 66, 24. (3) in ignē conjicientur: (4) verſabuntur cum diabolo & angelis ej9: (5) ignis erit ἄσβεστος.

XLIV. DEUS abſolutô odiô neminem damnat.

Peccatum unum meretur gehennam. XLV. Unum etiam peccatum, meretur pœnam æternam, niſi fiat remiſſio propter CHRISTUM.

XLVI. In judicio extremo ſingulorum operum & factorum exigetur ratio. Matth. 12, 35. 2. Cor. 5, 10.

Eleemoſynæ. XLVII. Eleemoſynarum erogatio non ad conſilia, quæ vocant Suitæ, ſed ad mandata DEI ſpectat, aliàs eorundem omiſſio non eſſet damnabilis.

XLIIX. Omnia peccata, etiam omiſſionis, per ſe & ſua natura ſunt mortalia ac damnabilia: peccata interim commiſſionis graviora ſunt peccatis omiſſionis.

XLIX. DEUS majorem habet rationem rei, quàm verborum, & cordis potiùs adfectum, quàm oris reſpicit motum. 1. Sam. 16, 7.

Hypocritæ in ius DEUM vocant. L. Hypocritarum proprium eſt, DEUM in jus vocare, ejusq; judicia reprehendere; nec non de operum ſuorum abundantia gloriari. Eſa. 1, 18.

PARS III.

Reſtat nobis judicii eventus, vel latæ à Judice ſententiæ exſecutio, pauciſſimis verbis deſcripta: Et ibunt hi (injuſti ſcilicet, & à ſiniſtris conſtituti) in ſupplicium æternum, juſti verò in vitam æternam. Brevis cantilena, ſed admodum longum habet Epiphonema.

Sententiæ damnandorum exſecutio. Eſt autem exſecutio illa ratione ſententiarum gemina; *una ex parte damnandorum; altera ex parte ſalvandorum.* De damnandis dicitur; *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.*

1. Particula καὶ non tantùm eſt copulativa, & ſignificativa temporis & ordinis; ſed etiam illativa, oſtendens, impios ſtatim poſt ſententiæ promulgationem in infernum præcipitandos, idq; ideò, quia Judex ſententiam ejusmodi immutabilem dictavit.

2. Vo-

Digitized by Google

2. **Vocantur** *ἆτοι*, quod ignominiæ & contemtui tribuendum: nam ne nomine quidem ullô Christus eos dignabitur. Luc. 16, 20.

3. **Ibunt** *ἀπελεύσονται*, rapientur, raptim auferentur. Verbum enim *ἀπελθεῖν* non ſignificat ſpontaneam abitionem, ſed invitam potiùs & coactam depulſionem, quòd terrâ ipſis dehiſcente projiciendi ſint in lacum infernalem. Matth. 13, 42.

ἀπελθεῖν

4. *εἰς κόλασιν*; quod enim ſuprà dixerat ignem, hîc vocat *κόλασιν* & ſignificat pœnam, cruciatum, ſupplicium. Merum ergò erit ſupplicium, merus cruciatus, mera pœna ignis ille infernalis. 1. Joh. 4, 18. uſurpatur de terroribus conſcientiæ, â timore ſervili ortis, qui ſunt initia & prægustus q. quidam æternorum cruciatuum. Sap. 11, 5. 14 & 16, 2 & 19, 4.

Gehenna *κόλασις*.

5. Supplicium autem erit æternum, h. e. nec interruptum, nec unquam deſiturum. De ordine exſecutionis, quòd reprobi priùs dicuntur ituri in ſupplicium, quæ moneat Dn. D. Gerhardus. vide Tom. 9. L. C. p. 145. & in harm. p. 1041.

Supplicium æternum erit.

De ſalvandis dicitur: *Juſti verò* (ſc. ibunt) *ibunt in vitam æternam* Notetur.

Sententiæ ſalvandorum exſecutio.

1. *Salvandorum adpellatio*; iterum vocantur juſti, ſc. poſt imputationem juſtitiæ Christi conſummativè & perfectè evadent juſti, confirmati jam *ἀτρέπτως* in juſtitia. Oſtendit itaq; Christus.

Juſti.

1. cauſam immediatam, adæquatam & proximam ſalutis eſſe juſtitiam fidei, ſive juſtitiam Christi per fidem adprehenſam.
2. Electos in altera vita fore perfectè juſtos ab omni peccati labe planè immunes & totaliter liberatos.

Juſtitia fidei cauſa ſalutis.

2. *Felicioris ſtatûs deſcriptio*, qui vocatur vita æterna. Ubi vitæ nomine non intelligitur nuda viventis exſiſtentia, ab unione animæ cum corpore dependens, (hæc enim communis erit piis & impiis) ſed beatiſſima & feliciſſima viventis conditio, dependens â beatifica DEI viſione corporis atq; animæ glorificatione. Vita autem iſta erit æterna, omni carens ſatietate, fine & terminô.

Poriſmata & Theoremata Theologica tertiæ partis.

I. In hac vita ſententia DEI poteſt mutari per ſeriam pœnitentiam; ſed in die judicii nec pœnitentiæ, nec veniæ ampliùs erit locus. Jer. 18, 8.

Sententia Dei hic, nō illic mutabilis.

II. Damnatis, etiamſi per unionem animæ & corporis victuri

ſint

Digitized by Google

ſint, nuſquam tamen in Scriptura tribuitur vita, ſed mors & interitus. Joh.8,51. Apoc.2,11 & 20,6 & 21,8.

III. CHRISTUS habet claves inferni, in quem diabolum & ſectatores ejus in æternum includet. Apoc.11,18.

Infernus eſt κόλασις. IV. Infernus quantus quantus erit, nil niſi κόλασις erit; malè ergò à Photinianis definitur per ἀνυπαρξίαν.

V. Ex inferno nulla eſt redemtio: ſupplicium enim dicitur æternum.

Damnatio æterna nō pugnat cum DEI juſtitia vel miſericordia. VI. Non pugnat cum DEI vel juſtitia, vel miſericordia, pro peccatis temporalibus æterna irrogare ſupplicia; quia

1. Peccatum contra bonum infinitum admiſſum infinitam etiam promeretur pœnam:
2. Amiſſio æterni & infiniti boni, gratiæ ſc. DEI, meriti CHRISTI, vitæ æternæ &c. facit hominem incidere in malum æternum:
3. Materia ignis infernalis, peccati ſc. macula eſt æterna: Ergò pœna etiam æterna.
4. Nulla in damnatis erit vera vel ſeria pœnitentia: Ergò nec veniæ in illis erit locus.
5. Gaudia piorum erunt æterna: Ergò & ſupplicia impiorum: quia DEUS æquè juſtus ac miſericors. Sir.5,6.
6. Peccatum ſeparat à vita æterna: Ergò mortem adducit æternam.
7. Nec in humanis delicti qualitas & atrocitas ex mora temporis æſtimatur.

Duo non plura poſt mortem receptacula. VII. Duo tantùm (non plura) ſunt poſt hanc vitam hominum receptacula; *nec ullus ulli eſt medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo, qui non eſt cum CHRISTO.* Auguſt.l.1.c.28. de peccat. merit. & remiſſ.

Chiliaſtæ. IIX. Errarunt olim Chiliaſtæ, ſomniantes ſine ſomno, CHRISTUM poſt ultimum ſuum adventum inchoaturum terrenum aliquod mille annorum regnum, cum piis ante reſurrectionem impiorum exigendum. Refutationem erroris hujus vide apud D. Gerh. Tom. 9.L.C. pag 463. & ſeqq. Hoc locô immediata noviſſimorum connexio falſitatis eos convincit & redarguit.

IX. Executio enim ſententiæ utriusq; continuò ſequetur: impii enim æternum cruciabuntur: Mal.4,1. Luc.13,27. Rom.2,8. 2.Theſſ.1,8. Jac.2,9. Jud.epiſt.v.15. Apoc.21,8. pii verò æternum glorificabuntur & lætabuntur. Matth.25,41. Luc.21,28. Rom.8,21. 1.Cor.15,54.

Infernum eſſe probatur. X. Eſſe infernum, contra empæctas & homines Epicureos demonſtratur,

1. ex

1. *ex manifeſtis Scripturæ dictis*, tam ex V. quàm ex N.T. petitis. Num.24,20. Joh.7,9 & 10,20.21 22 & 20,18.26 & 21,13 & 24,19. & 26.6 & 28,22 & 31,12 & 38 17. Pſ.1,4 & 7,13 14 & 9,18 & 11,6.& 21,9.10 & 31,18 & 49,15 & 55,16 & 58.9 & 63,10. Prov.9 18 & 15, 11.24 & 19,29 & 23,15 & 27,20 & 30,16 Cant.8,6 Eſa.5,14 & 14,9. 10.11 & 24,22 & 25,10 & 30,33 & 50,11 & 65.5 & 66,24 Ezech. 32,27. Dan.12,2. Zach.9,11. Mal.4.1. Sap 5 14 & ſeqq & 6,7 Sir. 21,11 & 41,7. Matth.3,10 & 5,22 & 7,13 & 8,13 & 10 28 & 11,22 & 13,40.41.42 & 18,8 & 22,13 & 23,33 & 24,49. Luc. 16,23 Joh.15,6. Rom.2,5. 2.Theſſ.1.9. Heb.10,27. 2 Pet.2,4 Jud.v.6.7 Apoc.1.18. & 9.1.6 Apoc.14.10 & 19,20 & 20.6.10.14 15 & 21,8.
2. *Ab exemplis*, tùm diabolorum, 2.Pet.2,4. Jud.v.6. Apoc.12,8. tùm hominum. Jud. verſ. 7. Num.16,33. Eſa.14,9 & ſeqq. Ezech.31,18 & 32,21. Luc.16,23.
3. *Ex rationibus*; ac
   1. *à divinæ juſtitiæ conditione*; 2.Theſſ.1,6.
   2. *à Legis divinæ maledictione*; Deut.27,27. 1.Theſſ.1,10.
   3. *à peccati turpitudine & confuſione*; Rom.6,23.
   4. *à propriæ conſcientiæ teſtificatione*;
   5. *ab infernalium dolorum deguſtatione*; Pſal. 18,6 & 30,4 & 49,16 & 86,13 & 88,4 & 116,3.
   6. *à* CHRISTI *ad inferos deſcenſione*; Pſal.68,19. Oſe.13,14. 1.Cor.15,54. Eph.4,8. Col.2,15. 1.Pet.3,19.
   7. *ab impiorum reſurrectione*, ut debitas accipiant pœnas. Dan. 12,2. Joh.5,29. Apoc.20,13.14.
   8. *Ab extremi judicii adminiſtratione*, de qua h.l. 2.Cor.5,10.
4. *Ex typis*; præfiguratus eſt infernus in protoplaſtis; Gen. 3,9. Caino; Gen.4,11.13. in diluvio ſuffocatis; Gen.7,23. Sodomitis; Gen.19,24. Jud.v.7. plagis Ægypti; Exod.10,22. Sap. 17,2. Pharaone Exod.14. igni Eliæ; 2.Reg.1,10. olla ſuccenſa. Jer.1,13. &c. D. Gerh.T.9.L.C.p.522. & ſeqq.

XI. Æternitas ſuppliciorum & pœnarum infernalium probatur *Infernales pœnæ æternæ.*

1. *ex ſacris literis*, tam *affirmativè*; Job.31,12. Pſal.40,15. Eſa.33, 13 & 34,19 & 65,5. Ezech.26,20. Dan 12,2. Matth.18,8 & 25,41.46. 2.Theſſ.1,9. Jud.v.6.7.13. Apoc.14,10 & 20,10. quam *negativè*. Job.7,9 & 10,20. Prov.27,20 & 30,16. Eſa. 66,24. Matth.3,12 & 5,25.
2. *Rationibus ex Scriptura deductis*;

1. *ex perpetua iræ divinæ duratione*; Deut. 32, 22. Eſa. 30, 33.
2. *ex chasmatos confirmatione*. Luc. 16, 26.
3. *ex januæ occluſione*; Matth. 25, 10. Luc. 13, 25.
4. *ex beatitudinis oppoſitione*; Dan. 12, 2.
5. *ex pœnitentiæ remotione*;
6. *ex ignis infernalis deſcriptione*; Pſal. 11, 6. Eſa. 30, 33 & 34, 33. Apoc. 19, 20 & 20, 10 & 21, 8.
7. *ex voti fruſtratione*; Luc. 16, 25. 27. Apoc. 9, 6.
8. *ex vinculorum injectione*. Matth. 22, 13, Vide D. Gerh. Tom. 9. L. C. p. 625.

XII. Vita æterna in Scriptura ſacra definitur per negationem, remotionem & extenuationem illorum, quæ hîc ſunt. D. Finck. cent. 3. can. 2.

DISPOSITIO SECUNDA.

PROPOSITIO διμερής.

Verè quondam Auguſtinus: *Si quis*, ait, *de tota Scriptura nihil aliud ſciret, niſi ſolummodò lectionem hujus Evangelii, ſatis haberet ad ſalutem*: quia vitæ & mortis ratio, aut judicii extremi conditio, hîc nobis ob oculos ponitur. Nos itaque gratâ mente hac divinæ voluntatis revelationem amplectentes, ad ſalutem noſtram cum timore & tremore operandam, de præſenti Evangelio duo conſiderabimus, contemplaturi.

I. *noviſſimum diei extremi judicium*;
II. *CHRISTI cum judicandis, tàm bonis, quàm malis colloquium*.

PARS I.

Promiſerat Salvator in præcedentibus adventum vel reditum potius ſuum ad judicium, in noviſſimo die inſtituendum, ſubjunctâ neceſſariâ ad vigilandum exhortatione: actum itaq; ac proceſſum iſtius judicii, optimè nobis cupiens, hac prælectâ περιγραφῇ ita depingit & ob oculos noſtros ſtatuit, ut rem geſtam pridem commemorare nobis videatur. Oſtendit enim

Judex Chriſtus. 1. *Judicis univerſalis magnificentiam*, quis nimirùm ſit futurus ejus judicii extremi præſes. Non hominum, non Angelorum aliquis; ſed ipſe Dominus ac Salvator noſter, JESUS CHRISTUS, qui in actu hoc judiciario Filium ſeſè hominis vocat. In more quidem ipſi poſitum aliàs erat, ut cùm de ſe loqueretur, Filium ſeſe hominis diceret, repe-

Digitized by Google

repetita eâ adpellatione ex Pſal.8,5. & Dan.7,13. Hoc verò in locô adpellatio iſta peculiariter & ſingulari de cauſa uſurpatur, eò quòd poteſtas judicii faciendi à Patre ipſi tradita eſſet; quia filius hominis eſt. Joh.5,22.27. (ubi τὸ ὅτι non eſt αἰτιολογικὸν, ſed naturæ διο-ρισικὸν καὶ δεικτικὸν) Venturus autem dicitur Filius iſte hominis, non ut in primo adventu humilis, ſed ſublimis, in gloria ſua, (non aliena) quæ alibi Matth.16,27. dicitur gloria Patris, quô ipsô προσδιορισμῷ non creata & finita, ſed increata, infinita & divina gloria notatur, illa videlicet ipſa gloria, quam Filius DEI cum Patre eſſentialiter, cum humanitate adſumta perſonaliter communem habet & obtinet. *Filius hominis Judex futurus.*

Veniet ergò αὐτοπροσώπως, in adſumta ſua natura viſibiliter, *tùm* ut ab omnibus conſpiciatur, Apoc.1,7. *tùm* ut gloria data manifeſtetur, *tùm* ut pius ab impio diſcernatur. Φανέρωσις enim iſta, ut piis ſolatio; ita impiis terrori futura eſt maximo. Habebimus itaq; Judicem. *Chriſtus veniet in natura humana.*

1. *omnipotentem;* Chryſoſt. nemo poteſtatem Judicis hujus poterit effugere: *Judex qualis Chriſtus.*
2. *Omnia ſcientem,* καρδιογνώστην: Bernhard. *Expaveſco miſer multùm Judicis venturi vultum, quem latebit nil occultum, nec manebit quid inultum.*
3. *Juſtè omnia judicantem:*
4. *Omnipræſentem;* quæ omnia ad gloriam Judicis altiùs imprimendam faciunt: gloriam, piis nunquam viſam, Exod.33,18. Matth.17,2. 2.Cor.3,18. impiis nocivam. Apoc.6,16.

II. *Comitatûs excellentiam*: Venturi enim unà cum ipſo Judice ſunt omnes ſancti Angeli ejus. Cur verò hoc? Num aliqua inde Judicis ἀδυναμία? Nullô verò modô. Aderunt autem CHRISTO Judici. *Judicis Chriſti comitatus.*

1. *ut actum exornent.* Nam & hoc majeſtatis eſt. Maximi ſatellites oſtendunt maximam Judicis majeſtatem. CHRISTUS habebit maximos ſatellites, regni ſui cœleſtis ſatrapas, robuſtos ac fortes illos: Pſ.103,20. Ergò maxima illius fuerit majeſtas neceſſum eſt. *Angelorũ acta in judicio.*
2. *Ut Judici miniſtrent*; hinc dicuntur cum eo futuri, ſcilicet tanqam miniſtri ſeu confeſſores nominis ac majeſtatis ejus. Miniſterium verò in actu hoc panegyrico ipſi præſtabunt,
   1. *tubâ canendo*; Matth.24,31. 1.Theſſ.4,6.
   2. *Electos à quatuor ventis congregando*, eosq; veluti meſſores, in ma-

magna illa meſſe conſummationis ſeculi, ut triticum colligendo in vitæ æternæ horreum Matth. 13,49 & 24,31.

3. *Impios poſt latam ſententiam damnatoriam à facie DEI in ignem infernalem protrudendo.*

3. *Ut Judicis ſententiam calculô ſuô adprobent.* Idem de Apoſtolis & omnibus fidelibus adſeritur Matth. 19,28. 1.Cor.6,2.

Judicandi. *III. Judicandorũ copiam;* congregabuntur coram eo (Judice) omnes gentes, i.e. omnes omninò homines, qui unquam inde ab initio mundi vixerunt, & porrò ad finem usq; mundi victuri ſunt, à primo ad ultimum usq; hominem. Per quos verò omnes homines ſint congregandi, adparet jam præveniſſe, cùm diceret illi adeſſe ſanctos Angelos.

IV. Proceſsûs judicialis evidentiam; hujus verò tres q. partes h. l. nominantur.

Sedere i. e. regnare. *1. Judicis ſeſſio.* Sedere in Scripturis, quoad hanc materiam, eſt idem, quod regnare. 1.Cor.15,25. Judex ergò ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ. Quæ ſit illa ſedes, & quis thronus judiciarius, ipſemet

Thronus judicialis. Salvator explicat; Luc.22,69. Matth.26,64. ubi ſedem illam gloriæ ſuæ vocat potentiam vel virtutem DEI, quæ quia inviſibilis eſt, modus etiam ſeſſionis eſt ἀνεξερεύνητος καὶ ἀόρατος, tametſi ipſe Judex conſpiciatur, & majeſtas ejus ex operibus, quæ tam plenâ poteſtate faciet, clariſſimè eluceſcet, ac ſeſe potenter exſeret. Matt. 24,30. Additur venturum Judicem in nubibus cœli, in nube, quod habebit cum electis commune, cùm quidem ſeſſionem à dextris gloriæ neq; cum Angelis, neq; cum hominibus communem obtineat.

Citatio judicandorum. *2. Omnium citatio,* ad tribunal nim. vel thronum iſtum judiciarium, ad dicendam & audiendam ſententiam deciſivam. Illam verò citationem neceſſariò præcedet tùm

(1) *univerſalis mortuorum reſurrectio;* Apoc. 20,12. tùm

(2) *viventium immutatio;* 1.Cor.15,51. 1.Theſſ.4,17.

Separatio judicandorum. *3. Judicandorum à ſe invicem diſſeparatio;* quæ illuſtratur

1. πρόπω, *modô*, ſicut paſtor (circa veſperam) ſeparat oves ab hædis. Similitudo eſt nota ex aliis textibus Evangelicis. Paſtor per metaphoram eſt CHRISTUS: oves ſunt fideles, pii, juſti, ſancti & electi, quia illi

1. paſtorem ſuum ſequuntur; Joh.10,4.
2. vocem CHRISTI audiunt;
3. fructum ferunt, humilitatem, ſimplicitatem, manſuetudinem & patientiam ovium imitantes.

Hædi

Hœdi ſunt impii & increduli, qui ob peccatorum fœditatem peſſimè olent, DEO ob id & ſanctis Angelis exoſi.

2. *Τόπῳ, locô:* oves enim dexteram ſedentis Judicis partem obtinebunt: Hœdi i. e. reprobi ſiniſtram. Ipſa collocatio ſtatim erit ominoſa: dextrum enim felix, ſiniſtrum infelix habetur. Reliqua ex prædictis ſunt manifeſta.

Uſus I. Informatorius.

De immota extremi judicii certitudine, quam confirmant ac probant, **Judicii extremi certitudo.**

1. *manifeſta ac perſpicua Spiritûs ſancti oracula*, quæ magnô numerô ex V. & N. T. produci poſſunt: ubi tamen illud obſervandum, quòd V. T. dicta quædam directè & principaliter, quædam indirectè & per conſequentiam ſaltem, extremi judicii veritatem probant. Gen.4,7. & 18,25. Deut.32,34.35.36.41. Job.3,4. & 13,14. & 19,29. & 20,25. 26.27. & 35,14. Pſal.2,9. & 7,12.13.14. & 9,5.8.9. & 11,6. & 50,3.4. 5.6. & 68,2. & 75,3. & ſeqq. & 82,8. & 94,2. & 98,9. 110,5. & 143,2. 1.Sam.2,10. Prov.23,10. Eccl.3,17. & 11,9. & 12,13.14. Eſa.2,10. 11. & 3,13.14. & 4,4. & 11,4. & 13,9.10.11. & 26,21. & 27,1. & 30, 18.27.28. & 42,3.4. & 45,23. & 66,15.16.18. Jer.23,19.20. & 30,23. 24. Ezech.34,17. Dan.2,44. & 7,9. & ſeqq. Joël.1,14. & 2,1.2.3.10. & ſeqq. & 3,1.2.12.13.14.15.16. Amos.5,18.19.20. Soph.2,12. & ſeqq. Hagg.2,7. Zach.12,10. & 14,5. Mal.3,1.2.3. & ſeqq. & 4,1. & ſeqq. Sap.1,9.10. & 3,7.8. & 4,19.20. & 5,1.2.16. & ſeq. & 6,4. & ſeqq. Sir.18,24. & 35,22. & ſeqq. Matth.7,22. & 10,15.26. & 11,21. & 12,35. & 13,41. & 16,27. & 19,28. & 24,29. & ſeqq. & 26,64. Luc. 21,34. Joh.5,22.27. & 12,48. & 14,3. Act.1,11. & 3,19. & 10,42. & 17,30.31. & 24,25. Rom.2,3.15.16. & 3,6. & 14,10. 1.Cor.1,7.8. & 4,4.5. & 6,2. 2.Cor.5,10. Phil.3,20. Col.3,4. 1.Theſſ.4,15.16. & 5, 2.3. 2.Theſſ.1,6.7.8.9. & 2,8. 1.Tim.6,14.15. 2.Tim.4,1.8. Tit.2,13. Hebr.9,27. & 10,27. 1.Pet.4,5. 2.Pet.2,2,3. & 3,3.4.7.10. Jud.ep. v. 14.15. Apoc.1,7. & 6,13. & ſeqq. & 14,14. & ſeqq. & 18,20. & 20,4. 11.12.

2. *Particularia DEI judicia*, ultimi illius judicii quædam q. præludia. Huc referuntur judicia Sodomitarum, Ægyptiorum, Cananæorum, Iſraëlitarum quoq; nonnunquam in deſerto. Exod.32. Num.16. & 21. Angelorum malorum: Matth.25,41. 1.Cor.6,3. 2.Pet.2,4. Jud. vſ. 6. Judicium protoplaſtorum; Gen.3,9. & ſeqq. antediluvianorum; Gen.6. Iſraëlitarum. 1.Cor.10,10.11.

3. *Typorum & parabolarum teſtimonia*; cujusmodi ſunt,

1. *Lucis primæva à tenebris ſegregatio*; Gen. 1, 3. Matth. 19, 28.
2. *Iridis coloratio*; Gen. 9, 13.
3. *Clibani fumigatio*; Gen. 15, 17.
4. *Civitatum Sodomiticarum conflagratio*; Gen. 19, 17.
5. *Fratrum Joſephi conſternatio*; Gen. 45, 3.
6. *Prodigiorum Ægyptiacorum intimatio*; Exod. 7, 3.
7. *Jubilei per tubæ ſonitum denunciatio*; Levit. 25, 10.
8. *Throni Salomonæi deſcriptio*; 1. Reg. 10.
9. *Militum Ahaſiæ per ignem cœlitùs delapſum abſumtio*. 2. Reg. 1, 10. 12. Matth. 3, 11.
10. *Zizaniorum combuſtio*; Matth. 13, 30. Huc refer parabolas, Matth. 18, 23. & ſeqq. & 24, 43. & ſeqq. & 25, 1. & ſeqq. Luc. 12, 35. & 13, 25. & 16, 2. & ſeqq. Confer D. Gerh. Tom. 9. L. C. pag. 55. & ſeqq.

4. *Symbolorum ab Eccleſia receptorum ſuffragia*. Ib. pag. 56. 57.

5. *Rationum momenta*. Fore enim judicium aliquod extremum, evincit.

1. *juſtitiæ divinæ adminiſtratio*; 2. Theſſ. 1, 6. 7. 8. Pſal. 73, 2. & ſeqq. Rom. 2, 5.
2. *Veritatis & immutabilitatis divinæ ratio*; Pſ. 33, 4. Luc. 21, 33.
3. *Conſcientiæ propriæ teſtificatio*; Rom. 2, 15. 16.
4. *Regni CHRISTI conditio*; futurum eſt enim regnum æternum;
5. *Reſurrectionis & judicii connexio*; Heb. 6, 2. & 9. 27. Act. 10, 42. 1. Pet. 4, 5. Joh. 5, 28. 29.
6. *Univerſalis omnium piorum exſpectatio*; Apoc. 22, 17. Tit. 2, 13. Rom. 8, 19. & ſeqq.
7. *Legis divinæ promulgatio*, quæ exſtat deſcripta Exod. 19. & 20. capp.
8. *Gentilium ſaniorum confeſſio*. Ibid. p. 62. 63.

II. Conſolatorius.

Judicio extremo opponenda conſolatio.

1. Ad confirmandam ſpei & ſalutis noſtræ fiduciam, quam in nobis conciter, exſuſcitet & confirmet,

1. *ſuaviſſima hujus diei adpellatio*; Luc. 21, 28. Rom. 8, 23. Epheſ. 4. 30. Act. 3, 19. 20.
2. *dulciſſima ejuſdem deſcriptio*; Luc. 21, 31. Apoc. 19, 7. Col. 3, 4. Phil. 2, 16. 1. Theſſ. 2, 19. 2. Tim. 1, 18. & 4, 8. 1. Joh. 3, 2.
3. *CHRISTI juſſio*; Luc. 21, 28.
4. *Piorum conditio*; 1. Cor. 15, 19. Philip. 3, 20. 2. Tim. 4, 8. Tit. 2, 13. 2. Pet. 3, 12. Apoc. 6, 10. & 22, 17.

5. Quæ-

5. *Quotidiana precatio;* Matth.6,10.13.

6. *Omniũ cauſarum conſideratio:* Judex futurus eſt noſter Redemtor, Mediator, Salvator, Advocatus, Sponſus, Caput, Rex, Sacerdos. Rom.8,34. Joh.13,1. Materia ſive objectum fides & infidelitas, opera bona & mala. Forma judicii ex prædictis manifeſta. Finis eſt, ut pii ab omnibus malis ac periculis liberati, perfectâ juſtitiâ & ſanctitate donati in vitam æternam introducantur. Luc.21,28. Heb.9,28.

7. *Benevola promiſſio.* Joh.3,18. & 5,24. 1.Theſſ.5,9.10.

2. Ad augendam & roborandam in nobis patientiam. 2.Theſſ.1, 6.7. Jac.5,8. Apoc.19,1.2. Luc.21,19.

III. Monitorius.

1. Ut novisſimi diei & judicii omni die memores ſimus: oblivio enim hujus eſt mater ſecuritatis; quotidiana verò recordatio ſinceræ pietatis. Pſal.10,5. Act.10,42. Luc.17,32. Iſtam in nobis memoriam exſuſcitet **Diei noviſſimi memoria perpetua.**

1. *DEI præcipientis auctoritas;*
2. *Judicii venturi majeſtas;*
3. *Inopinatæ adventûs hujus celeritas;*
4. *multiplex recordationis iſtius utilitas;*
5. *periculi, quod ſecuros manet, gravitas.*

2. Ut ab omni inquinamento carnis ac ſpiritûs nos mundemus; 2.Cor.7,1. h. e. ab omnibus peccatis ſtudiô, quantô poteſt fieri maximô, caveamus, fugientes maximè **Peccata ob diem noviſſimum fugienda.**

1. *omnem impietatem & ſecuritatem;* Eccl.12,15. Apoc.14,7. reverentes
   1. *ipſum Judicem*, qui venturus eſt
      1. glorioſus;
      2. omniſcius; Heb.4,13.
      3. juſtisſimus; Apoc.22,12.
      4. potentisſimus.
   2. *Judicii adventum*, qui futurus eſt repentinus & ἀπροσδόκητος, inopinatus. Matth.24,43.44. Luc.52,39. Apoc.16,14. 1.Theſſ.5,2.
   3. *Judicii comitatum;* exercebitur enim judicium hoc in præſentia omniũ Angelorum & hominũ.
   4. *Judicii materiam ſive objectum*, h. e. omnia hominum dicta, facta, cogitata.
2. *Crapulam & ebrietatem.* Luc.21,34. Gal.5,21. Eph.5,18. Matth. 24,38. Rom.12,2. Jac.1,27. Eſa.5,11.22.

3. Cu-

3. *Curam victûs & rerum terrenarum cupiditatem, aviditatem.* Luc. 21,34. Matth.6,28. Luc.17,32.

4. *Immiſericordiam & crudelitatem.*

5. *Injuſtitiam & iniquitatem.* Matth.7,23. Jud. v. 14. Eſa. 11, 3. Col.3,25.

6 *Hypocriticam calliditatem* Sir.19,19.

Noviſſima moneant de pœnitentia & vigilantia. 3. Ut recordatione noviſſimorum commendatam nobis eſſe patiamur quotidiè,

1. *ſeriam pœnitentiam;* Pſal.7,12. Act.17,30.

2. *Chriſtianam vigilantiam*, quam toties Salvator inculcat: Matt. 24,42.& 25,13. Marc.13,35.37. Luc.21,36. Apoc.3,2.&16, 15. Repetunt Apoſtoli; 1.Theſſ.5,6. 1.Cor.15,34. Eph.5,14. 1.Pet.4,7.& 5,8. Complectitur autem vigilantia iſta,

1. *temperantiam;* 1.Theſſ.5,7. 1.Pet.5,8.

2. *in precibus conſtantiam;* Luc.21,36.

3. *ſolicitam curam ac providentiam;* Luc.21,28. Eph.5,15. Col. 4,5. Luc.21,35.

4 *ſecuritatis fugam.* Matth.24,44. Luc.12,35.36. 1.Theſſ.5,8.

IV. Refutatorius.

Empæctæ. 1. Empæctarum & Epicuri de grege porcorũ, qui audientes CHRISTUM rediturum ad judicium, cum Philoſophis Athenienſibus χλευάζουσι. Act.17,32. 2.Pet.3,3.4.

Papiſmus de extremo judicio. 2. Pontificiorum, calumniantium,

1. Lutheranos negare extremum judicium; quam calumniam falſi, immò manifeſti mendacii coarguit,

Lutherani non negãt judicium extremũ. 1. publica Eccleſiarum noſtrarum confeſſio, quæ habetur art.17. A.C. ex ſymbolis, Apoſtolico, Nicæno & Athanaſiano repetita.

2. Concionatorum noſtrorum ſtudium & induſtria, qui datâ ad unum omnes operâ doctrinam de extremo judicio, ad ravim & nauſeam fermè uſq; populo inculcant, in explicatione potiſſimùm prælecti Evangelii & Dominica 2.Adventûs.

3. Violenta eſt & ſycophantica planè detorſio, quòd convitiantur, ſtantibus hypotheſibus hiſce, omnia opera, etiam bona, eſſe peccata; nullam eſſe juſtitiam propriam, ſed imputatam ſolummodò, quæ juſtificet coram DEO; arbitrium in nobis non eſſe liberum, ſed ſervum; opera ad ſalutem non eſſe neceſſaria &c. extremum judicium à nobis planè abnegari. Bona enim juſtificatorum opera per ſe & ſuâ

Bona ope- natu-

Digitized by Google

naturâ, ſive uti Scholaſtici loquuntur, formaliter eſſe peccata, nemo ra eſſe pecca-
Lutheranorum ſinceriorum unquam vel dixit, vel ſcripſit; ſed pecca- cata, quo-
tum ipſis adhærere, ſecuti ductum Spiritûs ſancti dicimus. Sunt enim modo in-
omnia, etiam ſanctisſimorum hominum (ſi modò ſancti in hac vita- telligen-
dantur) opera immunda & imperfecta. Juſtitiam ſanè operum non dum.
negamus; ſed coram DEI judicio eam conſiſtere poſſe inficiamur. Liberum porrò arbitrium in renatis, quoad actiones ſpirituales planè eſt Liberum
nullum; ut quoad externas actiones, etiã in non renatis, aliquod agno- arbitrium.
ſcimus ultrò arbitrium. Neceſſitatem operum nõ negamus; ſed meritoria ſalutis ea eſſe ac vitæ æternæ cũ Scriptura univerſa inficias imus.

4. Detorquemus κατὰ τὸ βίαιον hoc telum in ipſos adverſarios, qui falſam ipſi h. l. hypotheſin fovent, docentes, judicium extremum eſſe inſtituendum non ſecundum fidem & incredulitatem hominum, ſed tantùm ſecundum opera, & quidem utrinq; ſecundum operum merita; quæ hypotheſis δὶς διὰ πασῶν cum ſacris literis pugnat. Joh. 3, 18. 36. Rom. 6, 23.

2. Lutherum propterea pro Pſeudopropheta habendum, fi- Lutherus
demq; doctrinæ ejus in univerſum derogandam, quòd prædixerit, di- ut:um
em noviſſimum eſſe in propinquo, qui tamen nondum advenerit. Sic Pſeudo-
enim Sauvita Schererus in ipſum, & omnes Eccleſias, doctrinam Lu- propheta.
theri profeſſas, impudenti ore & calamô detonat; poſt. part. 1. pag. 40. **Alſo macht der allmächtig GOtt zu ſchanden die falſchen Propheten/ vnd gleich wie Lutherus vnd ſein diſcipul ſchändlich gelogen haben/ mit Verkündigung des jüngſten Tages: Alſo haben ſie auch in dem gelogen/ daß ſie ſolten das hell vnd klare Wort Gottes vnd Evangelium an Tag gebracht/ vnd den rechten AntiChriſt offenbahret haben.** Reſp. nõ meis, ſed Dn. D. Gerhardi verbis Tom. 9. L. C. pag. 199. (1) Lutherus nunquam & nuſpiam certũ aliquem annum vel diem adventui CHRISTI noviſſimo præfinivit; ſed ab hac curioſitate Stifelium & alios ſeriò dehortatus eſt &c. (2) Neq; ex Spiritu prophetico, vel Enthuſiaſticis revelationibꝰ prædictionem de die noviſſimo proximè inſtante ſeſe proferre jactitavit, ſed ex ſignis extremi judicii in verbo annotatis. (3) Diſtinguẽda igitur ſunt omnia a Propheticis vaticiniis. Illa ſunt duntaxat quædam præſagia, quibus non indubitatò ac perpetuò reſpondet eventus; hæc verò, niſi conditionem aliquam adnexam habeant, ſemper implentur. Lutheri de die noviſſimo prædictiones non prioris, ſed poſterioris generis ſunt cenſendæ. (4) Vaticinium de die noviſſimo proximè inſtante non pertinet ad capita religionis, quæ ex

certo & immoto DEI verbo unicè demonſtranda eſſe, conſtanter docuit Lutherus; ſed ad probabiles conjecturas, quæ ex ſignis antegreſſis petuntur, ut ad pœnitentiam & timorem DEI auditores eò magis iisdem excitentur. (5) Sicut CHRISTUS dicit, adbreviandos eſſe dies propter electos, Matth. 24, 22: Ita Petrus adſerit, DEUM *μακροθυμεῖν*, cùm nolit aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. Epiſt. 3, 9. Ergò ſi vel maximè DEUS ex *μακροθυμίᾳ* diem extremi judicii differat, ut plures convertantur & ſalventur; nihil tamen ex eo prædictionibus de propinquitate hujus diei decedit (6) Non omnis, qui venturas mundo pœnas denunciat, quæ poſtmodùm non ſequuntur, Pſeudopropheta locò habendus eſt; alias etiam Jonas foret Pſeudopropheta, qui Ninivitis excidium DEI juſſu prædixit: Confer Jer. 18, 7. Luc. 13, 3. ſed is demum Pſeudopropheta cenſendus, qui ad confirmationem novi cujusdam dogmatis, extra & præter verbum excogitati, vaticinium profert, cui eventus non reſpondet, quod à Luthero factum eſſe nunquam demonſtrabunt Pontificii. Hæc ille; & hæc nos ad diluendam hanc de B. Luthero calumniam.

Pſeudopropheta quis.

PARS II.

Secunda enarrationis inſtitutæ pars continet colloquium Judicis CHRISTI, cum judicandis, ad tribunal coactis, tàm bonis, quàm malis, inſtituendum; & abſolvitur tribus potisſimùm membris.

I. Primum agit *de piorum ſeu electorum felicitate.* Conſtat hoc membrum

1. *humaniſſimâ electorum invitatione*; in qua obſerva probè

Filius hominis Rex

1. *A quo* invitentur; nimirùm à Rege. Qui enim ſuperiùs Filius hominis dicebatur; jam Rex audit; quia humilitas ejus jam majeſtate commutanda eſt.

2. *Quomodo* invitentur; per expreſſum Judicis verbum: dicet enim eis Rex; venite: non quòd præcisè verba, quæ hîc ponuntur, ad literam ultrò citroq; à Judice & judicandis ſint proferenda: ſed accommodat Dominus ſermonem ſuum noſtro captui. Et ſanè, uti viſibiliter adparebit: ita quoq; veriſimile eſt, illum ſenſibiliter aliqua prolaturum verba, quibus fideles ſuos ad beatitudinem vocet, & impios condemnet, adeoq; cum ſingulorum hominum fidem & infidelitatem illis ipſis, & omnibus ob oculos ponet, ſi non totidem vocibus, re tamen ipsâ & effectu dicet, venite. Vide D. Calixt. pag. 401. in Concord. Evang.

3. *Qui*

Digitized by Google

3. *Qui* vocentur; benedicti Patris cœleſtis; ab ipſo enim ſunt benedicti & ditati in omni ſpirituali benedictione in cœleſtibus.

4. *Ad quod* vocentur; nimirùm ad communionem paratæ in cœlis æternæ beatitudinis; ſive ut emphaticè verba Judicis ſonant; ad *κλη-* κληρονομία
ρονομίαν regni cœleſtis, quod ipſis decretum, jam verò poſſidendum regni.
traditur jure filiationis & hereditatis. Jam ſi hereditatis jure accipiunt, ideò accipiunt, quia filii ſunt, non quòd promeriti ſint. Per quod enim filii DEI conſtituimur, per idem etiam adipiſcimur jus hereditatis & adeundi regnum cœlorum. Illud verò fit per fidem: Joh. 1, 12. Gal. 3, 26. Ergò per fidem adipiſcimur etiam jus hereditatis adeundæ. Regnum autem dicitur paratum à conſtitutione mundi, h. e. ante jacta mundi fundamenta, ſive ab æterno.

5. *Cur* vocentur & invitentur ad regni cœleſtis hereditatem vel poſſeſſionem plenariam: Eſurivi enim, & dediſtis mihi edere &c. Habes *αἰτιολογίαν* ſententiæ decretoriæ, catologum nimirùm beneficiorum, à beatis in fratres CHRISTI collatorum. Recenſet autem minima caritatis opera & vulgata, ut conſtaret, in minimis etiam poſſe quosvis CHRISTO inſervire. Referuntur autem illa, non ut *ποιητικὰ* h.e. ut ſint cauſæ efficientes vitæ æternæ, ſed ut teſtes & fructûs, quibus ſuam declarârunt fidem. Nam vocula enim non cauſam procreantem & meritoriam notat, ob quam læta ſalutis ſententia juſtos ſit exceptura; ſed rationem & argumentum ab effectu. Luc. 7, 47.
Nam ſi bona opera (inquit D. Hunnius comm. in Matth. pag. m. 810.) Bona ope-
cauſæ rationem haberent in judicio, verba immediatè præcedentia ſtare nullô ra nō cau-
modô poſſent, quibus jam iſta manifeſtè derogatur omni humano operi, & in ſa vitæ æt.
ſolidum transſcribitur gratuito favori Patris, meritoq; CHRISTI Filii. Si enim ſunt benedicti Patris, utiq; jam non ex ſe ſuisvé operibus, ſed per ſemen illud benedictum, CHRISTUM videlicet æterna eis benedictio hæc obtingit. Si hereditatis jure conſequuntur regnum cælorum, certè non ſtipendium ſervorum, quod operibus debetur; ſed gratuita hereditas liberorum vita æterna ſit neceſſum eſt. Si paratum regnum eſt ab exordio mundi, quis non intelligat, propter opera multò poſt ſecutura non conferri. Eph. 1, 4. Rom. 9, 11. 2. Timoth. 1, 9. Opera autem commemorando fidem indicat, & tales eos
eſſe probat, quales jam pronunciârat. Cur autem non ipſam fidem Opera non
nominat, ſed caritatem vel bona opera? Reſpondetur, quia (1) ſoli fidem cur
DEO illa poteſt eſſe cognita, non hominibus; opera ergò producit in Judex
publicum, quòd in plurium notitiam ea venerint, adeoq; nec eos, qui Chriſtus
præſentes ſunt, lateant. (2) Quia fide tandem ceſſante, nunquam ceſ- producat,

Digitized by Google

ſabit caritas. 1.Cor.13,8. (3) Quia illis confirmanda fuit fides & doctrina. Synecdoche eſt ſpeciei pro genere: certæ enim ſpecies operum bonorum recenſentur, quæ uſitatô verſiculô comprehenduntur:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

2. *Humilimâ juſtorum extenuatione*, quâ confitentur, quid de operibus ſuis ſentiant; nimirùm habere ea ſeſe ad vitam æternam, non ut cauſæ veræ ad proprios effectûs.

3. *Sententiæ latæ declaratione*, quomodo intellectam velit ſententiam abſolutoriam; ita nimirùm; quicquid membris meis (fratres ſuos vocat, quibus præſtari vult corporalia beneficia) eſt exhibitum, hoc mihi præſtitum & interpretabor & remunerabor. Addit minimis, ut nulla ſit benefaciendi excuſatio.

Fratres Chriſti.

II. Secundum membrum agit *de impiorum infelicitate*; nam & illi ſuas & quidem meritas accipient pœnas. Notetur

1. *ignis infernalis adjudicatio*, quæ conſtat

1. *rejectione durìſſimâ*: ite, apagete vos hinc à me, procùl ô procul eſte profani.

2. *Adpellatione turpìſſimâ*, fœdiſſimâ: Maledicti. Pios dixerat benedictos Patris ſui; damnatos non dicit maledictos Patris ſui, & ratio eſt, quia benedictionis auctor & cauſa eſt DEUS Pater, maledictionis verò minimè, quam in mundum diabolus & protoplaſtorũ peccatũ invexit, & ſibimetipſis adſciſcunt, quicunq; in Filium nõ credũt.

3. *Supplicii denunciatione triſtìſſima*: ſupplicium illud vocatur ignis æternus, h. e. pœna nunquam finienda, quæ igni confertur, ſicut & vermi, verbis ex hoc ſeculo mutuatis. *Quicquid verò illud futurum eſt*, (verba ſunt D.Hunnii p.11.) *quod in ſpecie ignorare præſtat, quàm experiri, certè erit tantum tamq; horribile tormentum & cruciatus, ut nullius elementaris ignis, quantumvis denſiſſimi, vehementìſſimiq; vehementia ullô pactô ullavè ex parte cum eo comparari queat. Et dum æternum ignem adpellat, oſtendit nullam inde patere liberationem, in infinitam uſq; ſempiternitatem. Hunc paratum ait diabolo & angelis ejus, unde liquet, non eſſe elementarem quempiam ignem: tali enim igni angeli mali, cùm ſint immateriati ſpiritûs, torqueri nequeunt: ſed intelligi potìſſimùm indignationem infinitam & æternam juſtìſſimi DEI, quæ impiis futura eſt ignis conſumens.*

Ignis vel gehenna quid.

2. *Judicii vel adjudicationis ratio*, quâ exprobrat ipſis neglectum caritatis & bonorum operum. Mala autem iſta reproborum opera nõ tantùm ſunt ſigna τῆς ἀπιςίας, ſed ſimul etiam *αἰτιτικὰ*, cauſæ damnationis. Joh.3,16. Non igitur eſt par ratio inter benedictorum opera bona, & maledictorum opera mala: illa ſunt imperfectè bona; hæc perfe-

Digitized by Google

perfectè mala: illa placent, propter perſonam placentem; hæc & per ſe DEO ſunt abominabilia.

3. *Damnatorum exceptio*, quâ conabuntur illi ſeſe tueri contra rationes adlatas, q. CHRISTUS Judex immeritò & indebitè eos damnet. Ratio defenſionis φαινομένης eſt, quia CHRISTUM non viderint unquam, ſuâ operâ vel auxiliò indigentem.

4. *Judicii refutatio*, quâ ſignificat, ſe in membris ſuis omnia illa eſſe paſſum: & quicquid iſtis denegatum, vel non præſtitum, hoc CHRISTO eſſe denegatum, non præſtitum.

III. Tertium & ultimum membrum agit *de exſecutionis, quoad utramq; judicandorum partem, celeritate*. Neq; enim amica illa piorum ad regni cœleſtis hereditatem invitatio erit vanum promiſſum, neq; horribilis illa impiorum ad ignem infernalem damnatio, erit fulgur ex pelvi & inane terriculamentum, ſed ſententia, utriq; parti lata, ſine ulla mora, exceptione, dilatione, adpellatione, replicatione, iteratione &c. è veſtigio exſecutioni dabitur; Impii enim â facie DEI expulſi ibunt in ſupplicium æternum; juſti autem ab Angelis deducti ibunt in vitam æternam.

Mortis vel vitæ breve verbum eſt: Ite! venite!
Dicetur reprobis ite, venite piis vel bonis.

Uſus I. Informatorius.

De vitæ æternæ veritate ac certitudine. Eſſe enim vitam æternam probatur *Vitæ æt. certitudo.*

1. *ex manifeſtis Scripturæ ſacræ dictis*, ex V. & N. T. depromtis, quæ vide Tom. 9. L. C. pag. 730. & ſeqq.

2. *Ab exemplis*, (1) primorum parentum ante lapſum: Gen. 1, 29. Eph. 4, 24. (2) animarum piarum, quæ corporibus egreſſæ dicuntur vivere. Gen. 4, 10. Heb. 11, 4. Exod. 3, 6. Luc. 20, 38. (3) Ex vita hac mortali in cœlum translatorum. Gen. 5, 24. Sir. 44, 15 49, 16. Hebr. 11, 5. 2. Reg. 2, 11. Sir. 48, 9. Marc. 16, 19. Luc. 24, 51. Act. 1. v. 9. Matth. 27, 52. (4) Pauli: 2. Cor. 12, 4. Rom. 8, 18. (5) Johannis: Apo. 21, 22. (6) omnium piorum, qui προγευστικὸν ſentiunt in hac vita. Pſal. 34, 9. Hebr. 6, 5.

3. *Ex rationum momentis*, deſumtis videlicet

1. *à DEI miſericordia & bonitate*;
2. *à DEI æternitate*; Dan. 4, 31 & 12, 7.
3. *à divinæ juſtitiæ æquitate*; 2. Theſſ. 1, 7. 2. Tim. 4, 8. Heb. 6, 10.

Digitized by Google

4. *à divinarum promiſſionum veritate*; Tit.1,2. 1.Joh.2,25.
5. *à DEI poteſtate*; Joh.10,28.29. 2.Tim.1,12.
6. *à meriti CHRISTI dignitate ac pretioſitate*;
7. *ab officii CHRISTI efficacitate.* Rom.8.34. Joh.12,26 & 17,24.

Quibus accedunt argumenta alia, ab hominis petita conditione, & quidem
1. *ab ejuſdem creatione*. Sap.2,24.
2. *ab animæ natura ac conditione*;
3. *à piorum cruce & tribulatione*; 1.Cor.15,19. Heb.11,9.10.
4. *ab interna conſcientiæ teſtificatione*;
5. *ex noſtra regeneratione*, ſanctificatione, peccatorum condonatione, Spiritûs ſancti inhabitatione &c.
6. *à piorum reſurrectione*;
7. *ab extremi judicii adminiſtratione*;
8. *ex abſurdorum conſecutione.* Vide Tom.9. L.C. pag.748. ſeqq. D.Gerh.

4. *Ex typis & parabolis*; nimirùm
1. *CHRISTI transfiguratione*; Matth. 17,1. & ſeqq.
2. *cœleſtis Hieroſolymæ præfiguratione*, Apoc.21. & 22. propoſita:
3. *cœli & terræ creatione*;
4. *ſeptenarii numeri perfectione*;
5. *Sabbathi inſtitutione* &c. vide ibid.p.748& ſeqq.plura.

5. *Ex Eccleſiarum noſtrarum ſymbolis*.ib.p.774. ubi reliqua ad utrumq; articulum ſpectantia ſufficienter& eruditè ſunt propoſita & diſcuſſa, eò Lectorem, vitæ æternæ una mecum cupidum, remitto.

II. Conſolatorius.

1. Quòd omnes mundi hujus paſſiones,perſecutiones atq; adverſitates non ſint condignæ ad futuram gloriam. Rom.8,18. 2.Cor. 4,17. 2.Tim.2,11.12. Apoc.1,9.

2. Quòd in die illa adparebit diſcrimen inter juſtum & injuſtum, pium & impium. Mal.3,18. Sap.5,1.& ſeqq.

3. Quòd propter opera miſericordiæ membris Eccleſiæ præſtita, tanquam ipſi CHRISTO exhibita, à Judice prædicabimur coram omnibus Angelis & electis. Sir.29,16.17.

4. Quòd depulsô Satanâ & Angelis ejus ad infernum, juſti ibunt in vitam æternam.

III. Monitorius.

Deſiderium vitæ æternæ.

1. Ut perpetuò memores tùm ignis infernalis, omnibus impiis & incre-

Incredulis metuendi; tùm vitæ æternæ, omnibus verè-piis & perſeveranter in CHRISTUM credituris promiſſæ, à viſibilibus ad inviſibilia, à præſentibus ad futura, à momtaneis ad æterna, à terrenis ad cœleſtia, à corporalibus ad ſpiritualia, ab humanis ad divina oculos & animos noſtros convertamus. 2. Cor. 4, 18. Matth. 6, 34. Col. 4, 2. Excitabit enim in nobis (1) bonorum & gaudiorum æternorum meditatio. *Uſs meditationis vitæ æt.*

1. ***mundi rerumq́ terrenarum faſtidium***: Phil. 3, 14. 19. (6, 21.
2. ***rerum cæleſtium deſiderium***: Eph. 1, 18. Phil. 3, 20. Col. 3, 2. Matt.
3. ***bonorum operum ſtudium.*** 1. Cor. 9, 24. 2. Cor. 7, 1. 2. Pet. 1, 10. & 3, 13. 14. 1. Joh. 3, 2. 3. Apoc. 22, 13.

(2) Infernalium verò tormentorum ac cruciatuum æternorum recordatio revocabit nos *Memoria gehennæ quid proſit.*

1. ***ab omni ſecuritate***, impietate & peccandi proclivitate;
2. ***à libidinum ac voluptatum carnalium pravitate***; Luc. 16, 19. 24. Eſa. 5, 11. 14. (5, 1. 3.
3. ***ab avaritiæ & pecuniarum inſatiabilitate***; Matth. 16, 26. Jac.
4. ***à nimia timiditate.*** Matth. 10, 28.

2. Ut memores judicii extremi inſtigemur *Recordatio judicii extremi quid proſit.*

1. ***ad beneficentiam***, quæ largiſſimam habebit in die retributionis compenſationem: 1. Reg. 17, 9. Job. 31, 19.
2. ***ad debitam in laboribus vocationis diligentiam***; Matth. 25, 21, 23. Luc. 19, 17. 1. Cor. 3, 8. 2. Cor. 5, 10.
3. ***ad fraternam concordiam***; oves enim pacificæ ad dextram; hœdi pugnaces & petaces ad ſiniſtram ſtatuentur:
4. ***ad deprimendam omnem in propria merita fiduciam***: Pſ. 143, 2.

3. Ut opera caritatis & miſericordiæ diligenter ac fideliter exerceamus; quia *Opera caritatis cur facienda.*

1. ſecundum opera fiet judicium;
2. ipſi CHRISTO exhibita reputantur; Eſa. 37, 23. Jer. 1, 19. Zach. 2, 8. Act. 9, 5. 1. Cor. 8, 12.
3. inſignes habent promiſſiones; Pſal. 41, 1. & ſeqq. Eſa. 58, 6. Tob. 4, 7. Matth. 10, 42. & 26, 13. Luc. 14, 13.
4. vitia contraria æternas pœnas merentur; Gal. 5, 19. Jac. 3, 14.
5. ſunt veræ fidei teſtimonia. 1. Tim. 5, 8. 1. Joh. 2, 4. & 3, 6. Jac. 2, 17. Gal. 6, 7.

Quod ſibi quisq́ ſerit præſentis tempore vitæ,
Hoc ſibi meſſis erit, cùm dicitur ite, venite.

4. Ut

4. Ut noviſſimorum recordatione verum DEI timorem cordibus noſtris concipiamus, & ad pœnitentiam maturè agendam adduci nos patiamur. Matth.3,7.8.10.

IV. Refutatorius.

Papiſmus de meritis bonorũ operum. Pontificiorum, qui meritis bonorum operum patrocinium ex hoc Evangelio quærunt; ſed fruſtra: CHRISTUS enim tantùm fidem veram à fictitia dijudicandam docet. Sententia enim non aliter publicatur, quam anteà in verbo concepta fuit. Joh.3,18. Confer ea, quæ in præcedentibus producta a nobis fuerunt.

DISPOSITIO TERTIA.

PROPOSITIO μονομερής.

Circa finem anni agit Eccleſia de noviſſimis mundi, ſeculi cumprimis hujus conſummatione, quæ in die continget extremo, judicium faciente Dominô in æquitate, ut reportet unusquisq; ea, quæ facta fuerunt per corpus, juxta id quod fecit, ſive bonum ſive malum. 2.Cor.5,10. Nos itaq;, ne judicium condemnationis incurramus; maturè diſcamus, quæ ad pacem & ſalutẽ noſtram faciunt, percepturi ex prælecto Evangelio τὰ προπαρασκευαστικὰ, vel *modum præparationis, quâ nimirùm ratione nos ad noviſſimum diem præparare debeamus, ut adveniente CHRISTO Judice mundi univerſali, in conſpectu ipſius ſtare queamus, & ſententiam vitæ, non mortis, audiamus.*

Diei nõviſſimi præparatoria;

Ἐξήγησις.

Res agitur non ludicra, ſed ſeria, æternam hominum vel ſalutem, vel damnationem concernens: Danda eſt igitur nobis omnibus opera, ut in die illo pancritico digni inveniamur ingredi in requiem æternam. Veniet autem ad judicium Judex à DEO conſtitutus ἀπροσδοκήτως, quotidiè itaq; lumbos cincti, h.e. εὖ παρεσκευασμένοι, benè præparati ſtemus, exſpectantes beatam illam ſpem & ἐπιφάνειαν, adventum ſive adparitionem gloriæ magni DEI ac Servatoris noſtri JESU CHRISTI. Tit.2,13. Scopum iſtum attingemus,

Judicii extremi actus & proceſſus. *I. Judicium extremum ob oculos ſubinde conſtituendo.* Actum ac proceſſum illius ipſe Salvator nobis h. l. depictum ante oculos ſtatuit, oſtendens.

1. Quis ſit futurus judicii iſtius Præſes, Filius nempè hominis
2. Quis comitatus ejus: omnes ſancti Angeli:
3. Quæ adparentis & advenientis Judicis majeſtas: veniet in gloria

ſua. Theophyl. *Primus adventus Domini in ignominia fuit & opprobriis: in ſecundo autem cum gloria aderit Angelorum ſe ſtipantium.*

4. Qui judicandi; omnes gentes, i.e. omnes omninò homines, tùm mortui, tùm vivi adhuc deprehenſi.

5. Quæ ſeparatio futura, inter credentes & incredulos pura: ſeparabit enim Judex alteros ab alteris; ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis. Theophyl. *Primùm ſeparat ſanctos à peccatoribus, liberans eos à labore, & ſtatuit, & tunc loquitur eis. Itaq; vocat oves ſanctos; quia manſueti ſunt, & fructum nobis ac utilitatem dant: ut oves, lanam videlicet ſuppeditantes, ad divinum & ſpiritualem amictum: & lac, h. e. cibum congruum: hædos autem peccatores, in præceps enim vadunt, incompoſiti ac ſteriles, ut hædi.*

6. Quæ ſententia de utriſq; ferenda. Patet ex dictis, certò aliquando venturum diem, judicio omnium hominũ univerſali præfinitum. Huic articulo noſtro fidem faciunt ea Scripturarũ teſtimonia, quæ ſupra magno numero produximus. *Gebennæ meminiſſe, non ſinit in gehennam incidere*: ita judicii noviſſimi quotidie recordari, non ſinit in judicium venire condemnatorium.

II. *Veram juſtitiam ſectando.* Electi enim dicuntur juſti: juſtitia autem quærenda non in nobis, ſed in CHRISTO, qui factus eſt nobis à DEO juſtitia. 1. Cor. 1, 30. induiturq; à nobis per fidem. Rom. 13, 14. Gal. 3, 17. Eph. 3, 17. Ita in benedicto Abrahæ ſemine pronunciabimur & nos benedicti. Gal. 3, 13. Rom. 3, 20. & ſeqq. Ipſe eſt τέλ@ νόμου, ad juſtificationem omni credenti. Rom. 10, 4. Vita autem æterna eſt donum DEI gratuitum. Rom. 6, 23. Juſtitia iſta eſt in remiſſione peccatorum poſita. Luc. 1, 77. Pſ. 32, 2. Theophyl. *Porrò ſanctos vocat benedictos, ut à Patre ſuſceptos. Heredes autem ipſos facit regni: Oſtendens, quòd DEUS nos participes faciat regni ſui, ut filios ſuos. Non enim dixit, accipite, ſed poſſidete regnum in hereditatem, ut paternam ſubſtantiam.* Matth. 25, 34. Juſtitia noſtra.

III. *Benè ex fide operando.* Ne quis enim ſemetipſum decipiat producit CHRISTUS opera fidelium, quippe teſtes fidei illorum indubitatos. Vera enim fides per caritatem eſt ἐνεργουμένη. Gal. 5. v. 6. Jac. 2. v. 18. Matth. 25, 35. 36.

IV. *Humilitati ſtudendo.* Matth. 25, 37. 38. 39. Electi extenuant, quæ CHRISTUS prædicat & magni æſtimat. Theophyl. *Vide autem DEI juſtitiam, quomodo laudet ac prædicet ſanctos: vide item & illorum æquitatem quomodo negent ſe illum paviſſe: ſed Dominus ea, quæ pauperibus facta ſunt, in ſemetipſum ſuſcipit.* Omnis enim qui ſe humiliat, extollecur. Luc. 14. v. 11. & 18, 14.

V. Pœnas damnatorum cogitando, quas unô ignis nomine Salvator comprehendit. Matth. 25,41. Ignis autem ille erit æternus & ἄσβεστος. Vide præced. diſpoſ. Theoph. *Diaboli & hoſtiliter & inimicè erga nos adfecti ſunt: meritò* (igitur) *idem ſupplicium habent, qui ejuſdem voluntatis ſunt, qui & propriis operibus maledicti facti ſunt. Vide autem, quòd DEUS ignem non præparavit hominibus: ſupplicium enim non fecis propter nos, ſed propter diabolum; ego autem memetipſum ſupplicio facio obnoxium. Horreſce igitur homo, cùm cogitaveris hoc, quòd illi neq; ut ſcorta, neq; ut latrones, neq; ut qui grave aliud flagitium perpetrarunt, puniuntur, ſed ut hi, qui bonum non fecerunt.*

VI. Hypocriſin vitando, quam produnt damnati in eo, quòd excuſare & extenuare peccata ſua, atq; adeò palpum, quod dicitur, obtrudere Judici καρδιογνώστῃ ſe poſſe præſumunt. Matth. 25, 44. Hypocriſin omnem extremè deteſtatur Dominus, Job. 13, 17.

VII. Pœnitentiã quotidie agendo; quia enim in multis labimur omnes; Jac. 3, 2. *aut ergò pœnitendum, aut ardendum.* Luc. 21, 34. 35. 36. 2. Pet. 3, 11. 12. 14. *Peccata quotidie dimittuntur, ſi quotidiè deplorantur.* Aug.

IIX. Supplicium æternum & vitam æternam cogitando, unumq; alteri opponendo. Matth. 25,46. Sicut enim ſancti inceſſabile habent gaudium: ita injuſti indefinentem pœnam, Nos receptui jam canimus, & ſecundam quoq; partem meditationum ac diſpoſitionum Evangelicarum concludimus D. Gerhardi part. 2. harm. pag. 1048. *Noſtrum eſt, tùm univerſos CHRISTI ſermones, tùm verò cumprimis eum, quem de noviſſimo ſuo adventu & extremo judicio ad diſcipulos habuit, memori mente perpetuò retinere, & quotidiè ad ipſum ingemiſcere;*

Cùm tuba magna ſonum dederit, cùm venerit hora
Judicii inter oves da mihi, CHRISTE, locum.
Sis mihi, ſis JESUS, ne me maledictio tangat;
Dulcis in aure ſonet vox, benedicte veni!

AMEN, AMEN. AMEN!

Δόξα Θεῷ γενετῆρι, Θεῷ υἱῷ, καὶ ἄληκτος
δόξα Θεῷ ἱερῷ Πνεύματι αἰὲν ἔῃ!

IN.

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM ALPHABETICUS.

A.

Abitûs CHRISTI fructus 17. 23
Abitus CHRISTI qualis 31
Abominatio deſolationis quid 626
Abrahæ ſinum poſt CHRISTUM ceſſáſſe 90
Abrahami filii duplices 77.
  filius 78
Abſolutionis privatæ utilitas 497
Abſolutio privata cur retineatur 506
  non tollitur 497
Abſolutio quid 504
  quotuplex 505
  ſæpiùs uſurpanda 505
  ubi inveniatur 505
Abusûs tollendi 300
Accuſatores hominum 268
Adonai 475
Adoptio 614
  ſolatiô plena 151
Adoptionis noſtræ ratio 66. 67
Adorationis Calviniſtica gloſſa 615
Adoratores veri qui & quæ requiſita 335.336
Adpropinquandum Chriſto 122. 123
Adſcenſio Chriſti ad cœlos 51. 59
Adventus Chriſti myſticus 5. 10
  ultimus qualis 638. 654
Adventûs ultimi conditio 637
Adverbia loci de DEO 58
Adverſarium fuge 208
Ægris poſt ſanationem quid faciendum 502
  quid cogitandum 351
  quid faciendum 388. 397
Ægrotantium inſtructio & virtutes 621
Afflictis & pauperibus benefaciendum 462
Agnitionis DEI requiſita 62
Agricultura 105
Ambitio fugienda 346. 455
Amen 40
Amici ex opibus fiant 283
  in cœlo comparandi 277
  noſtri qui 275
  quomodo fiant 275
Amicitia colenda 283
Amicus dictus veſte nuptiali carens 524
Amoris CHRISTI teſtimonium 24
Anabaptiſmus de bello 200
  de Eccleſia ſancta 247.523
  de facultatum communitate 171
  de ἰσοτιμίᾳ 455
  de rerum proprietate 106
  de vita auditorum ad Eccleſiam 249
  de vocatione 247
  judicia tollens 566
ἀνάγειν 172
Angeli CHRISTI 652
  comites Judicii CHRISTI 652
  exhilarandi, non adorandi 131
  quid agent in die judicii 652.675
Angelorum lætitia 126. 138
  natura 139
  officium, deportare animas 75
Anima immortalis 611
  pro adpetitu 468
  pro vita 408. 468
Animæ curandæ ratio 511
Animæ humanæ propagatio 45

immortalitas 76
Animarum impiarum ſtatus 87
loca 76. 80
ſtatus poſt mortem 76. 80
ἀντέχεσθαι 406
Antichriſti tempora 634
revelatio ſignum diei noviſſimi 647
Antichriſtus non ſingularis perſona 644
ἀντίδικος 207
Antinomi 204 561
Antiqui 210
Antiquiſſimum veriſſimum 202
Antiquitas 202
non eſt nota Eccleſiæ 202
Antitheſis in Eccleſia etiam docenda 204. 243
ἀπελθεῖν 671
ἀποδοῦναι 587
ἀπὸ καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου 661
ἀποκαραδοκία 459
Apoplexia 491
Apoſtolorum Chriſti diſcrepantes animorum motus 278
Apoſtolorum de regno CHRISTI *imaginatio falſa* 3
Apoſtolorum doctrina perfecta 17
Aqua inſtrumentum iræ DEI 527
pro Baptiſmo 43
pro miniſterio 43
Aquilæ fideles ad Chriſt. 639
ἀρχαῖοι 199
ἄρχεσθαι 298
ἄρχοντες 600
Ariani divinitatem Chriſti impugnantes. 11
Arianiſmus de CHRISTI *divinitate* 24
Attactus CHRISTI 622
Avaritia 418
cauſa damnationis 96
cur fugienda 418
vitium peſſimum 406
Avaritiæ pediſequæ 418
Avari idololatræ 406
peccant contra omnia Decalogi præcepta 407
Audiendus eſt Chriſtus 122
Auditio CHRISTI 361
Auditorum officium 594
peccata non probant doctrinam falſam 260
verbi requiſita 190
Auditus verbi nudus nō ſufficit ad ſalutem 7
אָוֶן 251
Aulici quidam CHRISTO *addicti* 543
αὐτάρκεια 228. 412
Auxilii dilatio 602. 605
Auxilium divinum 606
in Chriſto quærendum 440

B.

B*Aptiſmi neceſſitas* 42. 46
operatio 62
reiteratio 46
utilitas 46
Baptiſmō tollitur formale peccati 46
Baptiſmum ab hæreticis petere an liceat 244
miniſtri etiam mali diſpenſant 249
Baptiſmus quid 61
βάσανοι 77. 84
βασανισταὶ 564
Batus 271
βδέλυγμα 626
Beatitudo cœleſtis cur dicatur ſinus Abrahæ 74
Bella DEI *ſcopa* 296

Bellorum cauſa 296. 535
Bellum DEI flagellum 535
Benedicti electi, & cur 659
Patris 660. 666
Benedictio à DEO 176
CHRISTI *ſatiat* 229
DEI non eſt apud omnes æqualis 229
DEI ut impetranda & retinenda 235. 415
Benedictiones Magicæ 344
Benedictionis divinæ media 190
Benedictus Domini 659
Benefacere omnibus impoſſibile 668
Beneficentia 276
Beneficentiæ retributio 249
Beneficia DEI prædicanda 346. 436
quibus DEUS *omnia benè fecit* 354
Beza blaſphemus in miſericordiam DEI 225
Beza vox horrenda de DEI voluntate 103. 225
Bilingues exoſi 416
βίος 135
Blaſphemia quid 498
Bona corporalia petenda à DEO 341. 388
DEI triplicia 267
Eccleſiaſtica 590
Bona opera ad ſalutem an neceſſaria 253
neceſſaria, ſed non meritoria 566
Boni & mali in Eccleſia 520
qui 516
Bonis operibus non ſuperbiendum 668
Bonis rectè utendum 267
Bonorum jactura 634
Bonum ſummum Chriſtianorum 373. 380. 381
Brutorum informatio 412
Byſſus 70

C.

Cæſar quis 587
Cœcitatis ſpeculum 295
Calamitates ut avertendæ 639
Calamitatibus publicis DEUS refugium 310
Calviniani anathema 192
Calviniſmus
de abſolutione privata 506
de amiſſione gratiæ 10. 565
de amiſſione Spiritûs ſancti 34
de carne CHRISTI *in miraculis* 434
de cauſa damnationis 116
de Chriſti abſentia 636
de CHRISTI *præſentia in Cœna* 547
de CHRISTO *Salvatore electorum & de abſoluto decreto* 123
de confeſſione 208
de Cœna in ædibus privatis 172
de exaltatione CHRISTI 62
de gentilium ſalute 47
de imaginibus 586
de lacrymis CHRISTI 310
de particula omnis 528
de particularitate 528
de renatis, an poſſint gratiâ DEI excidere 128
de ſalute hominum 103
de ſanctitate liberorum 47
Calvinus hoſtis crucis CHRISTI 62
Calumnia 500
patientiam requirit 126
Calumniæ pediſequæ 162
Calumniis obviandum 124
petiti quid faciant 123
Capernaum CHRISTI *civitas* 491. 503
urbium evertendarum exemplum 493

Digitized by Google

Caritas Chriſtiana 493
Caritatis proprium 668
Caro CHRISTI vivifica 606
Caro cum cupiditatibus ſubigenda 214
in ſacris quid 44.57
Cauſâ indictâ nemo damnandus 273
Cauſa malorum 695
Cauſa ſalvationis & damnationis non in abſoluto decreto 8
Ceremonia CHRISTI 344
Chaſma 79
Chiliaſtæ 672
Χειμὼν 631
Χειροθεσία 615
Χόρτος 409
Χρήματα 84
Chriſtiani filii lucis 274
vita in mundo duplex 449
Chriſtianiſmi exercitia 355
ſumma 371
Chriſtianiſmus non in verbis, ſed in re conſiſtit 252
Chriſtianorum juſtitia operum inchoata melior Papiſticâ 213
CHRISTI adfectus erga Judæos benignus 290
adfectus erga peccatores 134
ad nos converſio beneficium ingens 359
agnitio eſt vita æterna 489
caro vivifica 343.433
cibatio 236
civitates 493
convivæ 236
convivium nuptiale 515
cum cadavere comparatio 539
cura 252
erga nos adfectio 397
fletus 290
hoſpites 516
Majeſtas 176.229.390
manſuetudo & humilitas declarata 461.462
manus ſanat 341
miracula ſalutaria 344
modeſtia 346
officium 127.343
officium propheticum 436
omnipotentia 666
Paſtoris fidelitas 143
præſentia 654
proxeneta vel miniſtri 515
ſanantis ceremonia 342.344
ſermo quomodo Patris 6
ſponſi beneficia 533
συμπάθεια 225

CHRISTUS.

adjutor in opportunitate 433.438
adorandus καὶ ἀμφότερον 544
611
Davidis Dominus 475.486
de victu ſuis proſpicit 225
DEUM ſe probat tripliciter 499
501.508
Doctor 53
Dominus noſter 478
ejicitur & quomodo 589
flevit verè 304
gentium etiam Salvator 224.386
homo verus 225
juſtitia noſtra & quomodo 215
juvandus 172
καρδιογνώστης 497
legem non perfecit conſilia tradendo 210
legiſlator non eſt 202.470
loquitur πράγματα 390

Medi-

Medicus 142. 442. 605
Medicus verus accedendus 605
ut inveniatur 443
miniſterii author 178
mortuus liberè 33
omnia benè fecit, & quomodo 347. 353. 354
Pater 496
Paſtor 128. 666
plorat hodieq; 313
Præceptor noſter 362
regnare non deſinit 666
retinetur & quomodo 509
Rex 515
Salvator qualis 452
ſalutem noſtram ut operetur 127
Samaritanus 371. 377. 382
ſanat corpus & animam 354. 355
ſcopus Scripturæ 474. 477
ſequendus 190. 194
ſolus audiendus 55
Sponſus 515
θεάνθρωπος 343. 606
veniet in humana natura 675
Cibatio CHRISTI 236
Cibi ſumendi ratio 230
Ciborum delectus 228
Cibus cum gratiarum actione & precibus ſumendus 228
Citatio hominis debitorū 560. 570
hominum triplex 286
judicandorum 676
Civilitas morum 461
Civitates CHRISTI 493
majores 292
Civitatum ornatus optimus 492
Coactionis modus 110
Cœlum pro DEO 136
Cœmiteria 429
Cœna Evangelica 99
magna 100
magna adeunda & cur 103
ſpiritualis 102
Cœnæ ſacræ conſideratio in cœna magna 114
Cœnam non guſtare 108
Cogitationes malæ reprimendæ 511
ſunt peccata & concupiſcentia 500
Cognitio DEI *quid requirat* 66
Collegæ 176
Communicatio idiomatum 502. 542
Majeſtatis 610
Comminationes in Evangelio 203
Compulſio ad cœnam 107
Concilia poſſunt errare 582
Concionandum ad horam 175
Concionanti licet ſedere 171. 181
Concionator ſit methodicus & brevis 172
Concionatoris requiſita 180
Concionatorum eſt ἀναγκάζειν & quomodo 110
Concionatorum officium 300
requiſita 538. 592
Conciones audiendæ 170
Concupiſcentia eſt peccatum 205
Condemnare quid ſit 148
Condonatio duplex 574
offenſarum 152
Condonationis cauſæ impellentes 166
facilitas 163
Confeſſio auricularis Papiſtica 390
oralis non ſufficit 252
peccatorum Papiſtica 324
Congreſſus publici 320
Conjugatorum ſolatium 551
Conjugium 634
in vita æterna nullum 488
ſacerdotum 602

ſalu-

ſalutem non impedit 105
ſchola crucis 544. 554
Conſcientia mala 303
Conſervatio rerum 412
Conſilia Evangelica ignorat CHRISTUS 203. 210
Conſiliorum communicatio 226
Conſilium adverſus Dominum nullum 454
Conſilium malum 582
Conſolationes auditoribus ſubminiſtrandæ 226
Conſolatio piorum hiſce temporibus 373
in cruce 94
Conſpiratio hoſtium 583
Contemtus alterum 319
verbi nunquam inultus 618
Contritio 323
Controverſiæ in Eccleſia 470. 471
Converſatio cum malis 123. 127. 448
Converſi Angelis cari 655
Converſionis cauſæ moventes 144
impedimenta removenda 143
media 143
modus 142. 143
Convivæ vel commenſales CHRISTI 236
Convivales regulæ 460
Convivia licita 447
mala 448
Conviviorum finis 448
tempus 448
Convivium vitæ æternæ 99
Cor pro voluntate & adfectu 468
purgandum 303
tranquillum 23
Corporis CHRISTI *feſtum* 55
Corpus quomodo ſanetur 510
Correptionis fraternæ regula 156
Corvus 271
Coryçæi noſtri 285
Craſtinum pro futuro 408
Crucigerorum officium 551
Crucis effectus 387
tempore CHRISTUS *quomodo diſcedat* 23
tempore quales ſimus 555
uſus 110. 602
utilitas 544
Crux electionis nota 527
non ſeparat à dilectione DEI 75
pietatis comes 224
ubi, lux ibi 354
Cultûs divini conſervatio CHRISTO *curæ* 301
repurgatio 301
requiſita 332
Cupiditates peccata 151
Cura Chriſtianorum 414
diffidentiæ fugienda 411
duplex 411
hominis præcipua 40
quintuplex 415
religionis ad Magiſtratum 590
triplex 418. 423
victûs, non officii prohibita 411
ob quas cauſas vitanda 423
vitanda 418
Curæ DEO *committendæ* 421

D.

Damnatio æterna non pugnat cum DEI *juſtitia & miſericordia* 672
Damnatio quid 81
Damnationis cauſa non in DEO 106. 524
Damnationis cauſa in epulone 95
Damnatorum multitudo nihil dat ſolatii 81
pœna æterna 80
ſeparatio 526

Danæus de carne CHRISTI 434
Dandum proximo 149. 163
Debitores homines 561
Debitum DEUS *homini remittit* 560
hominis 561
Decalogi diviſio 363
Decapolis 339
Decimationes Judæorum 326
Decimæ CHRISTI 399
Decretum abſolutum 8. 295. 528
Decurtatio malorum 632
DEI *adfectus erga nos paternus probatur* 532
ad homines adventus & manſio 9
corycæi, obſervatores & delatores 279
erga peccatores adfectus 140
juſtitia 526
longanimitas 526
majeſtas 526
oſores & contemtores 407
Delatio honeſta 268
Denarius 572
DEO *qui placeant* 260
Deſcenſus Chriſti de cœlo 49. 51. 59
Deſiderium patrum V. T. 360
piorum videndi CHRISTUM 373
Deſperandum in peccatis non eſt 332
Deſperatio 179
abſit 133. 236
DEUM *eſſe* 66
DEUS *alit ſuos, etiam paucis* 228. 233
cauſa peccati non eſt 348
cauſa perditionis non eſt 636
diligēdus & proximus, & cur 366
Dominus dives 278
Dominus eſt 415
duriùs cur nobiſcum agat 546
eſt unus 54
homo dives 267
in ira ſua ſalvat pios 635
magnus Dominus 278
miſericors Pater 159
non vult hominum perditionem 256. 291.
opera bona novit 667
Pater homini adſimilatur 99
Pater noſter 150. 738
Pater Rex 530.
quid 59
quomodo diligendus 377
Rex homo 560
ſalutem vult omnium hominum 102. 518
ſeriò vocat 111
ſervos ſuos ulciſcitur 526
tolerat malos & cur 523
vocat omnes homines 514
vult ſalutem 124
Δεῦτε 516. 659
Dextera DEI 476. 477
non eſt locus 655
Διαβλέπειν 855
Diaboli angeli 664
candidati 274
potentia 348
Diabolus amiſit poteſtatem 24
Chriſti doctrinam & perſonam impugnat 470. 474
omnia male fecit 347
princeps mundi 21. 24. 32
quis 664
ſpiritus terrens 16
Διαγογγύζειν 121
Διαϛέλλεσθαι 345
Dicere pro præcipere 516
Die in noviſſimo quomodo ſtandum 284. 285

Tttt Diei

Diei noviſſimi beneficia 509
memoria perpetua 679
præludium 440
preparatoria 688
terrori opponenda conſolationes 646
Dies judicii certiſſimus 569
Dies noviſſimus incognitus 639
Dies pro εὐκαιρία 293
Diffamatio noſtra ut fiat 280
Diffidentia 226. 416
cur fugienda 418. 423
Digitus DEI 354
Dilectio DEI mandatum maximum & primum 480
qualis eſſe debeat 482
Dilectio fidem præſupponit 35
noſtra non eſt meritoria 36
noſtra non præcedit dilectionem DEI, nec illa hujus cauſa 9
officioſa 569
proximi 378. 471. *mandatum ſecundum* 481. *cur ſimile primo præcepto* 481. *qualis* 483
Dilectionem DEUS requirit 366
Dilectionem DEI quid ſuadeat 470
proximi quid ſuadeat 471
Dilectionis CHRISTI nota: præmium 26
commendatio 309
DEI fructus 5
eſt orare pro aliis 493
nomine fides comprehenditur 4
requiſita 165
Diligendi DEUM modus 363
proximum modus 564
Diligendus DEUS & proximus & cur 367. 376. 377
Diligendus DEUS ſuper omnia 483
Diligere DEUM 364
Δειλιᾶν 18
Δίψυχοι *& hypocritæ* 582
Diſciplina domeſtica 151
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſitas 115
Diſcipuli boni requiſita 41
virtutes 599
Diſcipulos in conſilium cur adhibuerit CHRISTUS 222
Diſpenſatores diſſipatores 268
Diſpenſator iniquus 267. 272
ſit fidelis 268
Diſpenſatoris boni requiſita 268
Diſpenſatorum vitia 373
Diteſcendi modus 176
Dives epulo cur damnatus 82
Divinitas CHRISTI probatur 23. 51. 347. 433. 586
Divitem quid damnârit 87
Divites in ſtatu periculoſo 71
Divites rarò pii & juſti 276
Divitiæ injuſtæ & cur 274
malis artibus non quærendæ 419
per ſe non damnantur 267
Divitiarum abuſus 71. 86
acquiſitio & uſus 256
Divitiis peccatur quadrupliciter 117
rectè utendum 275
Divitis epulonis deſcriptio 70 84
Divitum monitorium 276
Doctores falſi arguendi 256
Doctoris boni κριτήρια *& idea* 580. 583
Dominia rerum licita 171. 414
Dominica dies 454
Dominium CHRISTI in ſtatu exinanitionis 478
Dominorum officium 549

Domi-

Domitianus 456
Dona externa decipiunt 251
  non reddunt DEO gratum 252
Donec 209. 564
Drachmæ homo ſimilis 130
Dubitatio 179. 413
  Papiſtica 497
Duo non plura poſt mortem receptacula 672
Δυύαμις *pro virtute miraculorum* 250

E.

Ecleſia conſideratur dupliciter 538. 636
  eget 224
  errat 204. 635
  eſt paucorum 392
  hujus vita non pura 319
  loco non adligatur 109
  militans 110
  naviculæ inſtar 171
  poteſt errare 18
  premitur 582
  quid 8. 667
  ubi 242
Eccleſiæ admixti ſunt impii
  collectio 538. 602
  falſa nota 11. 303
  fortuna 302
  gloriatio vana 474
  gubernatio 538
  membra vera 7
  nota falſa multitudo 106. 392
  nota non eſt antiquitas 202
  non eſt lumen propheticum 251
  nutrimentum, veſtitus, examen, conſummatio 539
  preſſuræ habent terminum 638
  ſtatus 256
  veræ nota 8
  vilitas 122
Eccleſiam extra qui ſunt, miſerrimi omniũ 11
ἐχθροφιλία 462
εἰκῆ, *temerè* 200
ἐκβάλλειν 298
ἐκλύειν 223
Electi abſolutè & ex prædiſpoſitione 47
  non ſeducuntur finaliter 635
Electionis cauſa 528
Electorum notæ 536
  paucitas unde 534. 535. 536
Eleemoſyna DEO ut placeat 275
Eleemoſynæ non conſilium 670
Empactæ 680
ἐγκατάθετοι 591
ἔνοχος 201
Enthuſiaſmus 46
ἐπέχειν 454
Epicuræi 71
  verbi contemtores 520. 522
ἐπιχαιρεκακία 166
ἐπιείκεια 153
  Chriſtiana 566
  commendatur 162
ἐπίγεια 58
ἐπικεῖσθαι 169
ἐπιστάτης 173. 386
ἐπουράνια 58
ἐπιζητεῖν 410
ἐρήμωσις 626
Eruditio ad ſalutem nihil facit 365
Evangelii cum fulgure comparatio 637
  ſumma 489
Evangelium cœna magna 111
  in piis non agnoſcit peccata 669.
  in V. T. 360

vetus doctrina 373
ἐυφραίνεσθαι 70. 84
Exaltatio CHRISTI qualis 59
triplex 51
Examen Eccleſiæ 539
Excluſiva de fide 609
Excluſivæ in Eccleſia retinendæ 610
Excuſationes hominum 118
Exemplum Patris cur CHRISTUS proponat 159
Ex inferno nulla eſt redemtio 81
ἐξίστασθαι 500

F.

FAcere duplex 253
Facultates tenere licet 414
Fame DEUS pios confici non patitur 225
Fatum 201
Felicitas Apoſtolorum 372
hominis ſumma 359
noſtra 361. 373
Felicitatis humanæ inconſtantia 437
Fercula à CHRISTO adpoſita 519
Feſtuca quid 156
Fide CHRISTO adhærendum 511
ſolâ juſtificamur 609
Fidei incrementa & infirmitas 545
natura 387. 553 554
neceſſitas 51
oculi duo 493
proprietates 544. 565. 622
qualitas 511
virtus 606
Fidelitas in diſpenſatore requiritur 268
Fides aliena 341. 496. 504
deſcripta per dilectionem 4
electionis pars & effectus 528
eſt fiducia 497
gradus habet 24
infirma 547. 555
miraculoſa differt à ſalvifica 252
negotioſa 549
Nicodemi 41
non ſemper eſt eadem 42
operatur 341
ὄργανον δεκτικὸν 497
ὄργανον ſalutis & beneficiorum 614
poteſt amitti 393
quid 553
quintuplex 393
ſalvat 393. 399
ſalvat & ſanat 613
videtur 494
unde 554
ut conſervetur 554
Fiducia in propugnaculis 297
Fiducia fulcra 419
neceſſitas 632
Filii lucis 272. 286
ſeculi 272. 273 diaboli candidati 274
Filium hominis cur CHRISTUS ſe dicat, in actu extremi judicii 650
Filius hominis 650
judex futurus 675
Rex 682
Filius prodigus 134
Finem reſpice 81
Flacianiſmus 47
Fletus CHRISTI 290
& ſtridor dentium quid 525
Flores quid moneant 420
Fragilitas humana 179
Frater quis 201
Fratres CHRISTI 663. 667. 669 684
quadruplices 200
Fructus in Pſeudoprophetis quid 245. 255

Fruga-

Digitized by Google

Frugalitas 227
Fuga in calamitatibus publicis licita 633
Fuga moleſtiæ 634
  ſuaſio, & cur 630. 641
Fugientium miſera conditio 630
Fulguris cum judicio ultimo comparatio 637
Funebres conciones 438

G.

Γάμος 516
  pro loco convivii nuptialis 517
Gaudium Apoſtolorum unde 18
Gehenna 201. 212
  κόλασις 671
  quid 684
Gehennæ meditatio quid proſit 687
Gemitus CHRISTI 344
  cordis CHRISTUS novit 494
Generis humani honor 533
Genethliaci ſuperſtitioſi 413
Genezareth lacus 170
Gentilium multitudo 520
Gentium vocatio 109. 110
Gradûs pœnarum in inferno 209
Γραμματεὺς 489
Gratiâ DEI excidere poſſunt renati 636
Gratia DEI univerſalis 108
  poteſt amitti 565
Gratiæ DEO agendæ 228. 235
Gratiarum actio 235
Gratitudinis cauſæ impellentes 401
  DEO declarandæ modus 402
  ὁρμητήρια 400
  requiſita 355
Gratitudo erga DEUM 392
Gravidam eſſe non eſt peccatum 634

H.

HÆmorrhouſa 603. 612. attactu veſtimenti CHRISTI ſanata 604
Hæmorrhouſæ virtutes 614
Hæreſes unde, & cur graſſari permittat eas DEUS 236
Hæretici capitis ſupplicio num adficiendi 244
Hæreticorum notæ 248
Hæreticos cur toleret DEUS 242. 256
  nominatim perſtringere licet 199. 242
Hebraiſmus 626
Herodiani 579
Heroica ἀμίμητα 302. 311
Hieroſolyma civitas ſancta 640
Hieroſolymæ deſolatio 293
  prædicata 291
Hœdis ſimiles reprobi 666
Homicidii gradûs 199
  interni ſpecies 211
Homicidium fugiendum 213
  quadruplex 214
  quotuplex 204. 210. 214. 218
Homines bonorum DEI diſpenſatores 267. 279. 280
  diſſipatores 280
Hominis depravatio ſpiritualis 340
Homo debitor 560 561
  in ſtatu triplici 442
  naturâ peccator 45
  non poteſt ſeſe præparare ad gratiam 518
  ſervus 560. 561
  Rex DEUS Pater 514 560. 569
  venditus propter peccatum 561
  vox miſerationis 494
Honores ante tempus non adfectandi 456
Hora cœnæ 101
Hoſpitalitas 668
Hoſpites CHRISTI 516
Hoſtes CHRISTI 476

Eccleſiæ conſpirant 597
Eccleſiaſticorum 582. 595
ut tractandi 567
Hoſtium conſilia irrita 303
natura & indoles 470
Huberianiſmus 528
Humanitatis CHRISTI impugnatores 291
Humilitas 328
Humilitatis ſectandæ cauſæ 463
ſtudium 328. 456
Hydropis cum peccato comparatio 451. 459
Hyeme fugere malum 631
Hypocriſis eſt loquacula 603
fugienda 156. 253. 264. 365. 523. 536
quid 253
Hypocritæ 156. 370. 378. 448. 523. 582
in jus DEUM vocant 670

I.

Jairi fides temporaria 602
Jehovah 475
Jejunium Judaico-Phariſaicum 326. 331
Jeſuitarum ſcholæ fugiendæ 157
JESUS Meſſias 301. 389. 399
Ignis infernalis deſcriptio 664
inſtrumentum iræ DEI 527
pro ſumma infelicitate 664
Imagines poſſunt tolerari 586
Immiſericordia fugienda 72
teſtimonium incredulitatis 665
Immiſericordiæ nomine quid veniat 665
Imperiorum mutationes 592
Impietas damnat 96
Impii venient in judicium 656
Impiorum felicitas ſcandaloſa 87
Implacabiles ad Cœnam S. nõ admittendi 208
Impœnitentia damnat 96
Impoſitio manuum 341
Impoſtores fures 279
Incarnatio CHRISTI 49
probat Trinitatem 64
Incarnationis finis 433
myſterium 474
Indulgentiæ papales 562
Infectis quid faciendum 388. 396
Infernales pœnæ 527
æternæ 673
Infernalium pœnarum æternitas 88. & atrocitas 670
Inferni deſcriptio 86
Infernum eſſe 80. 672
effugiendi modus 83. 86
Infernus eſt κόλασις 672
quibus paratus 80
Infiniti & finiti proportio 478
Infirmi in fide non abjiciendi 41. 55
Infirmitas humana 179
Ingratitudo 393
erga verbum 205. 522
leproſorum 399
vitium turpe 401
Ingratus peccat dupliciter 402
Inhumanitas 565
Injuriæ quomodo vindicandæ 566
In nomine CHRISTI aliquid agere 250
Inſidiæ cavendæ 449
Intemperantia eſt cauſa damnationis 95
Intentio bona Papiſtarum 347
Invidia fugienda 123
Invocatio ſanctorum ἄγραφος 82
Ira conceſſa 204
cur fugienda 219
DEI 115. adverſus urbes 340
DEI, ex cõtemtu verbi & miniſterii 526
homicidium 200. 211
illicita 205

pecca-

peccatum damnans 205
quid 200
Iræ divinæ atrocitas 526
proceſſus lentus 314
exempla decem 295
ſpeculum 295
Iræ nomine quid veniat 200
Irenica Calviniſtica 407
ἰσάγγελοι electi & quomodo 488
Judæi ἀναπολόγητοι 436
contemtores cœnæ 104
κεκλημένοι
ſabbatô lautiùs vivant 447
Judæorum abjectio duplex 110
abjectiſſimi Chriſto adhærent 107
cæcitas 583. 586
calamitas 634
excidium typus diei noviſſimi 645
excidium ultimum 524
ingratitudo & contemtus 520
invitatio 531
negligentia 628
privilegia 295
ruina cur quotannis repetatur 315
Judaicæ πανωλεθρίας cauſa 292. 296
Judaici excidii finis 296
regni reſtauratio num ſperanda 315
Judas Lebbæus 26
Judex CHRISTUS-*Homo* 651. 654. 674
etiam Rex 659
cur Filius DEI 654
in nube venturus 653
qualis 675
θεάνθρωπος & cur 655
Judicandi 653. 655. 676
Judicia DEI 327
Theologica 152
Judicii extremi actus & proceſſus 688
certitudo 560. 656. 677
recordatio quid proſit 687
Judicii ultimi præparatio 636
Judicio extremo opponenda conſolatio 678
Judicio obnoxius 201
Judicis CHRISTI *comitatus* 679
gloria 655
Judicis ſolium 653
Judicium apud Judæos triplex 201
CHRISTO-*Homini traditũ* 646
duplex 165
dupliciter capitur 656
Eccleſiaſticum maneat 151
non omne prohibitum 147
politicum non prohibetur 151
privatum 165
quale prohibitum 148. 151. 161
temerarium varium 151
tribuitur & Trinitati & Filio Hominis 651
ultimum deſcribitur 656
Juniorum officium 139
Jus Epiſcopale ſudes in politicorum oculis 588
Jus talionis 153
Juſti, electi 662. 671
Juſtificare quid 327. 369
Juſtificatio actus judicialis 562
deſcribitur ex foro 327
non ex lege 366
non recipit magis & minus 328
quid 198. 324
Juſtificationis definitio Papiſtica 198
modus 126. 328. 331. 332
per cauſas explicatio 212
Juſtificatus 326
Juſtitia ad ſalutem requiritur 198
CHRISTI 198
DEI,

DEI, h. e. fidei 413. 420
DEI lentè procedit 643
fidei cauſa ſalutis 671
non excludit opera 198
melior in CHRISTO 212
melior quærenda 198
noſtra 689
operum in Chriſtianis melior juſtitiâ Papiſticâ 213
Papiſtarum ad ſalutem inutilis 197
Phariſaica 197. 218. 335
propriâ homo non juſtificatur 198
quadruplex 197
triplex 962
Juſtitiarii 321. 365
Juvenes etiam moriuntur & cur 430
Juventus mori diſcat 430
morti cur obnoxia 554

K.

KAì cauſalis 6
Κακία 411
Κατάγειν 172
Κατηραμένοι 664
Kereb 535
Κληρονομεῖν 660
Κληρονομία regni 683
Κόδραντης 207
Κοπιάζειν 173
Κρίνειν & κρίσις 147
Κωφός 339

L.

LAb à precibus inchoandus 175
& negotiatio non prohibita 411
ordinarius 273
piorum etiam interdũ vanus 175
præceptus 198
Sine DEO vanus 175
Laborandum & orandum 175
Lacrymæ CHRISTI quales 290. 291. 304. 305. 308
non improbantur 291
Lacrymarum CHRISTI uſus 310 315
Lædens pars deprecetur culpam 206
Laici etiam Pſeudoprophetas vitent 243
Lapſus hominis 130. 377
Lazari etymon 75
habenda ratio 76
Lazarus mendicus deſcribitur 72. 73. 91
Lege non juſtificamur 197. 366. 381
Legem CHRISTUS non perfecit tradendo conſilia 210
CHRISTUS repurgat 199
Legis doctores 470
impletio fermentum Phariſaicum 471
impletio impoſſibilis 471. 484
intellectus & natura 213
perfectio 204. 210. 366
& integritas 488
rigor peccati nos convincit 471
ſumma 438
uſus 471. 482
Legiſperitus ad legem remiſſus & cur 375
Legitima 135
Λέπρα 385
Lepra inter Judæos frequentior 387
peccati curatur & quomodo 390. 391
pœna peccatorum graviorum 394
qualis morbus 385
triplex 401
Lepræ cum peccato comparatio 386. 396
ſpecies 387

Leproſi

Leproſi ad ſacerdotes miſſi & cur 395
Lex adverſus mortem nihil valet 609
dupliciter conſiderata 367
& Evangelium diſtinctè docendum 367
impletu impoſſibilis 21.204.366.
moralis 471
omnes obligat 372
qualem requirat obedientiam 367
quid 561
quomodo poßibilis 562
totum requirit hominem 468
Liberalitas erga egenos 153.166
Liberalitatis cauſæ 153.166
impulſivæ 283
Liberatio piorum 635
Liberi arbitrii vires Papiſtæ propugnant 369
Liberi infidelium 47
Liberis ægrotantibus quid faciendum 544
Liberius 248
Liberorum inobedientia 139
officium 139.551
Liberum arbitrium 681
nullum 128
Limbi nihil ſunt 80
Lingua peccata 219
uſus rectus 353
Loca honoratiora 455
Lugere licet defunctos 431
Lupi abigendi 257
rapaces 245
Lutherana Eccleſia ubi in Papatu 55
Lutherani non negant judicium extremum 680
Lutheranorum miniſtrorum vocatio 248
Lutherus de operibus ratione ſubjecti 249
utrum exoſam habuerit vocem Trinitatis & ὁμουσίας 62
utrum Pſeudopropheta 681
Luxus vitandus 72

M.

Magiſterium in aliis 156
Magiſtratus confirmatio 588
hoſtes 589
non dominetur miniſterio 589
officium 226
pii officium & ſpeculum 144. 554.594
pius 171
ſit in officio diligens & cur 189
ſtatus, DEO gratus 543
vitia ut taxanda 588
ut colatur 598
ut rapiat DEO ſua 590
Magiſtratui etiam duro obediendum 588
quatenus obediendum 589
ſubſunt Eccleſiaſtici 589
Magni CHRISTI fratres 668
Majeſtas CHRISTI 176
homini intolerabilis 179
Μακροθυμία 314
Mala αὐθαίρετα 421
quomodo avertantur 506
Mali qui 516
Mammonæ cor non adponendum 283
non ſerviendum 423
ſervire quid 405
Mammon Dominus qualis 416
quid 274.405
Mammonis ſtudium fugiendum 419
Mandata DEI ſervare 252
Manſio DEI apud homines 5.9
Manuaria opera DEO placent 175
Manûs apertio ſignum liberalitatis 227
Mare Hebræis quid 170
Media evadendi calamitates publicas 643

Digitized by Google

non negligenda 493
ſalutis ad nos delata 344
Mediis utendum 228
Medicina ſine DEO infructuoſa 614
Medicorum cura ſine DEO vana 605
Membra DEO tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς 54
Mendicitas Papiſtica 75
Menſales cogitationes 102
Mens pro intellectu & cogitatione 468
Menſtrui fluxus 605
Mercatura licita 302
Μεριμνᾶν 408
Meritorum perſuaſio vitanda 319
Meritum CHRISTI 382
valet retrò 501
Meſſias Davidis filius 473. 485
eſt JESUS Nazarenus 301. 389. 399
Meſſis bonæ regulæ ſive præcepta 237
ratio, vel modus fruges rectè colligendi 237
Methodi medendi requiſita 622
Methodus judiciorum DEI punientis 294
Methodus medendi 497
corpori & animæ 510
recta 621
Μετεμψύχωσις 76
Milites βδέλυγμα 628
Minimi, fratres CHRISTI 668
h. e. pauperes 663
objectum beneficentiæ 668
Miniſterii author CHRISTUS 178
conſervatio 336
cum piſcatione comparatio 188
efficacia non pendet à dignitate miniſtri 251
labores 179
neceſſitas 519
requiſitum 17
ſolatium 523
ſors 522
Miniſterium audiendum 519. 533
cur inſtitutum 50
Miniſtri CHRISTI 515
Miniſtri verbi, DEI ſervi 519
in ſtatu periculoſo 592
officium 103. 115. 127
officium faciant 11. 242. & cur. 189.
Miniſtris verbi licet duriùs interdū loqui 50
Miniſtrorum Lutheranorum vocatio 248
Miracula CHRISTI 46
CHRISTI ſalutaria 344
non ſalvant, nec Eccleſiæ nota 2?2
non ſunt Eccleſiæ nota 547. 635
notha Eccleſiæ nota 442
Pſeudoprophetarum 252
quid 41
ſunt actiones θεανδρικαί 454
teſtes divinitatis & communicatæ majeſtatis 452
vel falſa vel vera 41
vera & falſa differunt 547
Miraculorum CHRISTI finis 179
finis 546
uſus 502
Miſeria hominis 350. 387. 401. 457
inconverſi 138
Miſeria hominum 605
Miſeria vitæ 551
Miſericordia DEI 150. 158. 563
erga proximum 146 150
pro ſecunda Decalogi tabula 146
quid 118
requiritur & cur 147

Miſeri-

Miſericordiæ CHRISTI *demonſtratio* 401
DEI τεκμήρια 165
exercendæ cauſa 154
ratio 158
Miſericordiam DEUS *ut exerceat* 158
Miſſa βδέλυγμα 629
Miſſio Spiritûs ſancti duplex 17
Miſſionis CHRISTI *finis* 7
Mitigatio petenda 634
pœnarum 635
Mittere & miſſio Spiritûs ſancti 17
Μογιλάλος 339
Monachi mendicantes 668
Monachorum auſteritas 449
Montibus CHRISTUS *delectatus fuit* 197
Moralis doctrina 455
Morbi immittuntur propter quinque 497
mortis prodromi 451
non attrahendi 451
Morbis contagioſis infecti, non inficiant alios 387. 396
impliciti CHRISTUM *quærant* 496
Morborum cauſa 386
epidemicorum tempore quid agendum 341
varietas 493
Moriendum omnibus 429. 438. 603
Mors CHRISTI *decreta & libera* 24
Chriſti glorioſa 19
dupliciter conſiderata 609. 623
finis malorum 438
piorum abitus ad Patrem 23
quadruplex, animæ, culpæ, corporis & æterna 443
quid 609
ſomnus 609. 610. 617. 618
utrum exoptanda 420
Mortalitas communis 75
Mortis adpellatio 609
amaritudo dulceſcit 623
cum ſomno comparatio 618
maturæ commoditates 430
præparatio 510
utilitas 619
Mortui non invocandi 439
ſpiritualiter 45
tres in V. T. reſuſcitati 427
Mortuis gratulemur 23
Mortuorum cura 610. 620
cura habenda 429. 438. 444
Multi pro omnibus 101. 103
vocati qui 100
Mundi cæcitas 117
prætextus contra miniſterium 597
Mundus fallit ſpecie humanitatis 582
Munitiones 629
Mutuum 172

N.

Nain 427
Nativitas duplex 57
prima 46
Natura humana corruptio 42. 226
Naturalia non ſunt integra 574
Neceſſitatis caſus inflectit præcepta ſacra 453
Neutrales 41
Nicodemus 38
cur noctu ad CHRISTUM 39
Νομικὸς *quis* 361. 466. 439
Non, pro non ſolùm 7
Norma judicii extremi 667
Notitia CHRISTI 474
DEI 53
naturalis 412
Notitiæ verba 16
Novatiani 127. 556

Novatianiſmus 128. 523
Noviſſima mundi moneant de pœnitentia & vigilantia 680
Nuptiæ CHRISTI non negligendæ 534
  perſonales & ſpirituales 515. 518
  licitæ 518

O.

Obediendum DEO 176
Obedientia 228
Obedientiæ limites 589
  novæ initio DEUS eſt contentus 9
Oculorum evelatio 344
Oculos claudere defunctis 429
ὄχλος 369
Odium perſonæ 166
ὀδυνῶμαι 78
Oeconomi 190
Oeconomi boni requiſita 281
Oeconomi DEI homines 279. 280
Oeconomicæ regulæ 180
Oeconomicus ſtatus 328
Officium ἐλεγκτικὸν 545
Officii ἐλεγκτικοῦ finis 545
  neceſſitas 561
Omnipotentia CHRISTI 433
Omnipræſentia carnis CHRISTI 51
Omniſcientia CHRISTO communicata 586 606
Opera an fidem requirat CHRISTUS 366
Opera bona ad ſalutem utrum neceſſaria 253
  Chriſtianorum & gentilium differunt 668
  eſſe peccata quomodo intelligendum 681
Opera bona ex lege 470
  non prohibemus 324
  non ſunt cauſa vitæ æternæ 683
  non ſunt meritoria 668
  ſunt neceſſaria 2
Opera caritatis non cauſam meriti conſtituunt 667
  cur facienda 657
Opera DEI 435
  infidelium & nō renatorum 249 321
Opera miſericordiæ in extremo judicio producenda 661
  non ſunt meritoria 276
  ſola cur producentur 662
  ſuam habent mercedem 276
Opera, non fidem cur Judex CHRISTUS producat 663
  non ſalvant 328
  renatorum 324
Operæ ſupererogationis 561
  nullæ 370
  verè-bona 251. 367
Operarii 365
Operum fiducia 321. 328
  gloriatio 328
Optimi peſſimi 124
Orandi methodus 388
Orandum in calamitatibus publicis 634
  quid 647
Orantis geſtus 320
Orare pro aliis eſt dilectionis 493
Orationis impedimenta 332
  Phariſaicæ defectus 321
  requiſita 325. 332
  veræ & falſæ differentia 320
Originalis juſtitia perdita 370
Origeniſtarum error 88
Oves etiam infideles 127
Ovibus comparantur electi 665
Ovis perdita quivis homo 127
Ovium veſtitus 245. 255

P. Pacis

P.

PAcis nomen gratum 31
Pædobaptiſmus 42. 46
Παιδεύειν 579
Panem dat DEUS per aliorum manûs 228
Panem edere 427
Πανολεθρίας cauſa 535
Judaicæ cauſa 629
Papa Antichriſtus 519. 635. 589
βδέλυγμα 629. 647
Papæ cum Judæorum βδελύγματι comparatio 647
Papæ ſervire impoſſibile 407
Papiſmus de adplicatione ad gratiam 875
de Antichriſto 643
de ἀρτολατρεία, εἰκονολατρεία & reliquiis 606
de bona intentione 347
de bonis operibus 507

Papiſmus de
coactione ad religionem 116
cœcis ductoribus 164
CHRISTI merito 654
ceremoniis baptiſmalibus 344. 352
confeſſione auriculari 390
converſionis initio in homine 141
culpa, non pœna remiſſa 575
dubitatione 506
duobus gladiis 164
Eccleſia & Papa non errante 18
Eccleſia Romana 184. 311
eleemoſynis meritoriis 284
excluſivis 620
extremo judicio 656. 680
extrema unctione 552
fide hiſtorica pro ſalvifica 400

Papiſmus de
gratia DEI contemtu 534
jejunio quadrageſimali 160
inferni loco 89
judice ac norma controverſiarum 257
juſtificatione ex virtutibus etiã 333
juſtitia in nobis quærenda 215
legis impletione 108. 484
libero arbitrio 370. 378
loco orandi 319
Magiſtratu politico 596
Magiſtratu occidendo 589
Maria ἀναμαρτήτῳ 62
Monachatu 184
miraculis 442. 147
meritis bonorum operum 688
naturalibus integris 142. 574
notis Eccleſiæ falſis 422
non urgendo verbo DEI in omnibus 459. 460
operibus ſupererogationis 378. 571
Petri & Papæ primatu 191
peccatis auditorum 260
pœnitentia, non omnibus neceſſaria 128
pœnitentia ejusq; partibus 313
prædicantibus animarum homicidis 215
prohibitione bonorum operum 153
purgatorio & ſanctorum ſuffragiis 95. 566
reliquiis ſanctorum 344. 615
(eo, quòd) requirat homines ἀναμαρτήτους 29
remiſſione dimidiata 562

Papiſmus de
- ſanctis 134
- ſanctis, rerum noſtrarum gnaris, adorandis 141
- ſanctis demerendis 277
- ſanctorum interceſſione 277
- ſanctorum invocatione 439
- ſeptem Sacramentis 233
- ſtatu Monachorum 114
- totali peccati abolitione 397
- traditionibus 260
- veſte nuptiali 537

Papiſtæ anathema 192
- miracula poſtulantes 547
- pharisaizant 124. 321

Papiſtica viſionis CHRISTI objecta 360
- nundinatio 301

Parabolam eſſe relationem de divite epulone 83

Παράκλητος 30

Παράλυσις quid 491

Paralyticus typus miſeriæ 493

Parata ſunt in CHRISTO omnia, ad ſalutem neceſſaria 519

Παρατηρήσεως 447

Parentes boni malos educantes liberos 139

Parentum officium 544

Parſimonia 140 250

Paſſio CHRISTI 50
- ad diabolum quomodo relata 21

Paſſionis CHRISTI neceſſitas 51

Pater CHRISTO major 20. 32

Patri hoſtium ſubjugatio tribuitur, non excluſivè 476

Patrisfamiliâs officium 549

Patientia 621
- in cruce 511

Paucitas ſalvandorum 523. 534

Paucitatis ſalvandorum cauſa 535. 536

Pauperes non deſperent 75. 236

Pauperibus benefaciendum 276

Pauperum ſolatium 75. 232. 276

Paupertas & penuria, non eſt falſæ religionis ſignum 225

Paupertatis piorum cauſæ 225

Paupertas quid notet 92

Pax CHRISTI 13. 31. 36
- beneficium ſummum 17
- unde dicatur & qualis 14
- duplex 18
- externa ut querenda 18
- extra CHRISTUM nulla 294
- gratiæ & gloriæ 14
- in Evangelio 17
- in ſacris quid 13 306
- mundi à pace Chriſti differt 14 31
- pro felicitate quavis 293
- ſpiritualis quid complectatur 17. 18

Peccata auditorum non probant doctrinæ falſitatem 260
- CHRISTUS remittit tripliciter 501
- inæqualia 205
- piorum in extremo die non revelabuntur 638 669
- ob diem noviſſimum fugienda 679

Peccati agnitio 562
- atrocitas 348
- cura 386. 390
- mundatio 387
- natura vel perverſitas 570
- typus 606

Peccatores 121
- omnis generis inter nos 132
- quid facere debeant 133
- reſipiſcentes ſuſcipiendi 130
- triplices 122

ne tra

ut tractandi 123
Peccatoribus qualem ſe DEUS exhiberet 570
reſipiſcentibus CHRISTUS delectatur 124
Peccatorum fons 294
genera quatuor, quæ remiſſionem irritam reddunt 565
remiſſionem & gratiam impetrãdi modus 574
Peccatum cauſa morborum & finis 493
circa τὰ ἄλφιτα duplex 418
in Sp. S. Phariſæorum 41
maximum 526
originis non ſubſtantia, ſed accidens 46
ſepes 112
veniale nullum 205
unum meretur gehennam 670
Pecuaria 105
Pella 642
Pentecoſtales diſcipuli 34
Pentecoſtalia beneficia 27
Pentecoſtalium diſcipulorum officium 34.35
Privilegia 36
Penuriæ cauſa 421
Perſeverantia in fide 393
Perſona CHRISTI 416
Perſonæ Trinitatis diſtinctæ 15
Perverſitas humana 232.283
Peſtilentiale regimen 442
Peſtis præcavetur & quomodo 444
Peſtis tempore quid agendum 341.388
Phariſæi 52.317.329 330 474.578. legales 472
quomodo exponant dilectionem proximi 155
virtutes & vitia 320
Phariſæorum ambitio 455
erga Chriſtum affectio 456
& Scribarum differentia 196
invidia 122
juſtitia 196.197
ſuperbia 317
Phariſæum quid damnârit 325
Phariſæus cur non ſalvatus 331
Phariſaiſmus 196.210
Φιλανθρωπία CHRISTI 131.133.343. 390.433.474.496.
DEI 102.111.421.518
Philoſophia cum Theologia non permiſcenda 477
Φιμόω 465
Photiniani anathema 192
Photinianiſmus de extremo judicio 656
ſatiſfactione 568
Spiritu ſancto 50
vocatione 262
Pietas non ſit quæſtus 302
Pietatis exemplum 224
Pii etiam interdum fruſtrà laborant 173
ovibus comparantur 658
quandoq; & ipſi egent 230. & cur 232
venient & non venient in judicium 656
Piorum cum aquilis comparatio 639
Piſcatio ſpiritualis 179
Placentes DEO 260
Pœna damnatorum 525
Pœnæ impiorum 539
Pœnarum gradus in inferno 209
infernalium æternitas 80.88
Pœnitentia 122.131
agenda 128 138
DEI opus 122
ejusq; partes 323

eſt hu-

est hujus vitæ 18.209
maturanda 602
non procraſtinanda 130
Papiſtica 323
ſit perpetua 566
vera 336
Pœnitentiæ cauſæ moventes 139
requiſita 397
ſpeculum 139
vera exercitia 334
Pœnitentiarii requiſita 334
Polani argumentum 528
Polemica ſcripta non tolluntur 152
Politici zelum concionatorū vituperant 455
Πορεύεσθαι 664
Poteſtas omnis à DEO 588
Prædeſtinatio non eſt omnium 527
quid 528
Prædeſtinationis cauſa 528
Præficæ 607
Præparatio diei noviſſimi 646.688
Præſcribendum DEO nihil 388
Præſentia CHRISTI 502
DEI quadruplex 8
Precationis veræ & falſæ differentia 320
Preces in templis utrū ſanctius fiant 302.319
Precum nomine totus DEI cultus venit 318
perſeverantia 545
Princeps Judæorum 38.52
Proceſſus DEI in pœnis 643
in morbis obſervandus 397
Prodigalitas 230
Probibitio CHRISTI 608
Prohibitionis CHRISTI cauſæ 345
Promittimus plura, quàm præſtare valemus 562
Propheta in N.T. 241.254
Προσέχειν 241
Προσωποληψία 583
Πρωτοκλισία non adfectanda 455
Providentia DEI 191
præſupponit præſcientiam 412
triplex 348.412
Providentiam eſſe 411
Proxenetæ CHRISTI 515
Proximi definitio 367
Proximo ſuccurrendum 493
Proximus omnis homo 375
qui 368.369.375.378.468
ut tractandus in recõciliatione 565
PſeudoChriſti & Pſeudoprophetæ 632.636
Pſeudopropheta quis 682
Pſeudoprophetæ deſcribuntur 244
duplices & triplices 242
fructus quales habeant 245
fugiendi omnibus 243.257
lupi rapaces & cur 263
quomodo fugiendi 243
ſunt redarguendi 242 256
unde 242.258
Pſeudoprophetarum antiquitas & proprietas 261
fructus 255
notæ 248.255
pœna 249
proprium 248
ſimulatio 255
Pſeudoprophetas cur toleret DEUS 262
Πτωχὸς 73
Publicani humilitas & oratio 322
qui 120.322.330
Puccianiſmus 198
Purgatorium 209.217
nihil eſt 80
Purpura 70

Q.

Quæſtiones quales proponendæ 474
Quomodo duplex 48

perni-

perniciosum 50

R.

RAbbi 52
Racha 201. 211
Ratio in divinis non conſulenda 389
 in ſalutis negotio 487
Ratio reddenda 268. 273
Rationis cæcitas 45. 226
 judicium 609
Reconciliatio cum proximo præcedat divinam 208
 mutua 208
Reconciliationis cauſæ moventes 573. 576
 modus 208
 mutuæ cauſæ & rationes 217. 567
 mutuæ requiſita 573
 præceptum 206
Reformatio templorum vera 302
Regeneratio probat Trinitatem 65
 quid 61
 ſalutis medium 57
Regenerationis difficultas 65
 effectus 61
 impugnatio 43
 neceſſitas 40. 44. 60. 65
 qualitas 60. 61. 65
 requiſita 45
Regia dignitas CHRISTO collata 475
Regna mundi periodica 314
Regnum CHRISTI gloria 660
 præparatum 660
Regnum cæli. pro cæleſti 514
Regnum cælorum 514
 quibus pateat 259
 quid 530. 560
Regnum DEI ante omnia quærendum 182
 quærendi modus 414
 quærendum & cur 414
 quid notet 44
 triplex 413
 ut quærendum 420. 422
Religio non cogit 110
Religione non quiſq; ſua ſalvatur 243
Religionis duces 156
Relinquere 14
Reliquiæ electorum 41
 Papiſticæ 344
Remiſſio noſtra non eſt meritoria 152
Remiſſio peccatorum certa 505
 cur morbi curationi præmiſſa 496
 gratuita 501
 qualis 498
 ut impetretur 568
Remiſſio pœnæ & culpæ 563
Remittendum proximo 149
Renati gratiâ excidere poſſunt 244
Reprobi 598
Rerumpubl. cauſæ φθαρτικαὶ 313
Reſipiſcentes recipiendi 131
Reſurrectio mortuorum 434. 611
Reſurrectionis fundamenta 619
Rete vocationis cum fructu ut ejiciatur 192. 193
Ridere DEI 311
Romanorum exercitus abominatio deſolationis 627
Roſeæ crucis fratres 263

S.

SAbbathi inſtituti finis 453
 iter 631
 Judaici immutati cauſa 453
 Judaici opera 450
 opera manuaria licita 453
 quæſtio ſexties CHRISTO mota 450

ſanctificandi cauſæ impellētes 459
ſanctificatio interna & externa 458
violatio ac profanatio 453. 458
Sabbathum quid 458
quintuplex 458
ut ſanctificetur 452
Sacerdotes honorandi 390
latrones 298
Sacramenta Papiſtarum ſeptem 228. 233
Sadducaiſmus 479. 487. 610
Salmeron de libero arbitrio 370
Salomonis gloria 417
Salus à ſolo CHRISTO 371
gratuita 103
Salutis cauſæ 95
cura 366
impedimenta 105. 106
via 380
via vera 487. 488
Samaritanus CHRISTUS 371. 377. 382
Sanatio ſpiritualis 390
Sancti triplices 35
Sanctitas Chriſtianorum 35
Sanctorum intercesſio vana 608
invocatio ἄγραφος 82
Sanhedrin 201
Sanis quid cogitandum 350
Sanitatis recuperandæ ratio 504
Sapientia carnalis 586
carnis & ſpiritûs 596
CHRISTI 597
mundi qualis 597
Satanæ potentia 42
ſtudium 256
Satisfactio hominis nulla 562
Satisfactiones Papiſticæ 561. 324
Scabellum pedum CHRISTI 476
Scandala removenda 143
Schererus de bonis operibus 507
extrema unctione 552
fide hiſtorica pro ſalvifica 400
inferni loco 89
judice ac norma controverſiarum 257
Luthero, quòd CHRISTO contraria docuerit 379
miraculis, ut nota Eccleſiæ 441
non urgendo in omnibus verbo DEI 460
notis Eccleſiæ, multitudine, viſibilitate, & perpetuitate 422
peccatis auditorum 260
ſanctorum invocatione 439
ſeptem Sacramentis 233
ſubjecto inhabitationis Spiritûs ſancti 29
totali peccati abolitione 397
Schola crucis 555
Scholæ CHRISTI profectus 553
Schola earundemq; cura ac commendatio 618
Scholarum nos docet eſſe patronos 618
Scribæ 466
Scribarum & Phariſæorum differentia 196
Scriptura & verbū realiter non differunt 87
Scriptura in legem & Evangelium diviſa 488
laicis legenda 244
norma 629
Scripturæ autoritas 366
commendatio 474. 629
encomium 82
lectio licita 206
perfectio 87
Scripturam prohibere Antichriſtianum 629
Securitas mundi in periculis 294
punitur 297

Seden-

Sedendo licet concionari 181
Sedere ad dextram DEI 476. 486
Sedere h. e. regnare 676. 476
Seductio cavenda 632
Semen ſanctum reſiduum 54 635. 643
Sententia DEI *hic non illic mutabilis* 671
judiciaria CHRISTI 659
Sententiæ damnandorum exſecutio 670
ſalvandorum exſecutio 671
Separatio extremi diei confertur paſtori & ovibus 657
judicandorũ per Angelos 657 676
Sepulturâ carere probroſum 429
Sequendus Chriſtus 190. 194. 233
Serpens aneus 50
Servare ſermonem CHRISTI 3. 7. 26. 35
Servi ſunt homines 561
Serviendum DEO *& cur* 406
& quomodo 407
Servitus DEI *quadruplex* 390. 406
diaboli qualis 407
Servorum ingenium 271
officium 549
Servus nequam 572
Seſſio ad dextram cujus natura 477
probat Deitatem CHRISTI 486
Seſſionis momentum 477
Sicut particula quid notet 469
Signa excidii Judaici & noviſſimi diei 625
Signorum petitio 546
Σημεῖα. 545
Sinus Abrahæ 74. 76. 77. 92. 93
Sors doctorum Eccleſiæ 522
piorum in hac vita 94
Σώζειν 632
Spectris nihil tribuendum 82
Speculum in homine ſancto quadruplex 376. 377
Trinitatis Papiſticum 141
Spiritus ſanctus
an detur καθ' ὑπόστασιν, *an ſecundum dona* 9
deſcribitur 30
DEUS *eſt* 47
docet & ſuggerit 12
mittitur à Patre per Filium 12
non manet cum peccatoribus 18
quomodo dicatur ſanctus & cur 12
recuperatur 34
Spiritûs ſancti
divinitas probatur 16. 32
eſſentia 32
miſſio 16. 17
officium 30 32
conſolatorium 16
διδακτικὸν 16
perſonalitas probatur 15. 16. 32
Σπλαγχνίζομαι 222
Sponſa CHRISTI 518
Stoica auſteritas 170
Stoici 165
Στοργὴ *parentum* 602
Subditorum officium 588. 594
Superbia damnat 98
quadruplex 461
vitanda 72. 328. 333
Sperbia vitanda cauſa 468
Superſtitioſus cultus 454
Supplicium æternum erit 671
Surdorum ac mutorum ſalus 342
Syllogiſtica forma 474
Συμβάλλειν 579
Συμπάθεια 341
Συνάγειν 516

T.

Talentum 559
Tannerum 248
Ταράσσεσθαι 18
Tecta plana 630
Templa DEI 10. 28
DEI non polluenda 9
Spiritûs S. vera 7
Templi frequentatio aſſidua 319
Templorum profanatio 301
reformatio 302
uſus verus 302 319
Templum domus orationis 298
Tempus noſtrum 294
ultimi judicii 645
Tepidi in religione 41 407
Τέρατα 546
Teſtamenti N prærogativa 360
V. & N. diſcrimen 360
Θαρσεῖν 494
Θεογνωσίας veræ requiſita 62
Θλῖψις 631
Thronus gloriæ quid 653
judicialis 676
Tibicines funerales 616
Timor abſit 35
à peccato 179
DEI filialis quomodo exerceatur 183
Domini ſectandus 182
duplex 35
fidei & incredulitatis 179
Timoris cauſa nulla piis 23
Domini encomium 183
remotio 18
Titus de ſacerdotio Judaico 297
Trabs quid 156
Traditiones Papiſtarum 260
Trinitas probatur ſex fundamentis 64. 65
Trinitatis inhabitatio 27
myſterium 60. 477
teſtimonium 19
Turba audit CHRISTUM 171. 181
Turcæ Chriſtianis quandoq; meliores 198
Tyberias 170

V.

Valetudinis habenda ratio 458
Væ dolentis 638
Venire ad cœnam magnam cur debeamus 117. 118
Venire ad DEUM 10
Veniendi modus 110
Veracitas 183
Verbi CHRISTI efficacia 433
commendatio 82
contemtores non ſalvantur 82
contemtus & odium conjuncta 11
contemtus fugiendus 309
peccatum maximum 09
punitur 109 110. 116. 178
Verbi divini ſtudium 184. 224. 225.
praxis 176
prophetici certitudo 629
vis & efficacia 192
Verbo adhærendum 382
Verbum ad pietatem inſtigat 182
CHRISTI 35
DEI docendum 171
& Scriptura realiter nō differunt 87
fax vitæ 192
gladiô non propagatur 190
Veritas ingrata 182
Veritas odium 590
DEI 643
Veſtis nuptialis 521. 535
Veſtis nuptialis cuſtodienda 523

Veſtitus

Veſtitus & victus 412
Veſtitus ovium 245. 248. 255. 262
Veſtitus ratio 72
Veſtium luxus 412
Via cœli 218
 DEI 581
 ſalutis vera 487
 ſalutis una 51
Victum legitimè acquirendi ratio 186. 187. 192. 193. 226. 235. 414
Victus honeſtè acquirendus 238. 273
Videre DEI cum effectu 395
Videre pro agnoſcere 42
Viduarum cura 433
 ſolatium 430. 441
Viduitas: DEO cura 430. 441
Vincula quid notent 525
Virium ἀδυναμία 10
 in ſpiritualibus 109
Virtus à CHRISTO egreſſa 604
 pro viribus 468
Virtutes muliebres 606
Viſio CHRISTI quotuplex 359. 372. 380
 ſalus noſtra 380
Viſionis CHRISTI modus 373
 objecta Papiſtica 360
Viſitatio DEI 354
 duplex 292. 295. 314. 436
Viſitatio Judæorum 308
Viſitationis contemtus peccatum maximũ 297
Viſitationis tempus duplex 295
Vita æterna confertur nuptiis & conviviis 99. 531
Vitæ æternæ certitudo 685
 cura & inquiſitio 380
 deſiderium 686
 meditatio quid proſit 687
Vitæ conſervatio 639
 fragilitas 544. 429. 437. 603
 inconſtantia 71. 429
Vitam æternam adipiſcendi ratio 376
Vita poſt hanc alia 81
 via ad judicium 207
Vitia aliena non judicanda 156
 taxanda 451
Vivere h. e. placere DEO 364
Unctio Apoſtolica 552
Vocat DEUS tripliciter 113
Vocatio ad ſalutem non negligenda 109
 & cur 113
 DEI ſeria 516
 DEI qualis 536
 DEO grata 174
 & electio gratuita 113. 519
 & voluntas DEI univerſalis 518
 gentium unde 520
 hominis duplex 285
 Judæorum trina 516
 neceſſaria 247
 ſedulò facienda 188
 totius humani generis 516
 univerſalis 103
Vocatorum multitudo 529
Vocavit DEUS ter totũ genus hominũ 522
Voluntas DEI antecedens & cõſequens 108
Voluntas DEI Patris 250
 in quibus conſiſtat 252
Vulgus 303

Y.

ὑπομιμνήσκειν 22

Z.

Zelus 546
Zelus heroicus non imitandus cuivis 300
Ζωγρεῖν 178

Errata typographica partis ſecundæ.

Pag. 1. lin. 19. leg. mittet. p. 4 l. 24. leg. conſtet. pag. 16. lin. 21. leg internam p. 17. l. 10. leg. corda. p. 26. l. 3. leg Iſcharioth. & ad marg. leg. Lebbæus p. 27. l. 25. leg. conati. p. 28. l. 34. leg. illic. p 29. l. 32. leg. intrõſum. & lin. 37. deleatur copula &. p. 33. l. 19. leg. præced. p. 37. l. 8. leg. matris &. lin. 14. leg. natum eſt. p. 38. l. 33. leg. fuit, pro fecit. p. 43. l. 4. leg. argumentatur p. 50. l. 17. leg. ſerpentum. p. 51. l. 34. leg. διμερής. p. 55. l. 8. leg. occultos p. 58 l 29. leg intermediam. p. 63. l. 8. leg. geſifflet. *p. 66. l. 12. leg humiliatione. p 68. l. 21 leg.* χάσμα. *p. 81. l. 16. leg. adgravantur. p 85. l. 27. leg enutritum p. 92. lin. antep leg. domum. p 93 l. 32. leg. benè, pro bonè. p. 96. l 10. leg. tua ſalutis ſatagis. p 97. l. 17 leg.* ἤρξαντο *p. 98. l. 11. leg. & divite convivatore. p. 99. l 15. leg.* ἄνθρωπος. *p 105. l. 26 leg. metas. p. 106. l. 21. leg. pauci. p. 112. l. 24. leg. detrectantes. p. 119. l. 26. leg* ἐπιμελῶς. *p. 125. l. 34. leg. ſententiam. p. 129. l. 30. leg. Hac pro Huc. p. 131 l. 7. leg. deſcendenda. p. 132 l. 20. leg. 3. Cauſam. p. 137. l. 26. leg.* μόσχῳ. *p. 155. l. 32. leg. illa pro illo. p. 157. l. 14. leg.* ἕλκεσι: *& lin. 9. leg. alienum. p. 160. l. ult. leg. pertinentia. p. 164. l. 24. leg. Non, pro nam. p. 166. l penult. leg In liberaliter dando. p 167. l. 19. abundat particula non. p. 168. l. 14. leg.* συνέκλεισαν *p. 169. l. 12. leg concionis. p 171. l. 14. leg ad marginem, cõcionantis. p. 173. l. 9 leg* ἀπροφατικῶς: *& lin. 12. leg. vestem, pro mortem. p. 175. l. 5. in marg. leg:* ἀ[illegible] *p. 176. l. 2. leg. diriget. p. 177. l. 21. leg. timere, pro tumere. p. 201. l. 21. leg [illegible]) p. 207. l. 14. leg. citiùs: & lin. 29. leg. [illegible] p. 220. l. 6. leg. virtutum. p. 224. l. 23. abundat particula, ſe. p. 229. l. 6. leg patratum: & lin. 18 leg.* σπυρίδας *p. 234. l. 15. leg. Allegoria & typi propriá. & lin. 26 leg. videri: & lin. 27 leg. crediderunt. p. 237. l. 7. leg Evangelio: & lin. 14. leg. tempori p. 240. l. 25. leg.* ἔγνων. *p. 248. l. 1. leg. ego me ipſum. p. 260. l 12. leg. novitatis. p. 266. l. antepen. leg. in infidelem. p. 269. l. 30. leg. ſibi pro ipſi. p. 279. l. 12. leg querulantes. p. 281. l. 21 leg. dicendo. p. 296. l. 11. leg. templi. p. 298. l. 2. leg. reformati: & lin. 10. leg. impulſi. & lin. 19. leg.* ἐκβάλλειν. *p. 299. l. 1. leg. latronibus. lin. 24. leg. Principes. lin. 28. abundat, in. p. 300. l. 3 leg. ipſi pro illi. & lin. 23. leg. ſtulta. p. 301. l. 30. in marg. leg. nundinatio. p. 303. l. 1. leg. quia: & lin. 33. leg Chriſti. p. 304. l. 5. leg. in marg. flevit. lin. 17. leg. maximè: & lin. 24. leg. corporis: & lin. 26. leg. flagitiorum. p. 305. lin. 18. leg. terrenorum: lin. 19. leg. fervorem: & lin. 26. leg. exſultationis. p. 307. l. 16. leg. pronunciatione. p. 314. l. 21. leg. caſtigationes. p. 316. l. 18. leg.* ἀνθρώπων. *p. 322. l. 22. leg. porticu. p. 328. l. 37. leg. projiciat. p. 338. l. 27. leg. filiam: lin. 29. & 30. leg. Sidonis & Sidon. p. 339. l. 33. leg. Græca. p. 340. l. 3. leg. ſtabilis. p. 344. l. 14 leg. interpellando: & l. 18. leg. depellendis: & l. 28. leg. adhibitas ceremonias. p. 345. l. 25. leg. per ſectam. p. 354. l. 30. leg. humiliárat. p. 357. l. 13. leg.* Λευίτης. *& l. 22. leg.* πανδοχεῖον. *p. 361. lin. ult. leg.* ἐκπειράζων. *p. 365. l. 32. leg.* πύλησιν. *p. 372. l. 5. leg. quos præ ceteris caros habebat. p. 373. l. 6. leg. non in honoris. p. 375. l. 9. leg. ſimplex & abſoluta. & l. 11. leg eam, pro ea. & lin. 31. leg. fateri cogitur. p. 387. l. pen. leg. meram ac ſolam.*

p. 388.

p. 388. l. 17. leg. graſſantis. p. 389. l. 29. leg. præripiant. p. 390. l. 31. leg. quantò p. 394. l. 10. leg. offerre. p. 395. l 33. leg. indicabat. p. 401. l. 21. leg. objicitur. p. 403. l. 16. leg. dirigatur. p. 404. l. 3. leg. μερῶν: l. 30. leg. diei p. 408. l. 4 leg. ἀποτρεπτική. p. 410. l. 4. leg. exprobratione. & lin. 13. leg gẽtiles: & l. 15. leg. neſciant. p. 420. l. 32. leg. προθήκης. p. 421. l. 17. leg. transgreſſionem. p. 422. l. 3. leg. diſceſcẽdi p. 425. l. 7. leg alîâ, pro alia: & l 15. leg. hos, pro hoc: & l. 27. leg. diei: & l. 31. leg. vacabis. p. 429. l. 32. leg. eum. p. 431. l. 18. leg. partis, pro praxis. p. 437. l 5 leg. illa, pro illi. p. 446. l. 21. leg. προσανάσηθι. p. 447. l. 24. leg. παρατηρούμενοι. & l. 25. leg. malitiosè p. 452. l 30 leg. ſecunda. p. 454. l. 31. leg hoſpitis. p 456. l. 30 leg. φιλανθρωπία. p. 457. l. 1. leg. creârit. p. 464. l. 7. leg. εἷς. p. 469. l. 18. leg. ſummum. p. 471. l. 31. leg. præcepto. p. 474 l. 3. leg. nomini: & l. 24. leg. cenſurâ: & l. 5. in marg. leg. non permiſcenda p. 478. l. 13. leg. infinitum & finitum: & l. 33 leg. Legis & Evangelii p. 479. l. 3. leg. Evangelii & l. 13. leg conjecturam: & l. 18. leg. præſentiſſima, conſiliô. p. 480. l. 26. leg. & corde quidem non. p. 481. l. 7. leg. naturalis. p 483. l. 1. leg. exæquando. p. 484. l. 9. leg. impoſſibilitatis. p. 492. l. 11. leg obtulerint. p. 493. l 5. leg. gratum: & l. 6. leg eâdem: & l. 15. leg. civitatem p. 494. l. 23. leg ſolùm: l. 24. leg. fontem. & l 33. leg. eum. p. 495. l. 6. leg. ἀφίωνται: & l. 10. leg. facimus. p. 497. l. 36. leg. autem. p. 498. l 24 leg hunc in. p. 505. l. 1. leg innitenti. p. 509. l. 22 leg. χοιρόφιλοι. p. 511. l. 17. leg. interpellare. pag 512. l. 3. leg. exaudi: & l. 11. leg. ὡμοιώθη. & l. 21. leg. κρατήσαντες. & l. 30. leg. καὶ τὴν πόλιν. p. 524. l. 27. leg. hypocritam. p. 526. l. 10. leg. ἐπιφωνηματικὴ; & ἐπιφορὰν: & l. 16. leg. nonnunquam p. 527. l. 23. leg. ejusq; p. 537. l. 15. leg. miſeram p. 541. l. 32. leg. ſentire: & l. 36. leg compulſus: & l. 37. leg. iter. p. 542. l. 14. leg. veri: & l. 36. leg peteret. p. 543. l. 4. leg domus: & l. 28. leg ſuas. p. 550. l. 25. leg. παραμυθητικὰ. p. 556. l. 14. leg. CHRISTUM, pro DEUM: & l. pen. leg. ὡμοιώθη. p. 557. l. 24. leg. εἰς τοὺς πόδας. p. 558. l. 4. leg. τὸν σύνδουλον. p. 559 l 13. leg. centenorum p. 564. l. 7. leg. miſereri. p. 565. l. 23. leg. aliis. p. 570. l. 5. leg. adflictiones p. 571. l 36. leg inſperatam. p. 576. l. 11. leg. rationum. p. 578. l. 8. leg. alterutrum: & l ult. leg. γραμματεῖς. p. 579. l. 17. leg. ἀγρεύειν: & l. 20. leg. accuſationis telam p. 580. l. 12. leg. ſervi, pro conſervi p. 584. l 26 leg. directam. p. 585. l. 5. leg. tùm; & l 7. leg. tùm: & l 30. leg. reſervantes p 586. l. 24. leg. cõtrectatione p. 587. l. 7. leg. conſcientias. p. 593. l. 26. leg. eum, pro cum. p. 594. l. 7. leg. numiſmatis: & l. 19. leg. patientia: & l. 32. leg. viri. p. 597. l. 28. leg. laudatus; & l. 35. leg. καρδιογνωσίαν. p. 599. l. 2. leg. ὅπαθεν; & l. 7. leg. θύγατερ. p. 600. l. 19. leg. συναγωγῆς. p. 601. l. 1. leg. propoſitione. p. 602. l. 5 leg. Dominus: & l. 31. leg. temporariam exiſtiment. p. 603. l. 19. leg. Miſera p 607 l. 22 leg. adſueſecerant illa ſeſe p 609. l. 9. leg. πάντων τῶν φοβερῶν. p 610 l 4. leg leguntur, pro legitur: & l. 37 leg. in CHRISTO virtus p. 613. l. 12. leg Fila p. 616. l. 23. leg. progreſſus: & l. 32.

leg.

leg. neceſſariaq́; p. 623. l. 22. leg. voluntates. p. 624. l. 4. leg. ἐπιστρεψάτω. p. 626. l. 6 leg. ἐρημώσεως : & l. 12. leg. ἐρημώσει. p. 629. l. penult. leg. conſummationem. p. 632. l. 22. leg Diſſuaſio : & l. 32. leg. obtruſi. p. 637. l. 2. leg. impoſtores : & l. 30. leg Evangelii prædicationem. p. 639. l. 33. leg. Scripturas. p. 645. l. 33 leg. conſociatione. p. 646. l. 1. leg. ita : q. d. ubi cadaver &c. q. d. Sicut aquilæ facile inveniunt cadaver, & ad illud. p. 648 l. 8. leg qui per gratiam tuam corporibus mederis & mentibus : majeſtatem tuam ſupplicet. p. 649. l. 12. leg. ἀσθενῆ, ſine puncto : & l. 16. leg. infirmum. pag. 650. l. 2. leg. ὑμῖν : & l. 6. leg. ζωὴν. p. 657. l. 29. leg. ſeparationem. profeſſionem : & l. 31. leg. mediantibus. p. 659. l. 19. leg. ſentient. p. 661. l. 19. leg. poſſidete. p. 669. l. 12. leg. abjectiores. p. 671. l. 17. abundat alterum, ibunt. p. 673. l. 30. leg. igne. p 674. l. 19 leg. hanc. p. 690. l 17. leg. deplorantur : & l. 22. leg. pag. 1048. verbu : Noſtrum eſt. & l. ult. leg. ἱερῶν.

F I N I S.

ANT 171/2751

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F33.

Digitized by Google

Digitized by Google